231.558
2/1834 John, Chrysostom, St.
.J64 Operum
vol.11/12
Reference

Date Due			

Cardinal Spellman Library
St. Pius X Seminary
Graymoor, Garrison, N. Y.

DEMCO

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/collectioselecta1112vari

† LIBRARY †
St. Paul's Friary
GRAYMOOR, GARRISON, N. Y.

† LIBRARY †
St. Paul's Friary
GRAYMOOR, GARRISON, N. Y.

† LIBRARY †
St. Paul's Friary
GRAYMOOR, GARRISON, N. Y.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM

LXXVI

PATRES QUINTI ECCLESIÆ SÆCULI.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS.

XI.

POISSY. — E TYPOGRAPHEO ARBIEU.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

EPISCOPO MAROCHIENSI, IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE :

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS UNDECIMUS.

This is the property of
Southern Evangelical Seminary
3000 Tilley Morris Rd., Matthews, NC 28105

PARISIIS,

APUD MELLIER PÈRE EDITOREM,

17, RUE PAVÉE SAINT-ANDRÉ.

M. DCCC. XXXV.

S. P. N. JOANNIS
CHRYSOSTOMI
ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,
OPERUM
PARS I.
HOMILIÆ IN SCRIPTURAM.

CLASSIS II.
HOMILIÆ IN NOVUM TESTAMENTUM.

HOMILIÆ IN QUÆDAM LOCA EVANGELIORUM.

HOMILIÆ IN ACTA APOSTOLORUM.

Ref
BR65
.C42
1934
v.11-12

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

HOMILIÆ IN QUÆDAM LOCA EVANGELIORUM.

HOMILIA.

In paralyticum per tectum demissum, quod non sit ille, de quo apud Joannem agitur; deque Filii cum Patre æqualitate.

I. Cum in paralyticum juxta piscinam in lecto jacentem nuper incidissemus, multum et ingentem thesaurum invenimus, non terram effodientes, sed ejus animi sensa scrutantes : thesaurum invenimus non aurum et pretiosos lapides continentem, sed tolerantiam, philosophiam, patientiam, et multam in Deum spem, quæ auro quovis et lucro quovis est pretiosior. Nam sensibus quidem subjectæ divitiæ latronum insidiis, sycophantarum linguis, parietum perfossorum manibus, et famulorum sceleribus sunt obnoxiæ; cumque omnia ista effugerint, tum maximam dominis perniciem frequenter accersunt, dum invidorum oculos excitant, et pericula creant innumera : spirituales autem divitiæ, petitiones istas omnes effugiunt, et ab injuriis istis omnibus sunt immunes, ac latrones, parietum

perfossores, invidos, sycophantas, ipsam denique mortem aspernantur. Non enim domini morte divelluntur, sed tum maxime tutior fit dominis earum possessio : cum illis peregrinantur, et ad futuram commigrant vitam, patronæ fiunt illorum eximiæ, cum quibus illuc discesserint, et ipsis propitium judicem reddunt. Has invenimus nos quoque divitias admodum copiosas in paralytici mente defossas ; testes vos estis, qui summa cum animi alacritate illas eruistis, nec tamen evacuastis. Talis quippe spiritualium est opum natura, influxus aquarum imitantur, vel potius illarum copiam vincunt, tumque magis exuberant, cum plures fuerint, a quibus hauriuntur. Dum enim in cujusque animum ingrediuntur, non dividuntur, nec imminuuntur, sed ad singulos integræ adveniunt, et apud eos perpetuo morantur inconsumptæ, nec deficere possunt unquam : quod nimirum tum etiam evenit. Cum enim tam multi in thesaurum inciderint, et omnes inde pro viribus hauserint : quid ego de vobis loquor, cum ex illo tempore ad hunc usque diem innumeros locupletarit, et integritatem suam retineat ? Ne igitur spiritualem hunc quæstum sectantes defatigemur, sed quantum in nostra potestate situm erit, nunc etiam hauriamus, ac videamus Dominum benignum, videamus et servum patientem. Triginta quippe et octo annos cum immedicabili morbo conflictatus, ac perpetuo diverberatus, non ægre tulit, non blasphemum verbum emisit, non creatorem accusavit, sed patienter calamitatem illam et multa cum animi æquitate tolerabat. Unde vero id constat ? dicet aliquis. Neque enim de præcedenti ejus vita clare Scriptura nos docuit, sed cum triginta octo annos egisse in infirmitate sua declaravit[1] : quod autem non ægre tulerit, nec indignatus sit, neque stomachatus, hoc non diserte addidit. Attamen hoc etiam subin-

[1] Joan. v, 5.

dicavit, si quis diligenter attendat, et non perfunctorie et oscitanter. Cum enim audis eum, accedentem Christum, qui notus ipsi non erat, sed nudus homo putabatur, tanta cum modestia esse allocutum, præcedentem etiam illius probitatem ac philosophiam poteris spectare. Nam cum ei dixisset : « Vis sanus fieri? » nihil tale dixit, quale verisimile erat eum dicturum : « Vides me paralysi resolutum tam diuturno tempore jacere, et interrogas : Num sanus fieri velim? venisti ut meis malis insultares, ut exprobrares, irrideres, et subsannares calamitatem? » Nihil horum neque dixit, neque cogitavit; sed cum æquitate animi : « Pro» fecto, Domine, inquit. » Quod si post annos octo et triginta adeo mitis, adeo modestus erat, cum omnes illi vires, ac robur animi fractum ac debilitatum esset, cogita qualem illum fuisse sit probabile, cum mala tantum inciperent. Nostis quippe omnes non ita ægros initio morbi esse morosos, ut cum multum temporis elapsum fuerit : tum enim præcipue difficiles ægroti fiunt, cum infirmitas in longum tempus excreverit, tum omnibus sunt intolerabiles. Qui vero post tot annos ita philosophatur, ita patienter respondet, haud dubium, quin præcedenti quoque tempore cum frequenti gratiarum actione calamitatem illam toleraverit. Hæc igitur et nos cum animo nostro reputantes, conservi patientiam imitemur. Sufficit enim ad nostras animas corroborandas illius paralysis : nec ullus est adeo supinus, et paralysi resolutus, ut si calamitatis illius gravitatem animo volvat, non omnia, quæ inciderint, mala patienter ferat, licet intolerabiliora sint omnibus. Nam neque sanitas ejus tantum, sed etiam morbus maximam nobis peperit utilitatem : cum ejus sanatio ad glorificandum Dominum animos auditorum excitarit, et morbus atque infirmitas ad patientiam vos instruxerit, et ad similem zelum cohortata sit, imo vero ipsam quoque Dei benignitatem ostenderit. Hoc

enim ipsum, quod tantæ illum objecerit ægritudini, et in tantam temporis prolixitatem infirmitatem extenderit, maximæ indicium est sollicitudinis. Nam quemadmodum cum in conflatoriam fornacem aurifex aurum injecerit, tandiu ab igne illud examinari sinit, quousque purius viderit evasisse : ita quoque Deus tandiu hominum animas probari malis permittit, quousque puræ fiant, ac splendidæ, multamque ex illa exploratione utilitatem perceperint. Itaque hoc quoque beneficentiæ genus est maximum.

II. Ne turbemur igitur, neve animo concidamus, si quando tentationes nos invaserint. Si enim aurifex novit, quanto tempore derelinqui aurum in fornace conveniat, et quando extrahi, neque sinit eo usque in igne remanere, ut corrumpatur, et exuratur : multo magis id Deo notum est, et cum puriores factos esse nos videt, tentationes remittit, ne malorum multiplicatione supplantemur, et concidamus. Ne igitur ægre feramus, nec animum despondeamus, si quid inopinatum acciderit : sed ei permittamus, qui accurate ista novit, ut quandiu voluerit, animam nostram expurget : utiliter enim id agit, et in rem eorum qui tentantur. Quam ob causam Sapiens quidam admonet, dicens : « Fili, si accedas ad serviendum Domino, præpara animam » tuam ad tentationem; dirige cor tuum, et sustine : et ne » festines in tempore illationis [1]. » Omnia, inquit, illi permitte : probe siquidem novit, quando nos e fornace malorum expediat erui. Quamobrem illi ubique cedere oportet, ac perpetuo gratias agere, atque omnia æquo animo ferre, sive conferat beneficia, sive puniat, cum hoc quoque genus sit beneficii. Nam et medicus, non cum lavat solum, et nutrit, atque ad viridaria educit ægrotum : sed et cum urit et secat, pari ratione medicus est : et pater non modo cum filio blanditur, sed etiam cum eum pellit ex ædibus et

[1] Eccli. II, 1, 2.

cum increpat, ac flagris cædit, pari ratione pater est, neque minus quam cum laudat. Cum igitur intelligas medicis omnibus indulgentiorem esse, ac majori affectu nos Deum prosequi, noli curiose inquirere, neque rationem ab eo exige curationis; sed sive recreare voluerit, sive punire, ad utrumque pariter paratos nos exhibeamus : siquidem per utrumque nobis restituit sanitatem, et nos sibi reconciliat : cumque noverit quibus indigeat quisque nostrûm, et quid conferat cuique, et quo tandem modo servandus sit, hac via nos ille deducit. Sequamur igitur quo ille præceperit, neque exacte quidquam disquiramus, sive per planam, et facilem, sive per difficilem, asperamque viam incedere jusserit, quemadmodum et istum paralyticum. Unum igitur hoc fuit genus beneficentiæ, quod tanto tempore animam ejus purgarit, eamque tanquam conflatoriæ cuidam fornaci tentationum probationi tradiderit : aliud autem nihilo inferius isto, quod in ipsis tentationibus illi affuerit, multumque solatium illi præbuerit. Ipse erat, qui continebat eum, et retinebat, manumque porrigebat, neque collabi sinebat. Cum autem ipsum fuisse audis, noli paralyticum laude privare, nec illum, nec alium hominem quemvis, qui tentetur, et patienter ferat. Quantumvis enim sæpe philosophemur, quamvis omnium robustissimi simus ac validissimi, si illius absit auxilium, ne mediocri quidem poterimus tentationi resistere. Sed quid ego de nobis vilibus et abjectis loquor? licet Paulus sit aliquis aut Petrus, licet Jacobus subsidio cœlesti privatus, facile vincitur, et supplantatur et concidit. Ad hæc omnia tuenda vobis Christi ipsius voces recitabo : siquidem Petro dixit : « Ecce » Satanas petivit, ut cribraret vos sicut triticum : et ego » rogavi pro te, ut non deficiat fides tua [1]. » Quid est cribrare? abducere, circumducere, exagitare, movere, con-

[1] Luc. XXII, 31, 32.

cutere, divexare, sicut in iis, quæ cribro ventilantur : at ego cohibebam, inquit, intelligens nequaquam posse vos tentationem sustinere. Cum enim ait : « Ne deficiat fides » tua, » hoc significat futurum fuisse, ut fides ejus deficeret, si ille permisisset. Quod si Petrus fervidus amator Christi, qui animam suam millies pro ipso exposuit, quique semper ante cœtum prosilit Apostolorum, et beatus a Magistro suo prædicatur, ideoque Petrus appellatus est, quod inconcussa et immutabili fide præditus esset, dejectus fuisset, et a confessione excidisset, si, quantum vellet, tentare diabolo Christus permisisset, quis alius absque illius auxilio poterit unquam resistere? Quocirca dicit etiam Paulus : « Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra » id, quod potestis : sed faciet cum tentatione proventum, » ut possitis sustinere [1]. » Non enim tantum, inquit, supra vires inferri tentationem non sinit, sed etiam in ipsa quæ pro ratione virium adhibetur, nos sustentans adest, et nos corroborat, cum nos priores quæ nostrarum sunt partium contulerimus, exempli causa, alacritatem animi, spem in ipsum, gratiarum actionem, tolerantiam, patientiam. Neque tantum in periculis, quæ vires nostras excedunt, sed in ipsis etiam quæ non excedunt, cœlesti auxilio indigemus, ut generose possimus obsistere. Siquidem alibi quoque dicit : « Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et » per Christum abundat consolatio nostra, ut nos possimus » consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortatio- » nem, qua exhortamur et ipsi a Deo [2]. » Itaque is etiam, qui hunc consolatus est, ipse est qui tentationem permisit inferri. Vide autem post curationem quantam sollicitudinem præ se ferat. Neque enim illo dimisso recessit, at postquam illum offendit in templo ait : « Ecce sanus factus es, noli » amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat [3]. » Si

[1] 1 Cor. x, 13. — [2] 2 Cor. i, 4-6. — [3] Joan. v, 14.

enim, quod odio prosequeretur, puniri permisisset, non te liberasset, non in futurum communiisset : quod autem dicit : « Ne deterius tibi aliquid contingat, » indicat eum futuris malis obviam ire. Morbum depulit, et angorem non depulit : ægritudinem abegit, et metum non abegit, ut immotum maneat beneficium quod est collatum. Hoc providi est medici, ut non præsentia tantum mala depellat, sed et adversa futura præcaveat : quod utique fecit et Christus, dum præteritorum memoria ipsius animam confirmavit. Nam quoniam ubi præterierint ea, quæ nobis molestiam exhibebant, simul eorum memoria sæpe dilabitur, quod ipsam perpetuum velit manere : « Noli, inquit, amplius » peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

III. Neque vero ex hoc solum providentiam ejus et æquitatem licet intueri, sed ex ipsa, quæ videtur esse, increpatione. Nam peccata quidem ejus non propalavit, sed eum propter peccata passum esse quæ passus est, indicavit; quæ vero essent peccata non indicavit; neque dixit : « Hoc et illud peccasti, » neque, « In hoc et in illo deliquisti, » sed uno simplici verbo id exprimens : « Noli amplius peccare, » tantumque dicens, quod ad eum admonendum necessarium erat, diligentiorem illum reddidit in futurum, et ipsius patientiam, fortitudinem, ac philosophiam nobis omnem patefecit, cum illi necessitatem imposuit totam calamitatem suam quiritando divulgandi, ac studium suum ostendendi. « Dum venio » enim ego, alius ante me descendit [1]. » Peccata vero non propalavit. Sicut enim nos obtegere nostra volumus, sic et Deus multo magis quam nos; quam ob causam et coram omnibus medicinam fecit, adhortationem autem et consilium privatim adhibet. Nunquam enim evulgat peccata nostra, nisi forte si quando nos viderit nullo eorum sensu affici. Nam et cum dicit : « Esurientem me vidistis, et non

[1] Joan. v, 7.

» aluistis, et sitientem, et non potastis [1], » propterea dicit in præsenti tempore, ne forte in futuro verba hæc audiamus. Minatur, evulgat in hac vita, ne in illa evulget, quemadmodum et Ninivitarum civitatem se minatus est eversurum, ut non everteret. Si enim peccata vellet nostra publicare, nequaquam se publicaturum prædixisset; jamvero idcirco prædicit, ut publicationis illius metu, si minus supplicii metu castigati, omnia abstergamus. Hoc et in baptismo fit; siquidem ad aquarum lavacrum hominem deducit, nec ulli ejus peccata patefacit; sed donum quidem manifestum omnibus reddit, et notum; peccata vero præter se et ipsum, cui remissio tribuitur, nemo alius novit. Hoc et in isto accidit; reprehensio remotis arbitris adhibetur, imo vero non reprehensio tantum, sed et excusatio quædam est hæc oratio, quasi ob tantam illatam afflictionem se excusaret, eique diceret, et significaret non temere, neque frustra permissum esse, ut ipse tanto tempore affligeretur, peccata in memoriam illi revocavit, et causam aperuit infirmitatis. « Cum enim, inquit, in» venisset eum in templo, dixit illi : Noli amplius peccare, » ne deterius tibi aliquid contingat [2]. » Quando igitur ex priori paralytico tantum fructum collegimus, age jam ad alterum etiam veniamus, de quo apud Matthæum agitur [3]; nam et in metallorum fodinis ubi quis plus auri repererit, illic effodit rursus; et multos scimus eorum, qui negligenter legerunt, unum et eumdem esse putare paralyticum, de quo apud quatuor Evangelistas agitur. Atqui non est idem; quamobrem erigite vos, ac diligenter attendite. Neque enim de rebus trivialibus quæstio habetur, sed et adversus Gentiles et adversus Judæos, et adversus multos hæreticos utilis hæc erit oratio, ubi conveniens solutio fuerit addita. Nam et ita reprehendunt omnes Evangelistas tanquam

[1] Matth. xxv, 42. — [2] Joan. v, 14. — [3] Matth. ix.

inter se pugnantes ac dissonantes. Atqui non ita res se habet, absit; licet diversæ personæ sint, una est Spiritus gratia, qua cujusque anima movetur; at ubi Spiritus est gratia, charitas, gaudium, pax; bellum non est, nec discordia, nec pugna, nec ulla contentio. Quo tandem igitur pacto manifestum reddemus hunc non esse illum paralyticum, sed alterum ab illo diversum? Ex multis indiciis cum loci tum temporis, et occasionum, et diei, et ex modo curationis, et ab adventu medici, et ejus qui curatus est solitudine. Quid tum postea? dicet aliquis; nam et alia signa nonne diversa ratione multi Evangelistæ narrarunt? At enim aliud est diverse narrare, aliud contrario modo; siquidem illud dissonantiam nullam gignit aut pugnam; in hoc vero quod est præ manibus, multa apparet repugnantia, nisi alterum esse ostendatur in piscina paralyticum, quam is, de quo tres Evangelistæ scripserunt. Atque ut intelligatis quid sit diverse et quid contrarie loqui; unus ex Evangelistis dixit crucem portasse Christum, alter autem Simonem Cyrenæum; hoc vero contrarietatem nullam gignit, aut pugnam. Quî potest, inquit, non esse contrarium, portare et non portare? Quia nimirum utrumque accidit. Et cum exiissent quidem ex Prætorio, portavit Christus; cum autem longius progressi essent, Simon ab illo accepit, et tulit. Rursus de latronibus unus quidem ait duos ipsum blasphemasse, alter vero unum compescuisse illum, qui accusabat. Sed neque hoc rursus est contrarium. Quid ita? quoniam hic quoque utrumque accidit, atque initio quidem uterque improbe se gerebat; postea vero cum facta essent miracula, terra mota, petræ scissæ, et sol absconditus, alter eorum conversus et modestior est factus, et Crucifixum agnovit, ejusque regnum confessus est. Nam ne forte existimares necessitate quadam ac vi cujusdam intus eum impellentis hoc fieri, neve dubitares, illum

in cruce tibi exhibet priorem adhuc improbitatem retinentem, ut agnoscas eum sponte atque a se ipso mutatum, Deique gratia donatum ita meliorem evasisse.

IV. Alia quoque multa ejusmodi ex Evangeliis colligere licet, quæ videntur suspicionem habere repugnantiæ; sed nulla tamen est repugnantia; sed et quæ ab hoc, et quæ ab illo dicta sunt, evenerunt; tametsi non eadem hora, et unus primum illud dixit, alter illud secundum; at hoc loco nihil est tale, sed eorum indiciorum multitudo, quæ notata sunt, iis, qui utcumque animum adverterint, ostendit alterum hunc fuisse, et alterum illum. Neque vero mediocris ista esse potest demonstratio ad probandum Evangelistas inter se consentire, non pugnare. Si enim idem sit, magna pugna; sin autem alter est ille, sublata est omnis dubitatio. Age igitur causas ipsas proponamus, quibus adducti dicimus hunc illum non esse. Quænam illæ porro sunt? Ille sanatur Jerosolymis, hic vero in Capharnaüm, et ille quidem juxta piscinam aquarum, iste autem in quodam cubiculo, ecce indicium a loco; atque ille quidem in die festo, ecce a temporis conditione; et ille quidem triginta et octo annos habebat in infirmitate sua; de hoc autem nihil tale Evangelista narrat, ecce a tempore; et ille quidem in sabbato sanatus est, ecce a die; si enim in sabbato fuisset hic quoque sanatus, neque id tacuisset Matthæus, neque Judæi, qui aderant, quievissent. Qui enim etiam tum cum ille in sabbato sanatus non est, aliam ob causam indignati, sunt, multo magis si a tempore data esset ansa reprehendendi, nequaquam jactandis in Christum criminationibus pepercissent. Atque hic quidem ad Christum defertur, ad illum autem Christus accedit, et illi nullus erat homo qui suppetias ferret : « Domine enim, inquit, hominem non » habeo [1]. » Iste vero multos habebat propinquos, qui et

[1] Joan. v, 7.

per tectum illum demiserunt. Et illius quidem ante animam corpus correxit; siquidem cum prius paralysim ejus sanasset, deinde dixit : « Ecce sanus factus es, noli amplius » peccare : » hic autem non ita; sed cum prius animæ illius medicatus esset; ait enim ipsi : « Confide, fili, remit» tuntur tibi peccata tua [1]. » Tum deinde paralysim sanavit. Hunc igitur illum non esse clare nobis ex his est demonstratum; jam autem ad ipsum narrationis initium veniendum est, ac videndum, quo pacto hunc et quo pacto illum sanarit Christus, et cur diversa ratione; cur hunc in sabbato, illum non in sabbato, et ad illum ipse venerit, hunc autem expectaverit ad se deferri, et quam ob causam illius corpori prius, hujus vero animæ prius medeatur. Neque enim temere aut sine causa ista facit, cum sapiens sit et providus. Attendamus igitur, eumque medentem contemplemur. Si enim cum medici quemdam secant, uruntve, aut alio quodam modo mutilatum et debilitatum incidunt, ac membrum amputant, multi tam ægrum quam medicum circumstant ista facientem; multo magis nos hoc loco id agere oportet, quanto et medicus major, et gravior morbus est, qui non arte humana, sed gratia divina curatur. Atque illic quidem pellem concisam cernere licet, saniem defluentem, putredinem evacuatam, ac multam molestiam ex illo allatam spectaculo sustinere, doloremque non mediocrem et angorem, quem non modo vulnerum conspectus, sed eorum etiam, qui uruntur secanturque, cruciatus inurit. Nullus enim est adeo saxeus, ut cum illis, qui talia patiuntur, astiterit, ac lamentantes audiverit, non commoveatur, confundatur, et ingentem animo concipiat mœrorem; verumtamen ob spectandi cupiditatem hæc omnia sustinemus. Hic autem nihil tale cernere licet, non ignem admoveri, non ferrum immergi, non sanguinem

[1] Matth. IX, 2.

fundi, non ægrum cruciari, non lamentari; in causa vero est medici sapientia, quæ nullis indiget rebus externis, sed ipsa sufficit sibi. Siquidem sufficit tantum ut imperet, et omnia mala pelluntur. Neque vero admiratione dignum hoc est, quod tanta facilitate medicinam faciat, sed quod sine dolore, nec ullam molestiam afferat iis qui curantur. Quando igitur et miraculum majus et copiosior medicina, et ab omni tristitia immunis spectatoribus voluptas offertur, age diligenter curantem Christum spectemus : « Et » ascendens Jesus in naviculam transfretavit, et venit in » civitatem suam. Et ecce obtulerunt illi paralyticum jacen» tem in lecto; et videns Jesus fidem illorum dixit paraly» tico : Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua [1]. » Centurione quidem inferiores sunt [2], quoad fidem, illo autem in piscina jacente paralytico superiores. Nam ille quidem neque medicum traxit, neque ad medicum duxit ægrotum; sed tanquam ad Deum accessit, et ait : « Dic verbo tantum, » et sanabitur puer meus [3] : » Isti vero medicum in ædes non traxerunt, et in hoc Centurioni sunt æquales; sed ægrum attulerunt ad medicum, et in hoc sunt minores, quod non dixerint : « Dic verbo tantum. » Ille quidem certe, qui ad piscinam jacebat, multo sunt isti meliores. Siquidem ille dicit : « Domine, hominem non habeo, ut » cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam [4] : » Isti vero nihilo indigere Christum sciebant, non aquis, non piscina, non alia re quapiam; attamen Christus non Centurionis tantum puerum, sed et hunc et illum morbo liberavit; neque dixit : « Quandoquidem fidem obtulisti minorem, curationem pariter accipies; » sed cum majorem exhibuisset, cum laudibus et coronis eum dimisit, dicens : « Neque in Israël tantam fidem inveni [5]. » Eum vero, qui

[1] Matth. IX, 1, 2. — [2] Luc. VII, 2. — [3] Ibid. 7. — [4] Joan. V, 7. — [5] Luc. VII, 9.

minorem quam ille fidem obtulerat, nullo modo laudavit; non tamen sanitate privavit, sed nec illum, qui nullam fidem exhibuerat. Verum quemadmodum medici cum eumdem morbum curent, a quibusdam centum aureos accipiunt, ab aliis quinquaginta, ab aliis pauciores, a quibusdam nihil penitus; sic nimirum et Christus a Centurione quidem multam et immensam fidem accepit, ab hoc autem minorem, ab illo vero nequidem mediocrem, et tamen omnes sanavit. Cur igitur hunc quoque, qui nihil contulerat, beneficio dignatus est? quod non præ nimia negligentia, nec ob animæ stuporem, sed quod Christum minime nosset, nullumque parvum aut magnum de illo miraculum audiisset, fidem non exhibuerit. Idcirco ergo veniam obtinuit; quod et obscure indicans Evangelista dixit : « Nesciebat enim quis esset [1], » verum ex aspectu solo illum agnovit, cum in ipsum iterum incidit.

V. Quidam igitur dicunt hunc curatum fuisse, cum illi, qui obtulerant, credidissent tantum : sed non ita est. Videns enim fidem illorum, non eorum qui obtulerunt tantum, sed et ipsius qui oblatus est. Quid igitur? altero credente, alter non sanatur? dicet aliquis. Non equidem arbitror, nisi forte si vel propter ætatis immaturitatem, vel ob nimiam infirmitatem destitutus viribus credere nequeat. Quomodo igitur in historia Chananææ, inquit, credidit quidem mater, filia vero sanata est? et cum Centurio fuisset incredulus, quomodo puer surrexit, et salvus evasit? quod nimirum credere minime possent ægroti. Audi sane quid Chananæa dicit : « Filia mea male a dæmonio vexatur, et » nunc quidem cadit in aquam, nunc autem in ignem [2] : » illa vero vertigine laborans, et a dæmone correpta, quæque nunquam mentis suæ compos esse poterat, neque sana

[1] Joan. v, 13.— [2] Matth. xv, 22. Hic quædam adjiciuntur ex Matth. xvii, 14.

esse, quo pacto credere potuisset? Ut igitur apud Chananæam, sic et apud Centurionem; in ædibus jacebat puer, qui nec ipse noverat Christum, neque quis tandem esset, quî potuisset igitur ei, quem non noverat, credere, et cujus periculum nullum fecerat? At enim de hoc dicere istud non licet : siquidem credidit paralyticus. Unde id constat? ex ipso modo, quo adductus est. Neque enim illud oscitanter audias, quod demiserunt eum per tectum : sed cum animo tuo reputa, quantum sit ægrotum id pati contentum esse. Probe siquidem nostis adeo pusillanimes ac morosos ægros esse, ut ministeria quæ jacentibus in lecto deferuntur, sæpenumero aversentur, malintque morborum dolores perferre, quam molestias eorum, qui adjuvant, sustinere. Iste vero et ex ædibus egredi contentus erat, et per forum ingredi, cum gestaretur, seque tot præsentibus hominibus ostendere. Est hoc etiam in more positum ægrotorum, [ut non facile velint ullum suæ ægritudinis esse testem] : sic ut multi maluerint oppressi morbis interire, quam calamitates suas detegere. At non ita æger iste, verum cum repletum videret theatrum, aditus interclusos, portum obseptum, per tectum demitti contentus fuit. Adeo solers est amor, et locuples charitas. « Nam qui quærit » invenit, et pulsanti aperietur [1]. » Non dixit propinquis suis : « Quid hoc rei est? quid turbamini? quid vero properatis? Expectemus quousque domus evacuetur, theatrum dimittatur : recedent qui congregati sunt, poterimus privatim ad illum accedere, ac de his rebus illum consulere. Quid opus est inspectantibus omnibus calamitates meas in medium proferri, et desuper submitti, atque indecore moveri? » Horum nihil aut apud se aut ad eos, qui se gestabant, elocutus est, sed ornamento sibi esse duxit, ut tam multos curationis suæ testes redderet. Neque vero tantum ex hoc

[1] Luc. xi, 10.

fides ejus cerni poterat, sed etiam ex ipsis Christi verbis. Postquam enim demissus est et oblatus, ait illi Christus : « Confide, fili, remittuntur tibi peccata. » His ille auditis non ægre tulit, non dixit medico : « Quid hoc rei est? Ab altero morbo ut sanarer adveni, et alterum ipse sanat? Ista commenta sunt et prætextus, et imbecillitatis tegumenta. Peccata sanas, quæ non cernuntur? » Nihil horum neque dixit, neque cogitavit, sed expectavit permittens, ut medicus eam curationis viam teneret, quam vellet. Idcirco etiam Christus non ad eum perrexit, sed expectavit dum veniret, ut fidem ipsius cunctis ostenderet. Numquid enim facilem illi potuit accessum reddere? sed nihil horum fecit, ut ejus studium omnibus patefaceret, et fidem ardentem. Nam quemadmodum ad illum adivit, qui octo et triginta jam annos habebat, eo quod nemo illi adesset : sic et istum, propterea quod multos habebat propinquos, dum ad se veniret, expectavit, ut et istius manifestam fidem redderet, eo quod oblatus fuerit : et illius solitudinem nos doceret, eo quod ad ipsum accesserit, et tam istius studium, quam illius patientiam cunctis detegeret, atque illis præcipue qui astabant. Nam quoniam Judæi homines invidi et hominum osores proximorum beneficiis invidere consueverunt, et nunc sumpta occasione a tempore miracula carpere, dicentes eum in sabbato curare, nunc ab eorum vita, qui curabantur, dicentes : « Hic si esset Propheta, » sciret quænam sit mulier, quæ tangit eum [1], » nescientes hoc esse præcipue medici, cum ægrotis misceri, et juxta infirmos semper versari, non autem illos fugere, et ab illis resilire. Quod quidem et cum in eos inveheretur dicebat : « Non est opus valentibus medico, sed male habentibus [2]. » Ne igitur eadem rursus objicerent, prius indicat eos curatione dignos esse, qui accedebant, ob fidem quam præ se

[1] Luc. VII, 39. — [2] Matth. IX, 12.

ferebant : propterea et illius solitudinem et ferventem istius fidem et animi promptitudinem declaravit : propterea tum illum in sabbato curavit, tum hunc in sabbato : ut cum illos altero die videris reprehendere et increpare Christum, intelligas tum temporis etiam, non quod studiosi essent legis observandæ, reprehendisse, verum cum propriam invidiam ferre non possent. Quare vero non prius paralysim sanare aggressus est, sed dixit : « Confide, fili, » dimittuntur peccata tua? » Et hoc sapienter admodum : siquidem est hoc in more positum medicorum, ut non prius morbos abigant, sed eorum fontes tollant. Exempli causa sæpenumero cum a pravo humore et corrupta fluxione infestantur oculi, medicus omittens pupillam ægram curare, capitis curam gerit, ubi radix et fons erat ægritudinis : ita quoque Christus agit, prius malorum fontem reprimit. Fons quippe malorum et radix et mater est omnium, natura peccati. Hæc est quæ corpora nostra vexat paralysi, hæc morbos invehit; idcirco etiam inquit hoc loco, « Con» fide, fili, dimittuntur peccata tua, » et illic ait : « Ecce sanus » factus es, noli amplius peccare, ne quid deterius tibi con» tingat; » utroque loco declarans morbos istos ex peccato natos esse. Et in principio, atque in exordio creationis ex peccato morbus Caïni corpus invasit. Nam et ille post fratricidium, post illud scelus, tum paralysi corporis est correptus. Tremor enim ille nihil aliud fuit quam paralysis. Quando enim illa virtus, quæ animal regit, imbecillior est reddita, nec amplius omnia potest membra sustentare, sua cura illa destituit, atque illa relaxata tremunt et exagitantur.

VI. Hoc etiam indicavit Paulus, cum Corinthiis peccatum quoddam exprobrans ait : « Ideo inter vos multi in» firmi et imbecilles [1] : » ideo Christus quoque prius causam

[1] 1 Cor. xi, 30.

malorum tollit. Cumque dixisset : « Confide, fili, dimit-» tuntur peccata tua, » animum ejus erigit, dejectamque mentem excitat : quippe sermo prodibat in opus, et in conscientiam penetrans animam ipsam movebat, ac metum omnem expellebat. [Nihil enim est, quod ita formidinem ac timorem injiciat, ut conscientia peccatorum :] nihil ita voluptatem parit, et confidentiam ingenerat, ac si nullius quis sceleris sibi sit conscius. « Confide, fili, dimittuntur » peccata tua. » Ubi enim remissio est peccatorum, illic et adoptio est filiorum. Ita nos quoque non prius patrem possumus appellare, quam in sacrarum aquarum lavacro peccata absterserimus. Quando igitur mala illa deposita sarcina inde ascendimus, tum dicimus : « Pater noster, qui » es in cœlis [2]. » Verum enim vero cujus rei gratia non ita se gessit erga illum, qui triginta et octo annos habebat, sed prius illius corpus curavit? Quoniam illi quidem temporis prolixitate fuerant consumpta peccata : potest enim tentationum gravitas onus peccatorum levius reddere : quemadmodum et de Lazaro dixit eum mala sua recepisse, atque hic consolari : et rursus ait alibi : « Consolamini populum » meum, loquimini ad cor Jerusalem, quia recepit de manu » Domini duplicia peccata sua [2]. » Et iterum Propheta : « Domine, pacem da nobis, omnia enim reddidisti nobis, » significans pœnas et supplicia veniam impetrare peccatorum, idque plurimis ex locis potest demonstrari. Itaque nihil mihi videtur de peccatorum remissione dixisse, sed in posterum illum præmuniisse, cum ea quæ fuerant ab illo commissa jam ægritudinis essent prolixitate deleta : aut si hoc non sit, propterea quod nondum quidquam magnum illi fuerat de Christo persuasum, idcirco ad id quod minus erat, prius accessit, et quod evidens ac manifestum, nimirum corporis sanitatem : in hoc autem non ita, sed

[1] Matth. IX, 9. — [2] Isaï. XL, 1, 2.

quoniam magis credebat, et sublimiori mente præditus erat : propterea de graviori prius apud illum morbo disseruit : præter hæc omnia, ut sibi æqualem cum Patre deberi honorem ostenderet. Ut enim illic in sabbato curavit, quod eos vellet a judaïca observatione revocare, atque ex illorum criminationibus occasionem captaret æqualem se Genitori ostendendi ; ita nimirum et hic prævidens quod erant dicturi, hæc verba protulit, ut hinc initio ducto, et occasione sumpta demonstret æquali se cum Genitore dignum honore. Non enim ex æquo se res habet, si nemine reprehendente vel accusante, sua sponte quis in sermonem de his delabatur, et si cæteris causam præbentibus, nomine ac specie defensionis hoc ipsum præstiterit. Nam ille quidem demonstrationis modus auditores offendisset : hic vero minus odiosus erat, et facilius admitti poterat, videmusque Christum hoc ubique præstare, neque tam verbis quam factis æqualitatem suam ostendere. Hoc quidem certe subindicans Evangelista dicebat, propterea persecutos eum fuisse Judæos, non solum quia solvebat sabbatum, sed et quia patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo [1], quod multo est majus, hoc enim ipsum per rerum demonstrationem astruebat. Quid igitur invidi illi atque scelerati, qui aliorum bonis macerantur, et undique ansam reprehendendi perquirunt? Quid hic, inquiunt, blasphemat? « Nemo enim potest peccata dimittere, nisi » solus Deus [2]. » Sicut illic eum persequebantur, quod sabbatum solveret, et ex illorum reprehensionibus sumpta occasione defensionis nomine ac specie suam cum Patre æqualitatem ostendit, ac dixit : « Pater meus operatur, et » ego operor [3] : » sic nimirum hoc loco ex iis quæ ipsi objiciunt, Patri per omnia similem se ipsum ostendit. Quid enim ait? « Nemo potest peccata dimittere, nisi solus

[1] Joan. v, 18. — [2] Marc. II, 7. — [3] Joan. v, 17.

» Deus. » Quando igitur ipsi hunc limitem posuerunt, ipsi hanc regulam induxerunt, ipsi legem tulerunt, propriis illos verbis irretit. Vos, inquit, confessi estis solius esse Dei peccata dimittere indubitata igitur est æqualitas. Neque vero isti solum hoc dicunt, sed et Propheta, dum ita loquitur : « Quis Deus sicut tu [1] ? » deinde quid sit proprium indicans adjecit, « Auferens iniquitates, et transcen- » dens impietates [2]. » Si quis ergo alius appareat, qui hoc ipsum ita præstet, etiam Deus est, et Deus quemadmodum ille. Sed videamus, quo pacto illos argumentis Christus urgeat, quam mansuete ac modeste, summaque cum sollicitudine. « Et ecce quidam de Scribis dicebant intra se » ipsos : Hic blasphemat [3]. » Nequaquam verbum protulerunt, non pronuntiarunt lingua, sed in mentis arcano cogitabant. Quid ergo Christus? Illorum arcanas cogitationes protulit in medium, antequam ad demonstrationem veniret, quam ex corporis paralytici curatione prolaturus erat, quod illis suæ Divinitatis vellet potentiam declarare. Ut enim constet solius Dei esse mentis arcana patefacere, « Tu » prorsus solus nosti corda [4], » inquit. Vides illud « Solus » rursus non ad distinctionem Filii dictum esse. Si enim Pater solus corda novit, quomodo Filius novit abscondita cordis? « Ipse enim, inquit, sciebat quid esset in ho- » mine [5] : » et Paulus indicans proprium esse Dei secreta cognoscere, ait : « Qui autem scrutatur corda [6] : » quibus verbis significat hæc eamdem vim habere, quam ipsa Dei habet appellatio. Ut enim cum dico : « Qui pluit, » nullum alium præter Deum designo per rem illam, quoniam Dei solius est illud agere; et si dicam : « Qui solem oriri facit, » nec addam : « Deus, » tamen per rem illam eum ostendo : sic nimirum et Paulus cum ait : « Qui scrutatur corda, » solius

[1] Mich. VII, 18. — [2] Ibid. — [3] Matth. IX, 3. — [4] 3 Reg. VIII, 39. — [5] Joan. II, 25. — [6] Rom. VIII, 27.

ipsius esse scrutari corda declarat. Nisi enim hoc eamdem vim haberet, quam nomen, Deus, ad eum nobis indicandum qui designabatur, solum id minime posuisset. Nam si hoc esset illi cum creatura commune, illum qui designatur non agnosceremus, cum communitas illa confusionem in mentibus gigneret auditorum. Cum igitur appareat hoc proprium Patris esse, itemque Filio constet competere, cum quo indubitata relinquitur inde æqualitas, idcirco, « Quid cogitatis, inquit, mala in cordibus vestris? Quid » enim est facilius dicere : Dimittuntur peccata tua, an di- » cere : Surge, et ambula [1] ? »

VII. Ecce alteram etiam exhibet remissionis peccatorum demonstrationem. Nam dimittere peccata multo majus est, quam corpus sanare, tantoque majus, quanto anima corpore. Ut enim corporis morbus est paralysis, sic et animæ morbus peccatum est : verum illud etsi majus erat, obscurum erat : hoc vero etsi minus erat, manifestum erat. Quoniam igitur ad demonstrationem majoris usurus est minori, ostendens se propter illorum infirmitatem ita fecisse, atque ad illorum humilitatem se demisisse, « Quid » est facilius, inquit, dicere : Dimittuntur peccata tua, an » dicere : Surge et ambula? » Cur igitur ad minus propter illos venis? Quoniam id quod manifestum est, obscuro clariorem exhibet demonstrationem. Propterea non prius illum erexit, quam dixit illis : « Ut autem sciatis, quia Fi- » lius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, » tunc ait paralytico : Surge, et ambula [2] : » quasi diceret : « Majus quidem signum est remissio peccatorum, sed propter vos quod minus est adjicio; quandoquidem hoc vobis illius esse demonstratio videtur. » Nam quemadmodum illic cum Centurionem laudasset, qui dixerat : « Dic tantum » verbo, et sanabitur puer meus : nam et ego dico huic :

[1] Matth. IX, 4, 5. — [2] Ibid. 6.

» Vade, et vadit, et alii : Veni, et venit [1], » animum ejus laudibus confirmavit : et rursus cum Judæos reprehendisset sibi objicientes in sabbato legem ab ipso violari, in sua potestate situm esse ostendit leges immutare. Sic nimirum hoc loco, cum illi dixissent : « Æqualem te ipsum facis Deo, promittens ea, quæ solius sunt Patris, » reprehendens eos, et accusans, atque operibus ipsis ostendens se minime blasphemare, indubitatam nobis præbuit demonstrationem, unde constet eadem ipsum, quæ Genitor, posse præstare. Vide igitur, quo pacto istud contendat astruere, quæ Patris solius sunt, ea ipsius etiam esse : non enim simpliciter paralyticum erexit, sed cum dixisset : « Ut autem sciatis, » quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi » peccata : » adeo curabat ac studebat hoc maxime ostendere sibi eamdem esse auctoritatem cum Patre.

VIII. Hæc igitur omnia et quæ hesterno die, ac nudiustertius dicta sunt, diligenter memoria teneamus, ac Deum precemur, ut ea in nostra mente defixa permaneant, nostrumque studium conferamus, atque ad hunc locum frequenter accedamus. Sic enim fiet, ut et ea, quæ superius dicta sunt, conservemus, et alia rursus acquiramus : quod si quid forte lapsu temporis effluxerit, facile illud assidua doctrina exculti poterimus recuperare. Neque vero sana tantum dogmata permanebunt et incorrupta, sed et vitam nostram majori cura et cautione dirigemus, et cum voluptate animique tranquillitate hoc ævum transigere licebit. Nam quæcumque tandem perturbatio nostram animam exagitet, dum in hunc locum convenimus, facile discuti poterit : quandoquidem et Christus nunc adest, et qui cum fide ad illum accedit, facilem adepturus est curationem. Paupertate quis assidua conflictatur, et necessariis destituitur alimentis, et fame confectus sæpenumero lectum pe-

[1] Matth. VIII, 9.

tiit : tamen huc ingressus, cum audierit Paulum dicentem in fame, et siti, et nuditate se degere [1], seque non uno, aut duobus, aut tribus diebus, sed perpetuo passum esse : quod quidem indicans aiebat : « Usque in hanc horam et esuri- » rimus, et sitimus, et nudi sumus [2], » sufficientem ex eo consolationem percipiet, cum ex iis, quæ dicta sunt didicerit Deum, non quod illum odisset, in paupertate versari permisisse : neque enim, si odio prosequi hoc esset, Paulo præ cæteris omnibus amico suo id accidere permisisset : verum quod de eo sollicitus esset, eique provideret, atque ad majorem illum philosophiam promoveret. Est alius quispiam, cujus corpus morbis ac malis innumeris obsidetur? sufficientem huic afferent consolationem paralyticorum istorum corpora, et cum illis beatus ac generosus Pauli discipulus, qui perpetuis morbis conflictabatur, nec unquam a longa ægritudine respirabat, quod etiam Paulus dicebat : « Modico vino utere propter stomachum tuum, » et frequentes tuas infirmitates [3], » non simpliciter dixit infirmitates. Alius quispiam calumniis appetitus est ab iis, qui magnam illi apud populum conflarunt infamiam, atque hoc ejus animum graviter angit et perpetuo cruciat : si ingressus fuerit, et audierit : « Beati estis, cum maledixerint » vobis homines, et dixerint omne malum adversum vos » mentientes : gaudete et exultate, quoniam merces vestra » copiosa est in cœlis [4] : » omnem deponet mœrorem, et summa voluptate perfundetur. Subsilite enim et exultate, inquit, cum injecerint vobis nomen malum. Atque illos quidem, qui conviciis afficiuntur, hoc modo consolatur : eos vero, qui conviciis afficiunt, aliter terret, cum ait : « Omne verbum otiosum, quod loculi fuerint homines, » reddent de eo rationem, sive bonum fuerit, sive malum [5]. »

[1] 2 Cor. IX, 27. — [2] 1 Cor. IV, 11. — [3] 1 Tim. V, 23. — [4] Matth. V, 11, 12. — [5] Id. XII, 36.

Filiolam quispiam alius amisit, aut filium, aut alium aliquem ex propinquis, et hic si huc veniat, cum Paulus propter præsentem vitam ingemiscat, et futuram videre cupiat, eumque tædeat hic tandiu morari, sufficienti et ipse medicamento accepto discedet, ubi dicentem illum audiverit : « De dormientibus autem nolo vos ignorare, fra » tres, ut non contristemini sicut et cæteri, qui spem non » habent [2]. » Non dixit : « De morientibus, » sed, « De dor- » mientibus, » somnum esse mortem ostendens. Ut igitur cum dormire quemdam videmus, non turbamur, neque mœrore afficimur, illum plane resurrecturum sperantes : ita cum mortem obiisse quemdam videmus, nihil perturbemur, neque animo concidamus : siquidem hoc quoque somnus est; prolixior quidem, sed tamen somnus. Itaque dormitionis nomine lugentes consolatus est, accusationem autem infidelium refutavit. Si defunctum impatienter luges, infidelem illum imitaris, qui resurrectionis fidem non habet. Ille recte luget, utpote qui nihil de rebus futuris philosophari queat : tu vero cui tot datæ sunt de futura vita demonstrationes, quam ob causam in eamdem cum illo imbecillitatem devolveris? Propterea dicit : « De dormientibus nolumus vos ignorare, ut non » contristemini, sicut et cæteri, qui spem non habent. » Neque vero ex Novo tantum, sed etiam ex Veteri Testamento possumus consolationem haurire. Cum enim Job audis post pecuniarum jacturam, post interitum armentorum, non unum et duos, ac tres, sed integrum cœtum filiorum in ipso ætatis flore amisisse, post tantam animi virtutem : quamvis omnium sis infirmissimus, facile te ipsum refocillare poteris ac reficere. Nam tu quidem, o homo, ægrotanti filio affuisti, decumbentem in lecto vidisti, postrema verba proferentem audiisti, et extremum halitum exha-

[2] 1 Thess. IV, 12.

lanti astitisti, depressisti oculos, et os conclusisti : at ille neque animam exhalantibus affuit, nec expirantes aspexit, verum tanquam uno conditi sunt omnes sepulcro ædibus suis, et in eadem mensa cerebrum pariter et sanguis fundebatur, et ligna, et tegulæ, et pulvis, et carnes concisæ, et omnia pariter miscebantur. Verumtamen post tot et tanta mala non luxit, non impatienter tulit : sed quid ait? « Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, » ita et factum est : sit nomen Domini benedictum in sæ- » cula [1]. » Hanc nos quoque vocem in singulis, quæ nobis accidunt, proferamus, sive pecuniarum jactura, sive corporis infirmitas, sive contumelia, sive calumnia, sive quodvis aliud humanum malum acciderit, ista dicamus, « Dominus » dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita et » factum est : sit nomen Domini benedictum in sæcula. » Ita si philosophemur, nihil unquam mali patiemur, licet innumera patiamur : sed majus lucrum erit quam damnum, plura bona quam mala per hæc verba tibi evenient, dum et propitium tibi ipsi Deum reddes, et inimici tyrannidem propulsabis. Simul enim atque verba illa lingua protulit, diabolus confestim abscessit : illo porro abscedente, nubes quoque tristitiæ discutitur, et cum illa celeriter aufugiunt cogitationes, quæ nos affligunt; ac præter hæc omnia cum hujus vitæ bona, tum illa, quæ nos in cœlo manent, omnia consequeris. Exemplum habes in Jobo certissimum et in Apostolis, qui cum propter Deum hujus ævi mala contempsissent, æterna bona sunt assecuti. Pareamus igitur, et in omnibus, quæ accidunt, gaudeamus, benignoque Deo gratias agamus, ut et præsentem vitam cum facilitate traducamus, et futuris bonis potiamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria, honor et imperium semper, nunc et in perpetuum, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Job. I, 21.

HOMILIA.

In paralyticum [1], *qui annos triginta-octo decubuerat in infirmitate sua, et in illud :* Pater meus usque modo operatur, et ego operor [2].

I. Benedictus Deus : singulo quoque conventu video arvum crescere, agros comatos florere, aream impleri, multiplicari manipulos ; tametsi non multi dies præterierunt, postquam sementem hanc jecimus ; ecce vero quamprimum dives nobis obedientiæ spica germinavit. Ex quo perspicuum est non humanam esse potentiam, sed gratiam divinam, quæ hanc colat Ecclesiam. Nam et hujusmodi est natura seminis spiritalis. Non expectat tempus, non multitudinem dierum, non circuitus mensium, non tempestates, non annos : sed licet unico die jacientem semen plenam et confertam brevi hoc spatio messem metere. Etenim qui hanc sensui subjectam terram scindunt, iis et plurimum laboris necessario adhibendum est, et diu expectandum. Nam et boves aratores sub jugum mittere coguntur, et profundum sulcum fodere, et semina copiose jacere, et superficiem terræ complanare, et omnia, quæcumque jacta fuerint, contegere, et expectare opportunos pluviarum adventus, multisque aliis in rebus laborem, ac studium insumere, et multum temporis expectare, ac tunc denique finem suum consequi. Hic autem et æstate, et hyeme, et serere, et metere licet, et eodem sæpe die utrumque contigit ; potissimum ubi pinguis, et uber fuerit anima, quæ colitur. Quod sane in vobis etiam licet cernere :

[1] Alias contra Anomæos XII. — [2] Joan. V, 17.

quamobrem et nos alacrius ad vos accurrimus. Nam et agricola illam diligenter terram colit, ex qua sæpe aream implevit. Quando igitur et vos pauco ex labore magnum nobis præbetis proventum ; magna cum attentione ad hanc accedimus agriculturam, et eorum, quæ antea dicta sunt, reliquias vobis distributuri venimus. Tunc igitur ex Vetere Testamento disputationem illam texuimus, quæ de gloria unigeniti Filii Dei habebatur, nunc ex eodem hoc ipsum faciemus : tunc illud afferebamus, quod dicebat Christus : « Si crederetis Moysi, crederetis utique et mihi [1] : » nunc autem dicimus hoc a Moyse dictum esse : « Prophetam vo- » bis suscitabit Dominus Deus ex fratribus vestris, sicut » me : ipsum audietis [2]. » Etenim quemadmodum Christus ad Moysem eos transmittit, ut per illum ad se alliciat ; ita Moyses magistro discipulos tradit, jubens, ut et usque- quaque pareant. Pareamus igitur et assentiamur cum cæ- teris rebus omnibus, quascumque aut facit, aut dicit, tum vero signo huic, quod hodie vobis recitatum est. Quodnam vero hoc est ? « Erat, inquit, dies festus Judæorum : et as- » cendit Jesus Jerosolymis : est autem Jerosolymis proba- » tica piscina, quæ cognominatur hebraïce Bethesda quin- » que porticus habens [3], » In quam narrat sermo evangelicus advenire solitum stato tempore Angelum, atque in eam descendere : id vero intelligi ex motione aquæ : itaque illum, qui primus descendisset post aquæ commotionem, sanum fieri, quocumque tandem morbo laboraret. In his igitur jacebat porticibus multitudo infirmorum, cæcorum, claudorum, aridorum, qui expectabant aquæ motum. Ec- qua autem est, quamobrem assidue Christus deligat Jero- solymam, et in ipsis diebus festis sese ostendat Judæis ? quoniam tunc multitudo conveniebat, locumque illum ac

[1] Joan. v, 46. — [2] Deut. xviii, 15, et Act. iii, 22. — [3] Joan. v, 1, 2.

tempus observabat, ut susciperet infirmos. Non enim ii, qui laborabant, tantopere cupiebant liberari a morbis, quantopere studebat medicus eos ab invaletudine liberare. Quo igitur tempore frequens erat ipsorum conventus, et confertum theatrum, tunc in medium veniens ea, quæ ad ipsorum salutem facerent, proferebat. Jacebat igitur multitudo infirmorum expectantium aquæ motum : et is quidem, qui primus descendebat post aquæ motum, sanabatur; qui autem secundus, non item : sed consumebatur medicamentum, atque expensa medicina gratiæ, in posterum restabant solæ ac desertæ aquæ; perinde atque invaletudo illius, qui primus descenderat, totam illam facultatem expressisset, et exhausisset; et jure quidem optimo : servilis enim erat illa gratia. Quo autem tempore Dominus advenit; non eadem ratio servata est; nec qui primus descendat in piscinam aquarum baptismi, solus sanabatur, sed et primus, et secundus, et quartus, et decimus, et vigesimus; ac si decem millia dixeris et bis terve totidem, ac si infinitos multitudine, ac si totum orbem jeceris in piscinam aquarum; ne minima quidem ex parte minuitur gratia : sed eadem manet omnes illos purgans. Tantum interest inter servilem potestatem, et herilem auctoritatem. Ille unum sanabat, hic orbem universum : ille singulo quoque anno unum, hic singulo quoque die, si decem millia velis injicere, omnes sanos reddit; ille descendens et conturbans aquam, hic non item; sed satis est nudum duntaxat ipsius nomen invocare super aquas, ipsisque universam committere sanandi rationem. Et ille quidem corporum vitiis medebatur : hic autem animæ vitiositatem corrigit. Vides, quam undequaque magnum, atque adeo infinitum intervallum appareat?

II. Jacebat igitur multitudo infirmorum expectantium aquæ motum. Erat enim locus ille medici officina quædam

spiritualis. Quemadmodum igitur in ejusmodi loco multos licet cernere oculis captos, crure mutilatos, aut alia corporis parte male affectos, omnes publice considentes, atque expectantes medicum; ita etiam hic licebat aspicere multitudinem eorum, qui convenerant. In his ipsis porticibus « Erat homo quidam triginta et octo annos habens in infir» mitate sua. Hunc cum vidisset Jesus jacentem, et cogno» visset, quia jam multum tempus haberet : dixit ei : Vis » sanus fieri? respondit ei languidus ac dixit : Profecto, Do» mine : sed hominem non habeo, ut cum turbata fuerit » aqua, mittat me in piscinam. Dum venio enim ego, alius » ante me descendit [1]. » Cur cæteros omnes præteriens Jesus, ad hunc venit? ut et potentiam, et humanitatem ostenderet : potentiam quidem, quoniam morbus jam factus erat insanabilis, et ipsius invaletudo eo redacta erat, ut esset in rebus deploratis, ac desperatis; humanitatem vero, quod qui præcipue dignus erat misericordia et beneficentia, hunc præ cæteris respexit propitius ac benignus Dominus. Neque vero locum leviter prætereamus, neque numerum triginta et octo annorum, quos agebat in invaletudine sua. Audiant omnes, quicumque cum paupertate perpetuo conflictantur, quicumque in morbis vivunt; quicumque difficultatibus premuntur negotiorum sæcularium, quicumque tempestatem, ac procellam non expectatorum malorum sustinuerunt. Paralyticus hic est propositus ceu communis portus humanarum calamitatum. Nemo enim adeo vecors est, nemo adeo miser, et calamitosus, quin, si hunc spectet, omnia quæ incidant, generose et magna cum alacritate ferre queat. Nam tametsi viginti anni fuissent, tametsi decem, tametsi soli quinque, nonne satis erant, qui frangerent constantiam, et firmitatem animi ipsius? Hic vero triginta et octo annos manet, neque discedit, sed

[1] Joan. v, 5-7.

magnam præ se fert patientiam. Admirabilis fortasse vobis videtur temporis longitudo, sed si ad verba ipsa attenderitis, tunc maxime philosophiam ipsius, perfectamque patientiam cognoscetis. Accessit Christus, et dicit ei : « Vis » sanus fieri? » Ecquis hoc ignorasset, voluisse ipsum sanum fieri? Quid igitur causæ fuit, cur interrogaret? Etenim qui arcana cogitationum novit, multo magis ea, quæ omnibus perspicua, et manifesta sunt, cognoscebat. Cur igitur interrogat? Quemadmodum alias Centurioni inquit : « Ego » veniam, et curabo eum, » non ignorans quæ ille dicturus erat, sed prævidens, et apprime sciens, idque agens, ut ei occasionem, atque ansam daret religionis ac pietatis suæ, quæ in umbra latebat, omnibus patefaciendæ, ac dicendi : « Nequaquam, Domine : non enim sum dignus ut intres » sub tectum meum [1] : ita in hoc paralytico, cum sciret quid ille dicturus esset, interrogat, num velit sanus fieri, non quod hoc ignoraret, sed ut ei præberet ansam quamdam et occasionem, quo ille tragicam calamitatem suam promeret, ac fieret doctor patientiæ. Nam si hominem illum silentio curasset; summo nos damno affecti essemus : quippe cum illius animæ tolerantiam haud didicissemus. Christus autem non solum præsentia recte curat, sed etiam futuris magnam præstat diligentiam. Hunc igitur, qui magister erat tolerantiæ, ac patientiæ omnibus qui orbem incolerent patefecit, per hujusmodi interrogationem ipsum ad necessitatem respondendi adigens : « Vis sanus fieri? » Quid igitur ille? non ægre tulit, non indignatus est : non dixit ad eum, qui interrogaverat : « Vides me paralysi resolutum : nosti longum tempus invaletudinis meæ, et interrogas, num velim sanus fieri? venisti, ut meas irrideres calamitates, atque alienis malis illuderes? » Non enim vos fugit quam morosi sint qui ægrotant, etiamsi unum annum in

[1] Matth. VIII, 8.

lecto decubuerint. Cum vero ad triginta et octo annos morbus pervenisset, quomodo non erat verisimile consumptam esse philosophiam in tam longo tempore expensam? Verumtamen ille nihil ejusmodi dixit, vel cogitavit : sed magna cum modestia responsum dat, et inquit : « Profecto, Domine, sed hominum non habeo, ut cum turbata » fuerit aqua, mittat me in piscinam. » Vide quot, et quanta simul concurrebant, atque hominem oppugnabant, morbus, paupertas et solitudo, cum nemo assisteret, ejusque curam gereret. « Dum venio enim ego, alius ante me descendit. » Id vero cæteris omnibus miserabilius, quodque vel lapidem ipsum possit inflectere. Videre enim mihi videor hominem singulo quoque anno repentem et accedentem ad os piscinæ, et singulo quoque anno pendentem in ipsomet aditu bonæ spei. Neque vero, quod gravius est, hæc duos, aut tres, aut decem annos pertulit, sed usque ad triginta et octo. Et omnem quidem adhibebat diligentiam : fructu autem excidebat : et cursus quidem peragebatur, hujus autem cursus præmium ad alium perveniebat, in multis, inquam, illis annis. Quodque gravius erat, alios liberos abire videbat. Nostis enim ita fieri solere, ut tunc malorum nostrorum acerrimum sensum capiamus, cum alios iisdem malis affectos, liberatos abire viderimus. Propterea et pauper, cum alterum videt divitiis abundantem, tunc magis suam sentit paupertatem : et ægrotans tunc magis excruciatur, cum multos videt, qui morbo laborarint, cum jam deposuisse, sibi autem nihil bonæ spei superesse. In aliorum enim secundis rebus nostras manifestius intuemur calamitates : quod quidem illi tunc eveniebat. Verumtamen cum morbo, cum paupertate, cum solitudine tandiu depugnans, alios videns liberari, et se ipsum quidem semper aggredi, nunquam autem compotem fieri, neque posthac rursus sperans a calamitate liberari;

non ideo tamen discessit, ac destitit, sed singulo quoque anno currebat. Nos autem, si quid semel a Deo precati non accepimus, confestim dolemus, et in extremam desidiam incidimus : quamobrem precationem omittimus, studium remittimus. Possumus-ne igitur satis pro merito vel paralyticum laudare, vel nostram condemnare negligentiam? Etenim quanam simus excusatione digni, qua venia, cum illo triginta et octo annos perdurante, nos tam cito a proposito resiliamus?

III. Quid igitur Christus? ubi ostendit dignum esse illum, qui curetur, jure ad illum præ aliis venit, aitque ei : « Surge, tolle grabatum tuum et ambula[1]. » Vides quam ei nullum triginta et octo anni detrimentum attulerint, quoniam casum suum patienter tulerat? Anima enim ipsius in tam longo tempore majores in philosophia progressus fecit, in calamitate, tanquam in conflatoria fornace probata : et majore cum gloria curationem reportavit. Non enim Angelus, sed ipsemet Angelorum Dominus illum sanavit. Cur autem præterea, ut suum sibi lectum tolleret, imperavit? unam quidem præcipue, ac primam ob causam, ut in posterum liberaret Judæos a legis observatione. Sole enim in conspectum se dante, non erat ulterius lucernæ adhærendum : et patefacta veritate, non jam erat amplectenda figura. Ideo si quando solvebat sabbatum, maximum in eo die signum edebat : ut ipsa excellens miraculi magnitudo videntes obstupefaciens, paulatim illam otii, et cessationis observationem labefactans auferret : deinde vero ut obstrueret ora illorum impudentia. Nam quoniam in judicandis miraculis malitiose agebant, et gloriam rerum, quæ gerebantur, calumniis obscurare conabantur; idcirco tanquam tropæum quoddam et argumentum sanitatis indubitabile illam lecti gestationem præ se ferre ipsum jussit, ne id

[1] Joan. v, 8.

quod de cæco dicebant, de hoc quoque dicerent. Quid autem de illo dicebant? « Hic est, non est hic : ipse est[1]. » Ergo-ne talia quidam de hoc etiam dicerent, lectus alte sublatus accusator fit illorum impudentiæ. Licet præterea tertiam quamdam causam afferre, nihilo iis, quæ dicta sunt, leviorem. Nam ut intelligas non artem humanam, sed divinam potentiam fuisse, quæ totum illud præstiterit; suum ipsi lectum gestandum injunxit, veræ, atque integræ sanitatis maximam et perspicuam demonstrationem præbens : ut ne quis blasphemorum illorum diceret paralyticum simulate, et Christo gratificantem effinxisse tenuis cujusdam ambulationis speciem. Propterea onus illi suis ferendum humeris injunxit. Non enim, nisi bene illi membra consolidata essent, et articuli probe fixi, tantam molem portare humeris potuisset. Ad hæc omnia illud quoque accedit : ostendebat enim simul ac Christus jussit, omnia fieri, et discessum morbi, et reditum sanitatis. Etenim medici quidem tametsi morbis liberent, non tamen subito ægrotos reducere ad sanitatem valent : sed longo pariter tempore egent ad instaurationem; ut reliquiæ morbi paulatim e corpore expellantur, atque ejiciantur. Christus autem non ita : sed eodem temporis momento, et a morbo liberavit, et sanitatem restituit, et nullum intermedium intercessit tempus : sed simul atque ex sancta illa lingua prodiit sacra vox, et morbus e corpore aufugit, et verbum evasit opus, et tota invaletudo undique profugit. Et quemadmodum ancilla quæpiam seditionem movens, cum primum dominum suum viderit; comprimit se, reditque ad convenientem modestiam; ita etiam natura corporis, perinde atque ancilla quædam tunc seditionem movens, et inducens paralysim, postquam dominum suum ad se accedentem vidit, ad suum rediit ordinem, suumque modum recepit. Atque

[1] Joan. IX, 8.

hæc omnia vox ipsa præstitit. Non enim nuda erant verba sed verba Dei, de quibus scriptum est : « Potentia opera » sermonum ejus[1]. » Etenim si hominem, cum non esset, fecerunt, multo magis putrem, et paralysi laborantem restituent. Hoc loco libenter interrogaverim eos, qui curiose versantur in perscrutanda essentia Dei, quomodo coïverunt membra illa? quomodo solidata sunt ossa? quomodo temperamentum illud ventris resolutum convaluit? quo pacto nervi remissi rursus contenti extiterunt, et dejecta facultas exurrexit, et erecta est? At non possunt modum hunc dicere. Ergo admirare tantum id quod gestum est : modum autem curiose ne investiges. Quoniam igitur paralyticus, quod jussus est, fecit, et lectum sumpsit, videntes illum Judæi dicunt : « Sabbatum est : non licet tibi tollere » grabatum in sabbato[2]. » Cum adorare par esset eum, qui hoc effecerat, cum admirari factum, illi vero de sabbato disserunt, vere excolantes culicem, camelum autem glutientes. Quid igitur ille? « Qui me sanum fecit, ille mihi » dixit; Tolle grabatum tuum, et ambula[3]. » Vides gratum hominis animum? confitetur medicum, et dignum esse legislatorem, cui præcipienti fides habeatur. Et quemadmodum illos cæcus argumento conclusit, ita et hic. Quomodo autem ille conclusit? Dicebant ei : « Non est hic » homo a Deo : quia sabbatum non custodit[4]. » Quid igitur ille? « Scimus, inquit, quod peccatores Deus non audit : » hic autem aperuit meos oculos[5]. » Quod autem affert, tale quiddam est. Si transgressus esset legem, peccasset : si peccasset, non tantum potuisset. Ubi enim peccatum, ibi non est locus demonstrandæ potentiæ. At potuit : non ergo peccavit transgressus legem. Eodem modo et hic argumentatur. Nam cum inquit : « Qui me sanum fecit, » hoc

[1] Joël. II, 21. — [2] Joan. V, 10. — [3] Ibid. 12. — [4] Id. IX, 16. — [5] Ibid. 30, 31.

significavit hunc esse, qui potentiam demonstravit, idcircoque minime dignum esse, qui crimine violatæ legis arcessatur. Quid igitur hi? » Ubi est ille homo, qui dixit tibi: » Tolle grabatum tuum, et ambula? » Vide amentiam atque stuporem: vide animum tumentem arrogantia. Invidentium enim oculi nihil sanum vident, sed illud tantum unde capere ansam possunt: itidem et hi. Cum ille, qui curatus erat, utrumque fassus esset, et curatum se esse et jussum tollere grabatum, illud quidem silentio prætererunt, hoc autem protulerunt: occultarunt quidem miraculum, prætendunt autem sabbati dissolutionem. Non enim dixerunt: « Ubi est qui te sanum fecit? » Sed hoc reticentes dixerunt: « Ubi est qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, et ambula? » Is autem nesciebat. Jesus enim declinavit a turba consti» tuta in loco [1]. » Id vero maxima est hominis illius defensio, id Christi providentiæ demonstratio: ut cum audieris paralyticum hunc non eodem modo, ac Centurionem, suscepisse advenientem Dominum, neque dixisse: « Dic verbo, » et sanabitur puer meus [2]; » non ipsum infidelitatis nomine condemnes; quandoquidem illum non cognoscebat; non enim sciebat, quisnam ille esset: et quomodo eum, quem nunquam viderat, novisset? Propterea dicebat: « Homi» nem non habeo, qui mittat me in piscinam. » Quod si eum novisset, profecto piscinæ, ac descensionis illius mentionem non fecisset, sed eo modo curari postulasset, quo et curatus est. Sed putabas unum esse e multis, ac nudum hominem: atque idcirco usitatæ meminit curationis. Rursus autem Christi providentiæ hæc demonstratio est, quod curatum reliquerit, neque ei sese patefecerit. Etenim ne suspicarentur Judæi, subditilium esse hunc testem, atque hæc ideo dicere, quod præsentis Christi suasione moveretur, illius ignorantia, et absentia Christi huic suspicioni

[1] Joan. v, 12, 13. — [2] Matth. VIII, 8.

locum non dabant. Inquit enim Evangelista : « Nesciebat » quis esset. »

IV. Idcirco eum, qui curatus erat, solum, ac sine socio mittit; ut quemadmodum cuperent, seorsum adhibentes, examinarent quod factum erat, et cum certam rei demonstrationem accepissent, ab importuno furore cessarent. Propterea ipse quidem nihil loquitur, eam vero quæ per res ipsas fit, demonstrationem eis præbet : quoquoversus manifestissimam emittens vocem, et tuba qualibet clariorem. Ita enim nulli jam suspicioni erit obnoxium testimonium illud : « Qui me sanum fecit, ille mihi dixit : Tolle » grabatum tuum, et ambula. » Paralyticus fit Evangelista, magister infidelium, medicus et præco ad illorum dedecus et condemnationem : medicus non voce, sed operibus : non per sermones, sed per res ipsas. Manifestam enim, et de qua ambigi non posset, præ se ferebat demonstrationem; et quod dicebat, ipso corpore ostendebat. « Post hæc » invenit eum Jesus, et dixit illi. Ecce sanus factus es, jam » noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat [1]. » Vidisti medici sapientiam? Vidisti providentiam? Non solum a præsenti morbo liberavit, sed etiam munit in posterum, idque peropportune. Nam dum ille jaceret in lecto; nihil ejusmodi dixit, non illi peccata in memoriam revocavit. Morosus enim quodammodo, ac miserabilis est ægrotantium animus. Ubi autem expulit invaletudinem, ubi sanitatem reduxit, ubi potentiæ, et providentiæ suæ demonstrationem opere præbuit; tunc peropportune consilium monitionemque adhibet; cum jam fide dignum se operibus ipsis ostendisset. Cur igitur ille abiens manifestum ipsum fecit Judæis? Nimirum cupiens eos habere participes veræ doctrinæ. At illi propter hanc ipsam causam illum oderant, inquit, et « Persequebantur. » Hoc mihi loco mentem ad-

[1] Joan. v, 14.

hibete. Hic enim totum est certamen. « Propterea illum »persequebantur, quia hæc faciebat in sabbato [1]. » Videamus igitur, quomodo se defendat. Defensionis enim modus perspicuum nobis facit, utrum ille sit unus subjectorum, an liberorum, utrum ministrantium, an imperantium. Factum illud maximam legis transgressionem præ se ferebat. Olim enim, qui ligna in sabbato collegerat, propter hoc ipsum lapidatus est, quod onera portaret in sabbato [2]. Hoc magnum crimen objiciebatur Christo, quod sabbatum solveret. Videamus igitur, num forte primum veniam petat ut servus, ac subjectus, an tanquam potestatem habens, et auctoritatem, ostendat se Dominum, atque eum, qui superior sit lege ac mandata ipse dederit? Quomodo igitur se defendit? « Pater meus, inquit, usque modo operatur, et »ego operor [3]. » Vidisti auctoritatem. Quod si imbecillior, et minor esset Patre; hoc quod dixerat, tantum abest, ut defensioni aptum sit, ut majus potius crimen sit, et graviori obnoxium accusationi. Quotiescumque enim quis illud faciat, quod soli præstantiori liceat facere, deinde deprehensus accusetur, ipse vero ita dicat, quoniam præstantior fecit, idcirco et ego feci; non solum non expedit se ab objectis criminibus, hoc defensionis modo, sed etiam majori reprehensioni, atque accusationi obnoxium se reddit. Superbiæ enim et arrogantiæ est majora suscipere dignitate sua. Ergo Christus etiamsi inferior fuisset, tantum aberat, ut quæ dicebat, ipsum defenderent, ut potius gravius condemnarent. Verum quoniam Patri æqualis erat; propterea nullam admisit culpam. Ac si vultis, exemplo perspicuum vobis faciam id, quod dico. Soli imperatori licet gestare purpuram, et diadema in capite, præterea nemini. Ergo si unus e multis hunc ornatum gestans, deinde ad tribunal perductus ita dicat: « Quia imperator hujusmodi

[1] Joan. v, 16. — [2] Num. xv. — [3] Joan. v, 17.

ornatum gestat, propterea ego etiam gesto; » non solum hoc defensionis modo non se liberaret ab accusatione, sed majorem pœnam, ac supplicium sibi accerseret. Rursus flagitiosissimis hominibus pœnam ac supplicium remittere, ut homicidis, latronibus, sepulcrorum effossoribus, et cæteris, qui talia quædam perpetrare ausi sunt, solius imperatoriæ largitatis est. Quod si judex quispiam damnatum sine imperatoris sententia dimittens, accusetur, et dicat etiam ipse : « Ego dimisi, quoniam imperator dimittit ; » non solum hac ratione mimine se liberat, sed etiam majorem erga se iram accendit, et jure quidem. Non enim æquum est, cum inferiores in temulentis forte compotationibus in superiorem auctoritatem irruerint, postea ex illorum more, et facto sibi ipsis parare defensionem. Major enim hæc contumelia est in eos, qui principatum ipsis tradiderunt. Ideo si quis inferior sit, nunquam hac sui defendendi ratione utetur. Sin autem sit imperator, et eadem præditus dignitate; fidenter id dicet. Etenim quemadmodum eadem est in utroque excellens amplitudo principatus; ita etiam eadem auctoritas, ac licentia esse debet. Quamobrem si existat aliquis, qui hac se ratione defendat; necesse omnino est eamdem dignitatem habeat atque ille, cujus potentiam ad suam defensionem prætendit. Quando igitur Christus hac ratione facti sui justitiam cum Judæis disserens declaravit; sine dudio nobis ostendit ejusdem se esse dignitatis cum Patre. Ac si libet, conferamus allatum exemplum cum verbis et facto Christi. Sit igitur idem, solvere pro auctoritate sabbatum, ac purpura, diadema, et reorum dimissio. Quemadmodum igitur soli imperatori illa licent, nemini autem subjectorum, ac si quis eadem faciat, ac jure faciat, illum quoque imperatorem esse necesse est, ita etiam hac in re, quoniam in conspectum se dat Christus ista pro auctaritate faciens, ac deinde accusatus Patrem prætendit ita

dicens : « Pater meus usque modo operatur ; » necessarium prorsus est, et hunc æqualem illi esse, qui pro auctoritate faciat. Non enim nisi æqualis esset, hoc sui facti probandi modo uteretur. Atque ut clarius cognoscatis quæ dicimus : solverant aliquando sabbatum Discipuli, cum spicas vellerent, et comederent in sabbato : solvit et ipse nunc. Et illos reprehenderunt Judæi : reprehenderunt et hunc. Videamus qualem quidem pro illis defensionem afferat, qualem vero pro se ipso ; ut ex differentia præstantiam, et vim defensionis ejus intelligas. Qualem igitur defensionem pro illis affert? « Non legistis quid fecerit David, quando esu» riit [1] ? » Quando enim servos defendendos suscipit, confugit ad conservum illorum Davidem : quando autem se ipsum, rationem refert ad Patrem. « Pater meus operatur, » et ego operor. » Quam vero, quæret fortasse quispiam, operationem dicit? « Nam in sex diebus requievit Deus ab » omnibus operibus suis [2], » nempe quotidianam providentiam. Non enim solum protulit creaturam, verumetiam prolatam tuetur, et fovet : sive Angelos dixeris, sive Archangelos, sive superiores Potestates, sive omnia prorsus, quæ sub aspectum cadunt, et quæ non cadunt ; cuncta fruuntur providentia illius ; et si destituantur efficaci illius actione, diffluunt, dilabuntur, pereunt. Ergo cum vellet Christus ostendere suum esse providere, non autem sibi provideri, efficaciter agere, non autem agi, et alterius efficientiam subire, ita dixit : « Pater meus operatur, et ego » operor, » æqualem se Patri demonstrans.

V. Hæc memoria tenete, et quam diligentissime custodite, et contexite philosophiam morum cum recto dogmatum habitu : quod et nuper hortatus sum, et nunc hortor, neque finem hortandi faciam. Morum autem institutionem, et philosophiam nihil æque adducit, atque hoc in loco

[1] Matth. xii, 3. — [2] Hebr. iv, 4, ex Gen. ii, 2.

sæpe versari. Nam quemadmodum squallens terra, si neminem habeat, a quo irrigetur, spinis, et tribulis scatet; quæ autem cultrice manu fruitur, germinat et floret, ac redundat magna fructuum copia; ita sane et anima, illa quidem, quæ fruitur irrigatione divinorum sermonum, germinat et floret, et circumfluit fructibus Spiritus : quæ autem inculta et in squallore, ac sine ejusmodi irrigatione dimittitur; ea sola relinquitur et sylvescit, et multas profert spinas, ipsam peccati naturam. Ubi autem spinæ, ibi dracones, et serpentes, et scorpii, et universa potestas diaboli. Quod si his verbis non credis, age conferamus nobiscum eos, qui hoc auxilio caruerunt; ac tunc demum videbitis, quantum intercedat intervallum. Potius autem ipsi nos ipsos examinemus, quales quidem simus, dum divina doctrina fruimur; quales autem, cum diu hac privamur utilitate. Ne igitur tantum lucri profundamus. Hoc enim in loco frequentem esse, omnia conciliat bona. Hinc cum discedunt, et vir mulieri videtur honoratior, et mulier viro amabilior. Etenim mulierem non pulchritudo corporis valde amabilem reddit, sed animæ virtus; non pictura, et fucus, neque aurum, neque vestes pretiosæ : sed temperantia et probitas, et timor stabilis erga Deum. Ad hanc vero, quæ sub intelligentiam cadit, pulchritudinem comparandam nusquam alibi accurata exercitationis ratio adhibetur, præterquam in hoc admirabili ac divino loco, Apostolis et Prophetis tergentibus, orantibus, abradentibus senectutem peccati, adducentibus vigorem juventutis, omnem rugam, omnem maculam, omnem nævum ejicientibus ex animis nostris. Hanc igitur et viri, et mulieres studeamus nobis familiarem facere pulchritudinem, ut nobiscum habitet. Nam corporis pulchritudinem et morbus tabefacit, et temporis longitudo corrumpit, et senectus extinguit, et mors ingruens totam e medio tollit. Eam vero, quæ in anima est, non tempus,

non morbus, non senectus, non mors, non aliud hujusmodi quidquam potest perdere : sed perpetuo floret. Et pulchritudo quidem corporis sæpe spectatores ad intemperantiam provocat. At ea, quæ in animo, ipsummet Deum ad sui amorem allicit; prout etiam Propheta dixit, Ecclesiam alloquens : « Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam : et » obliviscere populum tuum, et domum patris tui : et con» cupiscet Rex decorem tuum [1]. » Igitur, o dilecti, ut amicitiam cum Deo contrahamus, hanc quotidie pulchritudinem curemus, et colamus, Scripturarum lectione omnem maculam abstergentes, precibus, eleemosynis, mutua concordia : ut rex amator factus nostræ, quæ in animo, pulchritudinis dignetur nos cœlorum regno : quod utinam nos omnes consequamur gratia, et humanitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, simulque Spiritui sancto, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA.

In parabolam decem millium talentorum debitoris, et centum denarios exigentis, et quod omni peccato deterior sit injuriarum recordatio.

I. Quasi ex longinqua peregrinatione ad vos reversus essem, ita me hodie affectum sentio : cum enim nullum amicorum consortium esse potest, nihil commodi affert eorum præsentia. Quamobrem nos, qui domi versabamur peregre versantibus nihilo hac in parte feliciores fuimus : nimirum qui superiore tempore nulla vobiscum colloquia

[1] Psal. XLIV, 11, 12. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 176-187.

habere potuimus : sed danda est venia, cum illud non inertiæ, sed infirmitatis silentium fuerit. Gratulamini igitur me ab ea infirmitate convaluisse, ego vero gaudeo, quod vos charissimos mihi recuperavi. Erat mihi inter ægrotandum ipso morbo gravius, quod hujus dilecti cœtus particeps esse non poteram : nunc vero restituta valetudine, ipsa sanitate mihi optabilius est, quod vestræ charitatis deliciis perfrui secure liceat. Non enim febris tantum ardorem invehit febricitantium corporibus, quantum animis nostris amicorum absentium desiderium, et ut illi phialas et pocula, et frigidos fontes, ita isti amicorum vultus exoptant. Norunt illi qui amare consueverunt. Age igitur quando morbum deposuimus, invicem expleamur, si modo fieri liceat, ut hic ullam satietatem inveniamus. Dilectionis enim natura satietatem non novit, et ex usu amicitiæ majores flammas accipit : quod ipse alumnus dilectionis Paulus testatum reliquit, qui ita dixit : « Nulli quidquam debeatis, nisi » ut invicem diligatis [1]. » Illud enim debitum semper quidem fundatur, nunquam autem solvitur. Hic perpetuo debere pulchrum est, et in laude positum. In re pecuniaria eos, qui non debent, laudandos putamus : in dilectione vero perpetuos debitores probamus et admiramur : et quod ibi malignitatis, hic benignitatis signum est, ut silicet nunquam solvatur charitatis debitum. Ne ægre feratis prolixitatem orationis futuræ; citharœdicam enim melodiam eamque admirabilem vos docebo, non mortuam lyram attrectando, sed Scripturarum historias, et Dei præcepta pro nervis intendendo. Et quemadmodum citharœdi, arreptis discipulorum digitis, paulatim eos chordis admoventes assuefaciunt perite contrectare, et ex mutis tonis ac nervis omni sono suaviorem et dulciorem vocem emittere docent : ita nos quoque faciemus, et loco digitorum mentem ves-

[1] Rom. XIII, 8.

tram attrectantes præceptis Dei admovebimus, jubebimusque ea scite et eleganter attingere, non ut hominum theatrum, sed ut Angelorum populum per hanc voluptatem excitetis. Non enim satis est si eloquia divina percenseas, nisi ea quoque rebus præstes : et quemadmodum in cithara nervos attingit artifex, attingit quoque et imperitus, verum ita, ut iste auditorem vexet, ille voluptatibus et oblectatione repleat, etsi utrobique ejusdem generis digiti et iidem nervi sint, sed non eadem peritia : ita quoque in sacris Scripturis, multi adeunt eloquia divina, sed non omnes lucrum inde faciunt, aut fructum referunt ; in causa est, quod neque dicta satis scrutentur, neque cum artificio citharam pulsent : quod enim in re citharœdica ars, hoc ipsum in Dei legibus operum exhibitio. Nos autem unam chordam pulsavimus per totam quadragesimam, dum legem vobis de juramentis recitavimus, et Dei gratia effectum est, ut pleraque auditorum a nobis ora in hac legis melodia ita instituta sint, ut depulsa prava consuetudine, pro eo quod antea Deum jurabant, jam nihil nisi : « Est, Non est, Crede mihi, » in lingua sua circumferant, idque in omni colloquio, adeo ut inter mille negotiorum necessitates ulterius progredi non sustineant.

II. Cæterum quia non sufficit ad salutem, si unum præceptum observemus, age vos hodie ad alterum traducamus. Etsi enim non omnes profecerunt in priore lege, attamen temporis progressu qui retro manserunt eos, qui præcedunt, assequentur. Deprehendi enim tantam esse hujus rei curam, ut et domi et in mensa viri cum mulieribus, servi cum ingenuis certamen de hujus præcepti observatione contendant, et beatos dixi, qui ad istum modum convivia celebrarent. Qui enim ea mensa sanctius, unde et ebrietas et voracitas omnisque prodigalitas extrusa est, et loco illarum admirabilis introducta præstandi divini præcepti con-

certatio, dum vir observat uxorem, uxor virum, ne in præcipitia pejurii ruat, et mulcta gravissima constituta est prævaricatori, non pudori est dominum a servis redargui, aut servos a dominis castigari? Recte igitur quis istiusmodi domum Dei Ecclesiam appellet. Ubi enim tanta modestia, utepularum tempore solliciti sint convivæ de divinis legibus, aliusque cum alio super hoc contendat : certum et dæmonem inde et quamlibet malam potentiam elimanatam esse, Christumque adesse lætum ac hilarem, de illa pulchra inter servos suos æmulatione, omnemque illis elargiri benedictionem. Quapropter, omisso jam hoc præcepto, novi enim Dei gratia id per universam urbem propagatum iri, cum adeo ferventes in principiis, adeoque constantes vos exhibeatis; ad aliud præceptum transibo, quod est de contemptu iræ. Ut enim in cithara non satis est unico nervo conficere melodiam, sed omnes percurrendi sunt, concinnitate congruenti : ita quoque in animi virtute, non una lex sufficit nobis ad salutem, ut prius dixi, sed omnes exacte præstandæ sunt, si quidem velimus omni harmonia dulciores et utiliores modulos conficere. Didicit os tuum non jurare, edocta est tua lingua, ita, et non, ubique sonare, discat etiam convicium omne aversari, majoremque curam ad hoc præceptum adhibere, quandoquidem et majore labore opus est. Nam illic consuetudo sola vincenda fuit : in ira vero nervosiore industria opus est. Violentus enim affectus est, et tyrannicus, et subinde abripit vel eos qui vigilant, et ad barathrum ipsum perditionis deducit. Ferte igitur prolixitatem sermonis. Absurdum quippe est cum quotidie vulnereris in foro, in ædibus, ab amicis, a cognatis, ab inimicis, a vicinis, a servis, ab uxore, a filio, a propriis cogitationibus, ne semel quidem in universa hebdomada de remedio illorum vulnerum curam admittere : præsertim cum sciamus istum curandi modum, nec sumptu, nec dolore cons-

tare. Non enim nunc ferrum in manibus habeo : sed verbum pro ferro, quovis tamen ferro acutius, et cujusvis peccati putredinem excindens : sine dolore tamen ejus, cui ista incisio fit. Non ignem in dextra habeo, sed doctrinam igne vehementiorem, eamque non adhibentem cauterium, sed tamen cohibentem malitiæ proserpentem erosionem, et pro cruciatu plurimam ei, qui liberatur a malitia, afferentem voluptatem. Non hic opus est tempore, non laboribus, non pecuniis : solum velle satis est, et statim quidquid hujus virtutis est, præstiterimus. Quod si cogitemus, quanta sit auctoritas Dei jubentis, et conditoris istius legis, satis ex eo et abunde instructi et admoniti fuerimus. Neque enim a nobis ipsis monita vobis afferimus, sed ad legislatorem vos omnes adducimus. Sequimini igitur, et divinas leges audite. Ubi vero de ira et simultate disputatum est? Multifariam quidem in multis locis, maxime autem in parabola illa, quam ad Discipulos loquens ad istum ferme modum exorsus est :« Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini » regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis : et cum » cœpisset rationem ponere oblatus est ei unus qui debebat » ei decem millia talenta : cum autem non haberet, unde » redderet, jussit et ipsum venumdari, et uxorem ejus, et » liberos, et omnia quæ habebat, et reddi. Prolapsus igitur » servus ille ad pedes ejus, orabat eum his verbis : Domine, » patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Misertus » autem Dominus servi illius, dimisit eum, et debitum di- » misit ei. Egressus autem ille invenit unum de conservis » suis, qui ipsi debebat centum denarios, et tenens suffo- » cabat eum, dicens : Redde quod debes; procumbens ergo » conservus ille ad pedes ejus rogabat dicens : Patientiam » habe in me, et omnia solvam tibi : ille autem noluit, sed » eum inde abductum conjecit in carcerem, donec debitum » redderet : videntes autem conservi ipsius indignati sunt,

» et venientes narraverunt domino suo. Tunc vocavit illum » dominus suus, et ait illi : Serve nequam, omne debitum » dimisi tibi, quoniam rogasti me : nonne ergo oportuit et te » misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum ? Tunc » tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum » debitum. Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non » remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris [1]. »

III. Talis quidem parabola ista. Dicendum est ergo, cur et qua de causa illam parabolam proposuit. Non enim simpliciter dixit : « Assimilatum est regnum cœlorum, » sed, « Ideo assimulatum est regnum cœlorum. » Cur ergo causa adjuncta est ? De tolerantia Discipulis sermonem faciebat, docens, quomodo ira refrenanda esset contemnendæque injuriæ nobis illatæ, idque his verbis : « Si peccaverit in te » frater tuus, vade, et reprehende eum inter te, et ipsum » solum. Si auscultaverit tibi, lucratus es fratrem tuum [2]. » Hæc et alia ejusmodi, Christo loquente ad Discipulos suos, istamque philosophiam docente, Petrus chori Apostolorum princeps, os Discipulorum, columna Ecclesiæ, firmamentum fidei, confessionis fundamentum, orbis terrarum piscator, qui genus nostrum ex profundis errorum in cœlum adduxit, qui ubique fervidus et libertate plenus, imo potius charitate quam libertate, tacentibus omnibus, accedens ad Magistrum dixit : « Quoties peccabit in me frater » meus, et remittam illi ? usque septies [3] ? » simul et interrogat et pollicetur, et prius quam discat, magnum hac in re studium præ se fert. Cum enim mentem Magistri probe cognitam haberet, quam illa ad humanitatem prona esset, et quod ille præcipue gratiam cum ipso iniret, qui in condonandis offensis promptior esset, neque in istiusmodi rebus acerbum se et acrem exhiberet, volens placere legislatori, interrogavit num usque septies venia iteranda esset.

[1] Matth. xviii, 23-35. — [2] Ibid. 15. — [3] Ibid. 21.

Deinde ut discas qualis homo, qualis vero Deus sit, qualisque ejus indulgentia, et quomodo humana benignitas, si ad illius largitatis opulentiam collata sit, quavis paupertate contemptior reperiatur, et quantula stilla sit ad mare immensum, tantam nostram bonitatem ad illius ineffabilem humanitatem æstimandam : dicenti Petro septemplicem veniæ iterationem et existimanti se magnifice et largiter dixisse, audi quid respondeat: « Non, inquit, usque septies, » sed usque septuagies septies [1]. » Illud autem septuagies septies, quidem septem et septuaginta arbitrantur, cæterum ita non est, habet enim hic numerus ferme quingenta, septies enim septuaginta, quadraginta et nonaginta conficiunt. Ne existimes difficile esse hoc præceptum, charissime: si enim semel, iterum, ac tertio, intra diem peccanti veniam impartieris, etiamsi admodum lapideus sit, etiamsi ipsis dæmonibus efferatior sit ille, qui te læsit, non erit ita sensus expers, ut denuo ad easdem offensas recidat : sed frequentia indultæ veniæ castigatus, melior erit, et probior : tuque si fueris instructus ad toties contemnendam injuriam tibi illatam, una atque altera, et tertia condonatione culpæ exercitatus, nihil difficultatis senties in posterum in hoc genere philosophiæ : quippe qui iteranda toties venia, eum jam usum collegeris, ut nihil te percellant proximorum injuriæ. « Quibus auditis, Petrus, ore hiante, stupens constitit: non de se tantummodo sollicitus, sed et de illis, qui ejus fidei committendi erant. Ne igitur idem faceret, quod in aliis mandatis fecerat, anticipatione exclusit ei omnem percontationem. Quid autem in aliis mandatis fecit? si quando Christus istiusmodi aliquid imperaret, quod difficultatem aliquam habere videretur, prosiliens ante alios interrogabat, et sciscitabatur de præcepto. Cum enim prodiisset, dives, de æterna vita Christum percontans, et cognitis illis,

[1] Matth. xviii, 22.

quæ pariunt beatitudinem, mœstus ob pecunias abiisset, dicente Christo, quod facilius esset camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cœlorum [1] : Petrus tametsi se omnibus nudavisset, neque jam vel hamum retineret, quippe qui et totum quæstum piscatorium, et navem contempserat, accedens ad Christum ita locutus est : « Et quis potest salvus fieri [2] ? Vide probitatem et fervorem Discipuli ; non enim inquit : « Impossibilia injungis, grave hoc mandatum : difficilis ista lex : » neque in silentio perstitit ; sed curam suam, quam de omnibus habebat, ostendit, et præceptori a Discipulo debitam reverentiam impartivit, dicens : « Et quis potest salvus fieri? » nondum factus pastor, pastoris animum habebat : nondum in imperio et principatu constitutus, principi congruentem curam servabat, de universo orbe sollicitus. Si enim dives fuisset, et multis pecuniis circumfusus, diceret fortasse quispiam eum non de reliquis, sed de se ipso suisque rebus anxium istam interrogationem protulisse : nunc autem paupertas ipsum liberat ab hac suspicione, ostenditque eum de aliorum salute anxium, sollicitudinem istam, et curam gessisse, et a magistro cognoscere viam salutis voluisse. Quapropter et Christus ei fiduciam indens dixit : « Quæ apud homines » impossibilia sunt, ea apud Deum possibilia sunt [3]. » Et ne putes, inquit, vos desertos relinqui, ego in hoc negotio etiam meas manus admovebo, et ardua, facilia et expedita faciam. Rursus de matrimonio et uxore disputantes Christo ac dicente : « Si quis repudiarit uxorem, excepta fornicationis » causa, facit eam mœchari [4] : » et omnem malitiam uxoris ferendam esse admonente, præter crimen fornicationis, Petrus aliis omnibus tacentibus, Christum alloquitur : « Si » istiusmodi conditio est hominis cum uxore, non expedit

[1] Marc. x, 25. — [2] Ibid. 26. — [3] Ibid. 27. — [4] Matth. v, 32, et xix, 9.

» matrimonium inire [1]. » Et hic quoque vide quomodo decentem magistro reverentiam conservavit, et reliquorum salutis curam gessit, ne isthic quidem de rebus suis sollicitus. Ne autem hic istiusmodi quippiam dicat, anticipans per parabolam, ejus contradictionem antevertit. Hac de causa Evangelista dixit : « Ideo assimilatum est regnum cœ» lorum homini regi, qui voluit ponere rationem cum servis » suis, » ostendens se ideo parabolam hanc dicere, ut discas te, etsi septuagies septies in die fratri peccata remiseris, nihil magnificum fecisse, sed multum adhuc et immensum a Domini clementia abesse, ac non tantum dedisse, quantum receperis.

IV. Audiamus igitur parabolam, quæ, tametsi clara videatur, habet tamen occultum quemdam et ineffabilem sententiarum thesaurum. « Assimilatum est regnum cœlo» rum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis » suis. » Ne mihi prætercurras simpliciter has voces, sed evolve, et explica naturam ejus judicii, tuamque conscientiam ingressus, computa quidquid a te factum est per omnem vitam, et cum audieris rationem Dominum conferre cum servis suis, cogita in his verbis, reges et duces, et præsides, et divites, et pauperes, et servos, et liberos, et quidquid est hominum, intelligi. « Omnes enim nos mani» festari oportet ante tribunal Christi [2]. » Quod si dives sis, cogita quod rationem dabis, utrum in meretrices, an in pauperes, pecunias insumpseris : utrum in parasitos et assentatores, an in egentes : utrum in libidinem, an in humanitatem : utrum in delicias, prodigalitatem, ebrietatem, an in afflictorum subsidium. Non de expensis solummodo, sed de acquisitionis modo rationem postulaberis : utrum justis laboribus, an rapinis et avaritia pecuniam collegeris : utrum sit patrimonii hæreditas, an id coactum sit ex pupil-

[1] Matth. XIX, 10. — [2] 2 Cor. V, 10.

lorum eversis domibus, et spoliationibus viduarum. Quemadmodum nos non solum a servis nostris rationem elatæ pecuniæ, sed etiam illatæ exposcimus, excutientes unde pecunias, a quibus, et quomodo, et quantas acceperint: ita et Deus non solum expensi, sed etiam accepti et acquisiti rationes postulat. Non solum vero dives; sed et pauper rationes vel ipsius paupertatis subit: an generoso et grato animo paupertatem tulerit, annon ægre tulerit, annon indignatus fuerit, annon incusaverit Dei providentiam, cum videret alium in voluptatibus deliciantem, se autem in egestate versari. Ut enim a divite eleemosynæ, ita a paupere tolerantiæ requiritur ratio: imo non solum tolerantiæ, sed etiam ipsius eleemosynæ. Non enim habet impedimentum ad eleemosynam paupertas: testis est vidua, quæ duo minuta in gazophylacium dejecit, et eos, qui plurima dederant, magno intervallo superavit, idque tam minuta oblatiuncula. Non solum autem divites et pauperes, sed præsides et judices cum multa diligentia examinantur, annon jus corruperint, annon ad gratiam, vel odium calculos in litibus deprompserint, annon molliti adulatione, contra quam par erat sententiam dederint, annon memores offensarum eos vexaverint, qui nihil peccarant. Non solum autem sæculares magistratus, sed et illi qui ecclesiis præsunt, suæ præfecturæ rationes dabunt, et præcipue isti sunt, qui majores, acerbiores, et graviores pœnas sustinebunt. Cui enim verbi administratio commissa est, diligenter ibi examinabitur, annon segnitie, aut invidia aliquid omiserit eorum, quæ dicenda erant, et per opera exhibuerit, an omnia explicuerit, nihilque ab illo occultatum sit, quod dictu operæ-pretium erat. Rursus qui episcopatum adeptus est, quanto ad majorem verticem ascendit, tanto majoribus obnoxius erit rationibus, non solum de doctrina et pauperum patrocinio, sed etiam de examinatione ordinandorum,

aliisque sexcentis. Et hæc declarans Paulus ad Timotheum scripsit : « Manus cito nemini imposueris, neque commu- » nices peccatis alienis [1] : » et ad Hebræos scribens de iisdem præfectis, alia ratione terrefacit. « Obedite, inquit, præpo- » sitis vestris, et subjacete eis : ipsi enim vigilant super ani- » mabus vestris, ut rationem daturi [2]. » Tum vero non factorum solum, sed et verborum rationes subibimus. Quemadmodum enim nos cum pecunias servis concredimus, omnium reposcimus rationes, ita quoque Deus de verbis nobis concreditis requiret quomodo illa expenderimus. Reposcimur enim et examinamur perquam diligenter, num temere, num frustra ea insumpserimus : non enim nummus temere expositus ita lædit ut verba temere et frustra elata, cum nihil opus erat. Nummus enim frustra insumptus pecuniæ aliquando damnum affert, sermo autem imprudenter enuntiatus, integras domos evertit, et animam perdit : pecuniarum quidem damnum resarcire licet, verbum vero quod exilierit semel, revocare non licet. Cæterum ut discas verborum pœnas luituros esse, audi quid Christus dicat : « Dico autem vobis, quod de omni verbo » otioso, quodcumque locuti fuerint homines in terra, red- » dent rationem de eo in die judicii ; ex verbis enim tuis » justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis [3]. » Non solum autem dictorum rationem reddemus, sed et auditorum quoque, veluti si admiseris falsam criminationem contra fratrem calumniose institutam : « Auditionem enim » vanam, inquit Scriptura, ne receperis [4] : » quod si illi, qui recipiunt vanam auditionem, veniam non habent, qui calumniantur et criminantur, quamnam habebunt excusationem ?

V. At quid dico de verbis et auditu, ubi etiam cogita-

[1] 1 Tim. v, 22. — [2] Hebr. xiii, 17. — [3] Matth. xii, 36, 37. — [4] Exod. xxiii, 1.

tionum pœnas sustinemus? et hoc ipsum Paulus declarans, dixit : « Quamobrem ne ante tempus judicetis, donec ve »niat Dominus qui illuminabit occulta tenebrarum, et ma»nifestabit consilia cordium [1] : » ille quoque Psalmorum Cantor ait : « Cogitatio hominis confitebitur tibi [2] : » quid autem illud est, « Cogitatio hominis confitebitur tibi? » veluti si cum dolo et mala mente fratrem alloquaris : si ore illum et lingua celebres, mente autem mala cogites, eique invideas. Illud enim ipsum Christus subindicans, nos non solum factorum, sed et cogitationum pœnam luere dixit : « Qui inspexerit mulierem ad concupiscendum eam, jam »mœchatus est eam in corde suo [3]. » Atqui non erupit in opus ipsum peccatum, sed hactenus in solo animo consistit : verum ne ita quidem inculpatus manere potest, qui ideo contemplatur formas mulierum, ut incendat fornicationis concupiscentiam. Cum igitur audiveris cum rationem cum servis suis conferre, ne mihi negligenter prætereas illam dictionem : sed hoc intellige de omni ordine, omni ætate, utroque sexu, et virorum et fœminarum. Cogita quale illud judicium sit, revolve perpetuo tua peccata : nam etsi ipse oblitus fueris tuorum delictorum, Deus nunquam obliviscetur, et omnia ante oculos constituet, nisi jam mature ea extinxerimus per pœnitentiam et confessionem, et per oblivionem offensarum. Qua vero de causa rationem repetit? non quidem ut inscius; quomodo enim inscius, cui omnia cognita sunt antequam fiant [4]? sed ut tibi servo persuadeat, jure te debere quodcumque debes : imo potius, ut non solum discas, sed ut abstergas : quandoquidem et Prophetæ ea de causa mandavit peccata Judæorum enarrare. « Dic, inquit, iniquitates suas domui »Jacob et peccata sua domui Israël [5] : »non ut audiant so-

[1] 1 Cor. IV, 5. — [2] Psal. LXXV, 11. — [3] Matth. V, 29. — [4] Dan. XIII, 42. — [5] Isaï. LV, 1.

lum, sed ut corrigantur. Exorso autem eo conferre rationes, adductus est ei debitor unus decies mille talentorum; quidquid enim illi creditum erat, id omne absumpserat : magna æris alieni moles : et non solum in hac re periculum erat, sed in eo quoque quod primus oblatus est domino. Si enim post multos in solvendo studiosos iste oblatus fuisset, non ita mirum fuisset, si dominus nihil adversus eum exacerbatus fuisset : priorum enim probitas, improbis deinceps omnibus placatiorem eum effecisset. Cæterum primum eum, qui productus fuerat, tam malignum in solvendo apparere, et postquam tam malignus apparuisset, dominum mansuetum invenire, id præcipue inexpectatum et admirabile. Homines enim, ubi debitores adepti sunt, non aliter quam si venando, aut aucupando quidpiam cepissent, ita exultant, et omnia faciunt, ut universum exigant : quod si id non possint ob egestatem debitorum, iram defraudatione pecuniarum collectam, in ærumnosum miserorum corpus effundunt, vexando, verberando, atque alia sexcenta mala infligendo. Deus contra omnia movet, in omnibus satagit, ut eum liberet ære alieno. In nobis enim debitorum exactio divitias facit : Deus autem in remittendis peccatis maxime ditescit : nam hominum salus opulentia Dei est, quemadmodum Paulus dicit : « Dives in omnibus et per omnes qui invocant » eum [1]. » Sed dixerit aliquis : « Cur ergo, si destinarat remittere et condonare crimina, hunc venumdari jussit? » Illud certe imprimis illius humanitatem declarat; sed ne festinemus, at per ordinem procedamus ad parabolæ enarrationem. « Non habente autem eo quod redderet [2]. » Quid autem est illud quod dicit : « Non habente eo quod red- » deret? » rursus vides improbitatis accessionem; cum enim dicit, « Non habente eo quod solveret, nihil aliud dicit

[1] Rom. x, 12. — [2] Matth. xviii, 25.

quam cum omnium virtutum inopem fuisse, nec ullum bonum opus possedisse, quod imputari posset ad remissionem peccatorum. Imputantur enim omnino nobis ad peccatorum veniam recte facta : quemadmodum et fides ad justitiam. « Ei enim, qui non operatur, credit autem in » eum, qui justificat impium, imputatur fides ejus ad justi» tiam [1]. » Cæterum quid allego fidem et recte facta, cum tribulationes quoque imputentur nobis ad peccatorum condonationem ? et hoc declarat Christus per parabolam Lazari, introducens Abraham dicentem ad divitem Lazarum accipere consolationem [2], quia in vita sua mala acceperat. Declarat et Paulus ad Corinthios de fornicatore scribens : « Tradite hunc hominem Satanæ in exitium carnis, ut spi» ritus servetur [3]. » Et alios, qui peccaverant, consolans, ad hunc modum verba facit : « Ideo in vobis multi infirmi et » ægroti, et dormiunt multi : si enim nos ipsos judicare» mus, non utique judicaremur. Cum autem judicamur a » Domino, castigamur, ut non cum hoc mundo damnemur [4]. » Si autem tentationes, morbi, infirmitates, et carnis exitium, quæ nec studio, nec voluntate patimur, imputantur nobis ad peccatorum abolitionem, multo magis recte facta, quæ voluntate et studio persequimur. Huic autem omnium bonorum inopia erat, onus contra peccatorum maximum, et sarcina importabilis. Idcirco dicit : « Non habente illo » unde redderet, jussit eum venumdari. « Ex hoc potissimum licet domini humanitatem perdiscere, quod et rationem instituit, et venumdari jussit; ambo enim ista facta sunt in eum finem, ut non venderetur. Unde id liquet? a rerum exitu : si enim voluisset, quis obicem, quis impedimentum attulisset ?

VI. Quorsum igitur venditionem imperavit, cum nihil

[1] Rom. IV, 5. — [2] Luc. XVI, 25. — [3] 1 Cor. V, 5. — [4] Id. XI, 30-32.

tale facere statuisset? ut augeret metum. Metum vero auxit per minas, ut eum ad supplicationem compelleret; ad supplicationem compulit, ut occasionem donandæ veniæ haberet. Poterat et ante deprecationem eum liberum ab ære alieno dimittere, sed ne inde illum deteriorem faceret, ita se gessit. Poterat ante rationem initam veniam concedere, sed ne ignorans molem scelerum suorum, inhumanior et crudelior erga proximos esset, ideo illi prius declaravit sui debiti magnitudinem, ac tum demum ei remisit omnia. Nam si, habita ratione ac ære alieno commonstrato, minisque illatis, et condemnatione proposita, quam sustinere merebatur, adeo ferus et crudelis fuit adversus suum conservum; si nihil istorum adhibitum fuisset, quo non immanitatis prorupisset? Hac de causa hæc omnia Deus fecit et instituit, ut hominis immanitatem illam præmolliret. Si nihil istis rebus emendatus fuit, non penes magistrum, sed penes illum qui emendationem non recipit, culpa statuenda est. Verumtamen videamus quo pacto ejus ulcus abstergat. Cadens igitur ad pedes ejus, obsecrabat dicens: « Patien» tiam habe in me, et omnia reddam tibi [1]. » Non fassus est se nihil habere quod redderet: sed hic mos est debitorum, ut in summa inopia promittant tamen, quo præsens periculum vitare possint. Audiamus, quotquot ignavi sumus ad precandum, quanta sit obsecrationum vis. Non jejunium ostentavit, non ultroneam paupertatem, aut aliquid istiusmodi, sed desertus, sed nudus omni virtute, ubi se ad obsecrandum convertit, eo solo potuit dominum ad misericordiam pertrahere. Ne igitur deficiamus in fundendis precibus. Quis enim hoc sceleratior, qui et tot criminibus obnoxius erat, et nullum recte factum possidebat? Non tamen secum ad istum modum locutus est: « Non audeo loqui, pudore plenus sum, quî potero accedere? quî potero

[1] Matth. xviii, 26.

orare? »quod plerique peccatorum dicunt, diabolica laborantes timiditate. Non adest tibi fiducia loquendi? propterea accede, ut majorem fiduciam pares. Num enim homo est quem placare cupis, ut pudore et verecundia laborandum sit? Deus est qui magis, quam tu ipse, exoptat te a criminibus liberari : non tu tantopere tuam securitatem concupiscis, quantopere ille tuam salutem expetit : idque rebus ipsis docuit. Non habes fiduciam? eo ipso potes fiduciam habere, quod ita affectus sis : maxima enim fiducia est, cum quis se existimat fidere non debere. Nam ut summopere pudenda res est, justificare se ipsum coram Domino, ille enim impurus est, quicumque id facit, etiamsi omnibus hominibus sanctior fuerit; ita quoque justus fit, qui se credit omnium hominum extremum esse : cujus rei testes sunt Pharisæus et Publicanus. Ne igitur despondeamus animum ob peccata, neque desperemus, sed adeamus Deum, procidamus, obsecremus quemadmodum iste fecit, hactenus bona mente usus. Non despondere animum, non desperare, confiteri peccata, postulare dilationem aliquam et moram, et omnia ista bona sunt et mentis contritæ, et animæ humiliatæ. Quæ jam sequuntur, nequaquam similia sunt superioribus : quæ enim per supplicationem congregaverat, hæc omnia in universum effudit per iram, quam in proximum exercuit. Sed jam ad modum donatæ veniæ procedamus. Videamus qualitatem istius remissionis, et quibus rebus ad id dominus adductus fuerit. Misertus illius dominus, inquit Evangelista, absolvit eum, et debitum remisit. Ille dilationem petiit, iste veniam concessit, adeo ut plus ceperit, quam postularit. Quapropter Paulus inquit; « Ei, qui potest omnia facere superabundantius »quam petimus, aut cogitamus [1]. » Non enim potes cogitare tanta, quanta ille instituit donare tibi. Ne igitur pudo-

[1] Ephes. III, 20.

fias, neve erubescas, imo potius pudorem de peccatis colligo, ne desperes, neve absistas a precatione, sed accede, licet peccator sis, ut reconcilies tibi Dominum, ut des illi locum suam humanitatem in condonatione tuorum criminum exhibendi, quia si timeas accedere, impedis illius bonitatem, remoraris illius benignitatis largitatem, quantum ad te attinet. Ne igitur animum despondeamus, neve nos segnes timidosque ad preces exhibeamus, etiamsi detrusi simus ad barathrum malitiæ, facile inde nos extrahere poterit. Nemo tantum peccavit quantum iste, nam in omne genus scelerum proruperat : id enim significant dena millia talentorum : nemo ita inops virtutis est, ut iste fuit, hoc enim intelligitur ex eo, quod nihil haberet quod rependeret. Attamen undecumque desertum et inopem potuit vis precum liberare. Tantum, inquit, valet precatio, ut eum qui innumeris rebus et factis Dominum offenderit, a pœna et supplicio eripere possit? potest haud dubie. Non enim illa sola est quæ omnia conficit, sed habet sociam et auxiliatricem maximam humanitatem Dei, qui preces accipit, cujus viribus omnia fiunt, et quæ orationem efficacem reddidit. Id igitur subindicans, dixit : « Misertus dominus ejus » absolvit eum, et æs alienum remisit ei [1], » ut discas, et post preces, et ante preces domini viscera totum istud negotium fecisse. « Egressus autem ille invenit unum conservorum suorum, qui ipsi debebat centum denarios, et » tenens suffocabat eum dicens : Redde quod debes [2]. » Quid scelestius fieri potest? adhuc enim beneficii vocem in auribus gerens, oblitus est herilis bonitatis.

VII. En quantum bonum est peccatorum suorum meminisse; si enim hic perpetuo eorum memoriam retinuisset, non tam ferus et immanis factus fuisset ; propterea assidue dico, nec omittam dicere, valde est utile et necessarium

[1] Matth. xviii, 27. — [2] Ibid. 28.

perpetuo recordari delictorum omnium; nihil enim ita recte institutam, tractabilem et mitem animam facere potest, quam perpetua delictorum recordatio. Ideo et Paulus non solum peccatorum eorum, quæ ante lavacrum, sed etiam quæ post baptismum commissa erant, memor fuit, quamvis semel omnia et deleta et extincta essent. Si autem ille eorum, quæ ante baptismum gesserat, memor fuit, multo magis nos, quæ post baptismum acta sunt, in memoria retinere debemus; non enim solum illa istiusmodi recordatione extinguimus, sed et inde erga omnes homines mitiores efficiemur, et Deo cum majori benevolentia inserviemus, ineffabilem ejus humanitatem ex istiusmodi memoria perspicientes. Quod iste non fecit, sed oblitus magnitudinis debitorum suorum, etiam beneficii domini non recordatus est. Oblivione porro beneficii factum est, ut scelerate se gesserit adversus conservum, et scelerate se gerendo omnia perdiderit, quæ a Dei bonitate consecutus erat. « Tenens enim suffocabat eum, dicens : Redde si quid » debes : » non dixit : « Redde centum denarios, » puduisset enim eum nominare tantillas minutias, sed, « Redde si quid » debes. » Ille autem cadens ad pedes ejus obsecrabat dicens : « Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi [1]. » Eisdem verbis suam salutem orat, quibus ille veniam a domino impetraverat. Is autem præ nimia credulitate, ne istis quidem verbis flectebatur, neque cogitavit se per hæc dicta salutem invenisse. Quinimo si debitum remisisset, ne ita quidem pro humanitate factum illud imputandum fuisset, sed pro debito. Si enim ante rationem initam, et beneficium acceptum, hoc fecisset, ipsius magnanimitati tale factum ascribi potuisset; jamvero tam clementer habitus et tot peccatorum remissione donatus, ad parem erga conservum clementiam obligatus erat. Ille

[1] Matth. xviii, 29.

tamen nihil istiusmodi fecit, aut in mentem admisit, ut cogitaret, quantum interesset inter condonationem, quæ ipsi a domino contigerat, et eam quæ erga conservum exhibenda erat; non enim solum magnitudine debitorum aut dignitate personarum, sed eo ipso modo, quo res acta est, magnum inter utrumque discrimen conspicias. Illud enim debitum decem millium talentorum erat, hoc centum denariorum; et ille quidem in dominum contumeliose peccaverat, hic tantummodo conservo obligatus erat; ille beneficiis acceptis bene mereri vicissim debebat, dominus qui nihil boni aut magni aut parvi ab ipso factum videbat, omnia remisit. Attamen nihil horum cogitavit; sed semel ab ira excæcatus, suffocabat eum, et in carcerem conjecit. Videntes autem conservi ejus indignati sunt, ut ait Scriptura, et ante dominum conservi eum damnaverunt, ut discas domini mansuetudinem. Cum audisset id dominus, rursus adversus eum accitum judicium instituit, neque vel tum simpliciter condemnationem effert, sed prius tanquam de jure cum illo disceptat. Cæterum quibus id verbis facit? « Serve nequam, omne debitum illud remisi tibi [1]. » Quid melius eo domino, cui cum deberentur decem millia talentorum, ne verbo quidem stomachatus est, aut scelestum appellavit? sed eum tantummodo venumdari jussit; idque eo fine, ut a debitis liberaretur; eidem cum adversus conservum improbe egisset stomachatur; ut discas ipsum facilius quod in se peccetur, quam quod adversus alios, remittere solere. Ac non istud in hoc solo loco facit, verum et alibi. « Si enim, inquit, offers munus tuum ad » altare, et illic recordatus fueris, quod frater tuus habet » aliquid adversum te, abi primum, ut reconcilieris fratri » tuo, ac tum veniens offer munus tuum [2]. » Vides quam ubique sua nostris anteponat, pacemque et charitatem

[1] Matth. xviii, 32. — [2] Id. v, 23, 24.

proximorum summo loco constituat? Et rursus alibi : « Quicumque repudiat uxorem suam, præterquam ratione » adulterii, eam adulterari facit [1]. » Per Paulum autem hanc legem sancit : « Si quis vir uxorem habet infidelem, » eique placeat cum ipso habitare, ne dimittat eam; quod » si adultera sit, ejiciatur; si autem infidelis sit, ne expel- » latur [2]. » Si, inquit, in te peccaverit, abscinde; si in me, detineas. Ita et hic, cum tanta peccata adversum se commissa erant, veniam dedit; cum autem adversus conservum, licet minora, paucioraque, nequaquam remisit, sed ultionem persecutus est. Et hic quidem eum scelestum appellavit, illic ne verbo quidem contristavit. Et ideo hic illud quoque adjunctum est, quod dominus iratus tradiderit eum tortoribus; cum autem ab illo reposcebat rationem decies mille talentorum, nihil istiusmodi additum fuit; ut intelligas illic quidem calculum subductum fuisse, non irarum, sed sollicitudinis, quæ veniæ locum pararet. Hoc autem peccatum dominum plane exacerbavit. Quid igitur est pejus injuriæ recordatione, cum benignitatem Dei jam depromptam revocet, et quæ non potuerunt efficere alia peccata, hæc efficiat ira adversus proximum? Atqui scriptum est Dei dona esse sine pœnitentia [3]. Cur igitur hic post eductum munus, post progressam benignitatem, reductus est calculus? Propter injuriæ memoriam; quamobrem non erraverit quis, si hoc peccatum omni peccato gravius pronuntiet; alia enim omnia veniam impetrare potuerunt, istud solum adeo non potuit veniam adipisci, ut jam delcta, et jam extincta iterum renovarit. Duplex igitur malum pertinax injuriæ memoria, et quod nullam excusationem apud Deum habeat, et quod reliqua peccata jam remissa, iterum revocet, et contra nos constituat. Quod ipsum et hic factum est; nihil enim, nihil omnino

[1] Matth. v, 32. — [2] 1 Cor. vii, 12. — [3] Rom. xi, 29.

ita Deus odit, et aversatur, ut hominem offensarum memorem, et tenacis iræ. Et illud quidem præcipue ex hoc loco declaravit, et ex oratione, in qua jussit nos ita dicere : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus » debitoribus nostris [1]. » Hæc igitur omnia docti, et parabola ista in cordibus inscripta, cum cogitaverimus quæ passi sumus a conservis, cogitemus quæ fecimus in ipsum dominum, et metu propriorum criminum, iram de alienis delictis collectam facillime poterimus summovere; si enim meminisse oportet delictorum, propriorum tantum meminisse oportet. Quod si propriorum memores fuerimus, nunquam aliena delicta supputabimus; contra si illorum obliviscamur, ista facilius obversabuntur nostris cogitationibus. Nam et hic si decies mille talentorum memor fuisset, nunquam centum denariorum recordationem retinuisset. Ideo post quam illorum oblitus erat, factum est, ut conservum suffocaret, et pauca volens exigere, neque illa quidem assecutus est; sed et decies mille talentorum molem in suum ipsius caput retraxit. Quocirca audacter dixero omni peccato istud gravius esse; quinimo non ego hoc dico, sed Christus per parabolam istam istud declaravit. Si enim non decem millibus talentorum, hoc est, ineffabilibus peccatis istud gravius esset, nequaquam hujus causa illa omnia jam donata revocata fuissent. Nihil igitur ita studeamus, quam ut ipsi ira vacemus, et nobis infensos reconciliemus; cum illud sciamus nullam nec orationem, nec eleemosynam, nec jejunium, nec participationem mysteriorum, aut aliud quidpiam, si memores offensarum simus, nobis patrocinari posse in illa die; ut contra, si hoc peccatum superemus, etiamsi mille delictis inquinati simus, veniam aliquam consequi nos posse. Nec meus sermo est iste, sed illius, qui tunc nos judicaturus est, Dei.

[1] Matth. VI, 12.

Quemadmodum hoc in loco pronuntiavit : « Ita, inquiens, » faciet Pater meus, si non remiseritis unusquisque ex cor- » dibus vestris [1]. » Et rursum alibi. « Si remiseritis homi- » nibus delicta sua, remittet et vobis Pater vester cœlestis [2]. » Ut igitur et hic mansuetam et mitem agamus vitam, et illic veniam et remissionem obtineamus; studendum ac satagendum est, ut quotquot habemus inimicos, eos nobis reconciliemus. Ita enim et Dominum nostrum, etiamsi sexcenties peccaverimus, nobis reconciliabimus, et futura bona adipiscemur. Quibus nos dignos opto fieri gratia et humanitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA.

In dimissionem Chananææ. Habita autem est post ejus reditum ab exilio.

I. Tempestas ingens sævit [3]; sed eorum, qui convenerunt, alacritatem non cohibuit; multæ tentationes, sed desiderium vestrum non solverunt. Non cessat Ecclesia oppugnari, et vincere; insidiis impeti, et superare insidias. Quanto magis alii insidiantur, tanto magis illa augetur : fluctus dissipantur, et petra immobilis. Interdiu doctrina, noctu vigiliæ; dies cum nocte certat; illic collectæ, et hic collectæ : nox forum convertit in Ecclesiam; alacritas animi vestri igne vehementior est. Cohortatione non indigetis, et studium exhibetis vestrum. Quis non obstupescat ? quis non miretur ? Non modo, qui nostri

[1] Matth. xviii, 35. — [2] Id. vi, 14. — [3] Vide D. Guillon, tom. xviii, pag. 121-131.

sunt, non abfuerunt, sed etiam, qui nostri non sunt, accesserunt. Hujusmodi est tentationum lucrum : nam sicut pluvia decidens semina excitat; sic et animam invadens tentatio erigit animum. Verbum Dei est : inconcussa est Ecclesia. « Portæ inferi non prævalebunt adversus eam [1]. » Qui impugnat illam, se ipsum profligat, ipsamque fortiorem ostendit : qui impugnat illam, vires suas dejicit, nostrumque tropæum reddit illustrius. Splendidus erat antea Job; postea vero splendidior apparuit. Quando corpore sanus erat, non ita splendidus fuit, ut cum vulnerum sanie coronabatur. Noli tentationem unquam reformidare, si præparatam habeas animam. « Tribulatio » nihil officit, sed « Patientiam operatur [2]. » Nam quemadmodum nihil officit auro fornax, sic neque tribulatio generoso nocet. Quid facit fornax quæ aurum excipit? purum illud reddit. Quid operatur tribulatio toleranti? patientiam. Sublimiorem illum efficit, desidiam resecat, animum colligit, mentem redddit temperatiorem. Invexerunt tentationem, ut oves abigerent, et contrarium evenit; illa enim pastorem introduxit. Quo in statu sunt res nostræ? Laudibus celebrantur : quo in statu res illorum? ignominia cumulantur. Qua conditione sunt illorum negotia? ne apparent quidem. Forum percurro, et neminem video. Frondes erant, et flante vento ceciderunt; palcæ erant, et dissipatæ sunt, frumentumque maturum apparuit : plumbum erat, et liquefactum est, atque purum remansit aurum. Quis fugavit illos? nemo; sed domesticum habent hostem conscientiam post peccatum. Sciunt quid fecerint. Nam et Caïn volebat fratrem suum occidere : sed cum volebat occidere, cupiditas ardebat : postquam autem peccatum perpetravit, gemens ac tremens ubique terrarum vagabatur [3]. Hi vero licet reipsa non occiderint, at voluntate tamen occiderunt. Per-

[1] Matth. xvi, 18. — [2] Rom. v, 3. — [3] Gen. iv.

petrata est cædes quantum in illorum malignitate situm fuit; sed vita concessa est Dei benignitate. Hæc a me dicuntur, ut alacritatem vestram excitem, ut nunquam tentationem reformidetis. Petra es? ne fluctus timeas, nam « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ » inferi non prævalebunt adversus eam [1], » inquit. Aliquando extranea, interdum intestina sunt bella; sed nemo potest navim submergere.

II. Verum ne totum tempus in referendis illorum criminibus impendamus; conscientiæ terrori committamus eos, et sinamus mentem illorum ac nefariæ cupidinis impetum a domestico carnifice divexari: sinamus eos fugere, nemine persequente; sinamus in ignominia, nemine oppugnante: nosque consuetam mensam vobis apponamus. Non enim æquum est, ut tempus teramus referendis illorum sceleribus, et filios sinamus fame cruciari. Hesterno igitur die Paulus nobis mensam apparavit; hodie Matthæus; heri tentoriorum opifex, hodie publicanus; heri blasphemus, hodie raptor; heri persecutor, hodie avarus. Sed blasphemus ille, blasphemus non mansit, sed Apostolus factus est; nec raptor in rapinis permansit, sed factus est Evangelista. Commemoro pristinam nequitiam, et subsequentem virtutem, ut discas quanta sit pœnitentiæ utilitas, nec unquam de tua salute desperes. Doctores nostri prius nequitia illustres fuere, sed deinde a justitia celebrati sunt, publicanus et blasphemus duo vertices improbitatis. Quid enim est telonium? rapina legitima, violentia fiduciæ plena, iniquitas legis patrocinio fulta. Furibus ipsis durior est publicanus. Quid est telonium? Violentia, quæ patrocinium legis obtendit, quæ carnificem pro medico habet. Intelligis-ne quid dixerim? Leges sunt medici, deinde fiunt carnifices: non enim ulcus sanant,

[1] Matth. xvi, 18.

sed augent. Quid est telonium? peccatum impudens, rapina occasione destituta, latrocinio deterior. Latro dum furatur, saltem erubescit; hic vero cum fiducia prædatur. Verum hic publicanus repente Evangelista factus est. Quomodo et qua ratione? « Transiens, inquit, Jesus vidit Matthæum sedentem in telonio, et dixit ei : Sequere me [1]. » O virtus sermonis! intravit hamus, et captivum militem effecit, lutum in aurum convertit. Intravit hamus, « Et statim surgens secutus est eum [2]. » In fundo erat iniquitatis, et ad culmen virtutis ascendit. Nemo itaque, dilecti, de sua salute desperet. Non enim improbitas malum est a natura insitum : libero arbitrio et libertate decorati sumus. Publicanus es? potes fieri Evangelista. Blasphemus es? potes Apostolus esse. Latro es? potes deprædari paradisum. Magus es? potes adorare Dominum. Non est vitium ullum, quod non pœnitentia solvatur. Idcirco Christus nequitiæ culmina delegit, ut in fine nullum subterfugium relinquat.

III. Ne mihi dicas : « Perii, quid mihi faciendum restat? » ne mihi dicas : « Peccavi, et quid faciam? » habes medicum morbo potentiorem; medicum habes qui morbi naturam superat; medicum habes qui nutu solo curat; medicum habes, qui voluntate corrigit, qui potest et vult sanare. Cum non esses, te produxit; cum jam sis et perversus sis, multo magis poterit te corrigere. Non audisti quomodo olim pulverem de terra sumpserit, et hominem finxerit? quomodo terram converterit in carnem? quomodo nervos condiderit, quomodo ossa, quomodo pellem, quomodo venas, quomodo nasum, quomodo oculos, quomodo palpebras, quomodo supercilium, quomodo linguam, quomodo pectus, quomodo manus, quomodo pedes, quomodo reliqua omnia? Terra erat subjecta, una substantia, et intravit

[1] Matth. IX, 9. — [2] Ibid.

ars, atque varium opificium produxit. Numquid modum potes exponere, quo creatus es? Sic neque modum potes effari, quo peccata tolluntur. Si enim incidens in spinas ignis, illas absumit, multo magis voluntas divina delicta nostra consumit, radicitus evellit, et peccatorem ei, qui non peccavit, similem reddit. Ne quæras modum, ne investiges quid factum sit; sed miraculo crede. Multa magnaque peccavi, dicis : ecquis a peccato immunis? At mea gravia sunt, et quorumvis hominum peccata superant. Hoc tibi sufficit ad sacrificium : « Dic tu iniquitates tuas primus, ut » justificeris [1]. » Agnosce te peccasse, et initium tibi correctionis hoc fiet. Mœstus esto, lacrymas funde. Numquid aliud quidpiam meretrix effudit? Nihil aliud, quam lacrymas et pœnitentiam. Ducem assumpsit pœnitentiam, et ad fontem accessit.

IV. Quid vero publicanus et Evangelista dicat, audiamus : « Et egressus inde Jesus venit in partes Tyri et » Sidonis : et ecce mulier [2]. » Miratur Evangelista : ecce mulier, vetusta armatura diaboli, quæ me de paradiso expulit, mater peccati, princeps prævaricationis; illa ipsa mulier venit, ipsa natura : novum ac stupendum spectaculum. Judæi fugiunt, et mulier sequitur. « Et ecce mulier de finibus illis egressa rogabat eum dicens : Domine fili David, » miserere mei [3]. » Evangelista fit mulier, ac divinitatem incarnationemque confitetur; « Domine, » dominationem; « Fili David, » incarnationem denotat. « Miserere mei : » vide philosophicam animam; « Miserere mei : » non habeo conscientiam bonorum operum, non rectæ vitæ fiduciam; ad misericordiam confugio, ad communem peccatorum portum : ad misericordiam confugio, ubi nullum tribunal, ubi sine examine salus : sic peccatrix et iniqua accedere ausa est. Vide mihi philosophiam mulieris; non rogat Jacobum, non

[1] Isaï. XLIII, 26. — [2] Matth. XV, 21. — [3] Ibid. 22.

supplicat Joanni, non accedit ad Petrum, nec divisit Apostolorum chorum. Non egeo mediatore; sed pœnitentiam assumens advocatum, ad ipsum fontem pergo. Ideo descendit, ideo carnem assumpsit, ut ego ipsum alloquar. Sursum Cherubim ipsum tremunt, et deorsum meretrix illum alloquitur. « Miserere mei. » Nudus sermo, sed salutis immensum pelagus reperit. « Miserere mei; » ideo venisti, ideo carnem assumpsisti, ideo factus es quod ego sum. Superne tremor, et deorsum fiducia. « Miserere mei. » non egeo mediatore. « Miserere mei. » Quo opus habes? misericordiam quæro. Quid pateris? « Filia mea male a dæ» monio vexatur [1] : » natura torquetur, commiseratio exercetur. Egressa est advocata filiæ : non affert ægram, sed fidem affert. Deus est, et omnia videt : « Filia mea male a » dæmonio vexatur. » Gravis luctus : naturæ stimulus uterum discidit, in visceribus tempestas. Quid faciam? Perii. Cur non dicis : « Miserere filiæ meæ; » sed, « Miserere » mei. » Illa morbi sensum non habet, nescit quid patiatur, dolorem non sentit : doloris, imo et sensus vacuitas est ipsi velum calamitatis. « Miserere mei, » diurnorum malorum spectatricis; domi calamitatis theatrum adest : quo pergam? in desertum? at non audeo illam solam relinquere. Domi-ne sedeam? sed intrinsecus est inimicus, tempestas in portu, spectaculum calamitatis. Quo nomine vocabo illam? mortuam-ne? sed movetur; viventem? at nescit quid faciat : invenire nomen nequeo quo morbum appellem. « Miserere mei. » Si mortua esset filia mea, non talia paterer : corpus in visceribus terræ deposuissem, et, elapso tempore, in oblivionem malorum venissem, et ulcus obduxissem. Nunc autem cadaver habeo assiduum spectaculum, quod mihi vulnus perennet, et dolorem augeat. Quomodo cernam oculos transversos, manus contortas, passos

[1] Matth. xv, 22.

crines, emissam spumam, carnificem intus positum et non apparentem, flagellantem, qui non videatur, dum flagellum ipsum videtur? sto spectatrix alienorum malorum; sto, natura stimulante; « Miserere mei. » Gravis tempestas ægritudo et timor; ægritudo naturæ, et timor dæmonis. Accedere non possum, neque contingere. Impellit me affectus, abigit timor; « Miserere mei. »

V. Cogita mulieris philosophiam : non adiit magos, non vocavit divinos, non ligaturas admisit, non maleficas mulieres mercede conduxit eas, quæ solent dæmonas evocare et ulcus augere; sed dimisit diaboli officinam, et accessit ad servatorem animarum nostrarum. « Miserere mei : filia » mea male a dæmonio vexatur. » Nostis affectum miserationis, quotquot patres fuistis; juvate me verbis, quotquot matres fuistis. Non possum describere tempestatem quam sustinuit muliercula illa. « Miserere mei : filia mea male a » dæmonio vexatur. » Vidisti philosophiam mulieris, vidisti perseverantiam, vidisti virilitatem, patientiam? Ille vero non respondit ei. Rem novam ! Rogat, obsecrat, calamitatem deplorat, auget tragœdiam, afflictionem narrat; et ille hominum amator non respondet. Verbum tacet, fons clausus est, medicus pharmaca retinet, quid novum? quid admirabile? Ad alios curris, et hanc miseram accurrentem abigis? Sed considera medici philosophiam : « Ille autem » non respondit ei verbum [1]. » Quare? quia verba non examinabat; sed arcana mentis animadvertebat. « Ille autem » non respondit ei verbum. » Quid autem Discipuli? quia responsum mulier non obtinebat, accedentes ad eum dicunt : « Dimitte illam, quia clamat post nos [2]. » Sed tu externum audis clamorem, ego internum : magna est vox oris, sed major mentis. « Dimitte illam, quia clamat post » nos. » Alius autem Evangelista dicit (1), « Ante nos. »

[1] Matth. xv, 23. — [2] Ibid.

Contraria hæc dicta videntur; sed non mendacia sunt : utrumque enim agebat. Primo enim retroclamabat; cum autem non responderet ille, ante perrexit, quasi canis lambens vestigia domini sui. « Dimitte illam; » spectaculum circum edebat, populum advocabat : illi ad humanum dolorem respiciebant; Dominus autem ad salutem mulieris spectabat. « Dimitte illam, quia clamat post nos. » Quid igitur Christus? « Non sum missus nisi ad oves, quæ perie» runt domus Israël [1]. » Cum respondit, illius ulcus auxit : medicus enim erat secans, non ut divideret, sed ut conjungeret.

VI. Hic mihi vos attentos præbete, et animum advertite : profundam enim quæstionem investigare volo. « Non sum » missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israël. » Hoccine totum est? Ideo-ne homo factus es et carnem assumpsisti, tantamque œconomiam adhibuisti, ut unum servares angulum, et hunc pereuntem? Orbis-ne totus desertus est, Scythæ, Thraces, Indi, Mauri, Cilices, Cappadoces, Syri, Phœnices, totaque, quam sol respicit, terra? An propter Judæos solum venisti, et gentes deseris despicisque? an contemnis nidorem, an fumum? an contemnis Patrem tuum contumelia affectum? an idolorum dæmonumque cultum non curas? Atqui non hoc dicunt Prophetæ, sed proavus tuus secundum carnem quid loquitur? « Postula a » me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessio» nem tuam terminos terræ [2]. » Hesaïas vero, qui Seraphim contemplatus est : « Et erit radix Jesse, et qui exurget im» perare gentibus : in ipsum gentes sperabunt [3], » et Jacob : « Non Deficiet princeps ex Juda, neque dux de femoribus » ejus, donec veniat cui repositum est : et ipse expectatio » gentium [4]; » et Malachias : « Quia in vobis concludentur

[1] Matth. xv, 24. — [2] Psal. II, 8. — [3] Isaï. XI, 10. — [4] Gen. XLIX, 10.

» portæ æreæ, et non mutabunt quod propositum est, quia » ab ortu solis usque ad occasum nomen tuum glorificatur » in gentibus, et in omni loco incensum offertur Domino, » et sacrificium mundum [1]; » et David rursum : « Omnes » gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultatio- » nis; quoniam Dominus excelsus, terribilis, rex magnus » super omnem terram. Ascendit Deus in jubilatione, Do- » minus in voce tubæ [2]; » et alius : « Lætamini gentes cum » populo ejus [3]; » et tu ipse veniens, nonne Magos statim advocasti, arcem gentium, diaboli tyrannidem, virtutem dæmonum? Nonne descendens, Prophetas eos reddidisti? Tu Magos vocas : Prophetæ de gentibus hoc dicunt : post- quam ab inferis resurrexeras, Discipulis dicis : « Euntes do- » cete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et » Filii, et Spiritus sancti [4] : » et quando venit infelix et mi- sera illa, pro filia rogans, ærumnamque dispelli suppli- cans, tunc dicis : « Non sum missus nisi ad oves quæ perie- » runt domus Israël; » et cum centenarius accedit, dicis : « Ego veniens curabo eum [5]; » cum latro supplicat : « Hodie » mecum eris in paradiso [6]; » cum paralyticus : « Surge, tolle » lectum tuum, et vade [7]; » cum Lazaro loqueris : « Lazare » veni foras [8]; » et quatriduanus exivit. Leprosos mundas, mortuos suscitas, paralyticum firmas, cæcos illuminas, latrones servas, meretricem reddis virgine castiorem, et huic nihil respondes. Quam novum id! quam stupendum! quam insolitum!

VII. Animum advertite diligenter ut discatis mulieris virilitatem, ac Domini sapientiam providentiamque; ut discatis moras lucrum attulisse, et negationem divitias pe- perisse; ut si oraveris et tu, et non accipias, nunquam

[1] Malach. I, 10, 11. — [2] Psal. XLVI, 1-6. — [3] Rom. XV, 10. — [4] Matth. XXVIII, 19. — [5] Id. VIII, 7. — [6] Luc. XXIII, 43. — [7] Matth. IX, 6. — [8] Joan. XI, 43.

desistas. Animum diligenter adhibe. Quando Judæi ab ægyptiaca tyrannide liberati sunt, et Pharaonis manus effugerunt, ad desertumque perrexerunt, intraturi in terram Chananæorum idololatrarum impiorumque hominum, qui lapides adorabant, lignaque colebant, magnamque impietatem præ se ferebant, dedit ipsis Deus hanc legem : « Ne accipias ex filiis eorum generos, neque des filiam » tuam nurum ipsis : ne tradas illis aurum, neque mensæ » societatem, neque cōnsortium, neque aliud quidpiam si- » mile; quia iniquæ sunt gentes, ad quas introduco te, ut » possideas illas[1]. » Hoc igitur illis propemodum lex præcipiebat : « Ne emas, ne vendas, ne connubia jungas, neque contractus; sed etsi loco vicinus, moribus separatus esto. Nihil tibi sit commune cum illis, non pacta, non venditiones, non emptiones, non matrimonia; ne forte cognationis necessitas id efficiat ut in impietatem prolabaris : ne, dum illis das et ab illis accipis, amicus eorum fias : sed illis semper inimicus esto. Nihil tibi commune sit cum Chananæis; ne aurum illorum, ne argentum, ne vestem, ne filiam, ne filium, nec aliud quidpiam simile accipias; sed ipse seorsim degas : linguam habes te separantem, legemque tibi dedi, quapropter lex sepes vocatur : quemadmodum enim vinea sepe circumdatur, sic et Judæi lege circummuniuntur; ut ne hanc transgredientes cum Chananæis misceantur. Erant enim apud illos iniqua commercia, depravatæ naturæ leges : adorabantur idola, ligna colebantur, Deus contumelia afficiebatur, filii mactabantur, patres despiciebantur, matres contemnebantur, omnia immutata erant, omnia subserva, dæmonum more vivebant; ideoque nulla commercia inibant cum illis, nihil ipsis vendebant; sed lex magnis indictis pœnis vetabat connubia cum illis, pacta, venditiones : nihilque commune cum ipsis habebant. Cau-

[1] Exod. xxxiv, 15, et Deut. vii, 3, 4.

tum igitur lege erat, ne pacta cum Chananæis inirentur, ne aurum ipsis traderetur, nec aliud quidpiam; ne amicitia impietatis occasio esset. Lex ipsos quasi sepes circummuniebat. « Vineam, inquit, plantavi et sepem ipsi circum»dedi[1], » id est, legem, non spinis, sed mandatis constantem, quæ ipsos communiret et separaret. Abominabiles ergo erant Chananæi, execrandi, impii, scelesti, impuri, immundi; ideoque ne audire quidem illos volebant Judæi, legem suam implentes. Cum ergo hæc mulier ex Chananæis esset; nam « Ecce mulier, inquit, ex finibus illis »egressa est; » quia, inquam, hæc mulier ex Chananæis erat, et accessit ad Christum, ideo dicebat : « Quis ex vobis »arguet me de peccato[2]? » num legem transgressus sum? Cum enim homo esset, humana exhibebat officia.

VIII. Hic demum attendite diligenter. Quia mulier Chananæa erat et ex finibus illis, ubi rabies, furor et impietas; ubi diaboli tyrannis, dæmonum debacchationes, natura conculcata; ubi ad brutorum brutos affectus devoluti erant, et ad dæmonum furores; et quia lex præcipiebat, nihil tibi sit cum Chananæis, ne des illis, ne accipias ab illis, ne uxorem ducas, ne filium accipias, ne pacta ineas vel conventa; nam ideo sepem circumposui; Christusque veniens hominum assumpsit arma, suo tempore circumcisus est, sacrificia obtulit, oblationes et alia omnia, cum legem abrogaturus esset; ne objicerent : « Eo quod non posset implere legem, ideo eam abrogavit; » prius ipsam implet, postea abrogat; ne putes ipsum implere non posse, omnia secundum morem exequitur. Propterea clamat his verbis : « Quis ex vobis arguet me de peccato? » Cum itaque illud etiam ad legem pertineret, ne quid commune cum Chananæis haberetur; ne ipsum Judæi incusarent dicerentque : « Ideo non credimus tibi, quod sis

[1] Isaï. v, 1. — [2] Joan. viii, 46.

iniquus, quod legem solvas : in terram Chananæorum abiisti, et cum iis habuisti consortium, licet id lege prohibeatur. » Ideo statim nihil loquebatur. Attende quomodo legem impleat, nec salutem statim impertiat, Judæosque refrenet, et hanc recreet. « Ille autem, inquit, non respondit ei ver»bum. » Ne incusandi occasionem arripias ; ecce non loquor, non sermonem misceo : adest calamitas, et quod soleo facere, non exhibeo : ecce naufragium, et ego gubernator non solvo tempestatem ob improbum animum vestrum, ne ulla sit vobis detrectandi occasio. Ecce mulier spectatores mihi circum advocavit, et nondum ei respondi ; ne dicatis : « Te Chananæis tradidisti, et legem transgressus es, et hinc nobis occasio tibi non credendi. » Animadverte quomodo mulieri non responderit, ut responderet Judæis : silentium erga mulierem, vox erat quæ Judæorum improbum animum arguebat.

IX. Hæc autem faciebat non secundum suam dignitatem, sed illorum se infirmitati attemperans. Nam cum leprosum mundaret, dixit : « Vade, offer munus tuum, quod »præcepit Moyses [1]. » Tu mundasti, et mittis illum ad legem Moysis. Etiam : cur hoc? Propter Judæos, ne me violatæ legis accusent. Ideo cum leprosum mundavit, id insolito modo fecit : audi quomodo. « Et ecce leprosus ac»cedens rogabat eum dicens : Domine, si vis, potes me »mundare. Et extendens manum suam tetigit eum dicens : »Volo, mundare [2]. » Secundum legem non licebat leprosum tangere. Cum ergo venit Neæman dux exercitus leprosus ad Elisæum prophetam, dicit illi discipulus : « Ecce leprosus princeps militiæ foris est. » Ille vero mittit discipulum qui ipsi diceret : « Vade lavatum ad Jordanem flu»vium [3] ; » nec ausus est ipse egredi, nec videre leprosum, ipsumve tangere. Quia igitur mundavit Elisæus leprosum ;

[1] Matth. VIII, 4. — [2] Ibid. 2, 3. — [3] 4 Reg. V, 10.

ne dicerent Judæi ipsum eodem quo Elisæus modo mundasse, ideo Elisæus quidem non ausus est tangere; hic vero tangit et dicit : « Volo, mundare; et extendens ma» num tetigit leprosum. » Cur tetigit? ut te doceret se non esse servum legi subditum, sed Dominum legi imperantem. Quomodo igitur legem servavit? quod dixerit : « Volo, » mundare, » et non statim ipsum tetigerit. Præcessit sermo, fugatus est morbus; deinde tetigit immundum. « Et dixit : » Volo, mundare. » Qua ratione? « Et statim mundatus est. » Non potuit Evangelista vocem reperire velocitatem curationis exprimentem; nam illud, « Statim, » etiam tardius rem factam significat. « Statim, » quomodo? simul egressus sermo est, et fugatus est morbus, fugata est lepra, deinceps mundus erat leprosus. Propterea dicit : « Vade, te ipsum » ostende sacerdoti, et offer donum, quod jussit Moyses in » testimonium illis [1]. » Quibus? Judæis, ne dicant me legem transgredi. Ego sanavi, et dico : « Offer donum » secundum legem, ut in die illa leprosus ipsos accuset his verbis : « Præcepit mihi donum secundum legem offerre. » Ac quemadmodum multa faciebat Christus propter Judæos, ut in omnibus ipsos inexcusabiles redderet; ita et hic fecit. « Mi» serere mei, quia filia mea male a dæmonio vexatur. Ille » vero non respondebat ei verbum. Accedentes autem Dis» cipuli ad eum dicunt : Dimitte illam, quia clamat post nos. » Quid igitur ille? « Non sum missus nisi ad oves quæ perie» runt domus Israël [2]. » Ne dicerent Judæi : « Nos dimisisti, et ad extraneos perrexisti, ideoque tibi non credidimus. » Ecce, inquit, ex gentibus accedunt, illosque non recipio : vos autem etiam fugientes advoco : « Venite ad me omnes » qui laboratis [3], » et non venitis, hanc vero rejicio, et tamen perstat. « Populus, quem non cognovi, servivit mihi, inquit, » in auditu auris obedivit mihi [4]; » et alibi, « Apparui iis,

[1] Matth. VIII, 4. — [2] Id. XV, 22-24. — [3] Id. XI, 28. — [4] Psal. XVII, 45.

» qui me non quærebant, et inventus sum ab iis, qui me » non interrogabant [1]. Dimitte illam, quia clamat post nos? » Videamus itaque quid Christus dicat : « Non sum missus » nisi ad oves quæ perierunt domus Israël : » Annon hæc verba erant repellentis? Ita enim propemodum dicit : « Abscede; quia nihil tibi rei mecum est, non veni propter te, sed propter Judæos. « Non sum missus nisi ad oves quæ » disperierunt domus Israël. » His auditis, illa dixit : « Etiam » Domine, adjuva me, » et adorabat dicens. Ille vero non respondit ei; sed vide responsionem : « Non est bonum su- » mere panem filiorum, et projicere canibus [2]. » O cura medici! in desperationem deducit eam. « Non est bonum » sumere panem filiorum : » quorum? Judæorum; « Et dare » canibus, » hoc est, vobis.

X. Certe ad ignominiam Judæorum hæc dixit Dominus : nam filii vocati, canes effecti sunt. Ideoque Paulus dicit : « Videte canes, videte malos operarios, videte cir- » cumcisionem [3]. » Nos enim sumus circumcisio : gentiles canes vocati sunt, et filii sunt effecti. « Filioli mei, quos » iterum parturio, donec formetur Christus in vobis [4]. » Laus hæc, Judæorum accusatio est. « Non est bonum su- » mere panem filiorum, et dare canibus. » Quid igitur mulier? « Etiam, Domine. » O violentia mulieris! o contentio animæ! Medicus dicit « Non, » et illa dicit, « Etiam : » Dominus dicit, « Non; » et illa dicit, « Etiam. » Non incusans aut impudenter agens hoc dicit; sed salutem expectans. « Non est bonum sumere panem filiorum, et dare canibus. » Etiam, Domine. » Canem me vocas, ego te dominum voco : tu me contumelia afficis, ego te celebro. « Etiam, » Domine : nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de » mensa dominorum suorum [5]. » O sapientia mulieris! ab

[1] Isaï. LXV, 1. — [2] Matth. XV, 26. — [3] Philip. III, 2. — [4] Galat. IV, 19. — [5] Matth. XV, 27.

allato exemplo, sermonem erui consentaneum. Canem me vocas, ut canis alor. Non respuo opprobrium, non recuso appellationem : accipiam ergo canis alimentum ; remque dicit consuetam. Tu verba tua confirma : canem me vocasti ; da mihi micam : advocatus petitionis meæ factus es ; in recusatione consensum tuum ostende. « Etiam, Domine : » nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa do- » minorum suorum. » Quid igitur ille, qui recusabat, qui rejiciebat, qui pellebat, qui dicebat : « Non est bonum ac- » cipere panem filiorum, et projicere canibus? » qui dicebat : « Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus » Israël. O mulier! magna est fides tua [5]. » An laudator derepente factus es? Mulierem deprædicas? annon repellebas? annon rejiciebas? Confide ; ideo distuli. Nam si ab initio illam repulissem, ejus fidem non edidicisses. Si a principio accepisset, cito recessisset, ejusque thesaurum nemo novisset. Ideo munus distuli, ut ejus fidem omnibus ostenderem. « O mulier! » Deus dicit : « O mulier! » Audiant ii, qui cum quadam imperitia precantur. Cum alicui dico : « Roga Deum, obsecra eum, supplica ei ; » respondet ille : « Rogavi semel, secundo, tertio, decies et vigesies, et nequaquam accepi. » Ne cesses, frater, donec accipias : finis petitionis est donum acceptum. Tunc cessa, cum acceperis ; imo potius ne tunc etiam cesses, sed adhuc persevera. Si non acceperis, pete ut accipias ; cum autem acceperis, de accepto gratias age. Multi intrant in Ecclesiam, et mille versus orando profundunt et egrediuntur ; nec sciunt quid dixerint. Labia moventur, nec ipsi audiunt. Tu ipse non audis orationem tuam, et Deum vis exaudire? Flexi, ais, genua : verum mens tua foras avolavit : corpus tuum in Ecclesia erat, et cogitatio tua foris vagabatur. Os tuum precationem recitabat ; sed mens usuras supputabat,

[5] Matth. xv, 28.

pacta, contractus, agros, possessiones, amicorum consortia. Diabolus enim, malignus cum sit, cumque sciat nos tempore precationis admodum proficere, tunc maxime instat. Sæpe in lecto supini jacemur, et nihil cogitamus; sed si precatum veniamus, sexcentas cogitationes immittit, ut fructu vacui recedamus.

XI. Hæc cum scias, dilecte, in precationibus accidere, Chananæam imitare; vir mulierem, alienigenam, infirmam, abjectam, vilem. At non habes filiam a dæmone vexatam? sed habes animam peccatricem. Quid ait Chananæa? « Miserere mei; filia mea male a dæmonio vexatur : » dic et tu : « Miserere mei; anima mea male a dæmonio vexatur. Grandis enim dæmon peccatum est. » Dæmoniacus ad misericordiam movet, peccator odio habetur : illi venia conceditur, hic excusatione privatur. « Miserere mei : » brevis sententia, sed benignitatis pelagus invenit. Ubi enim misericordia, ibi bona omnia. Etiamsi extra Ecclesiam sis, clama et dic : « Miserere mei, » non labia movens, sed mente clamans : nam vel tacentes audit Deus. Non requiritur locus, sed morum initium. Jeremias in cœno erat, et Deum attraxit : Daniel in lacu leonum, et Deum sibi propitium reddidit : tres pueri in camino erant, et Deum celebrantes flexerunt : latro crucifixus est, et nihil ipsi obfuit crux, sed paradisum aperuit : Job in fimo erat, et Deum propitium reddidit : Jonas in ventre ceti, et Deum sibi obsequentem habuit. Si in balneo sis, precare, si in via, si in lecto similiter : ubicumque fueris, precare. Templum es Dei, ne quæras locum; voluntatis affectus solum requiritur. Si coram judice sistaris, precare, cum irascitur judex, precare. Mare coram erat, a tergo Ægyptii, in medio Moyses; multa in precatione angustia; sed amplum erat orandi spatium. A tergo Ægyptii insequebantur : mare coram erat, in medio autem oratio; nihilque loquebatur

Moyses, et ait illi Deus : « Quid clamas ad me? » Os non loquebatur, sed mens clamabat. Et tu itaque, dilecte, cum steteris coram judice furente, tyrannice loquente, acriter minitante, et aliis carnificibus similiter agentibus, Deum precare, et, te precante, fluctus mitigabuntur. Judex instat? tu ad Deum confugito : princeps adest? tu Dominum voca. Numquid homo est, ut ad aliquem pergas locum? Deus prope semper est. Si homnem rogare volueris, interrogas quid agat, dormiat-ne, an a negotiis vacet; ministerque non tibi respondet. Ad Deum precandum nullo horum opus habes : quocumque ieris et invocaveris, illa audiet; nulla occupatio, nullus intermedius, minister nullus aditum intercludit. Dic, « Miserere mei, » et statim Deus aderit : « Adhuc te loquente, inquit, dicam : Ecce adsum [1]. » O sermo benignitate plenus! Non expectat precationis finem : nondum finita oratione, donum accipis. « Miserere » mei. » Hanc imitemur Chananæam, quæso : « Miserere » mei : filia mea male a dæmonio vexatur : » Dominus autem dicit ad eam : « O mulier! magna est fides tua : fiat » tibi sicut vis. » Ubinam hæreticus? Num dixit, « Rogabo Patrem meum? » num dixit, « Precabor Genitorem meum? » Numquid oratione eguit? Minime. Quare? quia magna erat fides, magnum vas, copiosa effusa est gratia. Ubi oratio necessaria est, ibi vas infirmum est. « O mulier! magna » est fides tua. » Non vidisti mortuum suscitatum; non leprosum mundatum; non audisti Prophetas; non legem meditata es; non mare divisum vidisti; non aliud a me patratum signum vidisti; imo a me despecta et conturbata es; ærumnosam te repuli, et non recessisti; sed perstitisti, demum a me dignam et consentaneam accipe laudem : « O » mulier? magna est fides tua. » Mortua est mulier, et præconium ejus manet, diademate splendidius. Quocumque

[1] Isaï. LVIII, 9.

ieris, audies Christum dicentem : « O mulier ! magna est » fides tua. » Ingredere in Ecclesiam Persarum, et audies Christum dicentem : « O mulier ! magna est fides tua ; » in Gothorum item, in Barbarorum, in Indorum, in Maurorum, et in quantamcumque sol respicit terram. Verbum unum protulit Christus, et verbum illud non cessat efferri, sed magna voce ejus fidem prædicat : « O mulier ! magna » est fides tua : fiat tibi sicut vis. » Non dixit : « Sanetur » filia tua ; » sed, « Sicut vis. » Tu ipsam sana, tu esto medicus, tibi medicamentum trado, vade, appone, « Fiat tibi » sicut vis. » Voluntas tua sanet ipsam. Chananæa voluntate sua sanavit, et Filius Dei a se ipso non sanabit ? « Fiat » tibi sicut vis. » Non jussit mulier, neque diabolo præcepit; sed voluit tantum, et voluntas mulieris sanavit, dæmonasque ejecit. Ubi sunt ii, qui dicere audent Filium per orationem operatum esse ? « Fiat tibi sicut vis. » Vide dictionis cognationem : Patrem suum imitatur. Cum enim Deus cœlum faciebat, dixit : « Fiat cœlum, et factum est cœlum ; Fiat terra, et facta est terra. » Jussione substantiam produxit. Sic et ille, « Fiat tibi sicut vis ; » cognatio sermonis communionem ostendit naturæ. « Et sanata est filia ejus [1] ; » quandonam ? « In illa hora. » Non quando mater venit domum ; sed antequam veniret. Venit inventura dæmoniacam, et invenit sanam, voluntate sua sanitati restitutam. Pro his omnibus gratias agamus Deo, quia ipsum decet gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. xv, 28.

HOMILIA.

In reliqua adversus hæreticos, et de judicio, atque eleemosyna, et in petitionem matris filiorum Zebedæi.

I. Ex bello [1] reversi hesterno die sumus, ex bello pugnaque cum hæreticis commissa, sanguine tincta gerentes arma, gladium Verbi cruentum, non prostratis corporibus, sed consiliis destructis « Et omni altitudine, quæ adversus » Dei scientiam se extollit. » Tale namque genus est pugnæ hujus ac proinde talis est armorum natura : quorum utrumque docens beatus Paulus dicebat : « Nam arma militiæ » nostræ non carnalia sunt; sed potentia Deo ad destruc- » tionem munitionum, consilia destruentia, et omnem alti- » tudinem extollentem se adversus scientiam Dei [2]. » Sane quidem oporteret iis, qui abfuerunt, hesternos referre casus, et aciem instructam enarrare, conflictum, victoriam, tropæa; sed ne vos negligentiores reddamus, his prætermissis, ut jactura stimulati diligentiores fiatis vos, qui abfuistis, ad ea, quæ sequuntur, hodie gradum faciemus : quod si quis diligens fuerit, et attentus, ex iis studiosis, qui interfuerunt, ea, quæ sunt a nobis hesterno die dicta, cognoscet. Tantam enim alacritatem animi nobis exhibuerunt auditores, ut, acceptis omnibus, domum recesserint, neque quidquam eorum, quæ dicta fuerant, sibi excidere passi fuerint. Itaque illa quidem cognoscetis ex illis; quæ vero sunt hodie dicenda, nos vobis dicemus et objectionem, quam hæretici nobis opponunt, in medium proferemus. Quænam igitur illa est? quia nuper de Unigeniti potestate

[1] Vide D. Guillon, tom. XVIII, pag. 156-162. — [2] 2 Cor. X, 4, 5.

disseruimus, eamque Patris, a quo genitus est, potestati parem esse demonstravimus, et in eam rem sermones multos impendimus : his illi perculsi dictis evangelicam vocem quamdam alio, quam illi suspicantur, modo dictam vicissim nobis objecerunt. Atqui scriptum est, inquiunt : « Sedere autem ad dexteram meam et ad sinistram non » est meum dare, sed quibus paratum est a Patre meo [1]. » Ego vero quod semper charitatem vestram hortor, id etiam hodie moneo consuloque, ne simpliciter litteras percurratis, sed sensus investigetis : si quis enim simpliciter verbis inhæreat, neque præter ea, quæ scripta sunt, quidquam exquirat, in multis errabit. Nam et alas habere Deum Scripturæ dicunt, sic loquente Propheta : « In tegmine ala- » rum tuarum proteges me [2] : » nec tamen idcirco dicemus alatam esse spiritalem illam et immortalem essentiam. Si enim de hominibus hoc dici nequit, multo minus de incorrupta illa, invisibili et incomprehensibili natura. Quid ergo per alas intelligi a nobis par est ? securitatem, tutamen, auxilium, subsidii robur invictum. Rursus eum dormire testantur Scripturæ, dum ita dicunt : « Exurge, quare obdormis, » Domine [3] ? » non ut dormire Deum suspicemur : id enim esset extremæ dementiæ ; sed somni nomine longanimitatem et patientiam nobis exprimunt : alius autem Propheta, « Numquid eris, inquit, quasi homo dormiens ? » Vides » multa nobis opus esse prudentia, dum Scripturæ thesauros perscrutamur ? si enim leviter ac temere, et quoquo modo, quæ dicuntur audiamus, non illa tantum sequentur absurda, sed et pugna non mediocris in iis, quæ dicta sunt, apparebit. Nam ille quidem ipsum dormire dicit, hic vero non dormire, sed utrumque verum est, si convenienti sensu accipias. Qui enim ipsum dormire dicit, summam ejus longanimitatem designat : qui vero negat dormire, naturæ nobis

[1] Matth. xx, 23. — [2] Psal. xvi, 8. — [3] Id. xliii, 23.

immortalitatem declarat. Cum igitur multa nobis prudentia sit opus, ne temere dictum istud accipiamus : « Non est »meum dare, sed quibus paratum est a Patre meo : » non enim hoc potestatem ejus tollit, neque auctoritatem imminuit, sed multam sollicitudinem, sapientiam, et eam, qua generi nostro consulit, providentiam ostendit. Ut enim scias in ejus potestate situm esse, ut pœnam inferat, vel honorem impertiat, audi quid ille ipse dicat, cujus verba tractamus, « Cum venerit Filius hominis in gloria Patris »sui, statuet oves a dextris et hædos a sinistris, et dicet »iis, qui a dextris erunt : Venite benedicti Patris mei, pos»sidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esu»rivi enim et dedistis mihi manducare : sitivi, et dedistis »mihi bibere. Iis autem, qui a sinistris erunt, dicet : Dis»cedite a me maledicti in ignem, qui paratus est diabolo »et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi man»ducare : sitivi, et non dedistis mihi potum ; hospes eram, »et non collegistis me [1]. » Vides absolutum judicium, et quo pacto cum honore afficiat, tum pœnam inferat? cum coronas tribuat, tum supplicio plectat? et hos quidem in regnum introducat, illos autem in gehennam ableget?

II. Animadverte autem hoc etiam loco, quantam ille nostri curam gerat; dum enim eos alloqueretur, qui coronas accipiebant, « Venite, inquit, benedicti Patris mei. »Possidete paratum vobis regnum ante constitutionem »mundi ; » illis vero, qui supplicio afficiebantur, non dixit : « Discedite a me in ignem qui paratus est vobis, » sed, « Qui »paratus est diabolo. » Nam regnum quidem hominibus paravi, gehennam autem non hominibus, inquit, sed diabolo et angelis illius paravi ; quod si vos talem vitam exhibuistis, ut pœna digni et supplicio fieretis, id vobismetipsis imputare merito potestis. Ac vide quanta sit ejus ad be-

[1] Matth. xxv, 31-43.

nignitatem propensio; cum enim nondum essent athletæ, præparatæ sunt coronæ, ac præmia destinata. « Nam pos- » sidete, inquit, paratum vobis regnum ante constitutionem » mundi. » Et vero in parabola decem virginum idem cer- nere licet : cum enim adventurus esset sponsus dicunt prudentibus fatuæ : « Date nobis de oleo vestro; » ad quas illæ : «Ne forte non sufficiat nobis et vobis [1] : » non de oleo et igne disserit hoc loco Scriptura, sed de virginitate atque humanitate : ac virginitatem quidem ignis loco habet, elee- mosynam autem olei loco, significatque virginitatem hu- manitate multum indigere, neque licere absque illa salvari. Quinam autem illi sunt, qui oleum istud vendunt? quinam alii, nisi pauperes? non enim accipiunt potius quam dant. Ne utique censeas eleemosynam impensam esse, sed pro- ventum; neque sumptum, sed negotiationem : majora quippe recipis, quam des : das panem, et recipis vitam æternam; das vestem, et immortalitatis recipis indumen- tum; das tecti communionem, et recipis regnum cœlorum; præbes quæ pereunt, et quæ perpetuo permanent ac- cipis. At enim quo pacto possum eleemosynam impertiri, cum pauper sim? dicet aliquis. Maxime vero, cum pauper es, tum potes eleemosynam impertiri : nam ille quidem, qui dives est, pecuniarum copia temulentus, gravissima febri correptus, insaturabili amore ductus, fortunas augere vult : pauper autem ab hoc morbo liber, et ægritudinis expers facilius ex bonis suis largietur : non enim pro sub- stantiæ mensura, sed pro animi consiliique mensura, solet eleemosynæ modus præscribi : quandoquidem et illa vidua tum duos obolos misit [2], et illos, qui opibus circumfluebant, superavit, et altera vidua cum farinæ pugillum, et olei paululum haberet, animam illam ad cœlum pertingentem hospitio excepit, et neutri istarum, egestas impedimento

[1] Matth. xxv, 8, 9. — [2] Marc. xii, 42.

fuit. Noli utique superfluas et inutiles excusationes afferre : non enim collationis abundantiam, sed divitias voluntatis requirit ; non ex eorum mensura quæ dantur, sed ex eorum proposito qui largiuntur, eleemosyna solet exhiberi. Pauper es, et omnium mortalium pauperrimus, at illa vidua non egentior : quæ divites longo intervallo superavit; sed ipsa tibi necessaria desunt alimenta? At Sidonia muliere pauperior non es, quæ cum ad ipsum famis fundum devenisset, cum deinceps mortem expectaret, eamque turba circumsisteret filiorum, ne sic quidem facultatibus suis pepercit, sed per summam illam egestatem immensas divitias comparavit, et manum suam aream, hydriam vero torcular reddidit, atque ut ex paucis multa scaturirent, effecit. Sed ad propositum redeamus, ne continuas digressiones interseramus. Cum itaque venturus sponsus esset, sic inter se virgines colloquebantur : at illæ ad vendentes eas mittebant, sed jam tempus non erat amplius oleum emendi : recte quidem ; nam qui vendunt in præsenti vita sunt tantum; post discessum autem ex illa, cum dimissum theatrum fuerit, non licet amplius medicamentum actis rebus reperire, neque veniam atque excusationem, sed supplicio affici deinceps necesse est, quod et tunc temporis accidit. Post quam enim sponsus advenit, hæ quidem ingressæ sunt, quæ lampades accensas habebant ; at illæ cum tardius, quam ut ingredi possent, advenissent, thalami fores pulsarunt, et terribilem illam vocem audierunt, « Discedite, nescio vos. » Vides illum rursus cum honore afficere, tum pœnam inferre ; cum coronare, tum punire ; cum admittere, tum ablegare, atque utriusque partis judicii compotem esse? Hoc et in vinea, hoc et in quinque ac duobus talentis, et uno cerni potest : nam illos quidem excepit, et ad majora introduxit, hunc autem vinctum projici in exteriores tenebras imperavit.

III. Sed quis eorum rudius est sermo, vel potius qui multam dementiam refert? Habet ille quidem cum puniendi, tum coronandi potestatem, cum afficiendi supplicio, tum præmia conferendi, sed supremam sedis prærogativam, inquit, et altissimum honorem hunc dare suum non esse dixit. Itaque si nihil ejus calculo subtractum esse cognoveris, num ab hac importuna contentione desistes? Audi ergo rursus eum dicentem : « Pater non judicat » quemquam, sed omne judicium dedit Filio [1]. » Si ergo judicium habet omne, nihil ejus calculo sententiæque subtractum est : nam qui judicium habet omne, potestatem habet omnes cum puniendi, tum coronandi. Illud autem, « Dedit, » hoc loco ne hominum more accipias, charissime : neque enim non habenti dedit, nec imperfectum genuit, neque posterius illi adnatum est : sed illud, « Dedit, » hoc sibi vult, talem illum genuit, perfectum, absolutum : verum hac usus est dictione, ne duos genitos arbitreris Deos, sed ut radicem et fructum noveris, non ut hoc illi posterius adnatum esse arbitreris. Nam et interrogatus alibi, « Ergo » rex es tu [2] ? » non se regnum accepisse dixit, non sibi regnum posterius esse dixit attributum, sed, « Ego in hoc na- » tus sum [3]. » Si Rex absolutus est natus, omnino et judicem ac disceptatorem illum esse liquet : regis enim est maxime judicare ac disceptare ; honores deferre, et supplicio afficere. Aliunde quoque poterit istud intelligi, supernos etiam honores tribuere in ipsius potestate situm esse. Cum enim cunctorum hominum optimum in medium produxerimus, et hunc ab eo fuisse coronatum ostenderimus, quis excusationi vestræ deinceps locus relinquetur? Quis igitur est ille tandem omnium hominum optimus? Quis nempe alius, nisi opifex ille tabernaculorum, doctor orbis terrarum, qui mare tanquam alatus percurrit, vas electionis, Christi nup-

[1] Joan. v, 22. — [2] Matth. xxvii, 11. — [3] Ibid.

tiarum auspex, Ecclesiæ fundator, sapiens architectus, præco, cursor, athleta, miles, palæstræ magister, qui ubique terrarum monumenta suæ virtutis reliquit, qui tertium in cœlum ante resurrectionem raptus est, qui in paradisum sublatus, qui mysteriorum ineffabilium particeps a Deo factus, qui talia audivit et locutus est, quæ naturæ loqui non licet humanæ, qui gratiam copiosiorem obtinuit, et majorem laborem exhibuit? Plus autem quam omnes se laborasse ipsum dicentem audi : « Abundantius illis om-» nibus laboravi [1] : » quod si abundantius, quam omnes, labores sustinuit, abundantius etiam coronabitur. « Unus-» quisque enim propriam mercedem accipiet secundum » proprium laborem [2]. » Si ergo majorem quam Apostoli coronam accipit, nemo porro potuit Apostolos æquare, quibus hic tamen major fuit : haud dubium quin supremum illum honorem et sedis prærogativam sit consecuturus : quis illum igitur coronabit? Ipsum dicentem audi : « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem » servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam » reddet mihi Dominus in illa die justus Judex [3]. Pater non » judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio [4]. » Neque vero tantum inde constat istud, sed etiam ex iis, quæ sequuntur : « Non solum autem mihi : sed et omnibus, » qui dilexerint apparitionem ejus [5]. » Cujusnam porro hæc apparitio sit, audi eum qui narrat : « Apparuit gratia Dei » salutaris omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes » impietatem, et sæcularia desideria, sobrie et juste, et pie » vivamus in hoc sæculo : expectantes beatam spem et ap-» paritionem gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu » Christi [6]. »

IV. Sed hic quidem pugna, qua cum hæreticis congressi

[1] 1 Cor. xv, 10. — [2] Id. iii, 8. — [3] 2 Tim. iv, 7, 8. — [4] Joan. v, 22. — [5] 2 Tim. iv, 8. — [6] Tit. ii, 11-13.

sumus, finem habet, jamque tropæum ereximus, et victoriam retulimus, cum ex iis omnibus, quæ commemorata sunt, in ejus esse potestate situm docuerimus, cum honoribus cumulare, tum pœna mulctare, utpote qui et omne judicium habeat, et omnium optimum coronet, ac victorem pronuntiet, et in illis parabolis utrumque præstiterit : sed jam deinceps oportet, ut dubitationem ex animis fratrum eximamus, et quam ob causam ita dixerit, doceamus : « Non est meum hoc dare : » multos enim ex eorum occasione, quæ dicta sunt, quæstionem movere arbitror : ut igitur et quæstionem solvamus, et perturbationem animi sedemus, attendite, quæso, animum, et mentem vestram præparate : major quippe jam mihi labor incumbit : non enim æqualis est facilitatis pugnare et docere : hostem vulnerare et domesticum corrigere ; sed plus in hoc mihi studii conferendum est : ut neque membrum claudicans negligam, neque perturbatum quemquam prætermittam. Dico enim, sed ne percellant vos quæ dicuntur, neque turbemini; non enim tantum Filii non esse contendo, sed neque Patris, et hoc magna tubaque clariori voce proclamo, neque ipsius esse dare, neque adeo Patris ipsius. Si enim ipsius esset, et Patris esset : si Patris esset, et ipsius esset : propterea non dixit illis simpliciter : « Non est meum » dare ; » quid igitur? « Non est meum dare, sed quibus pa» ratum est ; » significat neque ipsius esse, neque Patris, sed aliorum quorumdam. Quid ergo sibi vult dictum illud? Sic enim arbitror vobis auctam esse perturbationem, ac majorem dubitationem exortam, et anxios vos esse : verumtamen nolite timere ; non enim desistam, donec solutionem adjunxero : sinite tantum ut paulo altius initium orationis arcessam, quod aliter fieri nequeat, ut dilucide menti vestræ omnia commendentur. Quid ergo sibi vult, quod est dictum? cum se reciperet Jerosolymam Jesus,

accessit cum filiis mater filiorum Zebedæi, Jacobi et Joannis, sic eum alloquens : « Dic ut sedeant hi duo filii mei » unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram tuam [1] : » alter autem Evangelista filios hæc a Christo petiisse dixit : sed non est tamen discrepantia : neque enim sunt hæc minuta percurrenda : verum cum matrem præmisisset, post quam illa dixit, et portam aperuit, ipsi quoque preces admoverunt, nescientes quid dicerent, sed dicentes tamen. Nam licet Apostoli essent, imperfectiores tamen adhuc erant, tanquam pulli errantes in nido, cum nondum illis pennæ succreverint. Atque hoc maxime vobis esse notum oportet, ante passionem in multa illos ignorantia esse versatos ; quapropter et increpans eos dicebat : « Adhuc et vos » sine intellectu estis [2] ? Nondum cognoscitis, nec intelli» gitis, quia non de panibus dixi vobis : Cavete a fermento » Pharisæorum [3] ? » et rursus, « Multa habeo vobis dicere, » sed non potestis portare modo [4]. » Neque vero sublimiora tantum ignorabant, sed illis etiam sæpenumero, quæ audierant, præ metu ac timiditate excidebant, quod illis exprobrans aiebat : « Nemo ex vobis interrogat me : Quo vadis? » Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor » vestrum [5] : » et rursus, « Ille vobis suggeret omnia, et do» cebit vos [6] : » de Paracleto verba faciens : cæterum non dixisset : « Suggeret, » nisi multa illis, quæ dicta fuerant, excidissent. Hæc autem a me non temere commemorata sunt, sed quoniam Petrus modo quidem videtur perfectam quamdam confessionem proferre, modo autem omnium oblitus. Nam qui dixerat : « Tu es Christus Filius Dei » vivi [7], » ac propterea beatus prædicatus fuerat, ejusmodi paulo post peccatum admisit, ut Satanas fuerit appellatus. Sic enim ait : « Vade post me, Satana ; scandalum es mihi :

[1] Marc. x, 35. — [2] Matth. xv, 16. — [3] Id. xvi, 11. — [4] Joan. xvi, 12. — [5] Ibid. 5, 6. — [6] Id. xiv, 26. — [7] Matth. xvi, 16.

»quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea quæ homi»num [1]. » Quid imperfectius eo fieri possit, qui non sapiat, quæ sunt ejus, sed quæ sunt hominum? Post quam enim illi de cruce deque resurrectione verba fecerat, cum eorum, quæ dicta fuerant, profunditatem ignoraret, neque jam arcana dogmata futuramque mundi salutem posset comprehendere, separatim assumens eum dixit : « Propitius tibi »esto, Domine, non erit tibi hoc [2]. » Vides ut illi nihil de resurrectione certo scirent? et hoc ipsum indicans Evangelista dicebat : « Nondum enim sciebant, quia oporteret »eum a mortuis resurgere [3]. » Quod si ista nesciebant, multo magis alia ignorabant, cujusmodi est de cœlesti regno, de primitiis nostris, ac de ascensione in cœlum, humique repentes adhuc nondum in altum poterant evolare. Cum igitur hac essent opinione imbuti, et expectarent, ut illi confestim regnum Jerosolymis obveniret : nihil enim amplius quam illud noverant, quod nimirum et alius Evangelista significat, dicens illos existimasse jam regnum ejus adventare, quod unum aliquod ex humanis regnis suspicarentur, et arbitrarentur ad illud ineundum non ad crucem et mortem illum pergere : nam licet millies audivissent, certo id scire non poterant.

V. Quoniam igitur nondum quidem evidentem et exactam dogmatum cognitionem adepti erant, sed ad sensibile regnum pergere censebant, et Jerosolymis regnaturum, assumentes eum in via, opportunum se nactos tempus existimantes, hanc petitionem instituunt : nam cum se ipsos a cœtu Discipulorum sequestrassent, perinde quasi ad ipsorum arbitrium redactæ res essent, prærogativam sedis postulant, et primas partes inter alios sibi deferri : quippe qui arbitrarentur jam res finem accepisse, totum negotium confici, tempusque coronarum ac præmiorum advenisse :

[1] Matth. XVI, 23. — [2] Ibid. 22. — [3] Joan. XX, 9.

quod ipsum extremæ fuit inscitiæ. Atque ut hæc non sola conjectura verborumque probabilitate niti noveritis, ipsius Jesu, cui perspecta sunt arcana quæque, rem sermone atque auctoritate confirmabo. Post quam enim ista postularunt, audi quid illis respondeat : « Nescitis quid petatis. » Quid hac probatione clarius? Vides illos minime novisse quod petebant, cum de coronis ac præmiis apud illum verba facerent necdum certaminibus inchoatis? Duo sunt igitur quæ innuit, hoc dicens : « Nescitis quid petatis, » unum quod de regno loquantur, de quo sermonem Christus non instituerat : non enim de hoc terreno ac sensibili annuntiatum erat : alterum, quod dum sedis prærogativam, et cœlestes jam quærunt honores, cæterisque videri clariores et illustriores contendunt, ne suo quidem tempore, sed admodum intempestive ista quærant. Tempus enim illud non coronarum aut præmiorum, sed certaminum, luctarum, laborum, sudorum, stadiorum fuit, atque præliorum. Hoc igitur sibi vult illud quod ait : « Nescitis quid petatis, » dum de his apud me verba facitis, cum necdum labores exantlaveritis, necdum ad inenda certamina vos exueritis : cum incorrectus adhuc maneat orbis terrarum, cum impietas dominetur, et pereant omnes mortales. Nondum e carceribus exiliistis, nondum ad inenda luctamina vos exuistis, « Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus » sum, et baptismo, quo ego baptizor, baptizari [1]? Calicem hoc loco et baptismum crucem suam et mortem appellans; calicem quidem, quoniam cum voluptate illum ebibit; baptismum autem, quia per illam orbem terrarum expurgabat : nec ideirco tantum, sed et propter resurrectionis facilitatem. Ut enim qui baptizatur aqua, multa cum facilitate ascendit, ab aquarum natura nihil impeditus : sic et ille cum in mortem descendisset, multa cum facilitate

[1] Matth. xx, 22.

ascendit, propterea baptismum illam appellat. Quod autem dicit et hujuscemodi. « Potestis occidi, et mortem oppetere? » horum enim nunc tempus est, funerum, periculorum, laborum. Verum illi, « Possumus [1], » inquiunt, cum nec intelligant quid dicatur, sed adducti spe impetrandi postulata, promittant. Ait illis, « Calicem quidem meum » bibetis, et baptismo, quo ego baptizor baptizabimini, » mortem sic appellans : nam et Jacobo gladio caput abscissum est, et multoties mortuus est Joannes. « Sedere autem » ad dexteram meam, et ad sinistram meam, non est meum » dare, sed quibus paratum est [2]. » Quod autem dicit, est ejusmodi. « Vos quidem moriemini, occidemini, et honorem martyrii obtinebitis : verumtamen ut omnium primi sitis, non est meum dare, sed eorum, qui dicertant, accipere, ob majus studium, ob majorem animi alacritatem. » Ut autem quod dico manifestius evadat, ponamus aliquem esse agonothetam; deinde matrem, cui athletæ duo sint filii, ad agonothetam accedere cum filiis suis ac dicere : « Dic ut hi duo filii mei coronam accipiant : » quid igitur ille respondebit? Hoc ipsum nimirum : « Non est meum dare, agonotheta sum, qui non ad gratiam, aut supplicantium precibus, et prensatione adductus, sed operum exitu præmia distribuo : id enim maxime est agonothetæ, ut non temere, aut quoquo modo præmia largiatur, sed honorem fortitudini deferat : id nimirum et Christus facit. Non ut auferret quæ sunt substantiæ, ita locutus est, sed ut hoc indicaret, non ipsius esse solius dare, sed eorum, qui decertant, accipere. Nam si solius esset ipsius, omnes homines salvi fierent, et ad agnitionem veritatis venirent : si solius esset ipsius, differentes honores non essent : omnes enim ipse condidit, et æqualiter est illi cura de omnibus. Porro differentes esse honores ex Paulo id expo-

[1] Matth. xx, 22, — [2] Ibid. 23.

nente cognosces, dum ait : « Alia claritas solis, et alia cla» ritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella » differt claritate [1]. » Et rursus, « Si quis superædificat » supra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pre» tiosos [2]. » Ut enim virtutis varietatem indicaret Paulus, sic orationem accommodavit : et hæc dicebat, simul innuens non posse nos dormiendo vel stertendo in regnum cœlorum introire, sed per multas tribulationes accipienda esse illa præmia. Nam quia propterea quod plurimum amicitia et gratia apud ipsum valebant, censebant fore ut ipsos etiam honore cæteris anteferret, ne si hæc illis suspicio insedisset, negligentiores evaderent, ut ab hac eos opinione abduceret, dixit : « Non est meum dare, » sed vestrum, si velitis, accipere : ut majorem animi alacritatem exhibeatis, ut majorem laborem, ut studium majus : operibus enim coronas propono, et laboribus honores, et præmia sudori : hæc apud me commendatio valet maxime, quæ ab operum exhibitione promanat.

VI. Vides me non frustra dixisse nec ipsius esse, nec Patris, sed eorum, qui decertant, labores exantlant, et molestiis conflictantur? Propterea nimirum et Jerusalem dicebat : « Quoties volui congregare filios vestros quemad» modum gallina pullos suos, et noluistis? Ecce relinquetur » domus vestra deserta [3]. » Vides fieri non posse, ut ex illis qui otiosi sunt, ac desides, et supini jacent, ullus aliquando salvus fiat? Ex hoc et aliud quidpiam arcanum discimus, non satis esse martyrium ad supremum honorem et altissimæ sedis conciliandam prærogativam. Ecce namque prædixit istis fore quidem, ut martyrium paterentur, nec idcirco tamen omnino primos honores consequerentur : quippe cum essent nonnulli, qui majora pos-

[1] 1 Cor. xv, 41. — [2] Id. III, 12. — [3] Matth. XXIII, 37, 38, et Luc. XIII, 34, 35.

sent a se patrata ostendere : id quod indicans dicebat : « Calicem quidem meum bibetis, et baptismo, quo ego »baptizor, baptizabimini : sedere autem ad dexteram, et »ad sinistram, non est meum dare. »Non quod sedeat, sed hoc idem valet, quod majorem consequi honorem, primas partes obtinere, superiorem omnibus fieri : dixit igitur sedere ad dexteram et ad sinistram, ut eorum opinioni se accommodaret : illi enim primas partes appetebant, et ut cæteris omnibus majores apparerent. Hoc igitur ipsum inquit, ut vos cæteris majores appareatis, omnibusque sublimiores, hac una re non potestis acquirere : nam mortem quidem oppetetis, ut autem supremum honorem obtineatis, non est meum concedere, sed quibus paratum est. Et quibusnam, quæso, paratum est? videamus, quinam illi sint beati ac ter beati, quique splendidas illas coronas consequantur. Quinam igitur illi sunt, et quas ob res gestas adeo splendide coronantur? Audi quid dicat; post quam enim decem indignati sunt de duobus, quod scilicet eum a cœtu se disjunxissent, de transferendo in se supremo honore deliberarent, vide quomodo et illorum passionem corrigat, et istorum : vocatis enim illis ad se sic ait : « Prin»cipes gentium dominantur eorum, et qui magni sunt, »potestatem exercent in eos, apud vos autem non ita erit : »sed quicumque voluerit inter vos primus esse, fiat omnium »ultimus [1]. »Perspicis hoc illos voluisse, ut primi, majores et superiores evaderent, atque, ut ita dicam, ipsorum principes? Propterea nempe adversus hoc insistens et eorum arcana in medium proferens dixit : « Qui voluerit inter vos »primus esse, sit omnium minister. »Si primum concessum appetitis, inquit, et summum honorem, ultimum persequimini locum, et ut omnium sitis vilissimi, omnium humillimi, omnium minimi, vosque omnium postremos collo-

[1] Matth. xx, 25-27.

cetis : hæc enim virtus honorem illum largitur, neque longe abest exemplum, quod et multum excedit. « Non » enim venit Filius hominis, ut ministraretur ei, sed ut mi» nistraret, et daret animam suam, redemptionem pro » multis [1]. » Ut intelligatis istud esse quod claros reddit et illustres, videte, inquit, quomodo res mihi successerint, qui neque honore, neque gloria indigeo : nihilominus tamen hac ratione bona innumera sunt a me perfecta. Antequam enim carnem assumpsisset ille, ac se ipsum abjecisset, perierant omnia, et de omnibus actum erat : post quam autem se ipsum dejecit, omnes in altum evexit, maledictum delevit, mortem extinxit, paradisum aperuit, peccatum mortuum reddidit, cœlorum fornices reseravit, primitias nostras in cœlum sustulit, orbem terrarum pietate complevit, errorem abegit, veritatem reduxit, primitias nostras regium in thronum subvexit, innumera bona præstitit : quæ neque ego, neque mortales omnes possent oratione complecti. Ac prius quidem quam se humiliasset, Angeli tantum ipsum noverant : post quam autem se ipsum humiliavit, omnis eum natura agnovit humana. Vides quo pacto, quod se humiliaverit, nihilo minor sit redditus, sed innumera inde lucra, innumera recte facta promanarint, ejusque gloria clarius idcirco eluxerit. Quod si in Deo, qui bonis omnibus affluit, nec ulla re indiget, quod se ipsum humiliaverit, tantum id boni peperit, pluresque famulos illi conciliavit, ac regnum dilatavit, quid tu vereris, ne cum te humiliaveris, minor fias? tum sublimior eris, tum magnus, tum clarus, tum illustris, cum te ipsum floccifeceris, cum primas partes non appetiveris, sed inferiores ferre et occidi, et in periculis versari, contentus fueris, cum ministerium plerisque, obsequium, et curam studueris exhibere, atque hujus rei causa quidvis agere pratique paratus

[1] Matth. xx, 23.

fueris. His igitur consideratis, dilectissimi, humilitatem summo studio sectemur, et cum affecti contumelia fuerimus, cum despecti, cum extrema cuncta perpessi, cum neglecti, ac ludibrio habiti, cum voluptate perferamus : nihil enim sic in altum tollere, gloriam et honorem conciliare, atque efficere ut magnus videare, consuevit, ut virtus humilitatis. Cujus nobis eximium specimen exhibentibus promissa consequi bona contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo gloria, honor, et adoratio Patri, et Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA I.

In proditionem Judæ, et in Pascha, inque traditionem mysteriorum, ac quod non oporteat injuriarum meminisse, habita in sancta et magna feria quinta.

I. Paucis hodie cum vestra charitate tractare necessarium est, et ideo paucis, non quod dictorum copia gravemini ; nullam enim aliam civitatem reperire est audiendorum spiritualium sermonum adeo studiosam. Non propterea igitur pauca dicimus, quod vobis multitudine sermonum fastidium pariamus, sed quia alia intervenit hodie brevitatis causa. Etenim multos video fideles ad horrendorum mysteriorum communionem festinantes. Ut igitur neque illa mensa excidant, neque hac prorsus frustrentur, necesse est moderatum cibum apponere, ut utrinque vobis lucrum accedat, et hoc ceu doctrinæ viatico muniti, sic cum timore, tremore, debitaque reverentia ad tremendam hor-

rendamque communionem accedatis. Hodie, dilecti, Dominus noster Jesus Christus traditus est : hujus namque diei vespera Judæi, illo comprehenso, abierunt. Verum ne contristeris audiens Christum proditum esse : imo potius contristare, et acerbe luge, non proditum, sed proditorem Judam. Etenim qui proditus est, mundum salvum fecit, proditor vero animam suam perdidit : qui proditus est, ad dexteram Patris sedet in cœlis, proditor in inferno nunc est, inevitabile ferens supplicium. Hujus causa luge et ingemisce, hujus causa lacrymare, ejus quippe causa flevit Christus. Nam « Cum vidisset eum, inquit, turbatus est, » et dixit : Unus ex vobis tradet me [1]. » O quanta misericordia Domini ! proditus proditorem luget. « Cum vidisset eum, » ait, turbatus est, et dixit : Unus ex vobis tradet me. » Quare mœstus fuit? simul ut amorem ostenderet suum, et nos doceret non eum, qui mala patiatur, sed eum, qui male agat, semper lugendum esse. Hoc enim illo pejus est; imo potius id non malum est male pati, sed male agere id prorsus malum. Etenim male pati, id regnum cœlorum conciliat ; male autem agere, gehennæ nobis et supplicii causa est. Nam « Beati, inquit, qui persecutionem pa- » tiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum » cœlorum [2]. » Vides-ne malorum perpessionem, in mercedem ac præmium, consequi regnum cœlorum ? audi quomodo malum perpetrare pœnam et supplicium afferat. Cum enim dixisset Paulus de Judæis : « Dominum occide- » runt, Prophetas persecuti sunt, » intulit : « Quorum finis » erit secundum opera eorum [3]. » Vides-ne quomodo ii, qui persecutionem patiuntur, regnum accipiant ; ii vero, qui persequuntur, iram sibi parent ? Hæc porro non temere nunc a me dicta sunt, sed ut non contra inimicos irascamur, sed miseremur illos, ac lugeamus cum iisque doleamus.

[1] Joan. XIII, 21. — [2] Matth. V, 10. — [3] 1 Thess. II, 15.

Illi enim sunt, qui male patiuntur, nempe qui nobis sunt inimici. Si sic animam nostram temperemus, etiam pro ipsis orare poterimus. Ideo enim quartam jam insumo diem cohortando vos ut pro inimicis oretis, quo firmior sit doctrina, frequentia admonitionis radicata : ideo frequenter sermonibus insto, ut iræ tumorem evacuem et ardorem compescam, ut qui oratum venit ira vacuus sit. Nam Christus non inimicorum tantum gratia hæc cohortatus est, sed etiam nostri causa, qui peccata illis dimittimus : majora enim accipis, quam das, cum iram remittis inimico. Et quomodo majora accipio, inquies ? Si inimico peccata remiseris, remittuntur tibi delicta contra Dominum admissa. Hæc insanabilia sunt ac veniam non merentur, illa autem veniam et solatium reperiunt. Audi Heli dicentem filiis suis : « Si peccans peccaverit homo in hominem, pro illo ora» bunt : si vero in Deum peccaverit, quis orabit pro eo [1] ? » Ita ut vulnus illud ne oratione quidem facile solvatur : oratione quidem non solvitur, sed remissione peccatorum proximi solvitur. Quamobrem illa in Dominum peccata decem millia talenta vocavit Christus; hæc vero centum denarios. Dimitte ergo centum denarios, ut decem millia talenta remittantur tibi.

II. Sed de oratione quidem pro inimicis satis locuti sumus : jam, si placet, ad proditionem redeamus, et videamus quomodo Dominus noster proditus sit. « Tunc abiit » unus de duodecim, Judas Iscariotes dictus, ad principes » sacerdotum, et dixit : Quid vultis mihi dare, et ego vobis » tradam eum [2] ? » Et videtur quidem id quod dictum est clarum esse, nihilque amplius subindicare : sed si quis accurate singula, quæ dicta sunt, examinet, magnam præbent contemplandi materiam, multamque sensuum profunditatem. Primo tempus considerandum est. Non enim sim-

[1] 1 Reg. II, 25. — [2] Matth. XXVI, 14.

pliciter illud indicat Evangelista, neque enim dixit solum : « Abiit; » sed adjecit, « Tunc abiit. Tunc, » dic mihi quandonam? et quanam de causa tempus indicet? Quid me docere vult? Non enim temere dictum est illud, « Tunc ; » siquidem cum Spiritu motus loquerctur, nec temere nec frustra loquebatur. Quid igitur est illud « Tunc? » Ante illud tempus, ante illam horam accessit meretrix alabastrum unguenti habens, et effudit oleum illud super caput Domini. Magnam curam ostendit, grandem fidem, multam obedientiam ac pietatem. Priorem vitam mutavit, facta est melior et temperantior. Et quando meretrix resipuit, quando sibi Dominum attraxit, tunc discipulus magistrum prodidit. Ideo dixit, « Tunc, » ne magistrum infirmitatis accusares, ubi videres eum a discipulo prodi. Tanta enim vis erat magistri, ut etiam meretrices ad obsequendum sibi pertraheret. Quid igitur, inquies, qui meretrices potuit, Discipulum pertrahere non potuit? Poterat quidem Discipulum pertrahere, sed noluit illum necessitate bonum facere, neque vi ad se pertrahere. « Tunc abiens : » etiam illud, « Abiens, » aliquam habet contemplandi materiam : non enim accitus a principibus sacerdotum, non necessitate inductus, non coactus; sed a se ipso et sua sponte dolum peperit, et hanc extulit sententiam, nemine alio sibi nequitiæ hujus auctore. « Tunc abiens unus de duodecim. » Quid est, « Unus de duodecim? » Hoc illi magno crimini vertitur, quod dicatur, « Unus de duodecim. » Etenim erant et alii Jesu Discipuli numero septuaginta. Sed illi secundas habebant, illi non tanto fruebantur honore, nec tanta erant prædili fiducia, non tantorum erant participes arcanorum, quantorum duodecim illi. Hi maxime probati erant, hic erat regius chorus : hic cuneus magistro hærens : ab hoc resiliit Judas. Ut igitur discas non Discipulum simpliciter ipsum prodidisse, sed unum ex probatissimo ordine, ideo

dicit : « Unus de duodecim , » neque erubescit is, qui hæc scripsit Matthæus. Quare non erubescit ? Ut discas eos semper cum veritate cuncta dicere, nec vel ea celare, quæ sibi probrosa videntur. Hæc quippe ipsa, quæ videntur probrosa , Domini benignitatem ostendunt; quod proditorem, latronem, furem tantis dignatus sit bonis, et usque ad extremam horam ipsum tulerit. Etenim admonebat, hortabatur, omnemque curam gerebat illius. Quod si ille non animum adhibuit, non in causa erat Dominus. Testis est ipsa meretrix : illa namque cum sibi attenderet, salutem nacta est. Ne itaque desperes, illam contuens meretricem; neque confidas tibi, ad Judam respiciens. Utrumque enim perniciosum est et confidere et desperare. Confidentia enim stantem prosternit; desperatio lapsum resurgere non sinit. Ideo Paulus his verbis hortabatur : « Qui » videtur stare, videat ne cadat [1]. » Habes amborum exempla, quomodo Discipulus, cum stare videretur, ceciderit, et quomodo meretrix jacens surrexerit. Ad lapsum pronus est animus noster, volubilis voluntas : quamobrem opus est ut nos undique muniamus sepiamusque. « Tunc abiens » unus de duodecim, Judas Iscariotes. » Vides-ne a quali choro exciderit ? Vides-ne quam doctrinam despexerit ! Vides-ne quantum malum sit segnities et negligentia ? « Judas qui di- » cebatur Iscariotes. » Cur mihi patriam ejus memoras ? Utinam ne ipsum quidem nossem. « Judas qui dicebatur Isca- » riotes. Cur ejus civitatem nominas ? Alius erat Judas discipulus, cognomento Zelotes : ne igitur ex eodem nomine error nasceretur, hunc distinxit ab illo : et illum quidem a virtute nominavit, « Judas Zelotes ; » hunc autem a nequitia non nominavit ; neque enim dixit : « Judas proditor » : atqui par erat ut illum a virtute nominavit, hunc etiam a nequitia appellare ac dicere : « Judas proditor. » Verum ut te doce-

[1] 1 Cor. x, 12.

ret linguam accusatione puram servare, vel ipsi proditori parcit. « Abiens enim, inquit, Judas Iscariotes ad princi-» pes sacerdotum, ait illis : Quid vultis mihi dare, et ego » vobis tradam eum? » O execrandam vocem! quomodo ex ore exiliit? quomodo linguam movit? quomodo totum corpus non obtorpuit? Quomodo mens non excessit?

III. « Quid vultis mihi dare, et ego vobis tradam eum? » Hæccine te docuit Christus, dic mihi? Nonne ideo dicebat : « Nolite possidere aurum, neque argentum, neque æs in » zonis vestris [1], » ut avaritiam illam jam olim in te compri-meret? Nonne hæc assidue hortabatur, ac præterea dice-bat : « Si quis te percusserit in dexteram maxillam, verte » illi et aliam [2]? Quid vultis mihi dare, et ego vobis tradam » eum? » O stultitiam! Pro qua re, quæso, quam vel par-vam vel magnam accusationem proferre valens, magistrum prodis? An quia potestatem tibi dedit adversus dæmonas? An quia morbos curare fecit, vel lepram mundare? An quia mortuos suscitare? an quod contra mortis tyrannidem te constituit? Hanccine mercedem pro tot beneficiis rependis? « Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam [3]? O stultitiam! imo potius, o avaritiam! nam hæc tot mala pe-perit. Hujus ille concupiscentia magistrum prodidit. Talis quippe est illa mala radix, quas invadit animas plus quam dæmon, in furorem vertit, omnium ignorantiam parit et sui, et proximi, et naturalium legum, ab ipsa mente exce-dere facit, et furiosos efficit. Vide quanta ex Judæ animo ejecerit, conversationem, consuetudinem, mensæ societa-tem, miracula, doctrinam, cohortationem, admonitionem. In horum omnium oblivionem tunc conjecit eum avaritia. Ideo Paulus jure dicebat : « Radix omnium malorum est » avaritia [4]. Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? »

[1] Matth. x, 9. — [2] Id. v, 39. — [3] Id. xxvi, 15. — [4] 1 Tim. vi, 10.

Magna dicti stultitia. Tradis-ne, quæso, eum, qui omnia continet, dæmonibus imperat, mari præcipit, universæ naturæ Dominum? Ut igitur ejus arrogantiam comprimeret, et ostenderet se, si noluisset, nunquam traditum iri, audi quid faciat : eodem proditionis tempore, cum ipsum invaderent cum fustibus, lampadibus et lumine, dicit illis : « Quem quæritis [1] ? » et ignorabant quem capere deberent. Tantum aberat, ut eum Judas tradere posset, ut neque præsentem cerneret eum, quem traditurus erat, licet cum lampadibus et lumine tanto : hoc subindicans Evangelista dicit : « Lampades habebant et lumen, et non videbant eum. » Quotidie Christus eum commonefaciebat tum operibus, tum verbis ostendens, quod eum non latere posset proditurus : neque palam eum præsentibus omnibus arguebat, ne sic impudentiorem redderet, neque tacebat etiam, ne si latere se putasset, sine metu ad proditionem veniret : sed frequenter dicebat : « Unus vestrum tradet me, » neque tamen eum palam declarabat. Multos de gehenna sermones instituebat, multos de regno : suamque in hac utraque re potentiam exhibebat; sive in puniendo peccatores, sive in honorando justos. Verum hæc omnia ille despexit, Deus autem vi eum non attraxit. Quia enim et malorum, et bonorum operum electionis nos dominos fecit, nos libere bonos vult esse. Ideo si noluerimus, non cogit, neque necessitatem infert. Nam coactum esse bonum, id non est esse bonum. Quoniam igitur et ille arbitrii sui dominus erat, et in ejus potestate erat non obsequi, et ad avaritiam non declinare, ideo mente excæcatus est, et salutem suam prodidit, et ait : « Quid vultis mihi » dare, et ego vobis eum tradam? » Mentis igitur ejus cæcitatem et insaniam arguens Evangelista, ait tempore invasionis Judam prope eos stetisse, illum scilicet qui dixe-

[1] Joan. xviii, 4.

rat : « Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? » Neque hinc solum potestas Christi conspicitur, sed etiam quod, ipso vocem emittente, recesserint illi et ceciderint in terram. Quia vero neque sic ab impudentia destiterunt, demum se ipsum tradidit; ac si dixisset : « Quod meum erat totum feci, potentiam declaravi meam, ostendi vos ea aggredi, quæ fieri nequeant. Volebam nequitiam vestram comprimere : quando autem vos noluistis, sed in insania perseveratis, me ipsum utique trado. « Hæc porro dixi, ne quidam Christum accusarent, ac dicerent : « Cur Judam non mutavit? cur eum temperantem moderatumque non fecit? » Quomodo eum moderatum efficere par erat? necessitate-ne an arbitrio? Si quidem necessitate, neque sic melior futurus erat : nullus enim necessitate melior efficiatur; si arbitrio et electione, omnia quæcumque arbitrium et electionem corrigere poterant intulit. Si autem ille remedium accipere noluit, non fuit medici culpa, sed ejus qui medelam repulit. Vide igitur quanta fecerit, ut eum ad meliorem frugem et salutem reduceret : omnem eum philosophiam docuit operibus ipsis, atque verbis, dæmonibus superiorem fecit, facultatem dedit ut multa miracula ederet, gehennæ comminatione terruit, regni promissione cohortatus est, arcana ejus consilia assidue arguit, nec arguendo publica fecit, pedes ejus ut et aliorum abluit, mensæ et ciborum participem fecit : nihil aut parvum, aut magnum retro reliquit : ille vero libens sine emendatione mansit. Et ut discas eum, cum mutari posset, noluisse, sed ex ejus segnitie totum prodiisse; audi. Cum enim prodidisset eum, projecit triginta argenteos, et ait : « Peccavi tradens sanguinem justum [1]. » Quid hoc rei est? Cum miracula patrantem videres, non dicebas : « Pec- » cavi tradens sanguinem justum : » sed, « Quid vultis mihi

[1] Matth. xxvii, 4.

»dare, et ego vobis tradam eum? » Ubi autem malum ulterius processit, et proditio finem sortita est, peccatumque consummatum est, tunc peccatum agnovisti. Quid igitur hinc discimus? nimirum quando in segnitie degimus, nihil nos admonitionem juvare; quando autem studiose agimus, etiam a nobismetipsis nos erigere posse. Quandoquidem et hic cum magister admoneret, non audivit; cum vero nullus moneret, ejus propria conscientia commota est; neminemque doctore sese mutavit, facinus suum damnavit, triginta argenteos projecit. « Quid vultis mihi dare, et ego »vobis tradam eum? Et constituerunt ei, inquit, triginta »argenteos. » Pretium ,numeraverunt sanguinis pretium non habentis. Cur accipis triginta argenteos, o Judas? Gratis venit Christus sanguinem pro mundo effusurus, pro quo tu impudentia pacta et conventiones statuis. Quid impudentius hac pactione?

IV. « Tunc accesserunt Discipuli. » Tunc, quandonam? Cum hæc fierent, cum proditio statueretur, cum seipsum Judas perdidit, « Accesserunt ad eum Discipuli dicentes : »Ubi vis paremus tibi comedere Pascha [1]? » Vidisti Discipulum? Vidisti Discipulos? Ille prodit Dominum, hi de Paschate curant : ille pacta init, hi ad ministerium apparant. Iisdem et hic et illi miraculis claruerant, eadem doctrina instituti, eadem potestate præditi. Undenam mutatio? ex proposito. Hæc omnium ubique causa et bonorum et malorum. « Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? » Hodierna hæc vespera tunc erat : quia igitur Dominus domum non habebat, ideo dicunt illi : « Ubi vis paremus »tibi comedere Pascha? » Non habemus diversorium definitum, non tabernaculum, non domum. Discant illi, qui splendidas construunt domos, latas porticus, longa septa, Christum non habuisse ubi caput suum reclinaret. Quam-

[1] Matth. xxvi, 17.

obrem interrogant illi, « Ubi vis paremus tibi comedere » Pascha ? » Quale Pascha ? non hoc nostrum, sed interim judaïcum. Illud enim Discipuli paraverunt; hoc vero nostrum ipse paravit : neque solum ipse paravit, sed etiam ipse Pascha effectus est. « Ubi vis paremus tibi comedere » Pascha ? » Illud judaïcum Pascha erat, illud in Ægypto initium habuerat. Qua ergo de causa Christus illud comedit ? Quia legalia omnia implevit. Etenim cum baptizabatur dicebat : « Sic enim convenit nobis implere omnem justi» tiam [1]. » Veni hominem redimere ex maledicto legis. Nam « Deus Filium suum misit natum ex muliere, factum sub » lege, ut eos qui sub lege erant redimeret [2], » et legem abrogaret. Ne igitur quis diceret : « Ideo abrogavit, quia implere non poterat, utpote gravem, onerosam ac difficilem ; » post quam ea, quæ ad ipsam spectabant, omnia implevisset, tunc solvit illam. Ideo Pascha fecit, legis enim jussio Pascha erat. Cur lex Pascha comedere jussit ? Ingrati erga beneficum erant Judæi, et statim post accepta beneficia præcepti divini obliviscebantur. Nam cum egressi sunt ex Ægypto, post quam mare viderunt scissum et rursus coalescens, aliaque innumera miracula, dicebant : « Faciamus » nobis deos, qui præcedant nos [3]. » Quid dicis ? Miracula adhuc in manibus sunt, et jam benefici oblitus es ? Quia igitur usque adeo stupidi et ingrati erant, festivitatum argumento Deus donorum commemorationem astrinxit, ideoque Pascha immolare jussit : « Ut si te interrogaverit, » inquit, filius tuus : Quid est hoc Pascha [4] ? » dicas : « Quia agni sanguine januas unxerunt olim majores nostri in Ægypto, ne vastator Angelus veniens videnque insultare auderet, et plagam infligeret. Eratque deinceps festum perpetua salutis commemoratio. Imo vero non id solum

[1] Matth. III, 15. — [2] Galat. IV, 4. — [3] Exod. XXXII, 1. — [4] Id. XII, 27.

lucrabantur, quod eis antiquorum beneficiorum memoriam revocaret, sed et aliud majus, quod futura præfiguraret. Ille quippe agnus figura erat alterius Agni spiritualis, et ovis ovem prænotabat. Atque illud quidem umbra, hoc veritas erat. Cum autem apparuisset Sol justitiæ, umbra cessavit : oriente quippe sole solvitur umbra. Ideo in eadem ipsa mensa utrumque Pascha perficitur, et typi et veritatis. Quemadmodum enim pictores in eadem ipsa tabula, et lineas circumducunt, et umbram depingunt, tuncque colorum veritatem apponunt; sic et Christus fecit : in eadem ipsa mensa typicum Pascha descripsit, et verum addidit. « Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? » Tunc judaïcum erat Pascha : sed veniente sole, lucerna ne luceat : accedente veritate, cesset deinde umbra.

V. Hæc Judæis dico, quia videntur Pascha celebrare, quia impudenti consilio azyma objiciunt illi incircumcisi corde. Quomodo, quæso, Pascha celebras, Judæe? Templum dirutum est, altare sublatum, sancta sanctorum conculcata, omne sacrificii genus solutum est. Cur ergo audes hæc illegitima perpetrare? Babylonem aliquando concessisti, atque illic dicebant, qui te captivum adduxerant : « Cantate nobis de canticis Sion [1] : » et tu renuebas. Hæc porro declarans David dicebat : « Super flumen Baby» lonis, illic sedimus et flevimus. In salicibus in medio ejus » suspendimus organa nostra [2]; » id est, psalterium, citharam, lyram, et cætera. His enim olim utebantur, et his psalmos canebant : hæcque in captivitatem abducti secum tulerant, ut monumentum patriæ consuetudinis haberent, non ut iis uterentur. « Illic enim, ait, interrogaverunt nos, » qui captivos duxerunt nos, verba cantionum [3]. » Et diximus : « Quomodo cantabimus canticum Domini in terra » aliena [4]? » Quid dicis? Canticum Domini non cantas in

[1] Psal. CXXXVI, 3. — [2] Ibid. 1, 2. — [3] Ibid. 3. — [4] Ibid. 4.

terra aliena, et Pascha Domini celebras in terra aliena? Vides-ne ingratum animum? Vides-ne iniquitatem? Cum inimici erant qui cogerent, ne psalmum quidem dicere audebant in terra aliena : nunc autem sua sponte, nemine cogente, nemine vim inferente, bellum inferunt Deo. Vides-ne quam impura sint azyma? quam illegitimum festum? quam vere non sit Pascha judaïcum? Erat olim Pascha judaïcum, sed nunc solutum est, advenitque spirituale Pascha, quod tunc tradidit Christus. Illis enim manducantibus ac bibentibus, inquit, accipiens panem fregit et dixit : « Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in » remissionem peccatorum [1]. » Sciunt ii, qui initiati sunt, illa quæ dicuntur. Et rursus calicem, dicens : « Hic est » sanguis meus, qui pro multis effunditur in remissionem » peccatorum [2]. » Aderat, Judas hæc Christo dicente. Hoc est corpus, quod vendidisti Juda, triginta argenteis, pro quo nuper pacta impudenter inibas cum improbis Pharisæis. O Christi benignitatem! O Judæ dementiam et insaniam! Ille namque vendidit illum triginta denariis : Christus vero postea non recusavit hunc ipsum sanguinem venditum vendenti dare in remissionem peccatorum, si ipse voluisset. Aderat Judas, et sacræ mensæ particeps erat. Sicut enim pedes ejus lavit, ut et aliorum Discipulorum, ita et sacræ mensæ particeps ille fuit, ut nullum excusationis locum haberet, si in nequitia perseveraret. Omnia enim, quæ penes se erant, Dominus exhibuerat et protulerat : ille vero in malo suo proposito mansit.

VI. Sed tempus demum est ad horrendam hanc mensam accedenti. Omnes itaque accedamus cum congruenti temperantia ac vigilantia : nullus ultra Judas esto, nullus improbus, nullus veneno infectus, neque alia in ore versans, alia in mente retinens. Adest Christus et nunc is, qui men-

[1] Matth. xxvi, 26. — [2] Ibid. 28.

sam illam apparavit, hic ipse hanc nunc exornat. Non enim homo est, qui facit ut proposita efficiantur corpus et sanguis Christi, sed ipse Christus qui pro nobis crucifixus est. Figuram implens stat sacerdos verba illa proferens : virtus autem et gratia Dei est. « Hoc est corpus meum, » inquit. Hoc verbum transformat ea, quæ proposita sunt. Ac quemadmodum vox illa : « Crescite, et multiplicamini » et replete terram [1], » semel quidem prolata est, omni vero tempore naturæ nostræ vim præbet ad filiorum procreationem; ita et vox hæc semel prolata in ecclesiis ad unamquamque mensam, ab illo ad hodiernum usque tempus, et usque ad adventum ejus sacrificium perfectum efficit. Nullus igitur simulatus accedat, nullius nequitia plenus, nullus venenata mente, ne in condemnationem particeps efficiatur. Tunc enim post acceptam oblationem, diabolus insiliit in Judam, non dominicum corpus despiciens, sed Judam ob impudentiam contemnens; ut discas in eos maxime, qui divina mysteria indigne participant, frequenter insilire et irrumpere diabolum, ut tunc Judæ contigit. Etenim honores, eos qui digni sunt juvant, eos vero, qui indigne iis fruuntur, in majus supplicium conjiciunt. Hæc porro non ut vos terrefaciam dico, sed ut cautiores reddam. Nemo itaque sit Judas, nemo ingrediatur nequitiæ veneno infectus. Nam sacrificium est spiritualis cibus : ac quemadmodum cibus corporeus, cum in ventrem pravis humoribus repletum inciderit, auget morbum, non natura sua, sed ventris infirmitate; ita etiam contingit in spiritualibus mysteriis : nam cum in animam inciderint nequitia plenam, illam magis corrumpunt et labefactant, non natura sua, sed recipientis animæ infirmitate. Nemo igitur malas cogitationes intus habeat, sed mentem purgemus : etenim ad purum sacrificium accedimus; sanctam red-

[1] Gen. 1, 28.

damus animam : hoc enim vel uno die perfici potest. Quomodo, qua ratione? si quid habeas contra inimicum, tolle iram, plagam illam cura, solve inimicitiam, ut a mensa medelam accipias : ad horrendum enim et sanctum sacrificium accedis. Revereare hujus oblationis argumentum; occisus jacet Christus : cujus vero causa et quare occisus est? Ut cœlestibus simul et terrenis pacem afferret : ut te Angelorum etiam amicum faceret, ut te cum Deo universorum reconciliaret : ut te hostem et adversarium amicum faceret. Ille animam suam dedit pro iis, qui se oderant : tu vero inimicitiam servas contra conservum : et quo pacto adire poteris mensam pacis? Et ille ne mori quidem pro te recusavit : tu vero iram conservo tui ipsius causa remittere abnuis? Ecqua hæc venia digna sunt? Mihi damnum intulit, inquies, et admodum me læsit. Et quid hoc est? pecuniarum est damnum. Nondum enim vulneravit sicut Christum Judas. Attamen ipse sanguinem, qui effusus est, in ipsorum, qui effundebant, salutem dedit. Quid huic rei par dicere valeas? Si non dimiseris inimico, non illum lædis, sed te ipsum. Illum siquidem sæpe in hac vita læsisti, te ipsum vero venia indignum reddidisti, in actione futuri judicii. Nihil enim ita Deus odit ut hominem injuriarum memorem, ut cor tumens et animum ira ardentem. Audi igitur quid dicat : « Cum obtuleris munus tuum ad » altare, et ibi recordatus fueris astans altari, quod frater » tuus habeat aliquid adversum te, relinque munus tuum » ad altare, et abiens reconciliare fratri tuo, et tunc offer » munus tuum [1]. » Quid dicis, dimittam-ne? Etiam, inquit, ob pacem enim cum fratre tuo hoc sacrificium institutum est. Si igitur ob pacem cum fratre tuo servandam hoc sacrificium institutum est, tu autem pacem non inis; frustra sacrificium participas : inutile namque tibi hoc opus effi-

[1] Matth. v, 23, 24.

citur. Illud itaque primum facito, pro quo sacrificium oblatum est, et tunc illo pulchre frueris. Ideo descendit Filius Dei, ut naturam nostram Domino suo reconciliaret : neque ideo solum venit, sed etiam ut nos, si rem hujusmodi faceremus, suæ appellationis participes efficeret. Nam « Beati, inquit, pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur [1]. » Quod enim fecit unigenitus Filius Dei, id tu pro virili tua facito, ut pacis conciliator et tibi sis et aliis. Ideo te pacificum, filium Dei vocat : ideo tempore sacrificii nullum aliud præceptum memorat, quam reconciliationem cum fratre, ostendens illud omnium maximum esse. Volebam prolixiorem habere sermonem : sed iis, qui sibi attendunt, hæc sola sufficiunt, si memoriam retineant. Horum itaque, dilecti, verborum semper recordemur, necnon sanctorum osculorum, tremendique amplexus, quem mutuo damus. Hoc quippe animas colligat nostras, et omnes unum corpus efficit, quandoquidem et de uno corpore omnes participamus. Nos ergo in unum et idem corpus coalescamus : non corpora commiscentes, sed animas mutuo charitatis vinculo copulantes. Sic poterimus hac mensa cum fiducia frui : etiamsi enim sexcentis abundemus justitiæ operibus, si injuriarum memoriam retineamus, omnia in vanum et frustra cedunt, ac nullum inde fructum ad salutem excerpere poterimus. Hæc itaque docti, omnem solvamus iram, purgataque conscientia, cum mansuetudine et modestia omni accedamus ad mensam Christi, cum quo Patri gloria, honor, imperium, una cum sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. v, 9.

HOMILIA II.

In divinam et mysticam cœnam Salvatoris, et de proditione Judæ : in Pascha item, et in dispensationem divinorum mysteriorum, et de oblivione injuriarum; habita in sancta et magna feria quinta.

I. Volebam, dilecti, de Patriarcha rursus sermonem habere, et inde vobis spirituale convivium apponere : sed ingratus proditoris animus, ad illius pertractandum facinus linguam nostram pertrahit, et diei opportunitas, ut de insania sceleris ejus agamus, nos cohortatur. Hodie quippe Dominus noster Jesus Christus a proprio Discipulo Judæorum manibus traditus est. Verum tu hæc audiens, charissime, ne tristis esto, nec graviter feras, quod Dominus traditus sit : imo potius ingemisce et in fletus erumpe, non ob traditum Jesum, sed ob traditorem Judam. Nam traditus Jesus mundum servavit, proditor vero Judas animam suam perdidit. Proditus Jesus ad dexteram Patris sedet in cœlis, proditor Judas in inferno nunc est, atque indeprecabile æternumque expectat supplicium. Ideo ingemisce, ideo in fletus erumpe : quandoquidem et ipse Dominus noster Jesus Christus videns Judam turbatus est et flevit. « Videns »enim eum, inquit, turbatus est, et dixit : Unus vestrum »tradet me [1]. » Quare turbatus est? Cogitans scilicet eum post tantam doctrinam, post tam multas adhortationes, in quantum sese præcipitium ageret, non persentiscere. Videns igitur Dominus Discipuli insaniam, et misericordia in eum motus, turbatus est et flevit. Hoc enim ultro citroque

[1] Joan. XIII, 21.

memorant Evangelistæ, ut œconomiæ veritati fidem faciant. Turbatus itaque est Dominus Discipuli animum summopere ingratum intuitus; ut nos doceat illos maxime lugendos esse qui male agunt, non autem eos qui mala patiuntur. Nam qui injusta et indigna patiuntur, digni potius sunt, qui beati prædicentur. Quapropter dicebat Christus : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, » quoniam ipsorum est regnum cœlorum [1]. » Vides-ne quantum esse lucrum ostendit eorum, qui male patiuntur? Vide rursum alio in loco male agentium inevitabile supplicium : audi beatum Paulum dicentem : « Vos autem, fratres, » imitatores facti estis ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa; » quoniam eadem passi estis et vos a propriis contribulibus, » quemadmodum et ipsi a Judæis, qui et Dominum occi- » derunt Jesum, et proprios suos Prophetas, et impedierunt » vos loqui gentibus, ut salvæ fiant, ut impleant peccata » sua : pervenit autem ira Dei super illos usque in finem [2]. » Vides-ne eos maxime par esse lugere et fletu prosequi, qui mala perpetrant? Quapropter clementissimus Dominus, cum videret Discipuli facinus, turbabatur et flebat, commiserationem erga Discipulum suam ostendens, benignitatisque suæ magnitudinem exhibens, quod vel usque ad ipsam proditionem, Discipuli emendationi prospicere non cessaret. Propter hunc igitur potius acerbe luge et ingemisce, quia Dominus illius causa mœstus fuit. « Turbatus est, in- » quit, Jesus, et dixit : Unus vestrum tradet me [3]. » O quantam misericordiam! quantam Domini bonitatem! Qui proditur proditoris gratia dolet. Videns enim eum in nequitia immorantem, « Turbatus est et dixit : Unus vestrum » tradet me. » Vide quantam animi tolerantiam! quantam humanitatem! Quomodo ingrato parcit, nec vult eum impudentissime agere : sed omnes Discipulos in timorem et

[1] Matth. v, 10. — [2] 1 Thess. II, 14-16. — [3] Joan. XIII, 21.

anxietatem deducit, ut illi ansam præbeat resipiscendi ab insania. At cum anima omni dimisso sensu semen pietatis non accipit, non admonitionem, non consilium admittit; sed affectu animi obtenebrata per præcipitia abit. Quamobrem neque hic ex tanta Christi patientia quidpiam lucratus est. « Unus vestrum tradet me, » inquit. Cur turbatus et mœrore affectus est? Ut suum simul amorem ostenderet, nosque doceret eos maxime lugendos esse, qui contra proximum mala perpetrant. Etenim illi iram contra se ipsos excitant. Neutiquam eum qui male patitur, sed eum qui mala perpetrat, ubique lugere par est. Nam si male patiamur, id nobis regnum cœlorum adipiscitur; sin male cuipiam faciamus, id in causa est ut in gehennam et supplicium mittamur. Nam « Beati, inquit, qui persecu- » tionem patiuntur propter justitiam [1]. » Vides-ne quomodo male pati, in mercedem et præmium afferat regnum cœlorum? Audi quomodo mala perpetrare pœnam et supplicium afferat : cum enim dixisset Paulus, quod Judæi Dominum occidissent, et Prophetas persecuti essent, adjecit : « Quorum finis est secundum opera eorum [2]. » Vides-ne quomodo ii, qui persecutionem patiuntur, regnum cœlorum lucrentur; ii vero, qui persequuntur, iram Dei in hæreditatem accipiant? Hæc porro non temere apud charitatem vestram agitamus; sed ut discamus adversus inimicos nostros non irasci; sed potius ut misericordia erga illos moveamur, illorumque gratia mœrorem et planctum assumamus. Illi quippe male patiuntur, qui sine causa nobis adversantur. Si animum nostrum ita comparemus, ut non irascamur; sed illorum gratia doleamus, etiam poterimus secundum Domini vocem pro illis orare, illoque modo multam nobis opem cœlitus conciliare. Ideo quarta jam die apud vos sermonem habeo de oratione pro inimicis, ut

[1] Matth. v, 10. — [2] 2 Cor. n, 15.

admonitionis frequentia firmior sit doctrina, ut radices agat in animis vestris. Ideoque frequenter apud vos sermonibus instamus, ut iræ tumorem tollamus, et fervorem sedemus, utque puri ad orationem accedatis. Neque enim Christus inimicorum tantum gratia ad id hortatur, sed etiam nostri causa, qui illis peccata remittimus. Plura enim accipis, quam das, cum iram tuam inimico dimittis. Quomodo plus accipio, inquies? Attende diligenter. Si inimico peccata dimittas, delicta tua in Christum perpetrata dimittuntur tibi. Hæc porro vix dimitti et veniam habere possunt, illa vero veniam et solatium multum reperiunt. Audi Heli filiis suis dicentem : « Si peccans peccaverit homo in » hominem, sacerdos orabit pro eo : si vero in Deum pec- » caverit, quis pro illo orabit [1] ? » Itaque magnum est vulnus illud, neque facile oratione solvitur. Imo ne oratione quidem solvitur tale delictum, sed per veniam peccatorum inimico concessam statim solvitur. Ideo illa quidem decem millia talenta vocavit Deus, nempe delicta in Dominum : hæc vero centum denarios, quos si dimiseris, dimittentur tibi decem millia talenta.

II. Verum de oratione satis. Si placet autem, repetito paulo altius sermone, ad proditionem redeamus, videamusque quomodo Dominus noster proditus sit. Ut vero totam proditoris insaniam ediscamus, simulque ingratum Discipuli animum et Domini ineffabilem clementiam agnoscamus, audiamus quomodo Evangelista nobis ejus facinus enarret. « Tunc, inquit, abiit unus de duodecim, » Judas, dictus Iscariotes, ad principes sacerdotum et dixit » eis : Quid vultis mihi dare, et ego vobis tradam eum [2] ? » Videtur quidem id, quod dictum est, clarum esse nihilque amplius subindicare; sed si quis singula, quæ dicta sunt, examinet, magnam præbent contemplandi materiam, mul-

[1] 1 Reg. II, 25. — [2] Matth. XXVI, 14, 15.

tamque sensuum profunditatem. Primo tempus considerandum est. Non enim simpliciter illud indicat Evangelista, neque enim dixit solum : « Abiit, » sed adjecit ; « Tunc abiit. » Tunc, quandonam? Ecqua de causa tempus indicat? Non sine causa nobis tempus significat Evangelista ex Spiritu sancto loquens. Nam qui ex Spiritu loquitur, nihil sine causa vel temere loquitur. Quid igitur est illud, « Tunc? » Ante illud tempus, ante illam horam accessit puella habens alabastrum unguenti, et effudit oleum illud super caput Domini. Multam fidem ostendit mulier, multam ministrandi curam, obedientiam, pietatem. Mutata est a pristina vita, meliorque ac temperantior effecta est. Et cum meretrix resipuit, cum Dominum agnovit, tunc discipulus magistrum prodidit. Tunc, quandonam? cum meretrix accedens, effuso super pedes Jesu alabastro, propriis illos capillis abstersit, multumque ministerium exhibuit, per hujusmodi confessionem cuncta præteriti temporis peccata delens. Tunc itaque, cum illam vidit tantum officium magistro exhibentem, tunc ille ad iniquam proditionem festinavit. Et illa quidem ex ipso nequitiæ fundo in ipsum cœlum ascendit ; hic vero post innumera miracula et signa, post tantam doctrinam, post ineffabilem illam Domini attemperationem, in Tartari fundum decidit. Tantum malum est socordia et corrupta voluntas. Quamobrem Paulus dicebat : « Qui videtur stare, » videat ne cadat [1] : » et Propheta clamabat olim : « Num » qui cadit, non resurget? et qui avertit se, non revertetur [2] ? » Ut neque is qui stat confidat, sed semper certando consistat ; nec qui decidit, desperet. Tanta enim vis erat Magistri, ut etiam meretrices et publicanos pertraheret ad propriam obsequentiam. Quid ergo, inquies? qui meretrices pertraxit, Discipulum non potuit pertrahere? Etiam potuit et Discipulum pertrahere ; sed noluit ipsum neces-

[1] 1 Cor. x, 12. — [2] Jer. VIII, 4.

sitate facere bonum, neque vi illum ad se ipsum pertrahere. Ideo Evangelista nobis ea narrans, quæ ad ingratum Discipulum spectabant, dixit: « Tunc abiit, » id est, non ab aliis vocatus, neque coactus ab alio, neque alio se hortante; sed suopte motu ad id conversus est, ostendens se sua sponte et proprio arbitrio ad iniquum illud facinus properasse, nulla movente causa; sed a nequitia intus scaturiente ad Domini traditionem se ipsum impulit. « Tunc abiens unus de duodecim. » Non parvum crimen illud est quod dicatur, « Unus de duodecim. » Quia enim erant et alii septuaginta Discipuli, ideo dixit: « Unus de » duodecim; » id est, ex selectis, qui quotidie cum illo versabantur, qui magna fiducia fruebantur. Ut igitur discas ipsum ex præcipuis Discipulis fuisse, ait: « Unus de duo» decim: » neque id tacet Evangelista, ut tu credas hæc, quæ videntur probrosa esse, Domini erga nos sollicitudinem ostendere; quod scilicet proditorem et furem tot bonis dignatus, et usque ad ultimam vesperam cohortatus sit. Vidisti-ne meretricem, quæ abluerat, salutem nactam esse, Discipulum vero, quia segnis fuerat, decidisse? Ne igitur de te desperes, ad meretricem respiciens; neque confidas ad Discipuli facinus oculos convertens; ambo enim perniciosa sunt. Ad lapsum enim proclivis est animus noster, volubilis voluntas; quamobrem undique nos muniamus oportet. « Tunc abiens unus de duodecim Judas Iscariotes. » Vides-ne ex quanto choro decidit? Vides-ne quanta sese disciplina privavit? Vides-ne quantum sit malum segnities? « Judas, » inquit, Iscariotes, » quia alius erat huic cognominis, qui dicebatur Jacobi. Vides-ne Evangelistæ sapientiam, qui illum non a facinore, sed a loco notum nobis facit, qui alium non a loco, sed a patris nomine cognoscendum nobis præbet; licet consequenter dicturus videretur, Judam proditorem? Verum ut nos doceret linguam servare a criminatione puram,

a proditoris nomine abstinet. Discamus igitur inimicorum neminem cum convicio memorare. Si enim beatus hic vir proditorem noluit criminari, cum hoc iniquum facinus enarraret; sed hoc quidem tacuit, a loco autem unde prodierat notum illum fecit; qua crimus venia digni, cum proximum criminamur, ac sæpe non solum inimicos cum contumelia memoramus, sed etiam eos, qui erga nos bene affecti videntur. Ne, quæso, id agamus. Id et Paulus præcipit dicens : « Omnis sermo malus de ore vestro ne pro» deat [1]. » Ideo ab hujusmodi morbo plane purus beatus Matthæus dicebat : « Tunc abiens unus de duodecim, qui » dicebatur Judas Iscariotes, ad principes sacerdotum dixit: » Quid vultis mihi dare, et ego vobis tradam eum? » O execrandam vocem! o insanum facinus! Dum hæc cogito, tremo, dilecti. Quomodo talis vox ex ore exiliit? Quomodo linguam movit? Quomodo anima a corpore non abscessit? Quomodo labia non obtorpuerunt? Quomodo non mente excessit?

III. « Quid vultis mihi dare, et ego vobis tradam eum? » Dic mihi, Juda, hæccine magister tanto tempore te docuit? Ita-ne in oblivionem frequentium admonitionum venisti? Nonne ideo dixit : « Nolite possidere aurum, neque » argentum [2], » ut jam inde a principio tuum erga pecunias furorem comprimeret? Nonne hortabatur dicens : « Si » quis te percusserit in maxillam dexteram, verte illi et » aliam [3]? » Cur, quæso, magistrum prodis? An quia potestatem tibi dedit adversus dæmonia, ita ut morbos curares, leprosos mundares, et alia multa miracula perpetrares? Pro his-ne beneficiis, hæc illi præmia retribuis? O furorem! imo potius, avaritiam; hæc enim mala omnia avaritia peperit, radix illa malorum, quæ animas nostras obtenebrat, necnon ipsas leges naturæ, quæ id efficit, ut

[1] Matth. VI, 9. — Ephes. IV, 29. — [2] Matth. X, 9. — [3] Id. V, 39.

mente excedamus, neque permittit ut vel amicitiæ, vel cognationis, vel alterius cujuspiam recordemur; sed semel excæcans oculos mentis nostræ, nos in tenebris incedere facit. Et ut hoc clare discas, vide quanta tunc ejecerit ex anima Judæ. Subingressa isthæc avaritia, colloquia, consuetudinem, communionem, mirabilem illam doctrinam, omnia, inquam, illa in oblivionem adduxit. Pulchre dicebat Paulus: « Radix omnium malorum est avaritia [1]. Quid vultis » mihi dare, et ego vobis tradam eum? » Tradis, Juda, eum qui omnia continet verbo? Vendis incomprehensibilem, et opificem cœli et terræ, creatorem naturæ nostræ, qui verbo et nutu omnia constituit? Ut igitur ostendat quod lubens traditus sit, audi quid faciat. Ipso proditionis tempore, quando invaserunt eum cum gladiis et lignis, lampadibus et laternis instructi, dicit eis : « Quem quæritis [2]? » Et ignorabant eum, quem capturi erant. Tantum aberat ut eum prodere posset, qui neque præsentem eum videre poterat, quem traditurus erat, etsi tot lampadibus luminibusque instructus; quod enim hæc subindicaret cum dixit eos, et lampades et laternas habuisse, neque sic eum invenisse, id innuit cum ait : « Et Judas stabat cum illis, » is qui dixerat : « Ego vobis tradam eum. » Eorum quippe mentem excæcavit, ut potentiam suam ostenderet, et illi discerent ea se aggredi, quæ fieri non possent. Deinde audita ejus voce abierunt supini, et ceciderunt in terram. Vidisti quomodo ne vocem quidem ferre potuerunt, sed prolapsu infirmitatem suam demonstrarunt? Vide Domini clementiam. Quia ne sic quidem proditoris impudentiam, neque ingratum Judæorum animum flexit, se ipsum tradit, atque dicit : « Quando ostendi eos illa aggredi, quæ facere non possent, volui eorum comprimere furorem; at illi nolunt, sed in nequitia perseverant. Ecce me ipsum trado. » Hæc dico vobis, ne

[1] 1 Tim. VI, 10. — [2] Joan. XVIII, 4.

quipiam Christum accusent, dicantque : « Cur non mutavit Judam? Cur non meliorem illum effecit? » At quomodo oportuit Judam temperantem ac probum efficere, an necessitate, an arbitrio suo? Si necessitate, neque sic melior futurus erat ; nemo quippe necessitate melior efficitur. Si vero ex arbitrio et voluntate, omnia induxit ea, quæ poterant ipsum ad frugem reducere. Quod si ille remedia noluit accipere, non medicus, sed is qui medicinam respuit, in culpa est. Vis scire quanta fecerit ut eum reduceret? Multa miracula ut faceret dedit, prædixit illi ea, quæ ad proditionem spectabant, nihil retro reliquit eorum, quæ pro Discipulo facere par erat. Et ut discas eum, cum mutari posset, noluisse, sed ex ejus segnitie totum prodiisse; cum prodidisset eum, et furorem suum ad finem deduxisset : « Projecit triginta argenteos, dicens: Peccavi tradens san-» guinem justum [1]. » Antea dicebas: « Quid vultis mihi dare, » et ego vobis tradam eum [2]? » Cum consummatum fuit peccatum, tunc peccatum agnovit. Hinc ediscimus nos, cum segniter agimus, neque hortatu, neque monitis juvari; cum vero diligenter, a nobis ipsis posse resurgere. Tecum enim reputa eum, cum hortaretur Dominus, et a pravo facinore deterreret, non audivisse, nec admonitioni obtemperasse; cum vero nullus admoneret, ex propria conscientia surrexisse, et, nemine docente, mutatum esse, trecentosque argenteos projecisse. « Constituerunt, inquit, » illi triginta argenteos. » Pretium sanguinis deposuerunt nullo pretio æstimandi. Cur accipis triginta argenteos, o Juda? Gratis venit Christus pro orbe sanguinem effusurus, pro quo tu nunc pacta statuis. Quid impudentius hac conventione? Quis vidit? quis audivit unquam?

IV. Sed ut discamus quod sit discrimen proditorem inter et Discipulos, audiamus : omnia quippe diligenter no-

[1] Matth. xxvii, 3, 4. — [2] Id. xxvi, 15. — [3] Ibid.

bis enarrat Evangelista. Cum hæc fierent, inquit, cum proditio procederet, cum Judas se ipsum perdidit, cum iniqua illa pacta fecit, cum quæreret, inquit, opportunitatem, ut eum traderet : « Tunc accesserunt Discipuli ejus » dicentes : Ubi vis paremus tibi comedere Pascha [1] ? » Vidisti Discipulos, vidisti Discipulum? Ille proditionem, hi ministerium curabant. Ille pacta inibat, et dominici sanguinis pretium accipere satagebat, hi ad famulatum se præparant. Et hic et illi iisdem miraculis claruerant, eadem doctrina imbuti erant. Undenam ergo discrimen? Ex voluntate. Hæc et malorum, et bonorum causa est. Vespera illa erat cum Discipuli hæc dicerent. Quid illud est? « Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? » Hinc ediscimus non statum domicilium habuisse Christum. Audiant qui splendidas construunt domos, amplaque septa, quod Filius hominis non habeat ubi caput suum reclinet : ideo dicunt ei Discipuli : « Ubi vis paremus tibi comedere Pas» cha? » Quod Pascha? Judaïcum, quod in Ægypto initium sumpserat : nam illic initio celebrarunt illud. Ecqua de causa illud Christus celebrat? Ut omnia legalia implevit, sic et istud. Ideo Joanni dicebat : « Sic nos decet implere » omnem justitiam [2]. » Non nostrum igitur, sed judaïcum Pascha parare volebant Discipuli. Nam illud Discipuli pararunt; nostrum vero Pascha ipse præparavit, imo ipse Pascha per venerandam passionem suam effectus est. Cur ergo ad passionem accedit? Ut nos redimeret a maledicto legis. Quamobrem Paulus clamabat : « Misit Deus Filium » suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui » sub lege erant, redimeret [3]. » Ne quis ergo diceret ideo illam abrogasse, quia illam implere non poterat, utpote gravem, onerosam et difficilem; ideo cum illam totam implevisset, tunc ipsam solvit. Idcirco et Pascha fecit : legis

[1] Matth. xxvii, 17. — [2] Id. iii, 15. — [3] Galat. iv, 4.

enim mandatum ipsis erat Paschæ solemnitas. Audi. Ingrati erga beneficum erant Judæi, statimque beneficii obliviscebantur. Idque ut accurate discas : Egressi sunt ex Ægypto, mare Rubrum transierunt : ipsum viderunt scissum, rursusque coalescens. Nec multo elapso tempore dicunt Aaroni : « Fac nobis deos, qui præcedant nos [1]. » Quid dicis, ingrate Judæe? Tot taliave miracula vidisti, et oblitus es Dei, qui te nutrit, neque beneficii mentionem facis? Quia igitur obliviscebantur beneficiorum ejus, festivitatum argumento Deus donorum commemorationem astrinxit, ut velint nolint manentem memoriam habeant. Et illi quidem sic : quare? « Ut cum interrogaverit te » filius tuus [2] : Quid est hoc? » dicas : « Quia agni hujus sanguine januarum limina unxerunt, mortemque effugerunt, quam vastator Angelus Ægyptiis omnibus intulit : propterque hunc sanguinem non potuit irruere et plagam infligere. Illi itaque inviti, hic vero lubens Christus immolatur. Quare? quia illud erat figura spiritualis Paschatis. Ut id vero discas, vide quanta sit affinitas. Agnus et agnus; sed ille irrationalis; hic rationalis. Ovis et ovis; umbra et veritas. Sed apparuit Sol justitiæ, et umbra cessavit. Lucente namque sole, fugatur umbra. Ideoque agnus etiam in mensa mystica, ut sanguine illius sanctificemur. Quamobrem accedente sole, lucerna non ultra appareat. Nam quæ tum facta sunt figuræ erant futurorum.

V. Hæc Judæis dico, ne se ipsos decipientes, putent se Pascha celebrare; quia impudenti consilio azyma accipere prævertunt, et festum objiciunt, qui semper incircumcisi sunt corde, et auribus graviter audiunt. Quomodo, quæso, Pascha celebras, o Judæe? Templum solo æquatum est, altare sublatum, sancta sanctorum conculcata, omne sacrificium solutum. Cur ergo prævaricari audes? Abiisti ali-

[1] Exod. xxxii, 1. — [2] Id. xii, 26.

quando Babylonem : audisti eos, qui captivos duxerant vos, dicentes : « Cantate nobis canticum Domini [1], » et non tulisti. Et cur extra Jerosolymam Pascha celebras, qui dixisti : « Quomodo cantabimus canticum Domini in terra » aliena [2] ? » Et hæc declarans beatus David dicebat : « Su- » per flumen Babylonis illic sedimus, et flevimus : in sali- » cibus in medio ejus suspendimus organa nostra [3] ; » id est, psalterium, citharam, lyram : his enim olim utebantur, et his psalmos canebant. « Illic enim, inquit, interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum. » Et diximus : « Quomodo cantabimus canticum Domini in » terra aliena? » Quid quæso dicis? Canticum Domini non cantas in terra aliena, et Pascha celebras in terra aliena? Vides-ne stupiditatem Judæorum? Cum aderant inimici qui cogerent, ne psalmum quidem recitare volebant in terra aliena : et nunc sua sponte, nemine cogente, bellum inferunt Deo. Quapropter beatus Stephanus dicebat illis : « Vos sem- » per Spiritui sancto resistitis [4]. » Vides quam impura sint azyma? quam iniquum Judæorum festum? Erat olim Pascha judaïcum, sed solutum est. Tunc, inquit, Jesus, manducanti- bus illis et bibentibus, accipiens panem in sanctas et intemeratas manus suas, gratias agens fregit dixitque Discipulis suis : « Accipite et manducate, hoc est corpus meum, quod pro » vobis et multis frangitur in remissionem peccatorum. » Et calicem rursum accipiens, dedit eis dicens : « Hic est san- » guis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem pecca- » torum. » Aderatque Judas, cum hæc diceret Dominus. Hic est sanguis, o Juda, quem vendidisti triginta argenteis. Hic est sanguis, pro quo nuper impudentia pacta inibas cum improbis Pharisæis. O quantam Christi benignitatem ! O ingratum Judæ animum ! Dominus nutriebat, et servus vendebat. Ille namque vendidit eum acceptis triginta ar-

[1] Psal. CXXXVI, 3. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 1, 2. — [4] Act. VII, 51.

genteis : Christus vero in redemptionem nostram proprium sanguinem effudit, et venditori tradidit, siquidem voluisset. Aderat enim Judas ante proditionem, et sacræ mensæ particeps erat, mysticaque cœna fruebatur. Quemadmodum enim pedes Discipulorum lavit Dominus, sic et sacræ mensæ particeps fuit Judas ; ut nullam haberet excusationem, sed judicium acciperet. Nam in prava sententia perseverabat et egressus, osculi loco proditionem fecit, immemor beneficiorum. Ac post proditionem projecit triginta argenteos dicens : « Peccavi tradens sanguinem innocen» tem [1]. » O cæcitatem ! Cœnæ particeps fuisti, et beneficum prodidisti ? Et Dominus quidem quod scriptum erat libens implebat : « Væ autem illi per quem scandalum » venit [2]. »

VI. Sed tempus demum est ad horrendam hanc tremendamque mensam accedendi. Omnes igitur cum pura conscientia accedamus. Nullus hic Judas esto dolose agens in proximum suum ; nemo adsit improbus, nemo venenum occultet in corde suo. Adest et nunc Christus mensam exornans. Neque enim homo est is, qui facit ut proposita corpus et sanguis Christi efficiantur. Figuram tantum implens stat sacerdos, et supplicationem offert : gratia autem et virtus Dei est, quæ omnia efficit. « Hoc est corpus » meum [3], » inquit. Hoc verbum proposita transformat. Et quemadmodum vox illa, « Crescite et multiplicamini, et » replete terram [4], » verbum erat, et factum est opus, quod humanæ naturæ ad liberorum procreationem vim inderet ; sic et hæc vox prolata, semper gratia auget eos, qui digne participant. Nullus itaque simulatus sit, nullus improbus, nullus rapax, nullus contumeliosus, nullus fratrum osor, nullus avarus, nullus ebriosus, nullus ambitiosus, nullus

[1] Matth. xxvii, 3. — [2] Id. xviii, 7. — [3] Id. xxvi, 26. — [4] Gen. i, 28.

masculorum concubitor, nullus invidus, nullus fornicationi deditus, nullus fur, nullus insidiosus, ne judicium sibi sumat. Etenim tunc Judas mysticam cœnam indigne participavit, et egressus Dominum prodidit : ut discas in eos maxime et frequentius diabolum insilire, qui mysteria indigne participant, eosque ipsos in majus se supplicium conjicere. Hæc dico non ut terream, sed ut cautiores reddam. Quemadmodum enim corporeus cibus, cum in ventrem pravis humoribus plenum inciderit, morbum auget; sic et spiritualis cibus cum indigne participatur, graviorem damnationem attrahit. Nemo igitur, obsecro, pravas intus cogitationes habeat, sed cor nostrum expurgemus. Etenim templa Dei sumus, si pure agamus. Castam reddamus animam nostram : nam vel uno die id fieri potest. Quomodo, et qua ratione? Si quidpiam habueris contra inimicum, tolle iram, solve inimicitiam, ut medelam remissionis a mensa recipias. Ad sacrificium accedis horrendum et sanctum : immolatus jacet Christus. Verum cogita qua de causa occisus sit. O qualibus mysteriis privatus es, Juda? Christus libenter passus est, ut « Medium parietem » maceriæ solveret [1], » et jungeret inferna supernis, ut te inimicum et hostem, Angelorum consortem faceret. Et Christus quidem animam suam tradidit pro te : tu vero inimicitiam servas adversus conservum? Ecquî poteris accedere ad mensam pacis? Dominus tuus non recusavit omnia pati propter te, tu vero ne iram quidem remittere vis? Cur, quæso? Charitas est radix, fons et mater omnium bonorum. Maximas, inquies, mihi molestias intulit, innumera damna, in vitæ discrimen me conjecit. Ecquid hoc est. Nondum te cruci affixit, ut Dominum Judæi. Si non remiseris proximo tuo injuriam, nec pater tuus cœlestis remittet tibi peccata tua. Qua conscientia dices : « Pater

[1] Ephes. II, 14.

» noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum [2], » et cætera? Similiter Christus et sanguinem, quem illi effuderunt, in salutem effundentium dedit. Quid huic rei par efficere potes? Si non dimiseris inimico, non illum læsisti, sed te ipsum. Illum quidem sæpe in præsenti vita læsisti, tibi vero supplicium, quod nunquam remittetur, parasti in futurum illum diem. Neminem enim ita Deus aversatur, ut injuriarum memorem hominem, ut cor tumens, et ira incensam animam. Audi enim quid dicat Dominus : « Si » offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris » quia frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi » munus tuum ante altare, et vade prius reconciliare fratri » tuo; et tunc veniens offer munus tuum [1]. » Quid dicis? Ibi-ne relinquam munus, seu sacrificium? Etiam, inquit : nam propter pacem cum fratre tuo, hoc sacrificium factum est. Si igitur propter pacem cum proximo tuo sacrificium offertur, tu vero pacem non recte servas, etiamsi sacrificii particeps sis, inutilis tibi hæc participatio efficitur sine studio servandæ pacis. Illud ergo prius facito, pacem scilicet cura, propter quam sacrificium offertur, et tunc recte illo frueris. Propterea enim Filius Dei venit in mundum, ut naturam nostram Patri reconciliaret, quemadmodum ait Paulus : « Nunc autem reconciliavit sibi omnia, » per crucem interficiens inimicitiam in semetipso [2]. » Ideo non ipse solus venit ut pacem iniret; sed et nos quoque beatos prædicat, si paria faciamus, nosque suæ appellationis consortes efficit. « Nam beati pacifici, quoniam Filii Dei » vocabuntur [3]. » Quod itaque Christus Filius Dei fecit, idipsum et tu secundum humanam facultatem facito, pacisque conciliator et tibi sis, et proximo tuo. Ideo Filium Dei vocat pacificum. Eam ob rem in tempore sacrificii,

[1] Matth. v, 23, 24.— [2] Ephes. II, 16, et Coloss. I, 22.— [3] Matth. v, 9.

nullum alium memorat justitiæ modum, nisi reconciliationem cum fratre, ostendens charitatem omnium virtutum maximam esse. Volebam sane, dilecti, prolixiorem habere sermonem : verum sufficiunt ea, quæ dicta sunt iis, qui semen pietatis cum attentione et intelligentia suscipiunt, quique dictis animum adhibere volunt. Horum, quæso, verborum semper recordemur, tremendique amplexus, quem mutuo damus. Hic enim amplexus animas colligat nostras, et omnes unum corpus ac membra Christi efficit. Quoniam unius corporis participes sumus omnes. Unum itaque secundum rei veritatem corpus efficiamur omnes : non corpora commiscentes, sed animas mutuo charitatis vinculo colligantes. Si enim ita faciamus, hac frui mensa cum fiducia et a victore Christo tandem conciliatæ pacis receptacula fieri poterimus. Etenim si sexcenta bona opera penes nos habeamus, et injuriarum memores simus, omnia frustra et incassum egimus, nihilque inde ad salutem lucrari poterimus. Ascensurus enim ad Patrem Christus, loco gloriæ temporaneæ, atque magnarum opum, hanc Discipulis hæreditatem relinquit dicens : « Pacem meam do » vobis, pacem meam relinquo vobis [1]. » Quæ divitiæ, quanta pecuniarum copia pretiosior fuerit Christi pace, quæ omne verbum, omnem mentem superat? Hoc itaque cum sciret Malachias propheta, et grave et atrocissimum esse delictum, ex persona Dei dicebat : « Populo meus, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, et » unusquisque malitiam in corde suo contra proximum » suum non cogitet injuriæ memor : et juramentum men- » dax ne diligite, et non moriemini domus Israël, dicit » Dominus [2]. » Ac si diceret : « Si futuri estis mendaces, injuriarum memores, perjuri, obliviscentes mandata mea, morte moriemini. » Hæc igitur omnia scientes, dilecti, om-

[1] Joan. XIV, 27. — [2] Non Malachiæ, sed Zachariæ, VIII, 17.

nem solvamus iram, pacem mutuo servemus, avulsa nequitiæ radice, purgataque conscientia, cum mansuetudine et modestia, magnaque pietate, ad horrendorum et terribilium mysteriorum participationem accedamus, non impellentes, non calcibus impetentes, non cum strepitu et clamore vociferantes, sed cum timore et tremore magno, cum compunctione et lacrymis : ut benignus ille Dominus, pacificum animi statum, non simulatam charitatem, et fraterni amoris consortium superne respiciens, et horum bonorum, et promissorum fructu nos omnes dignetur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, et una sancto Spiritui, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

In proditionem Judæ.

Nunc amœna Daphne, nunc religiosa est, non modo quod limpidissima fluenta emittat, non quod arborum comas alat jucundissimas; sed quod peregrinam plantam crucem receperit : nunc fons vere temperans est et Pythio dæmoni terribilis. Non amplius impiis viris solum calcandum offert; sed vobis piis nemus præbet, imaginem amabilis illius loci, horti nempe, in quo Servatoris proditio, audax facinus, peracta est, salutisque nostræ negotium ortum accepit. Atenim quid præsenti cœtui loquar non suppetit, linguam movet cœtus ad Judam incusandum, sed os meum ad se pertrahit Servatoris clementia. Duobus hisce detineor, odio proditoris et amore Domini; at vincit odium amor, utpote major validiorque. Quamobrem re-

licto proditore, beneficium celebro; non pro illius dignitate, sed pro facultate mea. Quomodo inclinavit cœlos, et descendit in terram? Quomodo is, qui totum replet mundum ad me venit, pro me et secundum me factus? Quomodo eum, quem proditorem futurum noverat, Discipulum accepit? Quomodo inimicum se ut amicum sequi jussit? Quomodo non de proditione, sed de proditoris salute fuit sollicitus? « Nam vespere facto, inquit, recumbebat Jesus » cum duodecim Discipulis suis, et manducantibus illis » dixit: Amen, amen dico vobis, quod unus vestrum tradet » me [1]. » Proditionem prædixit, ut scelus cohiberet. Neminem indicans prædictionem emisit, quæ de Discipuli nequitia, recumbentibus occulta, triumphare non potuit. Quis talem unquam Domini benignitatem vidit? Et proditur et proditorem amat. Quis despicitur et misericordia movetur? venditur et nequissimum mercatorem mensæ consortem accipit, atque insidiatori parcit? « Et manducan- » tibus illis dixit: Amen, amen dico vobis, quod unus » vestrum tradet me. » Ut homo comedebat, et ut Deus futura prædicebat: quæ naturæ competunt meæ, ille mei causa subire dignatur. Omnibusque Discipulis de tali dicto stupefactis, et conscientiam suam graviter ferientibus, cœnamque in mœroris tempus convertentibus, singulisque dicentibus: « Numquid ego sum, Domine [2]? » ut interrogatione illa, molestæ suspicionis levamen invenirent, animis intempestive perculsis remedium adhibens Servator, eum, qui hactenus occultus fuerat, responsione sua declarat: « Qui intigit, inquit, mecum manum in catino, hic me » tradet. Et filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est » de illo. Væ autem homini illi, per quem Filius hominis » tradetur: bonum ei erat si natus non fuisset homo » ille [3]. » Miseratur eum, qui se miserari noluit: parcit ei,

[1] Matth. xxvi, 20, 21. — [2] Ibid. 22. — [3] Ibid. 23, 24.

qui animæ suæ non pepercerat. Palam facere nolebat eum, qui se jam palam fecerat : illi pœnitentiæ tempus, Discipulisque reliquis mœroris medelam suppeditans. Verum nihil hinc melior effectus proditor est. Oportebat enim eum post horrenda hujusmodi verba repente de cœna surgere, oportebat condiscipulos deprecatores adhibere, oportebat Servatoris genua complecti, illumque hujusmodi dictis placare : « Peccavi, clementissime, peccavi, inique egi, cum hominibus parvo pretio vendidi inæstimabilem margaritam ; inique egi immensum thesaurum pro tenui pecunia prodens. Parce mihi, damni et perniciei mercatori : ignosce mihi, cujus animum auri amor corripuit : ignosce ei, qui a Pharisæo nefarie deceptus est. » Horum nullum vel protulit, vel cogitavit ; sed asperiori voce animi impudentiam patefecit clamando : « Numquid ego sum, Domine ? » O linguam impudentem ! o animum indomitum ! Interrogat ut ignarus eorum, quæ meditabatur, et hoc latere putat oculo nunquam sopore clauso ; animo dolum gestat, et lingua ignorantiæ verbum profert : mente jam proditionem fecerat, et ore, ut putat, peccatum obtegit. Iisdem atque alii Discipuli utitur verbis, longe dissimilibus cum sit moribus : lupus animo, ovina respondet voce. Quid ad illum Servator ? « Tu dixisti [1]. » Toleranti voce improbi scenam coarguit. Poterat enim illi dicere : « Quid dicis, execrande et scelerate ? Quid dicis pecuniarum mancipium, et diaboli consors ? Audes-ne ignorantiam simulare ? Audes obtegere quæ obtegi nequeunt ? Annon Divinitate astabam tibi indigna molienti ? Annon Divinitatis oculo te vidi adeuntem principes sacerdotum ? Annon vel absens audiebam te dicentem : « Quid vultis » mihi dare, et ego vobis eum tradam [2] ? » An ignoro quanti me vendideris ? Quid igitur ? Ita-ne convictus impudenter agis ? Quid ea tegere conaris, quæ facere cupis ? Mihi om-

[1] Matth. xxvi, 25. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 15.

nia nuda et aperta sunt. » Hæc cum respondere posset Christus, non ita locutus est; sed simpliciter placideque sine ullo indignationis stimulo, « Tu dixisti; » ut nos doceret sic cum inimicis esse agendum. Attamen post tantam circuitionem mansit in morbo Judas; non medici, sed ægrotantis incuria. Ille namque omnia ad salutem remedia admovebat, hic vero ea admittere nolebat : sed unam cum nosset avaritiam, aurum Christo anteponebat : eratque iis, qui se conduxerant, benevolus atque fidelis. Accedens vero Judas Christo dixit : « Ave Rabbi; et osculatus est » eum [1]. » Novus sane proditionis modus, ab osculo et compellatione prodiens. « Jesus autem dixit illi : Amice, ad quid » venisti [2] : » quid me gaudere jubes, dum mihi malum inferre cogitas? Quid me verbo delinis, dum opere percutis? vocas magistrum, cum non sis discipulus. Quid charitatis jura confodis? Cur pacis symbolum in signum proditionis convertis? Cujusnam exemplo hoc peragis? Num sic vidisti nuper meretricem pedes osculantem meos? Num sic vidisti Centurionem in genua procumbentem? Num forte dæmonas ita succumbentes vidisti? Novi quis tibi dolosi osculi viam monstraverit. Diabolus tibi talis amplexus modum suggessit : tu vero improbo consiliario obtemperans, ejus voluntatem exequeris. « Amice, ad quid venisti? » Iniqua pacta imple, quæ cum Pharisæis iniisti. Venditionis syngraphum absolve : subscribe illi negotio, quod pollicitus es : prode eum, qui prodi cupit : jam præter loculos venditionis marsupium posside : cede latroni, qui per confessionem ordinem adepturus est, quem tu per proditionem amisisti. « Tunc accedentes injecerunt manus » in Jesum, et tenuerunt eum [3]. » Tunc completum est propheticum illud eloquium : « Circumdederunt me sicut » apes favum, et exarserunt sicut ignis in spinis [4]; » ac

[1] Matth. xxvi, 49. — [2] Ibid. 50. — [3] Ibid. — [4] Psal. cxvii, 12.

rursum : « Circumdederunt me canes multi, tauri pingues » obsederunt me [1]. » Verum o tolerantiam, quæ soli ipsi competit ! In cœlo Cherubim et Seraphim cum non audeant respicere sublimem ejus gloriam, vultum suum alis ceu manibus operiunt, et in terra dum caro ejus manibus iniquorum teneretur, id ille patiebatur. Videtis-ne quam patientis et benigni Domini servi sitis? Iidem ergo estote erga inimicos conservos vestros, qualem erga inimicos suos Dominum vidistis. Etenim vos quoque ad cœnam spiritualem vocandi estis : cum Domino recumbendum vobis erit. Ne quis in vobis Judas moribus reperiatur : omnes cum pace et tranquillitate accedite : omnes cum pura conscientia Servatori accurramus. Ipse namque est fidelium jejunium atque convivium : hic nutritius et nutrimentum, hic pastor et ovis. Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CONCIO I.

Postridiæ Kalendas Antiochiæ habita de iis, qui inebriantur, deque iis, qui commeant ad cauponas, quique chorcas ducunt per civitatem : præterea quod non oporteat præceptorem desperare de discipulis, etiamsi in præsens non obtemperent : postremo de Lazaro mendico, ac de divite.

1. Hesternum [2] diem, cum esset festum Satanæ, fecistis festum spiritus, quia multo cum animi studio recepistis ea, quæ a nobis dicebantur, maximamque diei partem in eo consumpsistis, ebrii temulentia quadam sobrietatis plena,

[1] Psal. xxi, 17. — [2] Vide D. Guillon, tom. xiv, pag. 227-236.

cumque Paulo ducentes choreas. Qua quidem ex re vobis geminum accrevit lucrum, primum quod ab indecora temulentorum saltatione abstinuistis, deinde quod spiritalibus saltastis tripudiis, quibus plurimum adest decoris ac modestiæ. Ad hæc quod crateris participes fuistis, non mero, sed spiritali doctrina redundantis; atque ipsi tibia citharaque fuistis Spiritui sancto : cumque cæteri choros ducerent diabolo, vos eo quod hoc in loco versabimini, præbuistis vos ipsos organa vasaque spiritalia : exhibuistisque animas vestras ceu musica instrumenta, quæ Spiritus sanctus pulsaret, et in corda vestra gratiam suam inspiraret. Unde modulatum concentum reddidistis, non solum homines demulcentem, verumetiam supernas virtutes delectantem. Age itaque et hodie, adversus ebrietatem armemus linguam, istamque vitam madidam ac dissolutam prosternamus : vituperemus istos, qui in ea totis diebus versantur, non ut illos pudefaciamus, sed ut eos ab ignominia liberemus : non ut illos probris afficiamus, sed ut eos corrigamus : non ut illos traducamus, sed ut ab infami traductione, et a diaboli manibus eripiamus. Quisquis enim in temulentia totos agit dies, quisquis in deliciis et ingurgitatione, sub diaboli tyrannidem redactus est. Atque utinam oratio nostra profectus aliquid afferat. Quod si post nostram etiam admonitionem in iisdem vitiis perseveraverint, ne sic quidem nos desistemus illis quod rectum est consulere, quandoquidem et aquarum venæ, etiamsi nullus veniat aquatum, manant tamen : et fontes, quamvis hauriat nemo, tamen scatebras emittunt : et amnes, etiamsi nemo bibat, nihilo secius fluunt : sic oportet et illum, qui concionatur, quamvis nullus auscultet, tamen præstare quidquid in ipso situm est. Siquidem hæc lex nobis, qui sacri sermonis administrationem suscepimus, a benigno præscripta est Deo, ne unquam quod quidem in nobis fue-

rit, facere defatigemur : nec ullo tempore sileamus, sive sit qui auscultet, sive sit qui prætercurrat negligens quod dicitur. Nam et Jeremias cum Judæis multa minitans, malaque imminentia prædicens, ab audientibus subsannaretur, totoque die rideretur, cogitabat ab illa prophetia desistere, nimirum humano quodam affectu victus, sannas illas et convicia perpeti non valens, aitque : « Factus sum » ridiculus toto die, dixi : Non loquar, neque nominabo » nomen Domini, et factus est in me velut ignis ardens, at- » que æstuans in ossibus meis : dissolvor undique, nec pos » sum ferre [1]. » Quod autem dicit, hunc habet sensum : « Volebam, inquit, a prædictione desistere, propterea quod non auscultabant Judæi : et simul atque hoc cogitassem, irruit in animam meam spiritus vis, velut ignis, omniaque intima mea succendit, consumens insuper, et exedens ossa mea, adeo ut incendium illud ferre non possem. » Quod si Propheta, qui quotidie ludibrio habebatur, quotidie conviciis incessebatur, sic discruciatus est, eo quod statuerat silere : qua tandem nos venia digni censebimur, si qui nondum tale quidquam perpessi sumus, tamen ob quorumdam negligentiam dejiciamus animum, et ab exhibenda illis doctrina cessemus, maxime vero cum tam multi sint, qui se præbent attentos?

II. Non hæc loquor mei consolandi deliniendique gratia. Nam meo quidem ipsius animo persuasi, quo aspiravero, et donec Domino visum fuerit nos in præsenti vita versari, hoc implere ministerium, et sive quis attendat, sive non attendat, facere ea quæ præcipiuntur. Verum quoniam sunt nonnulli, qui multorum manus dissolvunt, neque contenti quod ipsi nihil utilitatis afferunt vitæ nostræ, etiam aliorum studium ac favorem refrigerant sannis ac dicteriis, dum aiunt : « Desine bene consulere, desiste monere : No-

[1] Jer. xx, 7-9.

lunt tibi auscultare. » Ne quid sit tibi cum illis commercii. Quoniam ergo sunt quidam ista loquentes, inhumanam hanc sententiam, insidiasque diabolicas excutere volens e multorum animis, pluribus hac de re dissero. Siquidem et heri novi multos qui talia verba protulerint, qui cum conspicerent aliquos in caupona detrivisse tempus, cum risu sannisque dicebant : « Scilicet omnino persuasi sunt. Nemo prorsus cauponam ingressus est. Omnes sobrii sunt redditi. » Quid ais homo? Videlicet istuc polliciti sumus nos uno die omnes illos reti capturos? Nam si decem modo persuasi fuerint, si quinque tantum, si unus : nonne nobis hoc sufficit ad consolationem? Ego vero dicam quiddam hoc etiam vehementius. Pone neminem nostris dictis fuisse persuasum; quanquam id fieri nunquam potest, nimirum ut sermo in tam multas aures disseminatus, vacet omni fructu. Verumtamen pone istuc esse, ne sic quidem nobis nihil afferet lucri sermo noster. Nam etiamsi nonnulli ingressi sunt cauponam, non tamen cum pari qua solent impudentia sunt ingressi, sed ad ipsam etiam mensam crebro nostrorum verborum recordati sunt, subiit illis nostra reprehensio, rediit in memoriam nostra objurgatio, ac recordantes rubore suffusi sunt, erubuerunt tacita cogitatione, ne simili impudentia fecerunt ea quæ solebant. Hoc autem initium est salutis, optimæque mutationis, si quem penitus sui pudeat, si quis prorsus facta sua damnet. Quin ex hoc insuper et aliud nobis lucrum non minus nascitur. Quodnam hoc? Nimirum illud, quod eos, qui sobrietatem amplectuntur, reddimus modestiores magisque compositos, dum ex oratione nostra declaratur, quod optimis ducantur consiliis, qui non abducantur exemplo multitudinis. Non exeri quidem ægrotantes, attamen eos, qui valent, reddidi firmiores. Non abduxit quosdam a vitio sermo noster, sed tamen eos qui cum virtute vitam agunt, reddi-

dit attentiores. Ad hæc quiddam addam tertium : hodie non persuasi, sed cras fortasse persuadere potero. Quod si minus cras, attamen perendie, aut quarto ab hinc die fortassis persuasero. Qui hodie quod audivit repulit, cras fortassis audiet ac recipiet. Tum qui hodierno crastinoque die contempserit, fortassis post dies complures præbebit animum iis, quæ dicuntur. Quandoquidem sæpe piscator, qui per totum diem vacuum attraxit rete, sub noctem jam abire parans, capto, qui ipsum per totum fefellerat diem, pisce, discedit. Quod si ideo victuri sumus in otio, et ab omnibus actionibus videbitur abstinendum, eo quod semper evenit, ut alicubi frustremur optatis, universa nobis perierit vita : nec spiritualia modo, verumetiam illa quæ ad vitæ præsentis usum pertinent, simul interierint omnia. Etenim si agricola protinus ab agricultura resiliat, quod semel atque iterum aut sæpius acciderit aëris inæqualitas, brevi fame peribimus omnes. Item si nauclerus, ob semel atque iterum, aut sæpius obortam tempestatem fugiat mare, futurum est, ut nemo vehatur pelago, atque hinc rursum peribunt nobis omnia vitæ commoda. Quod si per singulas artes percurrens, ista quæ nos facere vis, suadeas, moneasque, cuncta funditus interibunt, terraque carebit incolis. Itaque cum hæc omnes sciant, etiamsi semel atque iterum aut sæpius frustrati fuerint optato negotiorum, in quibus versantur, exitu : denuo pari cum alacritate redeunt ad eadem.

III. Quæ cum nobis etiam nota sint omnia, dilectissimi, ne quæso proferamus ista, neve dicamus : « Quid nobis est tot verbis opus? Nulla ex hoc sermone promanat utilitas. Nam et agricola, ubi semel atque iterum ac sæpius semen arvo commisit, nec votis respondit proventus, rursus eamdem exercet segetem, neque raro fit, ut totius temporis jacturam uno sarciat anno. Sic et negotiator, quanquam

crebro fecit naufragium, non tamen abstinet a portu, sed et posteaquam navim detraxit, et nautas conduxit, pecuniis mutuo acceptis, eadem aggreditur negotia, idque cum nihilo magis tunc sciat quomodo cessurum sit, quam scierat antea. Denique quicumque solent aggredi rem quamcumque, ita facere consueverunt quemadmodum faciunt agricola ac negotiator. » Et post hæc cum illi tantam adhibeant curam studiumque circa res ad præsentis usum vitæ pertinentes, licet exitus sit incertus : nos si loquentes non auditi fuerimus, illico desinemus ? Et quam obtinebimus veniam? Quid excusationis afferemus ? Et tamen illis, si non successerit, nullus est, qui damnum acceptum leniat. Veluti si mare navim fluctibus obruerit, nemo medebitur inopiæ naufragi. Si vis imbrium effusa in arvum præfocarit sementem, cogitur agricola vacuis manibus abire domum. Nostra vero, cum loquimur aut exhortamur, non est eadem conditio. Imo si semen per te jactum auditor non receperit, nec obedientiæ fructum retulerit, tu tamen communicati consilii mercedem fers a Deo, nec minus accipies præmii non auditus, quam accepturus eras, si ille obtemperasset. Quod erat in te, præstitisti. Cæterum ad id, ut persuadeamus auditoribus, non sumus obstricti, sed tantum ut admoneamus. Nostræ quidem partes sunt admonere, illorum vero obtemperare. Et quemadmodum si nos admonendi officio functi non fuerimus, etiamsi sexcenta illi bona opera ediderint, ipsis solis repositum est præmium, ad nos nihil redibit lucri, quandoquidem non dedimus consilium : ita si nobis admonentibus illi non auscultarint, ad ipsos solos redibit omnis ultio, nobis autem nihil imputabitur, quin potius copiosa merces nobis veniet a Deo. Siquidem quidquid in nobis erat situm, præstitimus. Nihil aliud jubemur, quam apud mensarios deponere pecuniam [1], loqui et con-

[1] Matth. xxv, 27.

sulere. Loquere igitur et admone fratrem. Verum non audivit. Tu nihilo secius habes paratam mercedem, si non destiteris, prius quam persuadeas, donec spiritum efflaveris. Terminus monendi sit obedientia monitionem tuam recipientis. Diabolus circumcursat obsistere cupiens nostræ saluti, non solum ipse nihil hinc lucri reportans, verumetiam suo studio gravissima detrimenta sibi concilians. Is tamen usque adeo vesanus est, ut frequenter et illa tentet, quæ fieri non possunt : nec illos solum adoriatur, quos omnino confidit se supplantaturum dejecturumque, verumetiam eos, quos probabile est artibus ipsius fore superiores. Itaque cum audiret laudari Job ab eo, qui novit arcana omnia, nimirum Deo, sperabat fore, ut eum subvertere posset : nec destitit omnia movere molirique, quo supplantaret hominem, nec desperavit impurus ille ac sceleratissimus dæmon : idque cum Deus justo illi tantum virtutis suo suffragio tribuisset. Et post hæc non erubescimus, neque pudore suffundimur, dic mihi, si cum diabolus nunquam desperet nostram perniciem, sed indesinenter eam expectet, nos fratrum salutem desperabimus? Et tamen illum decebat, etiam prius quam expertus esset, e lucta abstinere : nam Deus erat qui testimonium ferebat de justi virtute. Nec tamen abstinuit, sed præ nimio furore, quo fertur adversum nos, etiam post Dei testimonium sperabat futurum, ut illius ætatis præstantissimo viro superior evaderet. Cæterum nihil est tale, quod nos in desperationem adigat, et tamen desistimus. Ac diabolus quidem, vetante Deo, non discedit a pugna adversum nos suscepta : tu vero cum Deus mandet extimuletque ad subveniendum lapsis, resilis refugisque. Audierat diabolus loquentem Deum : « Homo jus- » tus, verax, timens Deum, abstinens ab omni opere malo [1]. » quodque nullus esset illi similis ex iis, qui sunt super ter-

[1] Job. 1, 8.

ram, et tamen post tanta taliaque judicia perseveravit dicere : « Quid si quando perpetuitate magnitudineque malorum irruentium valeam illum superare, et hanc excelsam dejicere turrim ? »

IV. Quis igitur erit nobis veniæ locus, dilectissimi, aut quid excusabimus, si cum tanta sit mali dæmonis in nostrum insanientis exitium vigilantia, nos ne tantulum quidem similis diligentiæ afferamus ad salutem fratrum nostrorum, præsertim cum Deum habeamus auxiliatorem ? Itaque cum videris fratrem tuum durum, rigidum, minimeque attentum, dic apud temetipsum : « Quid si progressu temporis aliquando valeamus illum flectere ? Hoc nimirum et Paulus præcepit : « Servum Domini non oportet litigare, » sed placidum esse erga cunctos, erudientem eos qui re- » sistunt veritati, si quando det illis Deus pœnitentiam in » agnitionem veritatis [1]. » Annon vides parentes, quomodo filiis suis, licet frequenter desperatis, assident, lacrymantes, lamentantes, exosculantes, omnia quæ possunt admoventes, ad supremum usque halitum? Hoc tu quoque facito pro fratribus. Et tamen illi non possunt lacrymis ac lamentis neque morbum depellere, neque mortem imminentem abigere. Tu vero frequenter poteris animam deploratam, assiduitate instantiaque per lamenta revocare ac suscitare. Dedisti consilium, nec persuasisti, illacryma, punge frequenter, ac suspira paululum, ut tua sollicitudo incutiat illi verecundiam, itaque se convertat ad salutem. Quid ego solus possem efficere ? Neque enim quotidie vobis omnibus solus adesse valeo, neque suppetit mihi facultas, ut solus cum tanta disputem multitudine. Cæterum si vos velitis inter vos aliis aliorum partiri curam salutis, ac vestrum quisque unum suscipere fratrum neglectorum, illico nobis cresceret ædificatio. Et quid attinet dicere de iis, qui post

[1] 2 Tim. II, 24, 25.

multam et diutinam admonitionem, se ipsos ad meliorem frugem recipiunt? Neque enim ab illis, etiamsi tenerentur immedicabili morbo, oporteret desistere, neque curam abjicere, etiamsi certo præsciremus futurum, ut post multam sollicitudinem, multamque adhibitam admonitionem, nihilo plus sint profecturi. Quod si hæc oratio vobis videtur incredibilis, age, ex factis dictisque Christi reddemus eam credibilem. Nam nos quidem ignari sumus futurorum, unde nec dijudicare possumus de iis, qui audiunt, utrum obtemperaturi sint dictis nostris, an secus : Christus autem cum hæc utraque probe nosset, non cessavit ad extremum usque corrigere illum, qui sibi non esset auscultaturus, non defatigatus est corrigendis iis a quibus audiebatur, usque ad extremum. Itaque cum sciret Judam non revocatum iri a proditione, non tamen cessavit assiduis consiliis, monitis, beneficiis, minis, demum omni doctrinæ specie a proditione retrahere, nec destitit illum dictis ceu freno cohibere. Hoc autem fecit nos instituens, ut etiamsi præsciamus futurum, ut fratres non obtemperent, tamen quidquid in nostra fuerit facultate præstemus, tanquam parata nobis admonitionis nostræ mercede. Vide autem quanta assiduitate, quantaque sapientia illum cohibuerit. « Unus vestrum me proditurus est [1]. » Ac rursum : « Non de omnibus vobis loquor, novi quos elegi [2]. » Et, « Unus ex vobis diabolus est [3]. » Sustinuit omnes in angorem inducere, ne vulgaret proditorem, ac manifesta redargutione redderet etiam impudentiorem. Nam ut intelligas quod aliis etiam angorem et metum injecerint Christi dicta, licet sibi nullius mali consciis, audi quomodo quisque anxius dixit : « Numquid ego sum, Domine [4]? » Neque vero dictis tantum, verum et factis illum corripuit. Cum

[1] Matth. xxvi, 11. — [2] Joan. xiii, 18. — [3] Id. vi, 71. — [4] Matth. xxvi, 12.

enim benignitatem suam frequenter ac modis omnibus declarasset, leprosos emundans, dæmones abigens, ægrotos sanans, mortuos excitans, paralyticos restituens; breviter cum omnibus benefecisset, neminem tamen puniit, semper habens in ore, « Non veni ut judicem mundum, sed »ut servem mundum [1]; » ne putaret Judas, quod tantum nosset benefacere, punire vero nequaquam, et hanc quoque partem ipsum docuit, videlicet quod punire posset, supplicioque afficere peccantes.

V. Ac vide quam sapienter et congruenter hoc etiam docuerit : nec tamen hominem quempiam punierit, supplicioque affecerit. Quî sic? Ut Discipulus puniendi facultatem in eo cognosceret. Etenim si quem punisset, secum pugnare visus fuisset, qui dixerat; « Non veni ut judicem »mundum, sed ut servem mundum. » Rursum si neminem punisset, mansisset incorrigibilis Discipulus, nisi et factis didicisset illi esse puniendi facultatem. Quorsum igitur? Ut simul et terreret Discipulum, ne per contemptum fieret deterior, nec ullus tamen hominum afflictionem, pœnam, aut supplicium pateretur, in ficum arborem Christus hanc suam potestatem exercuit, dicens : « Ne posthac ex te fruc»tus nascatur [2], » eamque mox simplici verbo arefecit. Hoc pacto factum est pariter, ut nihil noxæ rediret ad ullum hominem, et ipse suam potentiam declararet, vindicta in arborem impacta. Discipulus autem si hæc animadvertisset, ingentem ex hac ultione cepisset utilitatem. Sed tamen ne sic quidem correctus est. Christus autem præscius et hoc eventurum, non hoc tantum, verumetiam aliud hoc multo majus effecit. Cum gladiis et fustibus armati manus in ipsum pararent injicere Judæi, tum illos omnes excæcavit. Id enim declaravit, cum diceret : « Quem quæri»tis [3]? » Cum enim Judas frequenter dixisset : « Quid vul-

[1] Joan. XII, 47. — [2] Matth. XXI, 19. — [3] Joan. XVIII, 6.

» tis mihi dare, et ego vobis tradam eum [1]? » ille volens Judæis persuadere, Discipulumque docere se volentem ad mortem ire, et omnia ipsius esse, nec Judæ malitia victum huc adigi potuisse, ipso proditore cum cæteris omnibus astante, « Quem, inquit, quæritis? » Ita-ne non noverat quem erat proditurus? Sed Dominus obcæcarat illius oculos, nec id solum, verumetiam omnes hac voce resupinatos dejecit in terram. Ubi vero nec ea res illos reddidit humaniores, neque sceleratum illum a proditione revocavit, sed perseverabat insanabilis, ne sic quidem alienatus est Dominus quominus rursus illi tum benevolentiam, tum curam impenderet. Sed age considera quam opportune impudentem tangat animum, et ea loquatur, quæ vel saxeam mentem queant emollire. Etenim simul atque Judas accessisset ad eum osculaturus, quid ait? « Juda, osculo Filium » hominis prodis [2]? » Nec ipsa proditionis species pudorem incutit? Hæc autem dicebat taxans ac pungens illum, pristinæque commonefaciens consuetudinis. Attamen cum Christus tam multa tum fecisset, tum dixisset, ille tamen nihilo factus est melior, non quod parum esset potens qui monebat, sed quod ille vecors. Christus autem cum hæc omnia præsciret, non desiit tamen ab initio usque ad finem suam exhibere benignitatem. Et nos igitur cum hæc noverimus, dilectissimi, debemus infatigabiliter, ac per omne tempus fratres nostros neglectos instruere ac monere, etiamsi nihil ex admonitione fructus sit rediturum. Etenim si Dominus, qui prænoverat hujusmodi futurum eventum, hac usus est sollicitudine erga eum, qui nihil fructus laturus erat ex admonitione, qua tandem venia digni fuerimus nos, si cum incertus sit nobis rerum eventus, adeo socordes fuerimus circa proximi salutem, post unam atque alteram admonitionem eos deserentes? Denique præter hæc omnia,

[1] Matth. XXVI. — [2] Luc. XXII, 28.

quæ dicta sunt, etiam quid in nobis ipsis accidat consideremus, reputantes quod cum Deum nobis quotidie loquentem per Prophetas, per Apostolos oscitanter audiamus, haud tamen desinit vel appellare, vel docere rebelles parumque attentos. Quin et Paulus clamat, dicens : « Pro » Christo legatione fungimur, tanquam Deo per nos obse- » crante, rogamus pro Christo, reconciliemini Deo [1]. » Quod si dicendum aliquid novum et admirandum, haud tantumdem laudis meretur is qui præscit futurum, ut is, qui consilium accipit obtemperet, atque ita in consulendo perseverat, quantum is qui frequenter locutus, frequenter adhibita monitione, frustratus est, nec sic tamen destitit. Nam priorem illum spes futuræ auditoris obsequentiæ, etiamsi segnissimus fuerit, excitat ad officium admonendi : contra hic cum assidue moneat, nec audiatur, nec eo tamen desistat, fervidissimæ cujusdam ac verissimæ charitatis argumentum præbet, qui cum nulla simili spe alatur, tamen ob vim amoris erga fratrem non desinit illius agere curam. Verum non oportere nos unquam desistere a cura lapsorum, etiamsi præsciamus illos nobis non obtemperaturos, abunde demonstratum est. Superest ut ad eorum reprehensionem transeamus, qui deliciis indulgent. Donec enim durarit hoc festum, donec ebrietatis vulnera mentibus ebriosorum inflixerit diabolus, oportet et nos admovere remedia.

VI. Heri quidem Paulum illis opposuimus dicentem : « Sive » editis, sive bibitis, sive aliud facitis, omnia in gloriam Dei » facite [2]. » Hodie vero ipsum Dominum Pauli illis proferemus, non modo consulentem aut monentem a deliciis abstinere, verumetiam insultantem ac punientem eum, qui in deliciis vixerat. Nam historia de divite nihil aliud quam hoc declarat, ac Lazaro, deque iis quæ utrique acciderunt.

[1] 2 Cor. v, 20. — [2] 1 Cor. x, 31.

Quin potius, ne leviter hoc aut obiter agamus, ordine vobis ipsam parabolam recitabimus : « Homo quidam erat dives, » et induebatur purpura ac bysso, et epulabatur quotidie » splendide. Erat autem mendicus quidam nomine Lazarus, » qui jacebat in vestibulo illius ulcerosus, cupiensque satu- » rari de micis quæ decidebant e mensa divitis. Sed et canes » adeuntes, circumlingebant ulcera ejus [1]. » Cujus gratia Dominus per parabolas locutus sit, et quam tandem ob causam ex parabolis alias quidem explicaverit, alias non item : et quidnam sit parabola, et si qua sunt hujus generis alia, in aliud tempus reservabimus, ne ab argumento nunc urgente digrediamur. Cæterum illud modo vobis dicemus in præsentia, qui Evangelistarum scripserit hanc parabolam a Christo fuisse propositam. Quis igitur is est? Nimirum Lucas solus : quandoquidem et hoc scire refert, quod inter ea quæ referuntur ab Evangelistis, alia dicantur a quatuor communiter, alia speciatim a singulis. Quam ob causam? ut simul et nobis esset necessaria reliquorum sacra lectio, et evidenter perspicua fieret illorum inter ipsos consonantia. Etenim si omnes omnia dixissent, nequaquam ad omnes cum studio animum adjecissemus, cum unus ad omnia docenda suffecisset; sin autem omnes diversa omnia atque variata protulissent, nequaquam insignis illorum apparuisset concordia. Quapropter et omnes communiter multa scripserunt, et sibi quisque proprie sumpsit nonnulla. Hoc igitur illud est, quod per parabolam docet Christus. Homo quidam erat dives, cujus vita variis vitiis erat inquinata, nec ipse tamen ullam sentiebat calamitatem, verum illi cuncta velut e fontibus affluebant. Quod enim illi nihil acciderit subitum aut inopinatum, nec ulla doloris materia, nec ullum in rebus mundanis incommodum, hoc ipsum aperuit Lucas, dicens : « Lætabatur et gaudebat

[1] Luc. XVI, 19-21.

» quotidie. » Cæterum quod vitiosam egerit vitam, perspicuum est ex ipso vitæ exitu, quem sortitus est, et item ante vitæ exitum, ex eo quod sic fastidivit pauperem. Nam ista res declarat, quod non hujus solum qui jacebat in vestibulo, verum nec alterius cujusquam ille misertus fuerit. Etenim si illum perpetuo in vestibulo prostratum, quem quotidie semel atque iterum ac sæpius videre cogebatur, foras prodiens ac domum rediens : non enim bivio, nec in angiportu, occultove loco decumbebat, sed qua frequenter exibat intrabatque dives, sic ut vel nolens aspicere cogeretur; si hunc, inquam, non est commiseratus, tanta afflictum ægritudine, in egestate ac penuria vitam degentem, vel potius toto vitæ suæ tempore morbo atque adeo gravissimo laborantem, cujusnam obvii misertus esset? Etenim ut primo die neglexerit, certe consentaneum erat, ut altero die sentiret aliquid affectus. Quod si hoc quoque die dissimulavit, certe tertio die, certe quarto, certe quinto, aut huic proximo die prosus animo flecti debebat, licet feris quoquæ fuisset immitior. Verum nihil istiusmodi sensit, sed illo quoque judice, qui neque Deum metuebat, nec hominem reverebatur, et impudentior erat, et inexorabilior. Nam illum quidem viduæ instantia, quamvis crudelem et asperum, tamen flexit ad gratificandum, vicitque mulieris supplicatio : hunc vero ne ista quidem res flectere potuit ad subveniendum pauperi. Quanquam non erat similis postulatio, sed hujus, nempe Lazari, multo fuit tum facilior, tum justior. Nam vidua quidem illum implorabat adversus hostes suos : hic nihil aliud petebat, quam ut sedaret famem, et ne contemneret pereuntem. Illa flagitabat obstrepens, hic autem sæpius uno die, silens apparebat diviti jacensque. Hoc certe satis erat, vel ad saxeum cor emolliendum. Etenim qui obtundunt, in hos frequenter etiam provocamur ira. Cæterum quoties videmus auxilio

indigentes, multo cum silentio astantes, neque vocem ullam edentes, imo etiam si semper frustrentur, non tamen moleste ferentes, sed tacite offerentes sese nostro conspectui, quamvis simus ipsis lapidibus duriores, tamen admirabilem illam modestiam reveriti, flectimur. Jam et aliud accedebat his quæ dixi non minus, videlicet quod ipsa quoque facies pauperis erat miserabilis, utpote fame diutinaque valetudine confecta. Attamen nec harum rerum quidquam implacabilem illum emolliit.

VII. Hoc igitur primum vitium credulitas erat, inhumanitasque cui nihil poterat accedere. Nec enim simile est, si is, qui in penuria degit, non succurrat egenis, et si tantis affluens deliciis, alios fame tabescentes despiciat. Rursum simile non est si pauperem semel atque iterum conspectum prætercurras, et cum quotidie videas, ne sic quidem ex assiduo conspectu excitaris ad misericordiam. Rursus aliud est, si qui calamitatibus angustiis premitur, maleque affectus est animo, non opituletur proximo : aliud si qui tanta fruitur voluptate perpetuaque felicitate, alios fame tabescentes negligat, occludatque viscera, nec vel ab ipsa lætitia reddatur humanior. Nam illud profecto nostis, quod licet simus omnium immitissimi, tamen prospero successu rerum, mitiores benigniores reddi consuevimus. At illum ne copia quidem rerum reddebat meliorem, sed perseverabat versus in feram, imo potius omnium ferarum crudelitatem, et inhumanitatem moribus superavit. Et tamen hanc scelerosam et inhumanam vitam agens, omni rerum prosperitate fruebatur : alter vero justus, ac virtutis studiosus in extremis erat malis. Nam Lazarum fuisse justum declaratum est, tum exitu vitæ, tum et ante vitæ finem, ipsa hominis in paupertate tolerantia. Quæso, nonne videmini hæc oculis intueri? Diviti navis erat plena mercium, ac secundo navigabat vento. Verum

ne quid mireris, ad naufragium festinabat, eo quod onus nolebat caute ponere. Vis tibi commemorem et aliud illius vitium? Quotidie vacabat deliciis sine ullo metu. Nam et hoc erat vitium, non modo hoc tempore, cum tanta a nobis exigitur philosophia, verumetiam initio sub Veteri Testamento, cum nondum nobis esset ostensa tam exacta philosophia. Audi igitur quid dicat Propheta : « Væ vobis, » qui venturi estis in diem malum, qui appropinquatis, et » tangitis sabbata mendacia [1] : » quid est, « Tangitis sab- » bata mendacia? » Judæi putant sibi sabbatum otii fuisse datum, verum non ista est causa : sed potius, ut abducti a curis rerum temporalium, otium omne consumerent in spiritalibus. Quod enim sabbatum non otii, sed spiritualis actionis materia sit, dilucidum est ex ipsis rebus. Nam sacerdos eo die duplum facit operis, qui quotidie nonnisi unicam hostiam offerre solitus, sabbato jubetur offerre geminam. Quod si prorsus esset otii dies, oportebat sacerdotem omnium maxime otium agere. Quoniam igitur Judæi corporalium rerum curis liberati, non vacabant spiritalibus, puta sobrietati, modestiæ, et audiendis divinis sermonibus, sed contrarium potius faciebant, servientes ventri, indulgentes ebrietati, distenti cibis, deliciantes, ideo illos reprehendit Propheta. Cum enim dixisset : « Væ » qui venitis in diem malam : » et cum addidisset, « Qui » attingitis sabbata mendacia, » indicavit ex additione, quo pacto mendacia illis sabbata essent. Quomodo igitur ea mendacia reddebant? dum operabantur iniquitatem, deliciis et ebrietati vacantes, et sexcenta alia fœdissima perpetrantes. Quod ut verum esse intelligas, audi quæ sequuntur : quod ego dico per ea indicat, quæ statim adjunxit dicens : « Qui dormitis in lectis eburneis, ac lascivitis in » stratis vestris. Qui comeditis hœdos e caulis, et vitulos e

[1] Amos VI, 3.

» bovilibus lactentes, qui bibitis vinum defæcatum, ac pri-» mis unguentis ungimini [1]. » Accepisti sabbatum, ut animam tuam liberares a vitiis : tu vero tum magis illa committis. Quid enim esse possit ista mollitie nequius, quam indormire lectis eburneis? Nam cætera quidem peccata saltem aliquam exiguam delectationem habent, veluti temulentia, avaritia, et luxuria : cæterum in lectis eburneis dormire, quam affert voluptatem? quod solatium? Num lecti pulchritudo reddit nobis somnum suaviorem, dulcioremque? Imo gravissimum est illud molestissimumque, si modo sapiamus. Etenim si dum tu dormis in eburneo lecto, tecum reputes, quod alius ne panem quidem habet quo secure vescatur, nonne te tua condemnabit conscientia, et insurget in accusationem istius inæqualitatis? Quod si crimen est eburneis indormire lectis, cum undique etiam argento fuerint convestiti, quam afferemus excusationem? Vis lecti videre pulchritudinem? Ego tibi nunc commonstro; non plebeii, neque militaris, sed regii lecti ornatum. Et enim quamvis fueris omnium ambitiosissimus, sat scio, non optabis tibi lectum pulchriorem quam regis, et quod majus est, regis non cujuslibet, sed primarii, regumque omnium maximi, quique in hodiernum usque diem celebratur toto terrarum orbe. En, ostendo tibi lectum beati Davidis. Qualis igitur erat ille? Non argento et auro, sed undique lacrymis, et confessione erat exornatus. Hæc ipse fatetur ita loquens. « Lavabo per singulas noctes lectum » meum, lacrymis meis stratum meum rigabo [2]. » Itaque vice margaritarum undique lacrymis erat distinctus.

VIII. Hic mihi considera mentem amore Dei flagrantem. Nam quoniam interdiu variæ sollicitudines curæque principum, ducum, gentium, populorum, militum, bellorum, pacis, civilium ac domesticorum negotiorum, eorum

[1] Amos VI, 4 et 6. — [2] Psal. VI, 7.

quæ procul, eorum quæ prope, distrahebant et avocabant hominem, quod otii cæteri consumunt somno, ille in confessione, lacrymis, ac precibus impendebat. Neque id ita faciebat per unam noctem, ut altera quiesceret, neque sic per duas tresve, ut interim deficeret, verum singulis noctibus id faciebat : « Lavabo enim, inquit, per singulas noctes »lectum meum, et lacrymis meis stratum meum ri»gabo [1] : » videlicet lacrymarum ubertatem exprimens, simul et perpetuitatem. Cum omnes quietem et otium agerent, solus ille tunc Deum interpellabat, et aderat sopiri nescius oculus ploranti, lamentantique, suaque proficienti mala. Talem tu quoque tibi parato lectum. Nam lectus argento obtectus cum invidiam hominum excitat, tum iram supremi Numinis inflammat : cæterum tales lacrymæ quales erant Davidis, ipsum etiam gehennæ incendium norunt extinguere. Vis tibi alium commonstrem lectum Jacob? Solum habebat substratum, et lapidem capiti suppositum, eoque vidit illum intelligibilem lapidem, eamque scalam per quam ascendebant ac descendebant Angeli [2]. Hujusmodi lectos excogitemus, ut ejusmodi videamus somnia. Quod si lecto argenteo indormierimus, non modo nullam capiemus voluptatem, verumetiam animi molestiam perferemus. Cum enim tibi succurrit, quod in summo rigore mediaque nocte, dum tu lecto indormis, pauper in balneorum vestibulis, paleis substratis incubat, culmis circumtectus, tremens ac rigore concretus, fame cruciatus : etiamsi maxime sis lapideus, sat scio, condemnabis te ipsum, dum tu plus quam opus est, deliciaris, cum illi nec ad usum suppetat. Nullus, inquit, militans implicatur temporariis negotiis : miles es spiritalis. Talis autem miles non dormit in lecto eburneo, sed humi. Non oblinitur unguentis : nam ista cura est meretriciis amoribus implicatorum ac perditorum, scenicorum, atque

[1] Psal. vi, 6. — [2] Gen. xxviii.

in desidia viventium hominum. Te vero non oportet olere unguentum, sed spirare virtutem. Nihil immundius anima, quoties corpus talem habet fragrantiam. Corporis enim ac vestium fragrantia arguit intus latere animum graveolentem et immundum. Cum enim diabolus aggressus deliciis enervarit animam, omnique torpore compleverit, tum et corpus ipsum corruptionis suæ sordibus per unguenta inficit, et contaminat. Nec secus atque hi qui pituita nasi catharroque perpetuo laborant, et vestes, et manus, et faciem contaminant, eo quod subinde narium profluvium absterguat, anima quoque istius pravi profluvii malitiam in corpus abstergit. Quis enim præclarum aliquid, aut bonæ frugis opinabitur de eo qui spirat unguenta, qui muliebribus gaudet, vel potius meretricie se gerit, qui saltatricularum elegit vitam? Spiret anima tua fragrantiam spiritualem, quo tum tibi ipsi, tum aliis tecum viventibus maximam afferas utilitatem. Nihil est enim, nihil est, inquam, deliciis perniciosius. Audi rursum quid de illis dicat Moses : « Impinguatus est, incrassatus est, dilatatus est, et » recalcitravit dilectus [1]. » Nec ait : « Recessit, » sed, « Re» calcitravit dilectus, » illius intractabilem animum nobis significans. Atque alio rursus loco : « Ubi comederis ac bi» beris, cave tibi, ne quando obliviscaris Domini Dei tui [2]. » Adeo deliciæ solent ad Numinis oblivionem adducere. Proinde tu quoque, charissime, cum sederis ad mensam, memento quod post convivium orandum est tibi. Ita moderate ventrem exple, ne gravatus non queas genua flectere, ac Deum invocare. Annon videtis, quod jumenta jugum ferentia, posteaquam ad præsepe pasta sunt, iter agunt, onera gestant, suumque explent ministerium? Tu vero, qui, sublata mensa, ad omne opus inutilis es et ineptus, num vitare poteris, quominus videaris asinis dete-

[1] Deut. xxxii, 11. — [2] Id. xi, 16.

rior? Quam ob rem? quia tum maxime convenit esse sobrium ac vigilantem. Nam tempus post mensam, agendi gratias tempus est. Non decet autem agentem gratias ebrium esse, sed sobrium ac vigilantem. A mensa non ad lectum, sed ad precationem vertamur, ne brutis animantibus simus magis bruti.

IX. Novi fore multos qui damnent ea quæ nunc dicuntur, veluti quæ novam quamdam et miram vitæ consuetudinem invehant. At ego magis damnabo pravam consuetudinem, quæ nunc obtinuit. Etenim quod post cibum ac mensam, non ad somnum oporteat ire, nec ad cubile, sed oporteat cibo preces ac divinarum Scripturarum lectionem succedere, manifestius declaravit ipse Christus, qui cum immensam multitudinem excepisset convivio in deserto, non remisit illos ad lectum aut somnum, sed ad audiendos sermones divinos invitavit. Non enim distenderat illorum ventres, neque ad ebrietatem impulerat, verum ubi saturasset illos, quantum exigebat necessitas, ad spiritualem adduxit alimoniam. Itidem nos quoque faciamus, eoque modo consuescamus capere cibum, ut ad vitam tuendam duntaxat sufficiat, non ut nos valeat disrumpere et gravare. Non enim in hoc nati sumus ac vivimus, ut edamus, ac bibamus : sed ideo edimus, ut vivamus. Ab initio non erat cibi causa data vita, sed vitæ causa datus est cibus. Nos vero perinde quasi ob hoc ipsum viveremus, ita cuncta in hoc insumimus. Cæterum ut vehementior etiam fiat deliciarum redargutio, acriusque pungat in his vitam agentes, age rursus ad Lazarum referamus sermonem. Hoc enim pacto fiet, ut nobis sit efficacior admonitio consiliumque nostrum, cum videatis non verbis, sed factis corripi punirique eos, qui indulgent ingluviei. Dives igitur ille cum tanta vivebat improbitate, quotidie deliciis vacans, lautisque patinis fruebatur, et splendidis vestibus indueba-

tur, gravius sibi ipsi supplicium accersens, majusque parans incendium, ac vindictam Dei reddens implacabilem, ultionem exasperans, sic ut veniæ locus non esset. Pauper autem projectus erat in vestibulo, nec tamen erat morosus, nec dicebat convicia, nec indignabatur. Non dicebat apud se quod dicunt complures : « Quid tandem est hoc? Iste qui improbam crudelemque vitam agit et inhumanam, omnibus supra quam opus est fruitur rebus, nec ullam animi molestiam patitur, nec aliud quidquam inopinatum, qualia multa solent in rebus humanis accidere, sed pura voluptate fruitur : mihi vero ne tantum quidem impartitur alimoniæ, quantum postulat necessitas. Verum isti, qui in parasitos et adulatores, ac temulentiam quidquid habet consumit, non aliter quam e fonte cuncta affluunt. Ego porro hic jaceo, exemplum iis qui me conspiciunt, probrum ac ludibrium, fame contabescens. An hæc sunt providentiæ? An ulla justitia respicit res hominum? » Nihil horum neque dixit, neque cogitavit. Unde hoc liquet? Ex eo quod Angeli stipatum illum deduxerunt, inque sinum Abrahæ deposuerunt. Quod si blasphemus fuisset, nequaquam illi tantum contigisset honoris. Ita cæteri quidem ob hoc demum tantopere mirantur hominem quod in paupertate vixerit. Ego vero doceo illum novem supplicia pertulisse, non quo puniretur, sed quo clarior redderetur; quod quidem etiam evenit. Nam paupertas quidem res est vere molesta, hoc norunt quicumque sunt experti. Nec enim ulla oratio possit assequi cruciatum, quem sustinent ii qui in paupertate degunt, si nesciant uti philosophia. In Lazaro vero non ista tantum erat calamitas [1], verumetiam adversa valetudo erat affixa, eaque supra modum gravis. Vide siquidem quemadmodum declarat utramque calamitatem ad summum pervenisse. Nam quod omnem paupertatem

[1] Luc. xvi, 21.

Lazari paupertas tum superavit, declaravit dicens, quod ne micis quidem potiri licuerit, quæ cadebant de mensa divitis. Porro quod valetudo quoque ad eamdem mensuram pervenerit ad quam paupertas, ultra quam non posset amplius proferri, et id quoque rursus declaravit, dicens, quod canes lingebant ulcera ejus : adeo erat fractis viribus, ut ne canesquidem posset abigere, sed vivum cadaver jacebat, videns quidem eos occurrentes, nequaquam tamen valens depellere : usque adeo illi membra erant soluta, usque adeo erant arefacta morbo, usque adeo consumpta erant afflictione. Vides vehementer supraque modum et paupertatem, et valetudinem oppugnantem corpus illius? Quod si horum unum quodque per se intolerabile est et acerbum, cum simul conglomerata fuerint, annon adamas quispiam fuerit, qui hæc perferat? Multi frequenter laborant adversa valetudine, cæterum non egent iis, quæ ad victum sunt necessaria. Alii paupertati extremæ sunt obnoxii, verum potiuntur bona valetudine, sic ut altera res alterius sit solatium, huic vero ambo concurrebant mala. Age posses mihi nominare quempiam, simul et adversæ valetudini et paupertati obnoxium? sed non usque adeo desolatum ac destitutum. Nam ille quidem quaquam non ex sese neque a domesticis, tamen ab iis, qui vident, misericordia flexis sublevari potest, in medium projectus : huic vero molestias eas, quas antea diximus, molestiores reddebat, quod esset ab omnibus desertus : et hanc ipsam solitudinem rursum molestiorem faciebat, quod in vestibulo divitis jaceret. Etenim si in terra deserta nullisque habitata jacens hæc passus fuisset, neglectusque jacuisset, non tantum doluisset. Nam si nullus adsit, hoc ipsum etiam nolenti persuadet, ut ferat quæ accidunt : cæterum quod in medio tam multorum jacens, ebrietati indulgentium, suaviter viventium, a nemine vel vulgarem curam nan-

ciscretur, id reddebat sensum dolorum acriorem, magisque incendebat animi ægritudinem. Non enim perinde si absint qui succurrant, atque si adsint quidem, sed nolint porrigere manum, mordere solet animum in calamitatibus, quod quidem tum huic accidit. Nullus erat qui dictis consolaretur, nullus qui factis afferret solatium, non amicus, non vicinus, non cognatus, non videntium quisquam, adeo erat tota divitis corrupta familia.

X. Ad hæc aliam doloris accessionem adjungebat, quod alterum illum in felicitate conspiciebat, non quod invidus esset ac pravus, sed quod omnes solent in aliorum prosperitate acrius suas sentire calamitates. In divite autem erat aliquid majus ad illius animum exulcerandum. Non enim solum suam ipsius calamitatem cum illius prosperitate conferens, graviorem reddebat suorum malorum sensum verumetiam perpendens quod ille vitam ducens crudelem et inhumanam, in omnibus prosperaretur, ipse vero virtutem ac modestiam amplexus, extrema pateretur mala, inconsolabilem animi molestiam et hinc sustinuit. Nam si vir justus fuisset dives, si modestus, si suspiciendus, si omni virtute præditus, nequaquam illi perinde doluisset. Nunc vero cum dives esset, improbæque vitæ, et ad extremum usque malitiæ provectus, et tantam inhumanitatem ostendens, et hostilem animum gerens, nec secus atque lapidem ipsum prætercurrens, sine verecundia, sine misericordia, denique super hæc omnia, tanta potiens rerum copia, cogita quam probabile sit, velut alternis fluctibus demersum pauperis animum fuisse. Cogita qualiter affectum fuisse Lazarum consentaneum sit, cum videret parasitos, adulatores, famulos ascendentes, descendentes, egredientes, ingredientes, circumcursantes, tumultuantes, ebrios, salientes, omne lasciviæ genus exhibentes : quasi enim propter hoc venisset, ut esset alienorum bonorum testis, ita in vestibulo projectus

erat, solum vitæ tantum habens, ut sua mala sentire posset, in portu faciens naufragium, juxta fontem molestissima siti discruciatus animo. Dicam et aliud quoddam præter hæc malum. Non poterat alterum videre Lazarum. Nam nos etiamsi innumera patiamur mala, habemus tamen ad illam spectantes, unde sufficientem accipiamus consolationem, magnumque feramus molestiæ delinimentum. Nam malorum nostrorum reperire consortes, sive in factis, sive in dictis, multum affert solatii lugentibus. Ille vero neminem alium habebat, ad quem respiceret eadem cum illo passum, imo ne audire quidem poterat de quoquam, qui majorum ipsius ætate tam acerba sustinuisset. Hoc autem satis est ad inducendum animo caliginem. Possum et aliud his omnibus addere, videlicet quod ne de resurrectione quidem quidquam potuerit philosophari, sed hujus vitæ res crederet hujus vitæ fine terminari. Erat enim ex eorum numero, qui gratiam Evangelii præcesserunt. Quod si nunc his temporibus post tantam Dei cognitionem, post egregias resurrectionis spes, post illic reposita peccantibus supplicia, post parata iis qui recte vixerunt bona, adeo dejectis animis, ac miseris sunt nonnulli, ut ne horum quidem expectatione corrigantur : quid tandem est putandum illi accidisse, etiam hac destituto anchora? Nam ille tale nihil unquam philosophari potuit, eo quod nondum advenisset tempus ejusmodi dogmatum. Ad hæc et aliud quiddam accessit, quod et fama ipsius apud homines impudentes traduceretur. Solet enim hominum vulgus, ubi quos viderint in fame perpetuoque morbo et extremis agentes malis, nec opinionem de eis habere bonam, sed ex ipsa calamitate æstimare vitam, et omnino judicare illos ob malitiam sic affligi : aliaque multa hujus generis inter se loquuntur, stulte quidem illi, loquuntur tamen. Hic si Deo charus esset, nequaquam ipsum in hujusmodi malis esse pateretur. Hoc

et in Job et in Paulo usuvenit. Nam et illi dicebant : « Nonne » frequenter tibi dictum est in labore, vim autem verborum » tuorum quis sustinebit? Si enim tu erudiisses multos, et ma- » nus infirmas consolatus esses, et eos qui infirmabantur ver- » bis erexisses, genibusque infirmis addidisses fiduciam : » nunc vero parvenit in te labor, tu vero curasti. Nonne tuus » timor est in stultitia [1]? » Horum autem verborum hic sensus est, si quid tibi, inquit, bonæ rei gestum fuisset, haudquaquam ista patereris, sed peccatorum et iniquitatis luis pœnas. Et hoc erat quod maxime mordebat animum Job. Ac de Paulo barbari hoc ipsum dicebant : cum enim viderent viperam pendentem de manu illius, nihil boni de illo suspicabantur, sed existimabant eum hominem esse de numero eorum qui extrema perpetrarunt scelera. Id perspicuum est ex his quæ dicebant : « Hunc, inquiunt, a mari servatum, » ultio non passa est vivere [2]. » Hoc autem non mediocriter nos quoque conturbare consuevit. Attamen cum fluctus essent tam multi, vicissimque alii super alios illum impeterent, non tamen demersum est navigium, sed perinde ac si in fornace positus veluti perpetuo rore refocillaretur, ita philosophabatur.

XI. Non enim dicebat apud sese quidquam tale, quale vulgus dicere verisimile est : « Iste dives si mortuus illic punitur, datque pœnas, unum factum est unum : si vero illic iisdem potitur honoribus, duo facta sunt nihil. » Annon hæc per fora circumfertis vos plerique, ex Circo exterisque theatris in Ecclesiam importantes? Pudet me quidem ac rubore suffundor, qui talia verba in medium proferam, nisi quod necesse est hæc dicere, ut vos a risu incomposito, probro, et pernicie horum verborum noxiisque verbis liberemini. Hæc multi frequenter dicunt ridentes : verum hoc quoque diabolicæ versutiæ est, loco dictorum civilium et

[1] Job. IV, 2-5. — [2] Act. XXVIII, 4.

urbanorum perniciosa in vitam nostram inducere dogmata. Hæc frequenter et in officinis et in foro, et in ædibus plerique circumferunt, quæ res extremæ est incredulitatis, et amentiæ, ridicula animique puerilis. Nam dicere, num hinc profecti mali puniantur, nec hoc vehementer habere persuasum, quod omnino puniendi sunt, infidelium est ac dubitantium. Illud vero, quamvis hoc evenerit, quemadmodum etiam eventurum est, putare malos æquale præmium cum justis reportare, extremæ dementiæ est. Quid quæso dicis? Si dives illuc profectus punitur, unum factum est unum? et quomodo istuc possit consistere? Quot enim annis vis illum hic pecuniis fuisse fruitum? vis ponamus centum? Ego vero etiam ducentos pono, pono trecentos, pono bis tantum, et si vis mille, quod sane fieri non potuit : « Dies enim, inquit, annorum nostrorum octoginta anni [1] : » attamen ponantur mille : num potes, quæso te, vitam ostendere quæ finem non habeat, ac terminum nesciat, qualis est illic justorum? Age igitur, cedo, si quis in annis centum vidisset per unam noctem suave somnium, multisque deliciis per somnium fruitus esset, ac centum annis puniretur : num is de hoc dicere posset, unum et unum, et unicam noctem qua somniavit, centum annis æquiparare? Dictu absurdum. Hoc jam et de futura vita cogita. Nam quod est somnium unum ad annos centum, hoc est præsens vita ad vitam futuram, imo potius multo minus. Quod est exigua gutta ad pelagus immensum, hoc sunt anni mille ad futuram illam gloriam et fruitionem. Et quid tandem queat aliquis amplius dicere, nisi quod terminum non habet, et finem nescit : quantumque interest inter somnia et res veras, tantum interest inter hujus vitæ statum et illius? Quin et alioqui antequam illic puniantur, jam nunc qui improbe agunt, atque in peccatis vivunt, puniuntur. Nec enim mihi dixeris illum

[1] Psal. LXXXIX, 10.

mensa sumptuosa frui, vestibus circumdari sericis, mancipiorum greges circumferre, alios submovere in foro : sed explica mihi istius conscientiam, et videbis intus gravem peccatorum tumultum, jugem metum, tempestatem, turbationem : videbis velut in judicio mentem ad thronum conscientiæ conscendisse regalem, et tanquam judicem quempiam sedentem, et cogitationes loco carnificum adhibentem, animum suspendentem, pro peccatis lacerantem, vehementer inclamantem, cum nemo sciat, nisi solus Deus qui hæc conspicit. Etenim qui committit adulterium, etiamsi millies fuerit dives, etiamsi nullum habeat accusatorem, non desinit tamen intus se ipsum accusare : et voluptas quidem temporaria est, dolor vero perpetuus, timor undique ac tremor, suspicio et anxietas : angiportus metuit, umbras ipsas formidat, suos ipsius famulos, conscios, inscios, illam ipsam quam corrupit, et virum quem affecit contumelia : obambulat amarum accusatorem circumferens conscientiam, cum sit suo ipsius judicio damnatus, nec vel ad breve tempus possit respirare. Nam et in lecto, et in mensa, et in foro, et in domo, et interdiu et noctu, et in ipsis frequenter somniis hæc iniquitatis simulacra videt, ipsiusque Caïn vitam vivit, gemens ac tremens super terram [1], cum nemo sciat, intus tamen habet ignem semper coacervatum. Idem patiuntur et qui rapinam exercent, et qui fraude lucrum faciunt : hoc et ebriosi, in summa quotquot in peccatis vivunt. Neque enim ulla ratione judicium illud potest corrumpi. Imo etiamsi non sectemur virtutem, dolemus tamen eo quod eam non assequimur : et licet improbitatem sectemur, tamen cessante voluptate quam ex peccato percipimus, sentimus dolorem. Itaque ne dixerimus de divitibus hic improbe viventibus, et de justis illic felicitate fruentibus, quod unum sit unum, sed quod duo

[1] Gen. IV, 14.

sint nihil. Quandoquidem justis, et ea quæ illic sunt, et ea quæ hic sunt, multam præbent voluptatem : qui vero in nequitia et fraude vitam agunt, et hic et illic puniuntur : hic discruciantur expectatione supplicii illic futuri, deinde mala quam ab omnibus ferunt opinione, præterea quod ipsum etiam peccatum animam ipsorum corrumpit : denique post quam hinc profecti sunt, intolerabilia perpetiuntur supplicia. Rursum justi etiamsi hic innumera perpetiantur acerba, quoniam bona spes alit illos, habentque voluptatem puram, firmam, et stabilem, etiam post hæc, innumera illos excipiunt bona, quemadmodum et Lazaro accidit. Nec enim isthuc mihi dixeris, erat ulcerosus, verum illud considera, quod quovis auro pretiosiorem intus habebat animam, imo verius non animam tantum, verumetiam corpus ipsius. Virtus enim corporis non est obesitas, bonaque habitudo, sed tantos ac tales ferre cruciatus. Non enim si quis in corpore gestet talia vulnera abominandus est, verum si quis in animo innumera habens ulcera, nullam illorum curam agat, is abominandus est, qualis erat ille dives, intus totus ulcerosus. Et quemadmodum canes hujus lingebant vulnera, sic et dæmones illius peccata. Et quemadmodum hic in fame cibi, ita ille in fame omnis virtutis vivebat.

XII. Hæc igitur omnia cum sciamus, philosophemur, neque dicamus : « Si illum Deus amasset, haudquaquam eum pauperem esse passus fuisset. Nam hoc ipsum quidem maximum est dilectionis argumentum. « Quem enim diligit » Deus, castigat, flagellat autem omnem filium quem reci- » pit [1]. Et rursus : « Fili, si accesseris ad serviendum Domino, » præpara animam tuam ad tentationem, dirige cor tuum » ac persevera [2]. » Ejiciamus igitur, dilectissimi, istas supervacuas opiniones, vulgariaque istiusmodi dicta. « Turpi-

[1] Hebr. XII, 6. — [2] Eccli. I, 1, 2.

» tudo enim, inquit, ac stultiloquium et scurrilitas ne » prodeant ex ore vestro [1]. » Nec ipsi talia loquamur; et si alios videamus talia loquentes, obturemus illis os, contra insurgamus acriter, cohibeamus eorum impudentem linguam. Age si quem vidisses latrocinii principem grassantem per vias, prætereuntibus insidiantem, ea quæ sunt in agris rapientem, in speluncas ac foveas subterraneas aurum et argentum defodientem, ac illic multa recludentem armenta, vestes ac mancipia multa ex incursionibus illis possidentem, age dic mihi, num illum beatum diceres propter divitias illas, an potius miserum prædicares, propter supplicium illi venturum? Atqui nondum comprehensus est, neque in manus judicis traditus, nec in carcerem conjectus, neque accusatorem habuit, neque in judicium venit, sed deliciis indulget, inebriatur, multaque rerum fruitur affluentia. Attamen non propter præsentia, quæque videntur, judicamus illum beatum; sed propter futura, quæque imminent, illum miserum prædicamus. Hoc item et de divitibus et de avaris cogita. Latrones quipiam sunt, vias obsidentes, res prætereuntium rapientes, velut in speluncis ac foveis subterraneis, aliorum facultates in suis cubiculis defodientes. Ne igitur beatos dicamus illos propter præsentia, sed miseros propter futura, propter formidandum illud judicium, propter inevitabiles pœnas, propter tenebras exteriores, quæ ipsos excepturæ sunt. Nam latrones quidem frequenter ex hominum manibus elapsi sunt, nihilominus cum hoc sciamus, et a nobis ipsis deprecamur, et hostibus imprecamur istorum vitam, una cum execrabili rerum copia. Atqui sub Deo non licet istud dicere. Nullus enim illius effugiet sententiam, sed omnes omnino, qui cum fraudibus et rapinis vivunt, Dei vindictam sibi accersunt illam immortalem fineque carentem, quemadmodum et dives ille. Quæ quidem omnia apud nos

[1] Ephes. v, 9.

ipsos conferentes, dilectissimi, ne beatos judicemus qui divitiis, sed qui virtute præditi sunt; neque miseros dicamus, qui degunt in paupertate, sed qui cum improbitate; ne præsentia respiciamus, sed futura prospiciamus; ne externum amictum, sed cujusque conscientiam examinemus, sectantesque virtutem ac voluptatem quæ ex recte factis proficiscitur, Lazarum imitemur, divites simul ac pauperes. Non enim unum tantum aut duo, triave virtutis certamina sustinuit; verum et multo plura, paupertatem, adversam valetudinem, solitudinem ac destitutionem ab iis qui curam illius gerere debebant; deinde quod hæc omnia patiebatur in domo, quæ poterat hæc mala depellere, neque cum ullo solatio quisquam dignabatur; quod videret illum, a quo despiciebatur, tantis frui deliciis, neque deliciis modo frui, verumetiam cum improbe viveret, nihil tamen grave perpeti; præterea quod non haberet alterum Lazarum ad quem respiceret; præterea quod de resurrectione nihil posset philosophari; ad hæc quod super hæc quæ diximus mala, ex calamitatibus illis a vulgo malam ferret opinionem; quod non biduum triduumve, sed per omnem vitam, et se ipsum videret in ejusmodi calamitatibus, et divitem in diverso rerum statu. Quomodo igitur erimus excusandi, si cum hic cunctas afflictiones simul conglomeratas tanta pertulerit animi fortitudine, nos ne dimidium quidem horum tulerimus? Non enim potes, non potes, inquam, alium quemquam commemorare, qui talia tantaque perpessus sit mala. Eamque ob rem Christus hunc potissimum exempli causa proposuit in medium; ut si quando in res tristes inciderimus, considerantes quanto ille intervallo nos superarit, ex illius philosophia, satis magnum solatium molestiæque lenimen capiamus. Communis enim orbis doctor ille propositus est, rem quamcumque molestam patientibus, qui se conspiciendum præbet omnibus, hosque

omnes superans afflictionum magnitudine. Pro his igitur omnibus gratias agentes benigno Deo, reportemus ex hac narratione fructum et utilitatem; continenter hunc et in consessibus, et in ædibus, et in foro, denique in omni loco circumferentes, summoque studio divitias omnes, quas habet hæc parabola, percipientes; quo simul et præsentia cura molestiam mala transcurramus, et futurorum bonorum compotes evadamus. Quæ nobis omnibus contingat assequi gratia benignitateque Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, honor, adoratio, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

CONCIO II.

De Lazaro; et quod animæ morte violenta decedentium non fiunt dæmones; deque judicio et eleemosyna.

Admiratus [1] sum charitatem vestram, cum nuper de Lazaro verba facerem, quod et pauperis illius tolerantiam laudastis, et divitis immanitatem inhumanitatemque detestati estis. Nam ista non vulgaria sunt bonæ mentis argumenta. Etenim quamvis non sectemur virtutem, si laudemus tamen virtutem, omnino poterimus ad illam pertingere. Similiter autem, etiamsi non fugiamus malitiam, si tamen vituperemus malitiam, sine dubio poterimus illam effugere. Quoniam igitur multa cum animi benevolentia sermones illos excepistis, age quæ restant etiam vobis persolvamus. Vidistis illum in vestibulo divitis, videte eumdem hodie in sinu Abrahæ; vidistis illum cum a canibus circumlingeretur, videte eumdem ab Angelis stipatum; vidistis illum

[1] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 236-245.

tum in paupertate, videte nunc eumdem in deliciis; vidistis illum in fame, videte in multa rerum affluentia; vidistis illum certantem, videte coronatum; vidistis labores, videte præmium, quotquot estis vel divites, vel pauperes; divites quidem, ne putetis divitias aliquid esse magni, si desit virtus; pauperes vero, ne judicetis paupertatem ullum esse malum; utrisque vero communiter stat hic præceptor. Etenim si hic in paupertate non indignatus est, quam veniam merentur, qui id faciunt in divitiis? Si hic in fame tantisque malis degens gratias egit, quid excusationis afferent, qui rebus affluentibus non ad eamdem volunt pervenire virtutem? Rursus pauperes, qui indigne molesteque ferunt egestatem, quam impetrabunt veniam, cum hic in fame penuriaque, solitudine et adversa valetudine vitam assidue trahens in ædibus divitis, et ab omnibus despectus, ad hæc non habens alium ad quem eadem perpessum respiceret, sic appareat philosophatus? Ab hoc discamus non pro beatis habere divites, neque pro miseris habere pauperes. Imo si verum fateri licet, ne dives quidem ille est, qui multis opibus circumvallatus est; sed qui non eget multis; nec is pauper est, qui nihil possidet, sed qui multa concupiscit; discite hunc esse finem paupertatis et opulentiæ. Si quem videris multa concupiscentem, existimato illum omnium esse pauperrimum, etiamsi possideat omnium opes. Rursum si quem videris non multis egentem, illum omnibus opulentiorem esse ducito, etiamsi nihil possideat. Nam mentis affectu, non facultatum modo, paupertatem et opulentiam æstimare consuevimus. Quemadmodum igitur eum, qui perpetuo sitit non dixerimus recte valere, etiamsi copia rerum affluat, etiamsi juxta fluvios ac fontes accumbat; quid enim prodest illa aquarum copia, cum affectio maneat inextincta? Itidem et in divitibus faciamus, eos qui perpetuo concupiscunt, sitiuntque aliena, ne pute-

mus unquam esse sanos, nec ulla frui rerum copia. Etenim qui suam ipsius concupiscentiam non potest sistere, etiamsi cunctorum opibus vallatus sit, quomodo futurus est is unquam in divitiis? Eos vero, qui quod habent satis esse ducunt, quique sua sorte contenti sunt, nec alienas circumspectant facultates, etiamsi fuerint omnium egentissimi, omnium opulentissimos ducere oportet. Nam qui non indiget alienis, sed putat sibi satis esse quod habet, omnium est opulentissimus. Sed agedum si placet, ad propositam materiam revertamur. « Accidit, inquit, ut moreretur Lazarus, ac deportaretur ab Angelis [1]. » Hic malum quemdam morbum cupio ex vestris animis exigere. Sunt enim plerique simplices, qui putant animas violenta morte decedentium fieri dæmones. Non ita se res habet, non ita sane. Neque enim animæ violenta morte decedentium fiunt dæmones, sed animæ potius in peccatis viventium. Non quod mutetur illarum substantia, sed quod ipsarum voluntas dæmonum pravitatem imitetur. Hoc et Christus dixit Judæis : « Vos filii diaboli estis [2]. » Filios diaboli dicit, non quod in illius naturam essent transmutati, sed quoniam illius opera faciebant. Idcirco etiam subjicit : « Nam desideria patris vestri vultis facere [3]. Rursus Joannes : Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? Facite igitur fructum dignum pœnitentiæ, ac ne velitis dicere : Patrem habemus Abraham [4]. » Etenim eas leges agnoscet propinquitatis Scriptura, ut non qui natura conjuncti sunt, sed qui virtute malitiave propinqui sunt, soleat appellare cognatos. Et cujuscumque mores aliquis expresserit, hujus et filium et fratrem illum esse dicit Scriptura.

II. At cujus rei gratia diabolus istam perversam opinionem invexit? Conatus est Martyrum defodere et obruere

[1] Luc. XVI, 22. — [2] Joan. VIII, 44. — [3] Ibid. — [4] Luc. III, 7, 8.

gloriam. Etenim cum illi morte violenta decesserint, cupiens pravam de illis gignere suspicionem, hoc fecit; verum non potuit; perseverant enim Martyres, proprium obtinentes splendorem. Quin aliud multo crudelius perpetravit, maleficis ipsique inservientibus per has opiniones persuasis, ut tenera multorum adolescentum corpora trucidarent, sperantes futurum, ut fierent dæmones, rursusque inservirent. Verum non sunt ista vera, non sunt, inquam. Quid igitur est quod dæmones dicunt : « Monachi illius sum anima? » Sane propter hoc ipsum non credo, quia dæmones dicunt : decipiunt enim auditores. Quapropter et Paulus ipsis tametsi vera dicentibus imposuit silentium, ne ex veris nacti occasionem, post adiscerent mendacia, fidemque sibi conciliarent. Cum enim dixissent : « Isti homines servi Dei » altissimi sunt, annuntiantes vobis viam salutis [1], » dolens Apostolus increpavit Pythonem, atque exire jussit. Et tamen quid mali dicebant? « Isti homines servi Dei altis- » simi sunt : » sed quoniam plerique simpliciores non norunt semper dijudicare quæ a dæmonibus dicuntur, semel eos exclusit a fide. « Ex infamium numero es, inquit, non est tuum libere loqui, tace, obmutesce; non est tuum prædicare, Apostolorum ista est auctoritas. Quid usurpas quod tuum non est? Sile, infamis es. » Sic et Christus dicentes ipsi dæmones : « Novimus te qui sis [2], » increpavit multa cum acrimonia; nobis legem præscribens, ne quo pacto dæmoni fidamus, etiamsi tibi aliquid veri dixerit. His igitur cognitis, ne prorsus credamus dæmoni; imo etiamsi quid veri loquatur, fugiamus eum et aversemur. Nam sana dogmata salutiferaque non a dæmonibus, sed ex divina Scriptura licet exacte discere. Ut igitur cognoscatis non posse fieri, ut anima corpore egressa veniat sub tyrannidem dæmonum, audi quid dicit Paulus : « Qui enim mortuus

[1] Act. xvi, 17. — [2] Marc. iii, et Luc. iv, 34.

» est, justificatus est a peccato [1], » hoc est non amplius peccat. Nam si animæ in corpore manenti diabolus non potest inferre vim, perspicuum est quod nec egressæ. Quomodo igitur, inquis, peccant, si vim non patiuntur? Volentes sponteque ac se ipsas injuria afficientes peccant, non coactæ neque tyrannide oppressæ; idque declarant omnes, qui superaverunt illius machinamenta. Veluti beatum Job, cum omnia miscuisset, non potuit tamen persuadere, ut aliquod verbum blasphemum proferret [2]. Unde perspicuum est in nobis situm esse, ut vel obtemperemus, vel non obtempereamus illius consiliis, nec nos ullam necessitatem, neque tyrannidem pati ab illo. Non solum ex iis, quæ dicta sunt, verumetiam ex hac parabola liquet, quod animæ corpus egressæ, non hic commorantur, sed protinus abducuntur. Et quomodo, audi. « Accidit enim, inquit, ut mo» reretur, ac deduceretur ab Angelis [3]. » Non solum autem justorum animæ, sed et eorum qui male vixerunt, illuc deducuntur; atque id rursum ex alio divite perspicuum est. Post quam enim uberem proventum produxissent agri ipsius, dicit sibi ipsi : « Quid fáciam? demoliar horrea » mea, ac majora ædificabo [4]. » Nihil hac mente infelicius. Vere demolitus est sua ipsius horrea; nam horrea, quæ deprædari non possunt, non sunt muri, sed pauperum ventres, quibus ille neglectis sollicitus erat de parietibus. Quid igitur dicit illi Deus? « Stulte, hac nocte repetent » animam tuam abs te [5]. » Hic inquit deductum fuisse ab Angelis, illic autem repetunt; et hunc quidem ceu vinctum educebant, illum vero ut coronam gestantem stipabant. Et quemadmodum cum, qui prius in stadio multa vulnera accepit, ac sanguine conspersus est, post corona capiti addita, ii qui ante stadium stant, susceptum multa cum

[1] Rom. VI, 7. — [2] Job. II. — [3] Luc. XVI, 22. — [4] Id. XII, 18. — [5] Ibid. 20.

laude domum deducunt, applaudentes, bene ominantes, admirantes; sic et Angeli Lazarum tum deducebant, illius vero animam repetebant, metuendæ quædam virtutes fortassis ad hoc missæ; neque enim sua sponte anima ad illam secedit vitam, propterea quod hoc ne fieri quidem possit. Nam si civitatem civitate mutantes egemus deductoribus, multo magis anima a carne divulsa, et ad futuram transiens vitam, opus habebit viæ ducibus. Quapropter frequenter nunc emergit, nunc in profundum demergitur, metuitque, et horret cum est a carne discessura. Nam cum semper nos stimulat peccatorum conscientia, tum vero maxime illa hora, cum hinc sumus abducendi ad illa tribunalia, metuendumque judicium; tum enim sive quis rapuit, sive fraudavit, sive contumelia affecit, sive cuiquam præter causam inimicus factus est, sive aliud quodcumque facinus perpetravit; universus illic peccatorum cumulus renovatur, et oculis exhibetur, mentemque stimulat. Et quemadmodum qui tenentur in carcere, semper quidem dejecti mœrentesque sunt, maxime tamen sub illum diem quo sunt educendi, et ad ipsas judicis fores pertrahendi, ac pro cancellis fori stantes judicis vocem intus audiunt, exanimantur metu, nihiloque melius afficiuntur, quam mortui; sic et anima, maxime quidem in ipso peccati tempore cruciatur et angitur, multo tamen magis cum hinc avulsa abducenda est.

III. Ergo-ne tacetis, dum auditis? multo majorem vobis habeo gratiam pro silentio, quam pro plausibus: propterea quod plausus quidem ac laudes me faciunt splendidiorem, silentium vero hoc vos reddit modestiores. Novi quod hæc quæ dicuntur molesta sunt, verum multum lucri et inenarrabilem fructum afferunt. Dives ille si quem habuisset, qui ipsi talia monita dedisset, ac non potius adulatores omnia ad gratiam consulentes, atque ad

delicias trahentes, nequaquam venisset ad illam gehennam, nequaquam supplicia passus esset intolerabilia, nequaquam inconsolabiliter eum postea pœnituisset. Verum quoniam omnes ad gratiam loquebantur, tradiderunt illum incendio. Utinam liceret hæc semper perpetuoque philosophari, ac de gehenna loqui. « In omnibus, inquit, dictis » tuis memento novissima tua, et in æternum non pecca- » bis [1]. » Ac rursus : « Para ad exitum opera tua, et appara » te ad viam [2]. » Si quid cui rapuisti, redde, et dicito juxta Zacchæum : « Do quadruplum, si quid rapui [3]. » Si quem calomniatus es, si cui factus es inimicus, reconciliare prius quam veniatur ad judicium. Omnia hic dissolve, ut citra molestiam illud videas tribunal. Donec hic fuerimus, spes habemus præclaras : simul atque vero discesserimus illuc, non est postea in nobis situm pœnitere, neque commissa diluere. Quapropter oportet nos assidue præparari ad egressum hinc faciendum. Quid enim si Domino visum fuerit hoc vespere vocare nos? Quid si cras? Incertum enim quid futurum sit, ut perpetuo simus in certamine, et ad illam profectionem instructi, quemadmodum hic Lazarus semper erat in tolerantia patientiaque, quapropter tanto cum honore deductus est. Mortuus est autem dives, et sepultus est, nimirum anima illius in corpore, tanquam in monumento defossa, ac sepulcrum circumferente nempe carnem. Non secus enim ille, quam si catena quadam, temulentia, ac ventris ingluvie vinctus esset, sic otiosam illam ac mortuam reddiderat. Ne leviter prætercurras, dilecte, illud, « Sepultus est. » Hic mihi considera mensas argento circumtectas, lectos, tapetes, ornamenta, quæ tota in domo sunt omnia, unguenta, aromata, vini meri copiam, eduliorum varietates, ciborum delicias, coquos adulatores, stipatores, famulos, ac reliquam universam pompam, stre-

[1] Eccli. VII, 40. — [2] Prov. XXIV, 27. — [3] Luc. XIX, 8.

pitumque extinctum, marcidumque factum. Omnia cinis, omnia favilla et pulvis, lamenta et luctus, nemine succurrente, neque semel egressam animam postea revocante. Tunc declarabatur quid possit aurum, quid possint copiosæ divitiæ. Siquidem ex tam frequenti famulitio nudus abductus est et solus, nihil ex tanta affluentia secum ferre valens, sed desertus, indefensus, ac neglectus ; nullus eorum, qui prius eum colebant, qui auxiliabantur, aderat, erepturus a pœna ac supplicio, sed ab illis omnibus divulsus, solus interceptus est, ut illa non ferenda supplicia sustineret. Vere « Omnis caro fœnum, et omnis gloria hominis tanquam flos fœni : exaruit gramen, et flos decidit, » sed verbum Domini manet in æternum [1]. » Venit mors et extinxit illa omnia. Nec aliter quam captivum arreptum illum abdu[illegible] demissis oculis, pudore plenum, non audentem hiscere, trementem, pavidum, perinde quasi in somnis universis illis deliciis fruitus fuisset. Ac post hæc supplex dives factus est pauperi, atque nunc illius eget mensa, qui dudum esuriebat, illius qui canum rostris objectus jacebat. Res commutatæ sunt, universi cognoverunt uter fuerit dives, uter pauper, quodque Lazarus quidem omnium fuerit opulentissimus, ille contra omnium pauperrimus. Quemadmodum enim actores in scena, regum ac ducum personas, item medicorum ac rhetorum, sophistarum, ac militum assumentes ingrediuntur, cum ipsi nihil horum sint : sic sane et in præsenti vita, paupertas ac divitiæ nihil aliud sunt, quam personatæ larvæ. Sicut igitur in theatro sedens, si quem videris, ex iis, qui inferius ludunt, personam gestantem regis, non judicas eum beatum, neque regem esse credis, imo nec ipse optaris esse talis : sed cum scias quod sit quispiam ex iis, qui versantur in foro, funium opifex aut faber ærarius, aut aliud quidquam tale,

[1] Isaï. XL, 6-8.

non judicas illum beatum ob personam, aut ob vestem, neque ex hisce rebus æstimas illius vitam, sed despuis potius illum ob aliam vilitatem : sic sane et hic velut in theatro, videlicet in mundo sedens, et in scena ludentes spectans, ubi videris complures divites, ne putes vere divites esse, sed divitum obtectos personis. Nam quemadmodum ille, qui in scena regem aut belli ducem agit, frequenter est famulus eorum, qui ficus aut botros vendunt in foro : itidem et hic dives crebro pauperior est omnibus. Quod si detraxeris illi personam, si conscientiam explices et ingrediaris animum, multam illic offendes virtutis inopiam, comperiesque omnium hominum abjectissimum. Quemadmodum enim, instante vespera, digressisque qui consederant, ubi fuerint e theatro egressi, habitumque fabulæ deposuerint : qui prius reges ac duces esse videbantur, post apparent hoc quod sunt : ita sane et nunc, post quam mors advenerit, theatrumque dimissum fuerit, cum divitiarum paupertatisque personas deposuerint, omnes illuc profecti, atque ex solis operibus judicati, declarant qui vere sint divites, qui vere pauperes : qui honorati, et qui obscuri.

IV. Itaque frequenter fit, ut qui hic in divitum numero fuerit, illic reperiatur omnium pauperrimus, id quod accidit huic diviti. Nam simul atque incubuerat vespera, hoc est mors, et e præsentis vitæ theatro egressus est, personamque deposuit, visus est illic omnium esse pauperrimus : adeo vero pauper, ut ne guttam quidem aquæ haberet in sua potestate, sed pro hac rogaret, neque quod petebat, consequi potuerit. Quid hac paupertate pauperius esse posset? Sublatis enim oculis suis, ait ad Abraham : « Pater, » miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat summum » digiti sui in aquam, et instillet ori meo [1]. » Vides quanta res sit afflictio? Cum proximus esset Lazarus, præteribat :

[1] Luc. XVI, 24.

nunc cum procul absit, invocat : quem frequenter ingrediens et egrediens non videbat, hunc procul semotum diligenter aspicit. Sed quam ob causam illum intuetur? Frequenter fortasse dixerat dives iste : « Quorsum mihi opus pietate ac virtute? cuncta mihi velut e fonte affluunt, multa fruor prosperitate, multis opibus, nihil sustineo rerum inopinatarum : quam ob rem expetam virtutem? » Hic pauper qui juste pieque vivit, innumera patitur mala. Hæc nunc quoque multi frequenter dicunt. Ut igitur radicitus has pravas revelleret opiniones, demonstrat illi, quod malitiæ reposita sit ultio : contra, honor et corona laboribus pro pietate susceptis. Non propter hoc solum autem vidit illum, sed ut quæ passus fuisset pauper, hæc nunc et dives pateretur multo gravius. Quemadmodum enim illi molestiorem reddidit cruciatum, quod in vestibulo divitis jaceret, quod videret aliena commoda : sic et huic graviorem reddidit cruciatum, quod in gehenna jaceret, quod Lazari videret delicias, quo non solum natura suppliciorum, verumetiam comparatione honoris illius intolerabiliorem haberet cruciatum. Et quemadmodum Adam e paradiso ejectum, e regione paradisi habitare jussit Deus, ut assiduus conspectus renovans molestiam, exactiorem illi præberet sensum expulsionis e bonis : ita sane et hunc e regione Lazari constituit, quo videret quibus bonis se ipsum privasset. Misi tibi, inquit, in vestibulo Lazarum pauperem, ut tibi ad virtutem doctor esset, ac benignitatis materia : contempsisti lucrum : noluisti ad quod oportuit uti salutis occasione, utere posthac illo ad majoris cruciatus suppliciique materiam. Ex his discimus, quod omnes, qui a nobis sunt contumeliis et injuriis affecti, tunc ante faciem nostram statuentur. Quanquam hic nihil a divite accepit injuriæ : neque enim illius pecunias usurparat dives, sed suas non impertierat. Quod si is, qui sua non

impertiit, accusatorem habet eum, cui negavit misericordiam : qui aliena quoque rapuerit, quam veniam consequetur, undique ipsum circumstantibus quos affecit injuria? Non enim illic opus erit testibus, neque accusatoribus, neque probationibus, neque signis, verum ipsæ per se res tales, quales eas gessimus, ante oculos nostros apparebunt. Ecce enim, inquit, homo et opera ejus. Siquidem et hoc rapina est, non impertiri de tuis facultatibus. Ac fortassis vobis mirum videtur esse quod dico, verum ne miremini : testimonium enim vobis e divinis Scripturis proferam, dicens, quod non solum rapere aliena, verumetiam tua non impertire cæteris, et rapina sit, et fraudatio, et spoliatio. Quodnam illud est? Dominus Judæos accusans per Prophetam dicit : « Produxit terra proventum » suum, et non intulistis decimas, sed rapina pauperis est » in domibus vestris [1]. » Quoniam, inquit, oblationes solitas non dedistis, rapuistis ea quæ sunt pauperis. Hoc autem dicit, declarans divitibus, quod res pauperum possideant, etiamsi paterna hæreditate obvenerint, etiamsi undecumque aliunde collegerint pecunias. Ac rursum alibi dicit : « Ne spolies vitam pauperis [2] : » qui vero spoliat, aliena tollit. Nam spoliatio quædam dicitur, cum aliena accepta detinemus. Propter hoc igitur discamus, quod quoties eleemosynam non præstiterimus, pari cum iis, qui spoliant, supplicio afficiemur. Heriles enim pecuniæ sunt undecumque eas collegerimus : quod si in egenos eas erogaverimus, multæ nobis opes ac facultates obvenient. Ideoque tibi plura possidere concessit Deus, non ut in scortationes, temulentiam, ingluviem, in vestes sumptuosas, aliamque mollitiem consumeres, sed ut ea distribueres egentibus. Quemadmodum enim exactor quispiam, qui regias pecunias accepit, si neglexerit iis, quibus jussus est, distribuere,

[1] Malach. III, 10. — [2] Eccli. IV, 1.

inque proprias consumpserit delicias, pœnis atque exitio traditur : ita sane et dives receptor quispiam est pecuniarum, quæ pauperibus distribui debebant. Itaque cum in mandatis habeat, eas distribuere suis conservis egentibus, si quid amplius quam postulet necessitas, in se ipsum insumpserit, gravissimas illic daturus est pœnas. Non enim sunt ipsius quæ possidet, sed conservorum illius.

V. Parcamus igitur iis tanquam alienis, ut fiant nostra. Quomodo autem illis parcemus tanquam alienis? Si illas non in usus supervacuos insumpserimus, neque adeo in nostros tantum usus, sed pauperum manibus impertiverimus. Etiamsi fueris opulentus, sed plus quam opus est insumpseris, rationem reddes pecuniarum tibi creditarum. Hoc idem fit in optimatum ædibus, multi suas ipsorum apotheeas famulis suis commiserunt, verum illi, quibus commissæ sunt, servant quæ tradita sunt, nec abutuntur commissis : verum quibus et ubi jusserit dominus, distribuunt. Hoc tu quoque facito. Etenim accepisti plura cæteris, non ut ea solus consumas, sed ut eorum cæteris bonus fias dispensator. Operæ-pretium autem fuerit et illud considerare, quam tandem ob causam non apud alium justum Lazarum, sed in sinu viderit Abrahæ. Hospitalis erat Abraham, ut igitur redarguatur divitis inhospitalitas, propterea Lazarum cum illo videt. Ille etiam prætereuntes venabatur, et in domum pertrahebat suam : hic vero etiam intra domum jacentem despexit, cumque talem thesaurum haberet, et salutis perandæ materiam, prætereribat quotidie, nec in quod oportebat, usus est pauperis patrocinio. At non ita Patriarcha, sed omnia contra. Pro foribus sedens venabatur prætereuntes omnes, et quemadmodum piscator, jacto in mare reti, piscem quidem attrahit, attrahit autem frequenter et aurum, et margaritas : itidem et hic reti captans homines, piscatus est tandem

et Angelos, quodque mireris, etiam insciens. Id quod et Paulus in hujus laudibus dixit : « Hospitalitatis nolite oblivisci : per hanc enim quidam inscientes, hospitio excepe»runt Angelos [1] : » ac recte dixit, « Inscientes. » Nam si sciens illos excepisset tanta cum benevolentia, nihil magni mirive fecisset. Sed hæc tota laus, quod ignorans quinam essent qui præteribant, nec aliud esse credens quam homines viatores, cum tanta alacritate vocavit intro. Tu quidem igitur si quem nobilem ac splendidum exceperis, multamque præstiteris alacritatem, nil mirum est. Nam virtus ejus qui excipitur, etiam inhospitalem frequenter adigit, ut omnem exhibeat humanitatem : cæterum illud maximum et admiratione dignum, quoties et vulgares, et abjectos, ac viles multa cum benevolentia excipimus. Propterea dicit Christus collaudans eos, qui ita faciunt : « Quid»quid feceritis uni ex his minimis, qui credunt in me, »mihi feceritis [2]. » Ac rursus, « Ita non est voluntas coram »Patre vestro, ut pereat unus ex pusillis istis [3]; » ac iterum, « Quicumque offenderit unum ex pusillis istis, expedit ei »ut appendatur mola asinaria circa collum illius et abji»ciatur in mare [4]. » Denique multus ubique est Christo de pusillis et minimis sermo : quod quidem Abraham sciens non excutiebat quales essent prætereuntes, nec unde venirent, quemadmodum nos nunc facimus, sed sine delectu prætereuntes excipiebat omnes. Nam eum qui præstat humanitatem, non oportet exposcere vitæ rationem, sed inopiæ mederi, necessitatique providere. Unicum habet patrocinium pauper, egestatem ac necessitatem, ne quid ab illo postules amplius : sed etiamsi fuerit omnium improbissimus, et egerit necessario victu, sedemus illius famem. Ita et Christus fieri præcepit dicens : « Estote, inquit, si-

[1] Hebr. XIII, 2.— [2] Matth. XXV, 45.— [3] Id. XVIII, 14.— [4] Ibid. 6. Marc. IX, 42, et Luc. XVII, 2.

» miles Patris vestri qui est in cœlis, qui solem suum oriri » facit super bonos et malos, et pluit super justos et injus- » tos [1]. » Portus est in necessitate constitutorum homo misericors. Portus autem omnes, qui in naufragium inciderint, excipit liberatque, sive mali fuerint, sive boni, denique quicumque fuerint qui periclitantur, in sinus ille suos excipit. Tu proinde si videris hominem, qui in egestatis naufragium inciderit, ne judica, ne vitæ gesta examina, sed medere miseriæ. Quid ipse tibi negotium accersis? Liberavit te Deus omni tali sollicitudine, et curiositate. Quam multa plerique fuerant dicturi, quamque difficiles erant futuri, si Deus præcepisset, ut prius accurate vitam factaque singulorum disquireremus, ac tum demum conferremus eleemosynam? Nunc hac omni curiositate nos liberavit. Cur ergo curas supervacaneas nobis accersimus? Aliud est judex, aliud eleemosynæ largitor. Ideo vocatur eleemosyna, quod eam et indignis damus. Unde et Paulus cohortatur, ut ita faciamus, et ait : « Vos autem bonum » facientes non deficiatis, erga omnes, sed maxime erga » domesticos fidei [2]. » Quod si indignos curiose discutiamus disquiramusque, ne digni quidem facile in nos incident. Quod si indignis quoque præstiterimus beneficium, nimirum et digni, quique omnium illorum malitiam virtute pensent, venient in manus nostras : sicut evenit beato Abrahæ, cui minime curioso, quales essent qui præteribant, contigit tandem ut et Angelos exciperet hospitio. Hunc igitur et nos imitemur, simulque cum hoc nepotem illius Job. Quandoquidem et hic progenitoris sui magnanimitatem summa cum diligentia est imitatus. Eoque dicebat : « Ostium meum jugiter patebat cuivis advenienti [3]. » Non sic huic patebat, ut alteri esset occlusum, sed indifferenter apertum erat omnibus.

[1] Matth. v, 45. — [2] Galat. vi, 9. — [3] Job. xxxi, 32.

VI. Hoc exemplum et nos, quæso, imitemur, nihil exquirentes ultra quam oportet. Nam ad hoc ut pauper dignus habeatur eleemosyna, satis est egestas. Quod si quis cum hac commendatione nos adierit, ne quid amplius curiose scrutemur: nec enim moribus damus, sed homini: nec ob virtutem nos ejus misereat, sed ob calamitatem, quo nimirum et ipsi copiosam a Domino misericordiam nobis conciliemus, ut et in nos, qui indigni sumus, illam conferat benignitatem. Nam si in conservis nostris cœperimus exquirere dignitatem, moresque vestigare, idem et Deus facturus est in nobis, dumque studemus a conservis reposcere vitæ causas, ipsi superni numinis benignitatem amittemus. « In quo enim, inquit, judicio judicaveritis, » judicabimini [1]. » Sed ad rem redeamus. Itaque cum videret illum in sinu Abrahæ, ait : « Pater Abraham, misere mei, et mitte Lazarum [2]. » Quamobrem non ad ipsum Lazarum direxit sermonem? Pudor, ut existimo, obstabat ac verecundia. Ex iis enim, quæ in illum fecerat, arbitrabatur illum omnino meminisse malorum præteritorum. Quoniam si ego inquit, tanta rerum affluens copia nihil ab illo læsus, adeo despexi hominem in tot malis versantem, ut ne micas quidem impertierim, quanto magis ille sic contemptus, non annuet petenti beneficium? Hæc non ut Lazarum accusemus, dicimus. Neque enim hoc animo fuit Lazarus, absit : sed causam indicavimus, quid hic veritus non implorarit ipsum Lazarum, sed potius Abraham inclamarit, quem existimabat nescire quæ fuerant acta. Atque illius digitum nunc implorabat, quem crebro passus fuerat circumlingi canum linguis. Quid igitur ille? « Fili, recepisti bona tua in vita tua [3]. » Vide philosophiam, vide humanitatem Justi. Non dixit : « Inhumane, crudelis, scelleratissime, cum tam multa mala intuleris

[1] Matth. VII, 2. — [2] Luc. XVI, 24. — [3] Ibid. 25.

homini, nunc mentionem nobis facis humanitatis, misericordiæ, et veniæ? Non pudet? Non erubescis? » Sed quid dicit? « Fili, inquit, recepisti bona tua. Nam animæ, in- » quit, dejectæ non addes perturbationem [1]. » Satis est illi suus cruciatus, ut ne illius calamitatibus insultemus. Ac ne putares, quod memor præteritorum malorum vetuerit abire Lazarum, filium illum appellat quasi sese ex tali appellatione excusans. « Quod in mea, inquit, potestate est, impertio tibi : cæterum ut hinc abeamus illuc, non est jam nostræ facultatis. « Recepisti bona tua. » Quare non dixit : « Cepisti, » sed, « Recepisti? » Hinc video magnum considerationum mare nobis aperiri. Quapropter quæ dicta sunt summa cura servantes, tam quæ hodie quam quæ nuper disserta sunt, summo cum studio reponamus, et ex iis, quæ dicta sunt, ad audienda, quæ post dicentur, vos ipsos magis idoneos reddite. Et quidem si fieri possit, facite ut omnium memineritis. Quod si id fieri non potest, hortor ut pro omnibus illud perpetuo memineritis, quod non erogare pauperibus, est rapinam in illos exercere, illorumque fraudare vitam : quodque non nostras, sed illorum res detinemus. Nam si hoc animo fuerimus, omnino pecuniam effundemus, ac Christum esurientem hic alentes, multamque nobis illic opulentiam recondentes, poterimus futurorum esse compotes bonorum, gratia ac benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, honor, potestas, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Eccli. IV, 3.

CONCIO III.

De Lazaro et quare non dixerit : « Cepisti bona tua in vita tua; » *sed,* « Recepisti [1] : » *et quamobrem justi sæpenumero incidunt in pericula, cum ea peccatores effugiant.*

I. Haudquaquam mediocrem [2] nobis utilitatem attulit de Lazaro parabola, cum divitibus, tum pauperibus, ut quæ hos quidem docuerit facile perferre inopiam, illos vero non passa sit efferri, sibique placere ob divitias, cum ex ipsis rebus demonstrarit illum omnium esse maxime miserabilem, qui vitam agit in deliciis, nulli sua bona communicans. Age igitur et hodie denuo tractemus idem argumentum, quandoquidem qui in metallis operantur, ubicumque viderint multas auri venas, illic fodiunt acrius, nec prius absistunt, quam totum quod reperiri potuit, exhauserint. Redeamus igitur illuc, ubi sermonem nuper finivimus, ut illinc eumdem instauremus. Poteramus quidem unius dici opera vobis totam hanc explanare parabolam : verum non hoc agimus, ut multa locuti discedamus, sed ut vos, diligenter acceptis, animoque infixis quæ dicta sunt, ex ista custodia sentiatis fructum aliquem spiritalem. Nam et mater prolis amans, dum suum infantem lactentem parat ad solidum cibum adducere, si simul multum meri infundat ori, nihil prodest infanti, refundente puero quod datur, ac tuniculam, qua pectus tegitur, irrigante. Quod si sensim ac paulatim infundat puer quod traditum est, absque molestia transmittit. Proinde ne vobis itidem quod traditum

[1] Luc. xvi, 25.— [2] Vide D. Guillon, tom. xiv, pag. 246-250.

fuerit effluat, non confertim vobis inclinavimus doctrinæ poculum, sed in dies aliquot partiti sumus, passi vobis interim hisce diebus interquiescere ab audiendi labore, quo simul et ea, quæ deposuimus, sic infigantur animo vestræ charitatis, ut excidere non possint, et ea, quæ dicentur sedatis ac vegetis mentibus excipiatis. Eoque crebro vobis prædicimus multis ante diebus argumentum de quo sumus locuturi, ut his in medio diebus sumpto libro, perpensaque rei summa tota, posteaquam intellexeritis quid dictum sit, quid restet dicendum, mentem vestram instructiorem reddatis ad audienda, quæ post disserentur. Idque semper hortor et hortari non desinam, ut non hic tantum attendatis iis, quæ dicuntur, verumetiam cum domi fueritis, assidue divinarum Scripturarum lectioni vacetis. Quod quidem et iis, qui privatim mecum congressi sunt non destiti inculcare. Neque vero mihi quisquam proferat frigida illa verba planeque damnanda : « Ego forensibus causis affixus sum, publica gero negotia, artificium exerceo, uxorem habeo, alo liberos, familiæ curam gero, mundanus homo sum, non est meum legere Scripturas, sed eorum, qui mundo dixerunt vale, qui montium vertices occuparunt, qui vitam ejusmodi continenter agunt. » Quid ais homo ? Non est tui negotii Scripturas evolvere, quoniam innumeris curis distraheris ? Imo tuum magis est quam illorum. Neque enim illi perinde Scripturarum egent præsidio, atque vos in mediis negotiorum undis jactati. Nam monachi quidem a foro forensibusque negotiis liberi, quique in deserto fixere tuguriola, neque cum quoquam habent commercium, sed in illa quieta tranquillitate cum omni securitate philosophantur, ac velut in portu sedentes, rebus vehementer tutis fruuntur : nos contra velut in medio mari fluctuantes, innumerisque velimus nolimus, peccatis obstricti, semper opus habemus perpetuo jugique

Scripturarum solatio. Illi sedent procul a conflictu, eoque nec accipiunt multa vulnera : tibi vero quia perpetuo stas in acie, quia frequentes accipis plagas, idcirco magis opus est remediis, ut quem et uxor provocat, et filius contristat, atque ad iram commovet, et insidiatur hostis, et invidet amicus, et vicinus insectatur, et commilito supplantat, frequenter et judex minatur, et paupertas est molesta, et domesticorum amissio luctum affert, et prosperitas inflat, adversitas contrahit. Breviter, varia iracundiæ, varia curarum, varia perturbationis, ac mœroris, varia jactantiæ, varia tumoris, tum occasio, tum necessitas, nos undequaque circumvallat, innumeraque ex omni parte tela volitant : unde necesse est indesinenter a Scripturis armaturam sumere. Agnosce igitur, inquit, quod in medio laqueorum incedis, quodque in pinnaculis civitatis ambulas [1]. Carnis enim concupiscentiæ acrius insurgunt adversus eos, qui in hominum vivunt frequentia, quos et decora facies, et corporis nitor capit per oculos, et verbum obscœnum per aures ingressum turbat nobis rationem : frequenter et arte modulata mollis cantio animi constantiam labefacit. Sed quid hæc commemoro? Quod his omnibus videtur esse vilius, unguentorum odor alicunde aspirans a mulierculis in fornicibus quæstum meretricium exercentibus, ex simplici occursu comprehendit et abducit captivum.

II. Adeo multa sunt quæ nostram oppugnant animam, eoque opus habemus divinis remediis, quo simul et jam acceptis vulneribus medeamur, et quæ nondum quidem inflicta sunt, sed post infligentur, prohibeamus, eminus venientia diaboli spicula extinguentes depellentesque per assiduam Scripturarum lectionem. Neque enim fieri potest, non potest, inquam, fieri, ut quisquam salutem assequatur, ni assidue versetur in lectione spiritali. Imo præclare revera no

[1] Eccli. IX, 20.

biscum agitur, etiamsi perpetuo hujus medicamenti participes, aliquando salutem consequi possimus. Quod si quotidie vulneremur, medelam vero nullam adipiscamur, quæ fuerit spes salutis ? Annon vides fabros ærarios, aurifices, fabros argentarios, denique eos qui quamcumque exercent artem, omnia artis instrumenta habere parata et integra : quamvis compellat fames, quamvis affligat inopia, omnia præoptantes sustinere potius quam ut ex instrumentis artificii quidpiam vendere velint, atque hinc ali ? Itaque multi frequenter potius habuerunt mutuam pecuniam accipere, ut familiam et liberos alerent, quam vel minimum aliquid ex artis instrumentis vendere : idque jure optimo. Norunt enim quod, divenditis illis, ars universa ipsis sit inutilis, totumque quæstus fundamentum sublatum : illis autem manentibus, fieri potest ut contractum æs alienum progressu temporis aliquando dissolvant jugiter utentes artificio. Quod si prius quam solverint æs alienum, aliis ea vendant, jam non est unde possint solatium aliquod famis inopiæque excogitare. Hoc sane animo nos quoque præditos esse oportet : quemamodum enim illis artis instrumenta sunt, malleus, incus, forceps : sic et nobis artis instrumenta sunt Apostolorum ac Prophetarum libri, omnisque Scriptura divinitus inspirata [1] et utilis. Et quemadmodum illi per instrumenta quidquid faciendum susceperint perficiunt : ita sane et nos per hos fabricamur animam nostram, depravatamque corrigimus, et inveteratam renovamus. Atque illi quidem hactenus modo præstant suam artem ut formam addant rebus : neque enim possunt materiam vasorum transmutare, neque ex argento aurum reddere : sed harum rerum figuras componunt duntaxat. Tu vero non ita, sed amplius quiddam potes : nam ligneum vas acceptum, poteris aliquando reddere aureum : cui rei

[1] 2 Tim. III, 6.

testis est Paulus, in hunc loquens modum : « In magna » autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed » et lignea fictiliaque. Si quis igitur expurgaverit se ipsum » ab his, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino » ad omne opus bonum præparatum [1]. » Itaque ne negligamus nobis parare libros, ne circa vitalia vulnus accipiamus : nec aurum defodiamus, sed nobis ipsis recondamus thesaurum librorum spiritalium. Aurum quidem cum maxime crescit, tum maxime insidiatur possidentibus : libri vero repositi multam afferunt habentibus utilitatem. Quemadmodum enim arma regalia reposita, etiamsi nemo fuerit qui possideat, tamen iis, qui habitant in ædibus ubi reposita sunt, multam præbent custodiam ac tutamen, dum neque latrones, neque parietum perfossores, neque alius quispiam sceleratorum audet eam aggredi domum : sic ubicumque fuerint libri spiritales, illinc omnis expellitur vis diabolica, multaque inhabitantibus accedit virtutis consolatio : quandoquidem ipse etiam per se librorum aspectus segniores nos reddit ad peccandum. Sive enim quidpiam ausi fuerimus eorum, quæ prohibita sunt, nosque ipsos reddiderimus pollutos, reversos domum, ac libros intuentes acrius nos condemnat conscientia, reddimurque lentiores ad eadem repetenda. Rursum sive in sanctimonia perstiterimus, majorem inde utilitatem accipimus. Nam simul atque tetigit aliquis Evangelium, mox composuit suam ipsius mentem, et a rebus mundanis abduxit, idque ex ipso solo aspectu. Quod si accesserit diligens lectio, non aliter quam in sacris adytis, rebus divinis initiata anima, sic repurgatur, meliorque redditur, Deo cum ipsa per illas Scripturas colloquente. Quid igitur, inquiunt, si non intelligamus ea quæ continentur libris ? Maxime quidem etiamsi non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur

[1] 2 Tim. II, 20, 21.

sanctimonia. Quanquam fieri non potest ut omnia ex æquo ignores : propterea siquidem spiritus gratia dispensavit, ac providit, ut publicani, piscatores, tabernaculorum opifices, pastores, et caprarii, idiotæ, illitterati, hos libros componerent, et ne quis idiotarum ad hanc difficultatis confugere posset excusationem, ut omnibus facilia conspectu essent ea quæ dicuntur, ut et opifex, et famulus, et vidua mulier, et omnium hominum indoctissimus ex audita lectione aliquid lucri utilitatisque reportaret. Non enim ad inanem gloriam, quemadmodum ethnici, sed ad audientium salutem hæc omnia composuerunt ii, quos ab initio Deus dignatus est gratia Spiritus.

III. Siquidem ii qui sunt a Christo alieni philosophi, dicendi artifices, rhetores, ac librorum scriptores, non quod in commune conducit quærentes, sed illud spectantes ut ipsi sint in admiratione, etiamsi quid utile dixerint, hoc quoque quemadmodum in caligine quadam, consueta sibi, occultarunt obscuritate. Apostoli vero ac Prophetæ omnia contra fecerunt, manifesta claraque, quæ prodiderunt, exposuerunt omnibus, veluti communes orbis doctores, ut per se quisque discere possit ea quæ dicuntur e sola lectione. Hoc ante prænuntians Propheta dicebat : « Erunt » omnes docti a Deo, et non dicet quisque proximo suo : » Nosce Deum, quoniam omnes noscent me a minimo ip- » sorum usque ad maximum eorum [1]. » Et Paulus inquit : « Et ego, fratres, veni ad vos, non per excellentiam ser- » monis aut sapientiæ, annuntians vobis mysterium Dei [2]. » Et iterum, « Sermo meus et prædicatio non in persuasibi- » libus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus » ac virtute [3]. » Et rursum, « Loquimur enim sapientiam, » inquit, non sæculi hujus, neque principum hujus sæculi,

[1] Jer. xxxi, 34, et Joan. vi, 45. — [2] 1 Cor. ii, 1. — [3] Ibid. 4.

» qui corrumpuntur [1]. » Cui enim non sunt manifesta quæcumque in Evangelio scripta sunt? Quis autem audiens beatos esse mites, beatos misericordes, beatos mundo corde [2], cæteraque hujusmodi, egebit præceptore, ut aliquid eorum discat quæ dicuntur? Verum signa, miracula, historiæ, non cuivis nota manifestaque sunt? Prætextus iste est et causatio, pigritiæque velamentum. Non intelligis quæ insunt : quomodo possis aliquando intelligere, qui ne leviter quidem inspicere velis? Sume librum in manus, lege historiam omnem, et quæ nota sunt memoria tenens, ea quæ obscura sunt, parumque manifesta, frequenter percurre. Quod si non poteris assiduitate lectionis invenire quod dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad doctorem, communica de iis, quæ scripta sunt, declara vehemens studium. Et si viderit te Deus tantam animi alacritatem adhibere, non despiciet tuam vigilantiam ac sollicitudinem. Verumetiam si nullus homo te docuerit quod quæris, ipse sine dubio reserabit. Memento Eunuchi reginæ Æthiopum, qui cum esset homo barbarus, innumerisque distentus sollicitudinibus, et undequaque circumseptus negotiis, nec intelligeret quæ legebat, legebat tamen in curru sedens. Quod si in via tantam præstitit diligentiam, cogita qualis fuerit domi versans. Si tempore profectionis non sustinuit absque lectione manere, multo minus domi sedens. Si nihil intelligens legebat, nec destitit a lectione, multo minus post quam didicerat. Nam ut scias, quod non intellexerit quæ legebat, audi quid dicit Philippus : « Num intelligis » quæ legis [3]? » Atque ille, his auditis, non pudefactus est, nec erubuit, sed inscitiam suam confessus est, aitque : « Quî» nam possim, nisi quis mihi ostenderit [4]? » Cum nondum haberet qui viam commonstraret, tamen legebat, eoque

[1] 1 Cor. II, 6. — [2] Matth. v, 3 et seqq. — [3] Act. VIII, 30. — [4] Ibid. 31.

cito consecutus est doctorem. Novit propensam illius animam Deus, studium amplexus est, misit illi doctorem illico. Verum non adest Philippus : sed spiritus qui moverat Philippum adest. Ne neglexerimus nostram salutem, dilectissimi, hæc omnia « Scripta sunt propter nos ad correctio» nem nostri, in quos fines sæculorum devenerunt [1]. » Magna adversus peccatum munitio est, Scripturarum lectio : magnum præcipitium, profundum barathrum Scripturarum ignoratio, magna salutis perditio, nihil scire ex divinis legibus : ea res et hæreses peperit, ea vitam corruptam invexit, hoc sursum deorsum miscuit omnia. Nam fieri non potest, non potest, inquam, fieri, ut quis sine fructu discedat, qui assidua attentaque lectione fruatur. Ecce una parabola, quam multiplicem nobis attulit utilitatem? Quomodo animam nostram meliorem reddidit? Nam complures, sat scio, sunt, qui ex sermonibus copiosam utilitatem ferentes abierunt. Quod si qui sunt, qui non perinde magnum fructum reportarunt, attamen eo die quo nobis audiendis vacarunt, omnino meliores fuerunt. Non autem exiguum est vel istud, unum diem in peccatorum contritione transigere, et ad cœlestem philosophiam respicere, animæque permittere, ut vel paulisper a mundanis respiret curis. Etenim si id singulis collectis fecerimus, nec defecerimus, assiduitas audiendi magnum quoddam præclarumque bonum nobis pariet.

IV. Agite igitur, et ea quæ sequuntur in parabola vobis persolvamus. Quæ sunt autem quæ sequuntur? Cum dixisset dives : « Mitte Lazarum, ut instillet summo digito, ac » refrigeret linguam meam : » auscultemus quid dicat Abraham, « Fili, memento quod recepisti tua bona in vita tua, » et Lazarus similiter mala, et nunc iste solatium accipit, » tu vero cruciaris. Super omnia autem hæc, chaos mag-

[1] 1 Cor. x, 11.

» num confirmatum est inter nos et vos, ut qui volunt is-» tinc transire ad nos, non possint, neque qui hinc istuc » transire [1]. » Gravia sunt quæ dicuntur, plurimumque nobis offundunt dolorem. Hoc ipse novi : sed quemadmodum mordent conscientiam, ita non parum afferunt utilitatis animis eorum qui mordentur. Etenim si hæc nobis illic dicerentur, quemadmodum dicta sunt diviti, revera plorandum esset, dolendum ac lugendum, quod nos pœnitentiæ tempus defecisset. Cæterum quoniam hic agentes hæc audimus, ubi et resipiscere licet, et commissa diluere, denique multam parare fiduciam, atque ex alienis malis concepto timore mutari, agamus gratias clementi Deo, qui per aliorum supplicia nostram expergefacit segnitiem, nobisque dormitantibus somnum excutit. Siquidem ideo hæc ante dicta sunt, ne talia patiamur. Etenim si voluisset punire Deus, non ista prædixisset : verum quoniam noluit nos adigere ad supplicium, idcirco prædicitut prædictione castigati, vitemus rerum experimenta. At cujus tandem gratia non dixit : « Cepisti bona tua, » sed, « Recepisti? » Meministis enim, sat scio, me dicere hinc nobis mare considerationum magnum et immensum aperiri. Nam hæc vox, « Recepisti, » debiti cujusdam significationem habet, eo quod recipiat aliquis, quæ debebantur. Proinde si dives iste scelestus ac scelerosus et inhumanus fuit, quamobrem non dicit illi, « Cepisti, » sed, « Re-» cepisti bona tua, » quasi jure illi competierint, quasique deberentur? Quid igitur hinc discimus? quod etiamsi qui sint scelerosi, ad extremam improbitatis lineam devecti, tamen frequenter unum aliquod, duove aut tria benefacta sunt operati. Quod autem hæc non loquar e conjecturis, hinc perspicuum est. Quid enim fuit illo iniquitatis judice sceleratius, quid inhumanius, quid magis impium? Is neque Deum metuebat, neque homines reverebatur, attamen cum tam improbis

[1] Luc. XVI, 24-26. — [2] Id. XVIII, 2-5.

esset moribus, fecit boni quiddam, miseratus viduam ipsi frequenter negotium facessentem, annuens postulanti officium, præstansque quod petebatur, cohibitis qui illam afficiebant injuria. Ita frequenter accidit ut aliquis vitæ sit intemperantis, et tamen sit misericors : aut ut quis sit inhumanus, pudicus tamen. Quod si intemperans fuerit et idem crudelis, tamen unum aliquod aliud bonum opus fecit in vita. Rursus hoc idem arbitrandum est de bonis. Quemadmodum enim qui pessimi sunt, faciunt frequenter boni quiddam : sic et boni virtuteque præditi, sæpenumero peccant. « Quis enim, inquit, gloriabitur se castum habere » cor ? aut quis confidet se purum esse a peccato [1] ? » Quoniam igitur verisimile est divitem illum, licet ad extremum militiæ provectum, aliquid fecisse boni : contra Lazarum, tametsi summa virtute præstitisset, aliquid tamen leve deliquisse, vide quomodo declaravit utrumque Patriarcha, dicens : « Recepisti bona tua in vita tua, et Lazarus simi- »liter mala. » Et tu, inquit, etiamsi quid boni fecisti, si qua merces tibi debebatur, hæc omnia in illo mundo recepisti, deliciis fruens, divitiis affluens, rebus prosperis utens, multoque rerum successu gaudens. Et hic si quid mali fecit, omnia recepit, cum fame, inopia, extremis malis affligeretur. Itaque vestrum uterque nudus huc pervenit, ille peccatis, tu justitia : quamobrem et hic merum habet solatium, tu inconsolabilem sustines cruciatum. Etenim cum exigua sunt leviaque benefacta nobis, ingens autem et immensum peccatorum onus : deinde hic prosperitate fruimur, neque quidquam patimur acerbi, prorsus nudi destitutique benefactorum præmiis hinc discedimus, ut qui hic receperimus omnia. Similiterque cum multa magnaque fuerunt nobis benefacta, sed exigua paucaque delicta, et post hæc patimur aliquid acerbi : hic depositis

[1] Prov. xx, 9.

levioribus illis delictis puram illic et perfectam bonorum operum remunerationem accipimus. Ubi quem igitur videris, improbam agentem vitam, nec quidquam hic acerbi patientem : ne putaris illum beatum, sed defle potius ac deplora, velut illic omnia tristia perpessurum, quemadmodum dives ille. Rursus ubi quem videris virtutis studiosum, et eumdem innumeris affligi molestiis, beatum existima, felicem judica : ut qui et hic omnia sua peccata diluerit et illic multam habeat paratam patientiæ mercedem, quemadmodum huic evenit Lazaro.

V. Nam ex hominibus, alii quidem hic duntaxat puniuntur, alii rursus nihil hic tale patiuntur, sed omnem vindictam illic recipiunt; alii vero tum hic tum illic puniuntur. Horum igitur trium, quos tandem judicatis beatos? Non dubito quin primos illos, qui hic puniuntur, atque ita peccata deponunt. Verum post illos quos proximo felicitatis loco ponitis? Vos fortassis eos, qui nihil hic triste patiuntur, sed illic omnem luunt pœnam : at ego non istos, sed hos potius, qui hic simul et illic puniuntur. Nam hic qui pœnas dederit, sentiet illic pœnam leviorem : qui vero cogetur illic totam pœnam sustinere, inevitabilem vindictam : quemadmodum dives hic, qui nullam peccatorum partem abluit, adeo severe punitus est, ut ne minimam quidem guttam impetraverit. Verum iis quoque, qui hic cum peccant, nihil tamen grave patiuntur, illos longe infeliciores judico, qui cum hic non puniantur, simul tamen deliciis ac securitate fruuntur. Quemadmodum enim hic non dare pœnas pro commissis, illic cruciatum reddit atrociorem : ita dum peccant, voluptati, deliciis, multæque rerum affluentiæ indulgere, majoris pœnæ viaticum illis ac materiam illic colligit. Nam cum peccantes nos Deus afficit honoribus, ea res potissimum nos in gravius incendium injicere poterit. Etenim si quis Dei lenitate fruatur tantum,

nec ea ad id quod oportuit utatur, atrocius supplicium sibi parat. Ubi præter Dei lenitatem etiam honoribus potitur maximis, nihilo secius tamen persistit in nequitia : quis eum eripiet ab illo supplicio? Etenim ut intelligas, quod qui Dei lenitatem hic experiuntur, malum universum illic sibi coacervant, ni resipuerint, audi quid dicat Paulus : « Existimas autem, o homo, qui condemnas eos qui talia » faciunt, et facis eadem, quod tu effugies judicium Dei? » An divitias bonitatis illius ac patientiæ, lenitatisque con- » temnis, ignorans quod bonitas Dei ad pœnitentiam te in- » vitat? Sed juxta duritiem tuam, et cor impœnitens, re- » condis tibi ipsi iram in die iræ ac revelationis et justi » judicii Dei [1]. » Ergo cum viderimus aliquos opibus affluentes, deliciis fruentes, unguenta olentes, in temulentia totos dies traducentes, in magistratu et honore, in multa pompa et claritudine, peccantes, neque quidquam triste patientes, hac ipsa de causa maxime defleamus ac deploremus illos, quod dum peccant non puniuntur. Ut enim si quem videris hydropi aut vitio splenis obnoxium, aut tabo quopiam marcescentem, innumeris undique plenum ulceribus, nihilo secius tamen cum his omnibus, tumulentiæ ac deliciis indulgentem, reddere morbum acriorem, adeo non miraris aut beatum judicas eum ob delicias, ut ob hoc ipsum etiam maxime miserum existimes: similiter et de anima cogitato. Ubi videris hominem perverse viventem, multaque fruentem prosperitate, neque triste quidquam patientem, ob hoc ipsum magis deplora, quod cum morbo, gravissimoque tabo sit obnoxius, tamen deterior sit, morbum deliciis vitaque dissoluta exasperans. Non enim puniri, sed peccare malum est. Nam hoc quidem a Deo separat, illud vero nos ad Deum recolligit, iramque dissolvit. Unde hoc liquet? Audi Prophetam dicentem : « Consolamini, conso-

[1] Rom. II, 3-5.

» lamini meum populum sacerdotes, loquimini ad cor Jeru-» salem, quoniam accepit de manu Domini duplicia peccata » sua [1]. » Ac rursus : « Domine, pacem da nobis : nam om-» nia reddidisti nobis [2]. » Ut autem intelligatis alios hic, alios illic puniri, alios tum hic tum illic, audite quid dicit Paulus, reprehendens eos qui indigne communicabant mysteriis. Cum enim dixisset : « Qui edit ac bibit indigne » corpus et sanguinem Domini, reus erit corporis et sangui-» nis Christi [3], » subjecit illico : « Ideo inter vos multi in-» firmi et imbecilles, et dormiunt multi. Etenim si nos ipsos » dijudicaremus, non utique judicaremur. Nunc autem » cum judicamur, a Domino corripimur, ne cum mundo » condemnemur [4]. » Vides quomodo hic inflicta pœna, nos liberat a pœna quæ illic est? Et de eo qui stuprum commiserat, inquit, « Tradite ejusmodi hominem Satanæ in in-» teritum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri » Jesu Christi [5]. » Quin et ex ipso Lazaro hoc perspicuum est, quod etiam si quid mali commiserat, hic abluerit, itaque illuc purus abierit. Idem vero et ex illo paralytico manifestum est, qui triginta octo annos laborans infirmitate, per morbum diuturnum peccata deposuit. Cæterum ut scias illum ab peccata sic afflictum fuisse, audi quid dicit Christus : « Ecce sanus factus es, ne posthac pecces, ne quid » contingat tibi deterius [6]. » Ex his igitur clarum est esse quosdam, qui hic puniuntur, ac peccata deponunt.

VI. Quod autem aliqui tum hic, tum illic puniantur, si minus pro peccatorum magnitudine hic luerint pœnas, audi quid de Sodomitis dicat Christus : etenim cum dixisset : « Quicumque non receperit vos, etiam pulverem pe-» dum vestrorum in eos excutite [7], » subjunxit : « Tolera-» bilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæ, quam civitati

[1] Isaï. L, 1, 2. — [2] Id. XXVI, 12. — [3] 1 Cor. II, 27. — [4] Ibid. 30-32. — [5] Id. V, 5. — [6] Joan. V, 14. — [7] Luc. IX, 5.

» illi [1]. » Quod autem dixit « Tolerabilius, » hunc habet sensum, quod illi tum quoque, tametsi levius, forent puniendi, quandoquidem in hac vita dederunt pœnas. Porro nonnullos esse, qui hic quidem nihil molesti patiuntur, sed illic totam expectant ultionem, declaravit nobis hic dives, inevitabilem illic perferens cruciatum, ac ne minimum quidem refrigerii consequens, eo quod illic ei tota vindicta fuerit reservata. Quemadmodum igitur in iis qui peccant, ii qui nihil hic acerbi patiuntur, illic majorem sustinent cruciatum : sic inter eos, qui recte faciunt, qui multa patiuntur in hac vita molesta, illic multo potientur honore. Et quemadmodum si e duobus peccatoribus unus hic puniatur, alter non puniatur, beatior est ille punitus eo qui punitus non est : sic sane inter duos justos, si alter hic plus, alter minus pertulerit afflictionum, beatior erit ille qui plus sustinuerit, quando uniquique reddet juxta opera sua [2]. Quid igitur? Non est quispiam, inquies, qui et hic et illic requie fruatur? Istud impossibile est, o homo, atque ex eorum numero quæ frustra speres. Fieri enim non potest, non potest, inquam, ut qui hic in socordia securitateque vixerit, qui in deliciis omnibus assidue dies consumpserit, qui temere neglecteque transegerit ætatem, illic honorem consequatur. Nam etsi paupertas ei non sit molesta, cupiditas tamen molesta est, atque huic obnoxius est : nec hinc mediocris labor. Quod si morbus non infestat, sed inflammat ira : ne is quidem mediocris dolor vincere iracundiam : etsi afflictiones non irruperint, tamen cogitationes malæ indesinenter insurgunt. Non est autem vulgaris negotii refrenare absurdam cupiditatem, cohibere sitim inanis gloriæ, coërcere fastum, a deliciis temperare, in aspera degere disciplina. Nam qui ista non fecerit, fieri non potest ut unquam salvus fiat. Ut autem intelligas vi-

[1] Matth. x, 14, 15. — [2] Id. xv, 27, et Rom. II, 6.

ventes in deliciis, non fieri salvos, audi quid de muliere vidua dicit Paulus. « Quæ vero in deliciis vivit, vivens mor- » tua est [1]. » Quod si de muliere hoc dictum est, multo magis de viro dicendum, propterea non posse fieri ut homo, qui talem vivit vitam, adipiscatur cœlos. Hoc ipsum et Christus declaravit hunc in modum loquens : « Angusta et » arcta est via, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inve- » niunt eam [2]. » Quomodo igitur, dixerit aliquis, dictum est illud : « Jugum meum suave est, et onus meum leve [3] ? » Nam si angusta est via et aspera, quomodo rursum eam levem facilemque vocat? Illud quidem dictum est propter naturam afflictionum, hoc vero propter spontaneam voluntatem adeuntium. Nam fieri potest ut quod natura est intolerabile, sit leve, si cum alacritate animi suscipiamus. Quemadmodum et Apostoli flagris cæsi reversi sunt gaudentes, quod digni essent habiti pro nomine Domini ignominia affici [4]. Quanquam natura cruciatuum afflictionem doloremque solet gignere, verum animus promptus eorum, qui flagellabantur, rerum naturam vicit. Proinde et Paulus dicit : « Omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu, perse- » cutionem patientur [5]. » Et si homo non persequatur, diabolus tamen oppugnat. Unde multa nobis opus est philosophia, multa fortitudine, ut in precibus vigilemus, nec unquam dormitemus, ne res alienas concupiscamus : ut quæ adsunt, in egenos distribuamus, ut omnibus deliciis vale dicamus, ac nuntium remittamus, tum iis quæ sunt in vestibus, tum iis quæ sunt in mensa, ut avaritiam fugiamus, ut ebrietatem, ut maledicentiam vitemus, ut linguæ temperemus, neque vociferemur incomposite : « Omnis enim amarulentia, com- » motio, et iracundia, et clamor, et blasphemia tollatur a » vobis [6] : » ne obscœna loquamur, ne dictis urbanis de-

[1] 1 Tim. v, 6. — [2] Matth. vii, 14. — [3] Id. ii, 30. — [4] Act. v, 41. — [5] 2 Tim. iii, 12. — [6] Ephes. iv, 31.

lectemur. Non est mediocris laboris in his perfectam præstare custodiam. Atque ut intelligas quanta res sit philosophari, quamque non habeat relaxationem, audi qui dicit Paulus : « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo [1] : » hoc dicens aperuit quanta sit violentia, quantusque labor, quem oportet sustinere eos, qui volunt corpus reddere in omnibus subjectum ac tractabile. Quin et Christus Discipulis ait : « In mundo pressuram habebitis, sed confidite, « ego vici mundum [2] : » Hæc, inquit, afflictio requiem vobis conciliabit. Certaminum est arena præsens vita : porro in certaminibus nemo potest frui requie qui coronandus sit. Itaque qui velit coronari, asperam ac laboriosam vitam suscipiat, ut post quam hic brevem laborem sustinuerit, illic perpetuis honoribus fruatur.

VII. Quot singulis diebus accidunt molestiæ? Qualis autem est animi, non indignari, non moleste ferre, sed gratias agere, glorificare, adorare eum, qui permittit has tentationes infligi? Quam multa inexpectata? quam multæ angustiæ? Et tamen oportet premere malas cogitationes, neque permittere linguæ ut aliquid sonet absurdi, quemadmodum beatus Job innumera perpessus mala perseveravit gratias agere Deo. Sunt autem nonnulli, qui si joco convictiove a quopiam tacti fuerint, aut in adversam valetudinem inciderint, veluti podagram, aut capitis dolorem, aut alium hujus generis morbum, illico blasphemias effundunt : ac molestiam quidem morbi sustinent; cæterum fructu privantur. Quid facis, o homo, in beneficum, in salvatorem, in provisorem, in tui curam agentem, convicia jaciens? non te sentis in præcipitium abripi, teque ipsum in extremi exitii barathrum dejicere? Num enim si blasphemiam proferas, leviorem reddis morbum? Exacerbas potius illum, ac molestiorem reddis cruciatum.

[1] 1 Cor. IX, 27. — [2] Joan. XVI, 33.

Propter hoc enim diabolus innumeras impingit molestias, ut in illud barathrum te præcipitet. Et si quidem viderit te blasphemias proferentem, protinus auget dolorem ac majorem reddit, quo stimulatus rursus indigne feras : quod si viderit te fortiter perferentem, quoque morbus fuerit acrior, hoc magis agentem gratias Deo : illico desistit, ut qui incassum frustraque pergat insidiari. Et quemadmodum canis assistens mensæ, si viderit hominem vescentem subinde aliquid eorum quæ in mensa sunt ipsi projicientem, manet assidue : quod si semel atque iterum sic astitit, ut discesserit nihil adeptus, protinus abstinet veluti qui jam frustra et incassum assistat : itidem et diabolus jugiter nobis inhiat, si quod blasphemum verbum ipsi ceu cani projiciamus, hoc accepto rursus aggreditur : quod si perseveraveris gratias agere, jugulaveris illum fame, celeriterque abegeris et aufugere coëgeris. Verum non potes tacere cruciatu stimulatus, nec ego prohibeo te loqui, sed volo te pro blasphemia loqui gratiarum actionem, pro verbis indignationis verba laudationis. Confitere Domino, clama vehementer, obsecrando : clama vehementer, glorificando : sic tibi et morbus redditur levior, discedente quidem diabolo propter tuam gratiarum actionem, Dei vero auxilio accedente. Nam si blasphemias effuderis, pariter et Dei auxilium submovisti, et diabolum adversus temetipsum reddidisti sæviorem, et te ipsum magis involvisti doloribus. Sin gratias egeris, et insidias propulisti mali dæmonis, et Dei pro te solliciti medelam tibi conciliasti. Verum ex consuetudine frequenter impetu rapitur lingua, ut perversum illud verbum sonet. Verum cum huc rapietur, prius quam verbum effuderit, commorde illam undique dentibus acriter. Præstat illam nunc fluere sanguine, quam tunc concupiscere guttam, nec impetrare posse tale refrigerium : præstat illam temporarium ferre

dolorem, quam tunc perenniter et immortalibus malis cruciari, quemadmodum divitis illius lingua ardore æstuans nullum impetravit refrigerium. Deus præcepit ut inimicos tuos diligas, tu vero Deum te amantem aversaris? Deus jussit ut conviciis insectantibus benigne loquaris, maledicentibus benedicas [1] : tu vero illi benefacienti, et tui curam agenti maledicis, cum nulla in re læsus sis? Annon potuit solvere tentationem? potuit, sed permisit, ut fias probatior. Verum ecce, inquis, collabor interim ac pereo. Non propter afflictionis naturam peris, sed propter tuam socordiam. Dic mihi, utra res est facilior, blasphemia, an gratiarum actio? Nonne illa eos, qui audiunt, hostes et inimicos tibi reddit, et in ægritudinem animi conjicit : hæc vero innumeras affert philosophiæ coronas, incredibilemque ab omnibus admirationem, denique ingentia a Deo præmia? Cur igitur quod utile est, quod facile, quod jucundum omittens, id quod lædit, quod contristat, quod tabefacit, illius loco sectaris? Quin et alioqui si tentationis ac paupertatis afflictio causa esset blasphemiarum, oporteret omnes qui in paupertate vivunt blasphemos esse. Nunc autem inter eos, qui in extrema degunt paupertate, multi jugiter agunt gratias: alii contra, qui opibus ac divitiis affluunt, non cessant evomere blasphemias. Itaque non ipsa rerum natura, sed nostra voluntas et hoc et illud efficit. Propter hoc enim et hanc recitavimus parabolam, ut cognosceres quod hominem socordem ne divitiæ quidem juvent, attentum vero ne paupertas quidem lædere possit. Quid dico, paupertas? Etiamsi omnia conglomerentur quæ sunt inter homines mala, nunquam percellent animum hominis Deum amantis, sapientiæque studiosi, neque persuadebunt ut a virtute discedat : et horum testis est Lazarus. Quemadmodum e

[1] Luc. VI.

diverso mollem ac dissolutum non divitiæ, non sanitas, non perpetua prosperitas, non aliud quidpiam unquam juvare poterit.

VIII. Ne igitur dicamus quod paupertas, morbus et periculorum insultus compellant ad blasphemiam. Non paupertas, sed stultitia; non morbus, sed contemptus, non periculorum insultus, sed pietatis desertio, ut ad blasphemiam, ita ad omne malitiæ genus adducit minus attentos. Sed quam ob causam, inquiet aliquis, alii quidem hic puniuntur, alii vero illic, ac non potius omnes hic? Quam ob causam? Quoniam si hoc esset, omnes utique periissemus. Omnes enim sumus obnoxii pœnis. Rursum si nullus hic puniretur, plures redderentur socordiores, multique dicerent non esse providentiam. Etenim si cum nunc videant multos improbos puniri, multas ejusmodi blasphemias evomunt; si ne hoc quidem esset, quidnam dicerent? ad quod malitiæ genus non raperentur? Has ob res Deus alios quidem hic punit, alios vero non punit. Punit quidem aliquos, excidens illorum vitium, pœnamque illic reddens leviorem, aut etiam in totum liberans illos, et eos qui perverse vivunt castigatiores reddens hac punitione. Alios vero rursum non punit, ut si resipiscentes sibi ipsis caverint, ac Dei benignitatem reveriti fuerint, et hic liberentur a pœna et illic a supplicio. Sin perstiterint, nihilo meliores facti lenitate Dei, qui mala nostra diu tolerat, majorem sustineant cruciatum propter insignem ipsorum contemptum. Quod si quis dixerit eos, qui puniuntur, detrimento affici, poterant enim alioqui resipiscere, illud respondebimus: « Si Deus præscisset fore, ut resipiscerent, nequaquam punisset. Etenim si quos videt manere incorrigibiles, omittit; multo magis quos noverat ex ipsius lenitate laturos fructum, passurus erat in præsenti vita, ut consequerentur temporis spatium ad pœnitentiam. « Nunc

autem eos præripiens, et illis leviorem in futuro sæculo pœnam reddit, et hos castigatiores illorum suppliciis facit. Quam ob rem igitur non idem hoc facit in malis omnibus? Ut ii, qui manent, per timorem aliorum suppliciis reddantur castigatiores, prædicentque Dei lenitatem, ejusque humanitatem reveriti, desistant a malitia. Sed nihil horum faciunt, inquit. Non igitur Deus jam in causa est, sed illorum socordia, qui noluerunt tam multis remediis ad propriam uti salutem. Atque ut cognoscas quod ideo hoc fecerit, attende; miscuit olim sanguinem Galilæorum Pilatus cum sacrificiis, et accedentes hoc ipsum renuntiaverunt Jesu, atque ille dicit : « Quid putatis, quod illi » Galilæi soli peccatores fuerint? Non, dico vobis, nisi pœni» tentiam egeritis et vos similiter peribitis [1]. » Rursum alii octodecim obruti sunt ruina cujusdam turris, de his quoque eadem dicit. Nam quod ait: « Quid putatis quod illi pecca» tores erant soli? non, dico vobis, » declarat quod et viventes iisdem erant obnoxii. Quod autem ait : « Nisi pœnitentiam » egeritis, et vos similiter peribitis, » declarat quod et illos permisit hac de causa illa pati, ut viventes ex iis, quæ cæteris acciderant, terrore concepto, resipiscerent, et regni hæredes fierent. Quid igitur? ut ego, inquis, fiam melior, ille punitur? Non propter hoc, sed propter suum ipsius peccatum punitur. Cæterum illorum interitus attentis ex abundanti fit occasio salutis, dum metu exiis, quæ aliis acciderunt, concepto, redduntur probiores. Itidem et domini faciunt, uno sæpe famulo flagellato, reliquos metu reddunt emendatiores. Cum igitur videris aliquos vel in naufragium incidisse, vel ædium ruina oppressos esse, vel incendio perisse, vel a fluviis abreptos esse, aut alio quopiam modo violento vitam finisse; deinde alios, qui eadem cum illis et graviora peccarunt, nihil tale passos, ne conturberis di-

[1] Luc. XIII, 2, 3.

cens : « Cur tandem qui eadem peccarunt, non eadem passi sunt ? » Verum illud reputa, quod Deus illum quidem passus est e medio tolli præfocarique, mitiorem ei præparans in futuro sæculo cruciatum, aut etiam in totum eum liberans ; hunc vero nihil tale passus est sustinere, ut alterius supplicio castigatior factus, modestior redderetur ; quod si perseveraverit in iisdem, crudelissimam sibi ipsi ex sua socordia coacervat ultionem, nec Deus fuerit causa intolerabilis supplicii. Rursum si videris justum affligi, aut omnia quæ dicta sunt perpetientem, ne consterneris animo. Nam et illi res acerbæ, splendidiores reddunt coronas ; et omnino quævis pœna, siquidem pecccatoribus infligatur, detrahit aliquid vitiorum ponderi ; sin justis infligatur, splendidiorem reddit illis animum, sic ut utrisque maximus ex afflictione fructus eveniat, tantum si grate toleremus ; hoc enim est quod quæritur.

IX. Propter hoc cum sint ejusmodi exempla innumerabilia, sacrarum Scripturarum historia his repleta est, justos ac injustos malis afflictos nobis exhibens, ut sive justus sis, sive peccator, quoniam habes exempla, feras fortiter. Non solum autem ostendit tibi improbos malis afflictos, verumetiam feliciter agentes, ne illorum felicitate conturberis, nimirum doctus ex iis quæ diviti acciderunt cujusmodi illos post hanc vitam maneat incendium, nisi vitam eam reliquerint. Non possumus, inquit, et hic et illic requie frui ; non possumus inquam. Eoque justi vixerunt hic vitam laboribus obnoxiam. Quid igitur, inquis, Abraham ? Et quis tam multa dura perpessus est ? Nonne a paterno exulavit solo ? Nonne a suis omnibus divulsus est ? Nonne in peregrina regione famem sustinuit ? Nonne velut erro quispiam, subinde vertit solum, a Babylone in Mesopotamiam, inde in Palæstinam, rursus illinc in Ægyptum ? Quis referre possit bella quæ pro uxore, quæ cum Barbaris

gessit [1]? Quis strages? quis cognatæ familiæ captivitatem? Hujus generis alia sunt innumerabilia. Cum filium suscepisset, nonne quod est omnium maxime intolerabile perpessus est, cum suis ipsius manibus mactare jussus [2], quem adamabat, cum quem habebat charissimum? Quin et ipse immolandus Isaac, nonne omni ex parte semper a finitimis vexabatur, adeo ut et uxore spoliatus fuerit quemadmodum pater, et tanto tempore sine liberis manserit? Quid porro Jacob in patriis ædibus educatus, nonne graviora quam avus perpessus est? Ac ne singulis recensendis prolixiorem reddamus orationem, audi quid de tota vita sua dicat : « Pauci et mali dies mei, nec pertigerunt ad dies patrum » meorum [3]. » Enimvero si quis filium conspiceret in regio throno sedentem, et tanta fruentem gloria, annon præteritarum calamitatum oblivisceretur? tamen ille in tantum erat malis maceratus, ut ne in tanta quidem prosperitate potuerit anteactorum malorum oblivisci. Quid autem David? quam multas sustinuit tragœdias? Annon eadem dicit quæ Jacob, hunc in modum loquens? « Dies anno- » rum nostrorum in ipsis septuaginta anni; si autem in po » tentatibus, octoginta anni. Et quod amplius illorum, » labor ac dolor [4]. » Quid vero Jeremias? Nonne diem suæ nativitatis execratur, ob malis succedentia mala [5]? Quid autem Moses ipse? nonne animum despondens ait : « Oc- » cide me, si sic mecum acturus es [6]? » Helias vero, cujus animi sublimitas ad cœlum usque pertingebat, qui cœlum clausit, annon post multa edita prodigia jugiter lamentatur ita loquens Deo : « Tolle animam meam a me; non sum » melior patribus meis [7]? » sed quorsum attinet ista singulatim persequi? Paulus omnes simul complexus sic dicit : « Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes,

[1] Gen. XII et seqq.— [2] Id. XXII.— [3] Id. XLVII, 9.— [4] Psal. LXXXIX, 10. — [5] Jer, XX, 18. — [6] Exod. XXXII, 33. — [7] 3 Reg. XIX, 4.

» afflicti, calamitosi, quibus dignus non erat mundus [1]. » Prorsus ita necesse est eum, qui placere velit Deo, qui probatus ac purus esse velit, haudquaquam sectari vitam mollem, remissam ac dissolutam, sed laboriosam, multisque sudoribus plenam. Audi ipsum dicentem : « Nullus » coronatur, nisi qui legitime certaverit [2]. » Et alibi, « Quis- » quis autem certat, in omnibus continens est, et in verbis, » et in aspectu, et in voce, et a conviciis temperans, et a » blasphemia, et a turpiloquio. » Hinc ediscimus, etsi tentatio non foris infestet, se ipsos exercere oportere quotidianis jejuniis, asperaque vita, vili cibo, tenui mensa, ubique vitantes sumptus magnificos. Aliter non potest quis placere Deo. Neque enim mihi frigidum illud dictum objecerit quispiam, quod hic aut ille simul habeat et hujus vitæ et illius commoda. Hoc in divitibus ac deliciis fruentibus, simulque peccantibus accidere nequaquam potest; verum si istud dicendum est, de iis qui hic affliguntur dici potest, qui vivunt in angoribus, videlicet quod hic et hæc et illa habeant. Illic habent præmii fructum, hic habent, quod illorum spe alantur, nec sentiant mala præsentia, ob futurorum bonorum expectationem. Sed audiamus et reliqua quæ sequuntur. « Super hæc omnia vero, chaos » ingens confirmatum est inter nos et vos [3]. » Recte itaque dixit David : « Frater non redimit, non dabit Deo placa- » tionem suam [4]. » Non enim fieri potest, etsi frater, etsi pater, etsi filius fuerit. Vide namque; Abraham appellavit divitem filium, nec tamen illi præstare potuit, quæ sunt patris. Dives patrem appellavit Abraham, et quam consentaneum erat illum impetrare benevolentiam, quam patres gerunt in filios, non potuit; uti cognoscas quod neque cognatio, neque amicitia, neque affectus, neque alia res

[1] Hebr. II, 3. — [2] 1 Cor. IX, 25, et Tim. II, 5. — [3] Luc. XVI, 26. — [4] Psal. XLVIII, 7.

ulla ex omnibus, quæ sunt, juvare potest eum, quia sua ipsius vita proditus est.

X. Hæc autem eo dico, quod complures, nobis frequenter admonentibus ut sibi caveant, vigilentque, negligunt, et admonitionem vertunt in risum. « Tu mihi, inquiunt, adsis in illo die, et bono sum animo, neque quidquam metuo. » Rursum alius : « Patrem, inquit, habeo martyrem. » Et alius : « Avum, inquit, habeo episcopum. » Alii suæ familiæ alios objiciunt. Frigida sunt ista verba, nihil nobis aliorum virtus prodesse valebit. Memento virginum illarum, quæ quinque virginibus non communicarunt oleum, sed hæ ingressæ sunt in sponsi thalamum, illæ sunt exclusæ [1]. Ingens bonum, in tuis ipsius benefactis collocare spem salutis. Illic enim nullius unquam amicus erit auxilio. Nam si hic dixit Dominus Jeremiæ : « Ne roges pro populo hoc [2], » hic inquam, ubi in potestate nostra est vitam mutare, quanto magis idem dicetur illic : « Quid ais? Patrem habes martyrem? Istud ipsum potius faciet ad graviorem tui condemnationem, qui cum habeas ad virtutem exempla domestica, tamen te ipsum indignum majorum tuorum virtute præstiteris. Verum habes amicum egregium admirandumque. At ne iste quidem tunc tibi est affuturus. » Quomodo igitur dicit : « Facite vobis amicos ex mammona » iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna » habitacula [3]? » Non hic est amicitia opitulatrix, sed eleemosyna. Etenim si sola auxiliaretur amicitia, dicendum tantum erat : « Facite vobis amicos ; » nunc autem ostendens quod non sola subveniat amicitia, addidit, « Ex mammona » iniquitatis. » Ac fortasse dixerit aliquis : « Possum et absque mammona conciliare amicum, eumque meliorem quam ex mammona. » Verum uti scires quod eleemosyna est, quæ patrocinatur, opusque tuum ; non simpliciter in sanctorum

[1] Matth. xxv. — [2] Jer. vii, 16. — [3] Luc. xix, 9.

amicitiis, sed in amicitiis per mammonam partis, jussit te confidere. Hæc igitur omnia cum sciamus, charissimi, omni sollicitudine prospiciamus nobis ipsis, et sive corripimur, gratias agamus, sive prosperitate fruimur, muniamus nos ipsos, aliorumque suppliciis facti castigatiores, per pœnitentiam et compunctionem, continuamque confessionem gratias agamus, et si quid deliquimus in hac vita deponentes, summoque studio maculis omnibus animarum nostrarum abstersis, obsecremus Deum, ut omnibus hinc emigrantibus ita concedat illuc pervenire, ut non veniamus in sortem divitis, sed cum Lazaro potiamur sinu Patriarchæ, inque bonis immortalibus deliciemur. Quæ nobis omnibus assequi contingat, gratia ac benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto, gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

CONCIO IV.

De divite et Lazaro, quodque conscientia solet nos commonefacere veterum delictorum, item de Joseph.

I. Quod superest de Lazari parabola [1], necessum est, ut persolvamus hodie. Nam vos fortasse creditis totum nobis absolutum esse. Atqui ego non utar ad fallaciæ occasionem vestra ignorantia, neque prius desistam, quam totum quod mihi visum est tractavero, itaque discessero. Quandoquidem et agricola, postcaquam totius vineæ vindemiam peregerit, non prius desistit, quam singulos etiam minutos acinos decerpserit. Cum igitur nunc quoque videam veluti

[1] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 250-257.

sub foliis latere sensus occultos, age et hos rursus diligenter decerpamus, pro falce sermone utentes. Siquidem vinea, post fructus semel a vindemiatore desectos, stat nuda fructu, nihil habens præter folia; verum spiritualis divinarum Scripturarum vinea non item, sed quamvis quidquid videbatur sustulerimus, tamen adhuc amplius superest tollendum. Itaque complures ante nos disseruerunt in hanc parabolam, complures fortassis et post nos disserturi sunt; nemo tamen poterit totas opes eruere. Nam ea est opulentiæ natura, quo foderis altius, hoc magis exundant divini sensus. Fons enim est nunquam deficiens. Oportebat quidem superiore conventu debitum hoc dissolvisse. Verum non existimavimus esse tutum beati Babylæ et bigæ sanctorum martyrum, qui post illum occurrerunt, præclara gesta præterire. Eoque distulimus solutionem, differentes in præsentem diem, ut totum debitum dissolvamus. Age igitur, quoniam et patribus suas laudes persolvimus, non ut illi promerebantur, sed pro viribus nostris, persolvamus et vobis hujus expositionis reliquias. Verum ne vos delassemini, prius quam ad finem pervenerimus, illinc repetemus sermonem, ubi illum nuper finivimus. Ubinam illum finivimus? In chao dirimente justos a peccatoribus. Cum enim dixisset dives : « Mitte » Lazarum, » illi respondit Abraham : « Chaos ingens firma» tum est inter nos et vos, ut qui velint isthinc transire ad » nos non possint, neque hinc isthuc transeunt [1]. » Multisque verbis demonstravimus, quod posteaquam Deus multam humanitatem erga nos exhibuit, oporteat in propriis benefactis spem salutis collocare, non patres, avos, ac proavos recensere, neque cognatos, amicos, domesticos ac vicinos. « Frater enim non redimit, redimet homo [2]? » sed quidquid deprecati fuerint supplicarintque, qui hinc cum

[1] Luc, XVI, 24-26. — [2] Psal. XLVIII, 7.

peccatis migrarint, incassum jam frustraque loquentur. Etenim virgines illæ quinque implorabant ab æqualibus oleum, nec impetrarunt [1]. Et is, qui talentum in terra defoderat, cum multam excusationem attulisset, tandem condemnatus est. Item qui ipsum esurientem non paverant, nec sitienti potum dederant; cum et ipsi crederent sese ad ignorantiæ patrocinium posse confugere, nec veniam, nec excusationem repererunt. Cæteri vero neć quod hiscerent habebant, velut ille sordidis indutus vestibus [2]. Nam accusatus obticuit. Non autem hic modo, verum et alius ille, qui quod adversus proximum præteritarum offensarum meminisset, centumque denarios ab eo postulasset, post super his ipsis a domino reprehensus ob crudelitatem et inhumanitatem, nihil habuit quod responderet [3]. Unde perspicuum est, quod neque nos quidquam illic sublevabit, si non habuerimus bona opera; verum sive supplices fuerimus, obsecremusquĕ, sive tacuerimus, æque super nos veniet supplicium ac vindicta. Ausculta igitur quomodo hic cum duo postularet ab Abraham, utroque frustratus sit. Primum enim pro se ipso deprecatus est: « Mitte, inquiens, » Lazarum: » mox non pro se ipso, sed pro fratribus; verum nihil postulatorum obtinuit. Siquidem altera postulatio, nempe prior talis erat, ut quod petebatur fieri non posset; altera vero videlicet pro fratribus, erat supervacua. Quin potius, si videtur, ipsa verba multo cum studio audiamus. Etenim si cum magistratus in medio foro reum adducit, carnifices adhibet, accusatumque laniat, omnes magno studio concurrunt, cupientes audire quid interroget judex, quid reus respondeat; multo magis hic diligenter auscultandum est, quid reus, nimirum hic dives, postulet; quid contra justus judex respondeat per Abraham. Non enim Patriarcha erat qui judicabat, quanquam is pronuntiabat;

[1] Matth. xxv. — [2] Id. xxii. — [3] Id. xviii.

verum quemadmodum in mundanis istis judiciis quoties fuerint aliqui rei, puta latrones, aut homicidæ, hos leges procul a conspectu judicis segregantes et arcentes, non permittunt ut audiant vocem judicis, quod illi et hoc et aliis honoribus judicentur indigni; sed medius quispiam interpres, et judicis interrogationes, et rei responsiones perfert; hoc sane pacto et tunc factum est. Non Deum ipsi loquentem audivit reus, sed medius erat Abraham, qui judicis vocem ei qui judicabatur retulit. Non enim ex sese dicebat quæ dicebat, sed divinas diviti leges recitabat, quæque cœlitus ferebantur, sententias proferebat; ideo nec habebat hic quod contradiceret.

II. Auscultemus itaque diligenter his quæ dicuntur. Nam in hac parabola data opera immoror, nec desisto, tametsi quartum jam diem in hac versor, propterea quod ex hac enarratione plurimum fructus nasci video tum divitibus, tum pauperibus, tum iis qui propter improborum felicitatem, atque etiam propter justorum inopiam et afflictionem conturbantur. Neque enim ulla res perinde solet hominum vulgus offendere ac perturbare, ut quod divites prave viventes multa fruantur prosperitate: contra, justi cum virtute vitam agentes, ad extremam redigantur inopiam, aliaque perpetiantur innumera paupertate ipsa graviora. Verum hæc parabola sufficit ad præstanda remedia; divites quidem redigens ad modestiam, pauperes vero in præsentibus malis consolans: et illos quidem admonens, ne efferantur, quoties ii, qui improbe vivunt, hic pœnas non dant, quippe cum eos maneat illic gravissimus cruciatus; hos vero consolans, ne aliorum felicitate perturbentur, neque putent res humanas absque Dei providentia ferri, cum hic justus malis affligitur, improbus contra ac sceleratus homo perpetua fruitur prosperitate. Ambo siquidem pro dignitate recipient illic, hic quidem

coronas patientiæ tolerantiæque, ille vero supplicia, pœnasque improbitatis. Hanc parabolam inscribite dvites pariter ac pauperes : divites quidem in parietibus domus vestræ, pauperes autem in parietibus animi vestri : et si quando deleta fuerit oborta oblivione illinite denuo, ab initio reminiscentes. Imo vero etiam divites prius in mente quam in ædibus hanc describite, semperque circumferte, et erit vobis documentum, materiaque totius philosophiæ. Nam si hanc jugiter inscriptam animo teneamus, neque hujus vitæ læta poterunt nos inflare, neque tristia dejicere prosternereque, sed non aliter quam afficimur picturis in pariete additis, erga hæc utraque afficiemur. Quemadmodum enim conspicientes in pariete pictum divitem ac pauperem, nec illi invidemus, nec pauperem despicimus, eo quod quæ videmus, umbra rerum sint, non veritas : sic et divitiarum et paupertatis, gloriæ et ignominiæ, aliarumque rerum omnium sive tristium sive lætarum naturam si noverimus, liberabimur a turbatione, quæ ex harum unaquaque in nobis gigni solet. Hæc enim omnia quavis umbra fallaciora sunt; homini vero alta mente prædito atque generoso nullæ res illustres ac splendidæ attollere, nullæ humiles abjectæque contrahere animum possunt. Verum jam tempus nobis est, ut divitis verba audiamus : « Oro te, inquit, pater, » hoc est obsecro rogoque, « ut mittas Lazarum in domum » patris mei ; sunt enim mihi quinque fratres ; testificetur » illis, ne veniant in hunc locum tormentorum [1]. » Post quam pro se non impetraverat, pro aliis facit supplicationem. Vide quam humanum, quam mansuetum pœna reddiderit eum. Qui namque Lazarum præsentem despiciebat, aliorum absentium nunc curam habet : qui ante oculos jacentem præteribat, meminit eorum quos non videbat, multoque studio postulat, ut aliquo modo illis prospiciatur

[1] Luc. xvi, 28.

adversus imminentia mala : obsecratque ut Lazarus in domum patris mittatur, ubi ipsi fuerat arena stadiumque virtutis apertum. Illi videant illum coronari, qui viderunt certantem : qui testes fuerunt illi paupertatis ac famis, aliorumque malorum innumerabilium, fiant testes honoris et ignominiæ in omnem gloriam commutatæ : ut utrinque castigati doctique, quod res nostræ nequaquam præsentis vitæ termino circumscribantur, tandem præparent sese, ut hanc pœnam cruciatumque possint effugere. Quid igitur Abraham? « Habent, inquit, Moysem et Prophetas, au» diant illos [1]. » Non æque tu curas fratres tuos atque Deus qui illos condidit : innumeros illis adhibuit magistros, admonitores, consultores, adhortatores. Quid igitur ille respondit? « Non, inquit, pater Abraham, sed si quis ex mortuis » redeat, illis credent [2]. » Hæc sunt vulgi verba. Ubi nunc sunt qui dicunt : « Illinc rediit? » Quis ex mortuis surrexit? Quis narravit quæ sunt apud inferos? Quam multa alia tantaque dicebat apud se ipsum dives ille, cum versaretur in deliciis? neque enim temere postulabat, ut aliquis surgeret ex mortuis. Verum quoniam ipse audiens Scripturas contempserat, deriserat, fabulas esse quæ dicebantur crediderat : ergo hæc sicut ipse fuerat affectus, ita habebat opinionem et de fratribus suis. Illi, inquit, sic opinantur : quod si quis ex mortuis redierit, non derogabunt fidem illi, neque deridebunt, sed potius auscultabunt iis, quæ dicentur. Quid igitur Abraham? « Si Mosem et Prophetas » non audiunt, nec si quis a mortuis surrexerit, credent [3]. » Idque verum esse, quod qui non audit Scripturas, neque ex mortuis excitatos auditurus sit, declararunt Judæi : qui quoniam Mosem ac Prophetas non audierant, neque cum mortuos vidissent excitatos, crediderunt : verum nunc quidem Lazarum occidere conabantur, nunc rursus in

[1] Luc. xvi, 29. — [2] Ibid. 30. — [3] Ibid. 31.

Apostolos impetum faciebant, quamvis multi jam ex mortuis surrexerant, quo tempore crux prædicabatur.

III. Ut vero et aliunde cognoscas quod gravior sit Scripturarum ac Prophetarum doctrina, quam si qui a mortuis resuscitati renuntient, illud considera quod quisquis mortuus est, servus est : quæ vero Scripturæ loquuntur, locutus est Dominus. Proinde etiamsi mortuus reviviscat, etiamsi Angelus e cœlo descendat, maxime omnium credendum est Scripturis. Nam Angelorum Dominus, mortuorum pariter ac viventium dominus, ipse eas condidit. Ad hæc quod supervacanea quærant qui desiderant ut mortui illinc redeant, præter hæc quæ dicta sunt, etiam ab hujus mundi tribunalibus demonstrare licet. Gehenna non videtur incredulis : nam credentibus est perspicua manifestaque, tamen ab incredulis non perspicitur. Tribunalia videntur, quotidieque audimus quod ille supplicio affectus est, illius proscripta bona ; alius operatur in fodinis, alius exustus est igni, alius alio pœnæ vindictæque genere periit : et tamen hæc cum audiunt mali ac facinorosi maleficique, non emendantur. Quid vero dico mirum, quod ii, qui nunquam in ea inciderint, non emendantur? multi frequenter in iis deprehensi, posteaquam effugerunt pœnam, perfossoque carcere elapsi sunt, rursus eadem aggrediuntur, et multo his sceleratiora perpetrant. Ne igitur quæramus hæc audire a mortuis, quæ multo clarius quotidie nos docent sacræ Litteræ. Nam si novisset hoc Deus, quod mortui excitati viventibus essent profuturi, nequaquam omisisset, neque tantum lucrum præteriisset, qui cuncta nobis utilia procurat. Ad hæc si assidue erant excitandi mortui, nobisque quæ illic geruntur renuntiaturi, et hoc ipsum progressu temporis fuisset contemptum, præterea perversa etiam dogmata diabolus invexisset, idque admodum facile. Potuisset enim frequenter ostendere simulacra, ut subornare

qui simularint mortem ac sepulturam, mox rursus sese ostenderent, quasi e mortuis excitatos, ac per illos quæcumque vellet persuadere delusis. Etenim si nunc cum tale nihil sit, somnia frequenter dormientibus visa veluti eorum, qui hinc decesserunt, multos deceperunt, perdiderunt subverteruntque, multo magis id accidisset, si hoc factum fuisset, atque in mentibus hominum obtinuisset; quod nempe multi defunctorum rediissent in vitam, innumerabiles sceleratus ille dæmon dolos texuisset, multamque fraudem in vitam hominum induxisset. Eoque Deus occlusit fores, nec permittit aliquem defunctorum huc reversum narrare, quid illic fiat, ne ille accepta occasione technas suas omnes invehat. Nam cum essent Prophetæ, pseudo-prophetas excitabat: cum essent Apostoli, pseudo-apostolos: cum Christus appareret, pseudo christos: cum dogmata sana inducta fuissent, corrupta inducebat, ubique disseminans zizania. Itaque etiamsi illud evenisset, hoc quoque conatus fuisset fingere per sua organa, non vere excitatis martuis, sed maleficiis quibusdam ac fraudibus contuentium oculis deceptis, aut quosdam etiam subornans, quemadmodum dicere cœperam, qui mortem simularent, sursum deorsum miscuisset, confudissetque omnia. Sed Deus, cum hæc omnia prævidisset, præclusit illi viam ad has insidias, nobisque parcens non permisit ut quisquam unquam illinc huc reversus de iis, quæ ibi sunt, narraret viventibus hominibus: docens nos, ut Scripturis potius credendum existimemus, quam cæteris omnibus. Propterea quod Deus multo clariores insignioresque res gestas, quam ipsa sit resurrectio, nobis commonstravit. Orbem universum convertit, errorem abegit, veritatem induxit, per homines piscatores ac viles hæc omnia peregit; denique abunde magna suæ providentiæ documenta nobis ubique præbuit. Ne itaque putemus res

nostras hujus vitæ termino circumscribi, sed credamus fore judicium ac remunerationem omnium, quæcumque hic a nobis geruntur. Nam id est adeo manifestum conspicuumque cunctis, ut et Judæi et Græci, et hæretici, breviter omnis quisquis est homo super his consentiat. Quanquam enim non quemadmodum decet, de resurrectione philosophantur omnes, attamen de judicio, deque tribunalibus, quæ illic sunt, omnes consentiunt illic esse aliquam eorum, quæ hic geruntur, remunerationem : quod ni esset, qua de causa Deus cœlum tam amplum extendisset, terram substravisset, mare dilatasset, aërem diffudisset, tantam providentiam declarasset, nisi ad finem usque nostri curam habiturus esset?

IV. Nonne vides multos, qui cum virtute vixerunt, innumeraque mala passi sunt, decessisse nulla re bona percepta? Alios contra, cum multam pravitatem commiserint, alienas facultates rapuerint, viduas et orphanos spoliaverint, oppresserintque, opibus deliciisque et innumeris bonis fruiti fuerint, decessisse ne tantulum quidem mali passos? Quænam igitur vel illi priores virtutis præmia recipient, vel isti pravitatis ferent supplicia, si nostræ res ultra vitam hanc non proferuntur? Nam si Deus est, sicuti revera est, eum justum esse nemo non fatebitur. Atqui si justus est, et his et illis reddet pro meritis, et hoc in confesso est. Quod si et his et illis rependet pro meritis, hic vero nullus eorum recepit, neque ille improbitatis pœnam, neque hic virtutis præmia : perspicuum est restare tempus aliquod in quo congruens præmium horum uterque feret. Sed quare nobis judicem in animo sic perpetuo vigilantem, et attentum Deus constituit? conscientiam loquor. Nec enim est ullus inter homines adeo vigilans, ut est nostra conscientia. Nam externi judices et pecuniis corrumpuntur, et assentationibus deliniuntur, et metu simulant, denique

multa sunt alia quæ rectum illorum judicium depravant : at conscientiæ tribunal nulli hominum novit cedere, sed quamvis dederis pecunias, quamvis mineris, quamvis aliud quidlibet feceris, justam feret sententiam adversus peccatorum cogitationes, adeo ut ipse quoque, qui peccatum admisit, se ipsum condemnet, etiamsi alius nullus accuset. Neque id semel atque iterum, sed sæpius, imo per omnem vitam hoc facere non desinit : et licet ingens temporis intervallum intercesserit, nunquam tamen obliviscetur eorum quæ facta sunt. Quin et cum perpetratur peccatum, et prius quam perpetretur, et post quam est perpetratum, acerbus nobis imminet accusator ; maxime vero postcaquam perpetratum fuerit. Nam in perpetrando scelere, quoniam voluptate sumus ebrii, non perinde sentimus : cæterum simul atque commissum fuerit, ceperitque finem, tum demum extincta voluptate, amarus pœnitentiæ stimulus succedit, contra quam accidere solet mulieribus parturientibus. Nam illis ante partum labor est ingens, gravesque nixus, dissecantes eas intolerandis doloribus : post partum vero relaxatio, dolore simul cum infante egrediente : verum hic non item, sed dum parturimus concipimusque corruptos affectus, delectamur, gaudemusque : cæterum ubi fuerimus enixi malum illum puerum peccatum, tum conspecta fœditate partus, discruciamur gravius quam mulieres parturientes. Quapropter ne, a principio maxime, concipiamus in animo corruptam cupiditatem. Quod si quando conceperimus, tamen fœtum intus præfocemus. Rursus si huc usque fuerimus negligentes, iniquitatem in opus progressam mox occidamus per confessionem, per lacrymas, per propriorum commissorum accusationem. Nihil enim tam exitiale peccato, quam peccati accusatio condemnatioque, cum pœnitudine lacrymisque conjuncta. Condemnasti tuum

peccatum? deposuisti sarcinam. Quis hæc dicit? Ipse judex Deus. « Dic tu peccata tua prior, ut justificeris [1]. » Cur igitur te, quæso, pudet, et erubescis dicere peccata tua? Num enim homini dicis, ut te probro afficiat? Num enim conservo confiteris, ut in publicum proferat? Imo vero ei qui Dominus est, ei qui tui curam gerit, et qui humanus est, ei qui medicus est, ostendis vulnera. Neque enim ignorat, etiamsi tu non dixeris, qui sciebat etiam antequam perpetrares. Quid igitur est causæ, quominus dicas? Non enim ex accusatione tua fit gravius peccatum : imo vero mitius ac levius. Et ob hoc ipsum Deus vult te dicere : non ut puniaris, sed ut ipse sciat peccatum ; cur enim id postulet, cum jam sciat? sed ut scias, quantum tibi debitum remittatur. Ideo vero vult te scire beneficii magnitudinem, ut perpetuo gratias agas, ut segnior fias ad peccandum, ut ad virtutem promptior. Nisi dixeris debiti magnitudinem, non agnosces gratiæ eminentiam. Non, inquit, cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes. Mihi soli dic peccatum privatim, ut sanem ulcus, teque dolore liberem. Ideo nobis indidit conscientiam, idque quovis patre amantius. Nam pater ubi semel, iterum, ac tertio, deciesve filium increpaverit, si viderit incorrigibilem manere, desperans abdicat, expellit e familia, a cognatione resecat. At non eodem modo conscientia, set licet semel, licet iterum, licet ter, licet millies admonuerit, tuque non obtemperes, monebit iterum, nec desistet usque ad supremum halitum, sive domi, sive in biviis, sive in mensa, sive in foro, sive in itinere : frequenter et in somniis ipsis peccatorum nobis simulacra spectraque repræsentat.

V. Vide autem Dei sapientiam. Non fecit perpetuam conscientiæ accusationem, neque enim hoc onus perferre

[1] Isaï. XLIII, 27.

poteramus, si jugiter accusasset : neque rursus adeo levem et imbecillem, ut post unam aut alteram admonitionem desperaret. Nam si singulis diebus et horis fuisset nos stimulatura, mœrore profecto suffocaremur. Rursus si post unam atque alteram increpationem desisteret, haud multum fructus nobis afferret. Eoque fecit objurgationem perpetuam, at non frequentem : perpetuam quidem, ne in socordiam incideremus ; sed semper et usque ad mortem admoniti vigilaremus ; non frequentem vero ac sæpius repetitam, ne animo concideremus ; sed ut subinde relaxatione solatioque quopiam accepto, respiraremus. Quemadmodum enim omnino non dolere de peccatis, exitiale est, atque etiam mali sensum nobis prorsus adimit : sic et jugiter, supraque modum id facere, noxium est. Potest enim et doloris immodica magnitudo, frequenter hominem a naturalibus excutiens sensibus, animum demergere, et ad honesta omnia inutilem reddere. Ea propter et illud providit, ut ex intervallis nobis immineret conscientiæ redargutio, propterea quod est admodum severa, et quovis stimulo acrius pungere consuevit peccatorem. Non enim tunc solum, cum ipsi peccamus, verumetiam cum alii committunt eadem, vehementer insurgit, magnaque contentione nobis occlamat. Nam scortator, adulter, aut fur non modo cum accusatur ipse, verumetiam cum audit alios eadem ausos accusari, ipse sibi videtur flagris cædi dum increpantur alii, suorum admissorum reminiscens, et alius quidem vocatur in jus, hic vero flagellatur, cui nullum crimen intenditur, si fuerit eadem ausus. Quemadmodum in aliorum recte factis dum laudantur et coronantur, qui eadem cum ipsis recte facta gesserunt, gaudent, exultantque, quasi non illi magis quam ipsi laudarentur. Quid igitur esse possit homine peccatore miserius, qui quoties accusantur alii, ipse exanimatur? Contra, quid eo beatius,

qui cum virtute vivit, qui dum laudantur alii, ipse gaudet, lætitiaque diffluit, ex aliorum laudibus suorum recte factorum memoriam recipiens? Hæc sunt divinæ sapientiæ opera, hæc maxima illius providentiæ sunt argumenta : conscientiæ increpatio sacra est ancora, non sinens nos tandem in peccatorum demergi profundum. Neque enim per id tempus tantum quo peccata committimus, verumetiam post multos annorum circuitus, novit nos sæpe veteris admonere peccati. Idque ex ipsis evidenter comprobabo Scripturis. Vendiderunt olim fratres Josephum, nihil quidem habentes quod incusarent, sed quoniam viderat somnia ipsi gloriam venturam portendentia : « Videbam, inquit, ma» nipulos vestros adorantes manipulum meum [1]. » Quanquam ob hæc decuit illum servare potius, quod totius familiæ corona, totiusque generis decus erat futurus. Sed ejusmodi res est invidia, pugnat adversus domestica decora, mavultque invidus innumera perpeti mala, quam videre proximum in pretio habitum, etiamsi gloriæ pars ad ipsum sit permanatura : quo sane quid esse possit miserius? Quod et illis usuvenit : cum enim vidissent illum procul venientem, ipsisque cibum afferentem, inter se dicebant : « Venite, occidamus eum, ac videamus quid fu» tura sint illius somnia [2]. » Ut fratrem non revereris, neque naturam agnoscas, certe mensam ipsam conveniebat revereri, ipsumque ministerii officium, quandoquidem aliturus te veniebat. Sed vide quomodo et imprudentes vaticinantur : « Venite, inquiunt, occidamus eum, et videa» mus quid futura sint illius somnia. » Etenim nisi struxissent insidias, nisi dolos texuissent, et impudens illud consilium concinnassent, nequaquam cognovissent vim illorum somniorum. Non enim perinde magnum erat, Joseph, si nihil acerbi passus esset, conscendere thronum Ægypti, ac tot

[1] Gen. xxxvii, 7. — [2] Ibid. 20.

obstaculis discussis, hunc eumdem assequi splendorem. Nisi enim illi struxissent insidias, non vendidissent eum in Ægyptum. Nisi in Ægyptum vendidissent, non adamatus fuisset ab hera. Si non fuisset adamatus ab hera, non fuisset conjectus in carcerem, non interpretatus fuisset somnia, non regnum illud fuisset assecutus. Si non fuisset regnum consecutus, non venissent illi commercaturi frumentum, nec adorassent. Itaque quoniam occiderunt illum, ob hoc maxime intellexerunt illius somnia. Quid igitur? Ipsi-ne bonorum omnium, quæ post evenerunt, illiusque gloriæ fuerunt illi conciliatores? Nequaquam. Verum ipsi quidem moliebantur illum morti, desperationi, servituti, breviter extremis malis tradere : sed Deus melior artifex, insidiantium malitia in venditi insidiisque impetiti gloriam usus est.

VI. Ne vero putares rerum eventus, vel casus esse fortuitos, vel ab humanarum rerum subita mutatione pendere : per eos qui adversantur, per eos qui obsistunt, procurat Deus, ut res quæ vetantur, conficiantur, inimicis suis ad suam gloriam utens ministris, ut intelligas quod Deus decrevit, a nemine dissipari, nec manum illam excelsam a quoquam aversum iri : quod si quando ab aliquo petaris insidiis, ne consterneris animo, neve moleste feras, sed scire possis insidias in bonum finem exituras, tantum si fortiter feras quæ accidunt. Ecce hic quoque livor regnum peperit, invidia conciliavit diadema, ad thronum perduxit, atque illi ipsi qui struebant insidias, auxiliantes promoverunt ad illius imperii magnitudinem. Et is quidem cui structæ fuerant insidiæ, regnum adeptus est : ii vero, qui struxerant, servierunt : adorabatur ille, hi adorarunt. Itaque cum tibi acciderint acerba, continuaque mala, ne turberis, neque moleste feras, sed expecta finem. Omnino continget aliquid munifico Deo dignum, tantum si cum

gratiarum actione feras quæ accidunt : quandoquidem nec iste, cum illa somniasset, cum in extremum discrimen venisset, cum venditus a fratribus, cum ab hera insidiis appetitus, denique cum in carcerem esset conjectus, dicebat apud sese : « Quid tandem hoc est rei? fefellerunt me illa somnia : exulo a patria, spoliatus sum libertate, propter Deum non cessi heræ ad adulterium invitanti, propter pudicitiam ac virtutem do pœnas, ac ne sic quidem ultus est vicem meam Deus, aut manum porrexit, sed passus est me tradi vinculis super alia aliis, calamitates inciderunt perpetuæ, post cisternam servitus, post servitutem insidiæ, post insidias calumnia, post calumniam carcer : » verum horum nihil illum perturbabat, sed perseverabat in spe cum bona fiducia, sciens quod quæ dicta sunt a Deo, nunquam excident. Poterat quidem Deus eodem etiam die ista perficere, sed ut simul et suam declaret potentiam, et fidem famulorum suorum, permittit multum temporis intercedere, multaque incidere impedimenta, uti simul et ipsius robur cognoscas, tum explentis promissa, postea quam in desperationem adducta res est, et servorum perspicias tolerantiam ac fidem, quos nihil horum, quæ interim accidunt, a bona spe depellit. Sed quod dicere cœperam, reversi sunt isti, fame illos veluti carnifice præcipites agitante, et principi Joseph exhibente. Volebant emere frumentum : hic autem ait ad eos; « Exploratores » estis [1]. » Illi apud sese dicebant : « Quidnam hoc est? alimenta emptum venimus, et de vita periclitamur? » Merito: quandoquidem et ille vobis alimoniam afferebat, deque vita periclitatus est. Cæterum ille quidem vere passus est; vos autem hoc per simulationem patimini. Non enim inimicus erat, sed inimici personam assumpserat, ut quid in paterna familia ageretur ad plenum cognosceret. Quoniam

[1] Gen. XLII, 9,

enim circa ipsum improbi, ingratique fuerant : Benjamin autem cum ipsis non viderat, veritus de puero ne quando et ille eadem quæ frater passus fuisset, jubet unum ex illis vinctum illic detineri, deinde illos sumpto omni frumento discedere, mortem illis comminatus, nisi fratrem suum adducerent. Hæc igitur ubi facta sunt, dixit illis : « Relinquite aliquem hic, et fratrem vestrum adducite : sin minus, moriemini. » Quid tum inter se loquebantur illi? « Profecto hæc jure nobis accidunt : nam in peccatis sumus, de fratre nostro cum rogaret nos. » Vides post quantum temporis peccati illius recordabantur? et ad patrem quidem dixerant : « Fera pessima devoravit Joseph [1]. » Cæterum ipso Joseph præsente audienteque peccatum suum prodebant. Quid hac re mirabilius accidere possit? judicium absque redargutionibus peragitur, et excusatio sine accusatione, probatio sine testibus, dum ipsi, qui facinus peregerant, se ipsos redarguunt, quodque clam factum fuerat, efferunt. Quis persuasit? quis adegit in publicum efferre, quæ ante tantum temporis patrata sunt? Annon perspicuum est huc adegisse conscientiam, judicem, cui verba dari non possunt; quæ assidue concutiebat illorum mentem, animumque turbabat? Et ille occisus tunc sedebat tacite judicans illos : cumque nulla sententia in ipsos esset pronuntiata, ipsi condemnationis calculum adversus sese ferebant. Et isti quidem hæc dicebant. Alius vero sese excusabat, dicens : « Nonne dixi ad vos ita loquens : Ne lædatis puerum, »neve quidquam mali illi faciatis, quoniam frater noster »est : et ecce nunc sanguis ipsius exquiritur de manibus »nostris [2]? » Attamen is, qui hæc dicebat, nihil de cæde aut interfectione illa dixerat : verum ne ipse quidem sedens quidquam tale quærebat, sed alium fratrem requirebat : ipsorum tamen conscientia per oblatam occasionem insur-

[1] Gen. XXXVII, 33. — [2] Gen. XLII, 22.

rexit, momorditque illorum animos, efficiens, ut nemine compellente, sua confiterentur facinora. Eadem et nobis accidunt in peccatis præteritis. Cum enim malis nos circumstantibus examinamur, priorum peccatorum reminiscimur.

VII. Hæc igitur omnia cum sciamus, ubi quid pravi gesserimus, ne expectemus calamitates, malorumque incursum, neque pericula, neque vincula, sed singulis et horis et diebus renovemus apud nos ipsos hoc judicium, sententiam adversus nos ipsos feramus, omnique modo conemur Deo nos purgare, ac neque ipsi de resurrectione, deque judicio dubitemus, neque alios ita loquentes feramus, sed modis omnibus per ea, quæ dicta sunt, illis obturemus os. Nam si illic non essemus daturi pœnas admissorum, Deus nequaquam nobis hic constituisset tale judicium. Sed et hoc ipsum est illius benignitatis indicium. Quoniam enim tunc exacturus est a nobis rationem delictorum, instituit in nobis hunc judicem incorruptibilem, ut is hic de commissis nobis judicium reddens, emendatioresque faciens, ex illo eripiat judicio : quod et Paulus ait : « Nam si nosmetipsos judicaremus, non utique judicare-» mur a Domino [1]. » Ut igitur neque tum puniamur, neque tum pœnas demus, in suam quisque conscientiam ingrediatur, vitamque explicet : cunctisque commissis diligenter excussis condemnet animam, quæ hæc patravit, puniatque cogitationem, affligat, crucietque suam ipsius mentem, supplicium a se ipso exigat pro peccatis, per condemnationem, per diligenter actam pœnitentiam, per lacrymas, per confessionem, per jejunium, per eleemosynam, per continentiam, ac charitatem, ut possimus omnes omni modo hic depositis peccatis multa cum fiducia illuc proficisci. Quam nobis omnibus contingat assequi, gratia ac benigni-

[1] 1 Cor. XI.

tate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et sancto Spiritui gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA.

In quatriduanum Lazarum.

I. Hodierno die suscitatus a mortuis Lazarus, multorum nobis variorumque scandalorum dissolutionem impertit. Hæc enim lectio nescio quo pacto hæreticis ansam, et Judæis contradictionis occasionem dedit : non ex rei veritate, absit, sed ob malitiosum illorum animum. Siquidem multi ex hæreticis dicunt similem Patri non esse Filium : quid ita? quoniam indiguit precibus, inquiunt, Christus ad excitandum a mortuis Lazarum : nisi enim precatus esset, Lazarum non excitasset. Et quî fieri poterit, ut is qui precatus est, sit similis ei, qui supplicationem admisit? Nam hic quidem precatur, ille vero preces supplicantis admisit. Blasphemant autem, quod non intelligant condescensionis gratia preces, et propter astantium imbecillitatem fusas esse. Alioqui, dic quæso, quis major est, qui lavat pedes, an ille cujus pedes lavat? omnino illum majorem esse dices, cujus pedes lavit is, qui lavabat[2]. Atqui Judæ proditoris pedes lavit Salvator : siquidem cum Discipulis erat : quis ergo major? num Christo Domino proditor Judas, quandoquidem ejus pedes lavit Christus? absit Utrum vero humilius lavare pedes, an precari? haud dubium quin pedes lavare. Qui ergo quod erat humilius facere non recusavit, quomodo facere quod erat sublimius recusaret? Sed omnia propter astantium Judæorum imbe-

[1] Alias de Christi precibus contra Anomæos. IX. — [2] Joan. XIII, 5.

cillitatem fiebant, ut ex progressu sermonis apparebit. Quin etiam Judæi contradictionis inde occasionem arripientes dicunt : « Quî fit, ut eum Christiani Deum habeant, qui locum ubi mortuus jacebat Lazarus ignorabat? quando-quidem sororibus Lazari Marthæ et Mariæ Salvator dicebat : « Ubi posuistis eum [1] ? » Vides, inquit, ignorantiam? Vides imbecillitatem? ille-ne, qui etiam locum ignoravit, est Deus? » At ego sic eos alloquar, non quod ita sentiam, sed ut eorum objectionem ignominiose rejiciam. Ignoravit, ais, Christus, o Judæe, quia dixit : « Ubi posuistis eum? » Itaque ignoravit etiam in paradiso Pater, ubi absconditus esset Adam. Circuibat enim quasi eum in paradiso quærens, ac dicens : « Adam, ubi es? » quasi diceret : « Ubi absconditus es? » Quare non prius locum dixit, ex quo cum fiducia cum Deo colloquebatur Adam? « Adam, ubi es? » Ille vero quid? « Vocem tuam audivi in paradiso ambulantis, et timui, eo » quod nudus essem, et abscondi me [2]. » Si hanc, o Judæe, vocas ignorantiam, illam quoque ignorantiam voca. Dicebat enim Christus Marthæ et Mariæ : « Ubi posuistis eum? » Hanc igitur ignorantiam vocas? Quid ergo dices, cum audieris Deum Caïno dicentem : « Ubi est Abel frater tuus [3] ? » Quid ais? Si hanc ignorantiam vocas, illam quoque ignorantiam voca. Accipe alteram etiam ex Scriptura sacra demonstrationem. Dixit Deus Abrahæ : « Clamor Sodomo-» rum et Gomorrhæ venit ad me. Descendens igitur videbo, » si secundum clamorem eorum qui venit ad me consum-» mantur : sin autem non, ut sciam [4]. » Qui novit omnia, antequam fiant, qui corda et renes scrutatur Deus, qui novit cogitationes hominum [5] solus dicebat : « Descendens » igitur videbo, si secundum clamorem eorum, qui venit ad me, consummantur : sin autem non, ut sciam. » Si illud

[1] Joan. xi, 34. — [2] Gen. iii, 9. — [3] Id. iv, 9. — [4] Id. xviii, 20, 21. — [5] Psal. xciii, 11.

est ignorantiæ, hoc quoque erit ignorare. Atqui neque secundum Vetus Testamentum Pater ignorat, neque secundum Novum Testamentum Filius. Quid est igitur illud : « Descendens videbo, si secundum clamorem eorum, qui venit ad » me, consummantur : sin autem non, ut sciam ? » Rumor, inquit, ad me pervenit : sed accuratius volo rursus reipsa experimentum capere : non quod ignorem ego, sed homines a me doceri velim, ut ne temere fidem verbis adhibeant, neque, si quis adversus alterum quidpiam dicat, facile credendum esse, verum ubi prius ipsi diligenter palpaverint, et rem ipsam experimento didicerint, tum demum esse credendum. Atque hac de causa in alio Scripturæ loco dicebat : « Nolite credere omni verbo[1]. » Nihil enim ita vitam hominum evertit et pessumdat, ac si quis statim iis, quæ passim dicuntur, fidem habeat. Hoc etiam Propheta David prophetans dicebat : « Detrahentem secreto » proximo suo, hunc persequebar[2]. »

II. Vides quo pacto nulla acciderit ignorantia Salvatori, cum dixit : « Ubi posuistis eum ? » sicut neque Patri cum dixit Adamo : « Ubi es[3] ? » vel Caïn : « Ubi est Abel frater » tuus[4] ? » vel : « Descendens videbo, si secundum clamorem » eorum, qui venit ad me, consummantur : sin autem non, » ut sciam. » Jam ergo tempus est ut cum iis confligamus, qui Christum dicunt propter imbecillitatem orasse, cum Lazarum suscitaret. Attendite itaque, dilectissimi, quam diligentissime, quæso. Mortuus est igitur Lazarus, nec in illis locis erat Jesus, sed in Galilæa, dixitque Discipulis suis : « Lazarus amicus noster dormit[5]. » Illi autem putantes, quod de somno ejus loqueretur, dicunt illi : « Domine, » si dormit, salvus erit[6]. » Dicit eis Jesus manifeste : « Lazarus mortuus est[7]. » Venit deinde Salvator Jerosolymam

[1] Eccli. xix, 16. — [2] Psal. cvi, 6. — [3] Gen. iii, 9. — [4] Id. iv, 9. — [5] Joan. xi, 11. — [6] Ibid. 12. — [7] Ibid. 14.

ad locum, ubi Lazarus jacebat, et obviam prodit illi soror Lazari, et ait illi : « Domine, si fuisses hic, frater meus non » fuisset mortuus [1]. Si fuisses hic. » Infirma es mulier. Nescit nunc mulier Christum, licet corpore præsens non esset, Divinitatis potentia præsentem fuisse : sed ex corporis præsentia magistri virtutem metitur. Dicit ei Martha : « Domine, » si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Et nunc » scio, inquit, quia quæcumque poposceris a Deo, dabit » tibi Deus [2]. » Salvator igitur secundum hanc petitionem preces offert. Neque enim precibus indigebat Deus, ut mortuum suscitaret. Annon enim alios etiam mortuos suscitavit? quando illi occurrit quidam mortuus, qui in porta civitatis efferebatur, tantummodo loculum tetigit, et mortuum excitavit [3]. Num precibus tum indiguit, ut excitaret defunctum? et alibi rursus tantum verbo puellam est allocutus. « Talitha cumi [4], » et confestim tradidit eam parentibus suis sanam. Num precibus tum indiguit? Quid autem de magistro loquor? Discipuli ejus solo verbo mortuos suscitabant. Petrus nonne Tabitham verbo excitavit? Paulus nonne suis vestibus signa multa fecit? Disce quidpiam mirabilius istis : Apostolorum umbra mortuos suscitabat. « Efferebant enim, inquit, in grabatis ægrotos, ut saltem » umbra Petri obumbraret quemquam illorum, et confes- » tim excitabantur [5]. » Quid ergo? Discipulorum umbra mortuos excitabat, et magister precibus egebat, ut mortuum excitaret? Sed propter mulieris imbecillitatem adhibet preces Salvator. Ait enim ipsi : « Domine, si fuisses hic, » frater meus non fuisset mortuus : et nunc scio, quia quæ- » cumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. » Postulasti preces, do preces. Expositus est fons : quodcumque tandem vas qui attulerit, implet illud. Si magnum fuerit,

[1] Joan. xi, 21. — [2] Ibid. 22. — [3] Luc. vii, 14. — [4] Marc. v, 14. — [5] Act. v, 15.

magnum sumit : si exiguum, sumit exiguum. Hæc igitur preces postulavit, et Salvator preces concessit. Alius dixit : « Non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tan- » tum dic verbo : Fiat tibi, et sanabitur puer meus : tum » dixit ei Salvator : Secundum fidem tuam fiat tibi [1]. » Alius dixit : « Veni, sana filiam meam : » tum ait illi : « Sequar te. » Itaque prout se habent hominum voluntates, medelam adhibet medicus. Alia rursus clam vestimenti ejus fimbriam tetigit, et clam medelam obtinuit [2] : unusquisque prout credebat, etiam sanitatem recuperabat. Ista dicit : « Scio, quia quæcumque poposceris a Patre, dabit tibi Pater, » et quoniam preces postulaverat Martha, preces illi concessit Salvator, non quod ipse precibus indigeret, sed quod mulieris infirmitati morem gereret, seque Deo non adversari ostenderet, verum quidquid ipse fecerit, hoc etiam fieri a Patre. Formavit Deus hominem a principio : fuit utriusque commune figmentum : « Faciamus enim, inquit, hominem » ad imaginem et similitudinem nostram [3]. » Rursus latronem voluit in paradisum intromittere, et confestim verbum protulit, ac latronem in paradisum introduxit, neque precibus indiguit : tametsi post Adamum omnes Dominus ab aditu illius arceret. Posuit enim flammeum gladium ad custodiendum paradisum [4] : at Christus auctoritate sua paradisum aperuit, et latronem introduxit. Latronem, Domine, in paradisum introducis? Pater tuus ob unum peccatum Adamum ejecit e paradiso, et tu latronem introducis? cum qui mille malorum, mille scelerum reus erat? et simpliciter ita propter unam vocem in paradisum eum introducis? Ego vero introduco : nam nec illud absque me factum est, neque istud absque Patre meo : sed et hoc meum est, et illud est Patris mei. « Ego enim in Patre, et » Pater in me. »

[1] Matth. VIII, 8. — [2] Id. IX, 20. — [3] Gen. I, 26. — [4] Id. III, 24.

III. Atque ut videas orationis opera non fuisse mortuum excitatum, audi orationem. Quid enim ait? « Gratias ago » tibi, Pater, quoniam audisti me [1]. » Quid ergo? hæccine species est orationis? hæc forma supplicationis? « Gratias » ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem, inquit, sciebam, » quia semper me audis [2]. » Si ergo scis, Domine, semper audiri se a Patre, cur de iis, quæ scis Patrem interpellas? Equidem scio, inquit, quia semper audit me Pater : « Sed » propter populum, qui circumstat, dixi : Ut cognoscant » omnes, quia tu me misisti [3]. » Num igitur propter defunctum oravit? num supplicavit ut resurgeret Lazarus? num dixit : « Pater impera morti ut obediat? » num dixit : « Pater impera inferno, ut portas non occludat, sed prompte mortuum reddat? « Sed propter populum hunc circumstantem » dixi, inquit : Ut cognoscant omnes, quia tu me misisti. » Non ergo signum est id quod geritur, sed instructio eorum qui adsunt. Vides quo pacto non propter mortuum fierent preces, sed propter infideles qui aderant : « Ut cognoscant, » inquit, quia tu me misisti. » Et quo pacto fieri poterit, dicet aliquis, ut cognoscamus te ab illo missum esse? Attende quæso diligenter. Ecce, inquit, propria mea auctoritate mortuum evoco : Ecce propria potestate morti impero : Patrem voco, patrem : et Lazarum evoco e sepulcro. » Si primum illud verum non est, ne hoc fiat secundum : sin autem vere Pater est pater, obediat mortuus ad eorum qui adsunt instructionem. Quid enim Christus dicebat? « La- » zare, veni foras [4]. » Quando fiebat oratio, non resurrexit mortuus : sed quando dixit : « Lazare, veni foras, » tunc mortuus resurrexit. O magnam mortis tyrannidem! O magnam tyrannidem virtutis illius, quæ animam illam detinebat! O inferne, facta est oratio, et mortuum non dimittis? Nequaquam, inquit. Qua de causa? quia non jussus sum

[1] Joan. xi, 41. — [2] Ibid. 42. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 43.

dimittere. Custos sum carceris, qui reum hic detineo : nisi jussus fuerim, inquit, non dimittam. Siquidem oratio non propter me, sed propter eos qui aderant infideles, est facta. Nam ego nisi mihi fuerit imperatum, reum non dimittam. Vocem expecto, ut animam dimittam. « Lazare, veni foras. » Audivit præceptum dominicum mortuus, et confestim leges mortis violavit. Erubescant hæretici, et pereant a facie terræ. Satis enim ex ipso Scripturæ textu constat non ad mortuum suscitandum orationem esse factam, sed ut eorum, qui aderant, infidelium infirmitati consuleretur. « La» zare, veni foras. » Quare vero mortuum nominatim vocavit? Quæris tu quare? Ne si absolutam vocem ad mortuos direxisset, omnes qui in sepulcris erant, excitaret, idcirco dicit : « Lazare veni foras. » Te unum coram hoc populo interim revoco, ut hac in parte speciu.en virtutis futurorum exhibeam. Ego enim qui unum excitavi, totum orbem terrarum excitabo. « Ego quippe sum resurrectio et vita. La» zare veni foras. » Et prodiit mortuus ligatus pedes et manus institis. O rem insolitam et mirabilem ! Qui a mortis vinculis animam solvit, qui fores inferni perfregit, qui portas æreas et vectes ferreos contrivit, et animam a mortis vinculis liberavit, non potuit etiam institas mortui solvere? Sane potuit : sed Judæis imperat solvant institas, quas ipsi prius dum illum sepulcro conderent, strinxerant, ut suorum vinculorum indicia recognoscant, ut experimento discant, ex iis quæ ipsi præstiterint, Lazarum eum esse quem ipsi sepulcro condiderint, et Christum esse, qui secundum Patris beneplacitum in mundum advenit, qui vitæ ac necis habet potestatem. Ipsi gloria et imperium una cum Patre tuo initii experte, simulque sancto ac vivifico Spiritu tuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA [1].

Quod non dicere et ad alios efferre, quæ scimus, pauperiores nos reddit, et gratiam extinguit; et in preces, quibus Christus est usus, et auctoritatem, qua omnia faciebat, et in veteris legis emendationem; et quod incarnatio æqualitatem ipsius cum Patre non minuit, sed confirmat potius.

I. Superioribus diebus abunde in celebri cœtu conciones habuimus, dum apostolica certamina tractaremus, et spiritualium recte factorum narratione nos oblectaremus; jamvero tempus est ut vobis debitum persolvamus. Etenim nihil est, quod impediat; atque equidem oblitos esse vos scio debitorum meorum, quod tam multi dies intercesserint; non tamen ea idcirco celabo, sed ea vobis magna animi alacritate persolvam. Id vero facio, non solum, quod bonæ fidei sim debitor, sed etiam quod utilitati meæ consulam. Nam in corporalibus quidem contractibus ei, qui mutuum sumpsit, utile est, si is qui mutuatus est, obliviscatur; sed in spiritualibus pactis ei, qui debitum exoluturus est, utilitatem parit maximam, si qui accepturi sunt, debitorum perpetuo recordentur. Siquidem mutua pecunia restituta deserit eum qui persolvit, et ad eum transit, qui recipit, atque unius imminuit, alterius auget facultates; in spiritualibus vero non item; sed fieri potest ut rem debitam et persolvamus et retineamus; quodque permirum est, tum maxime illam habemus, cum aliis persolverimus. Si enim defossam in mente perpetuo custodiam,

[1] Alias quæ est contra Anomæos decima.

nec ulli communicem, minuitur mihi lucrum, decedit aliquid de facultatibus; sin autem ad omnes efferam, multosque consortes ac participes faciam, mihi divitiæ spirituales augentur. Atque hæc ita se habere, eumque qui cæteris communicat, depositum augere; qui vero abscondit quæstum omnem imminuere, testes sunt illi, quibus fuerant talenta commissa, is cui quinque, is cui duo, et is cui unum. Alii enim duplicata proferebant [1], quæ sibi credita fuerant, et idcirco honoribus afficiebantur; alius autem apud se servavit, nec ulli communicavit, neque duplum reddere valuit, atque idcirco punitus est. Hæc igitur audientes omnes, et quod inde supplicium imminet reformidantes, quod penes nos fuerit bonum, in fratres conferamus, et in medium omnibus persolvamus, neque recondamus. Cum enim cum cæteris communicamus, tum amplius ipsi ditescimus; cum participes lucri multos facimus, tum facultates nostras augemus. Atqui minui gloriam tuam arbitraris, cum tu ea nosti cum multis, quæ solus noveras; imo vero tum augetur gloria, et utilitas tua, cum invidiam proculcas, cum livorem extinguis, cum amoris in fratres egregium specimen edis. Quod si solus id sciens obambules, homines quidem te tanquam invidum et fratrum osorem aversabuntur, et odio habebunt; Deus autem tanquam ab improbo extremum supplicium exiget; præter hæc autem ipsa etiam gratia confestim nudam te derelinquens aufugiet; quandoquidem frumentum quoque si semper in horreis sit reconditum, consumitur, cum a tinea exedatur; si vero prolatum foras in arva spargatur, multiplicatur rursumque renovatur; ita sermo quoque spiritualis, si semper intus concludatur, dum invidia, torpore, ac tabe corrumpitur, et consumitur anima, cito extinguitur; sin autem tanquam in arvum fertile in animas fratrum disper-

[1] Matth. xxv, 15.

gatur, ita fit, ut et iis a quibus suscipitur et iis a quibus possidetur, multiplicetur thesaurus. Et quemadmodum fons ex quo frequenter hauritur, purior fit, et copiosius scaturit; obturatus vero destruitur; sic et donum spirituale, ac sermo doctrinæ si frequenter hauriatur, et hauriendus quibusvis exponatur, uberius manat; invidia vero et livore suppressus minuitur, ac tandem extinguitur. Quando igitur tanta nobis inde utilitas oritur, age quod in nostra potestate situm fuerit, in medium afferamus, totumque vobis debitum exolvamus, si prius totum debitorum istorum ordinem vobis in memoriam revocaverimus.

II. Scitis ergo ac meministis, nuper nos de Unigeniti gloria disserentes, plures condescensionis in verbis causas enumerasse, ac dixisse nos non tantum ob carnis amictum, neque propter infirmitatem auditorum tantum sæpe Christum humiliter loqui, verumetiam multis in locis, quod et humilitatem doceat. Atque illas quidem causas satis tum persecuti sumus, et illius, quam pro Lazaro, et alterius quam in ipsa cruce obtulit, orationis memoriam refricuimus, et ostendimus hanc quidem ideo fusam esse, ut dispensationis in carne fides astrueretur, illam vero, ut auditorum imbecillitati consuleret, cum ipse nequaquam auxilio indigeret. Porro multa facta etiam ab eo fuisse, ut humilitatem illos doceret, audi quæ probent. Aquam misit in pelvim [1], et quasi hoc non sufficeret, adhuc et linteo se præcinxit, ad extremam se dejiciens vilitatem, ac Discipulorum pedes lavare cœpit, et cum Discipulis etiam proditoris pedes lavit. Quis non obstupescat et miretur? Ejus, qui proditurus illum erat, pedes lavat, et Petrum, qui recusabat ac dicebat: « Domine, non mihi lavabis pedes [2], » non omittit, sed ait illi: « Si non lavero pedes tuos, non » habes partem mecum [3]; » tum ille, « Domine, non tantum

[1] Joan. XIII, 4. — [2] Ibid. 6. — [3] Ibid. 8.

»pedes, sed et manus et caput [1]. » Vides in his duobus Discipuli reverentiam, et in recusatione et in assensu? Licet enim contraria sint verba, attamen præ nimio fervore animi utrumque prolatum est. Vides ut ubique fervens et diligens esset? verum ut dicere occœperam, ne propter rei vilitatem, tibi in suspicionem vilitatis ejus natura veniret, post quam eorum lavit pedes, audi quid eis dixerit. « Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me, Domine ac »Magister, et bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego lavi »pedes vestros Dominus ac Magister, ita et vos debetis »vobis invicem facere. Exemplum enim dedi vobis, ut »quemadmodum ego feci vobis, ita et vos invicem facia»tis [2]. » Vides ab eo multa esse facta, ut exemplum daret. Nam quemadmodum sapientia multa præditus magister cum balbutientibus puerulis balbutit, neque balbuties magistri inscitiam indicat, sed quantum de puerulis sit sollicitus; sic nimirum et Christus, non ob suæ naturæ vilitatem hæc agebat, sed ob condescensionem. Atque hæc non temere sunt prætereunda. Nam et hoc ipsum, si seorsum ab aliis a nobis excutiatur, vide quanta absurditas hinc sequatur. Si enim is qui lavat, eo qui lavatur vilior et inferior videtur esse; cæterum qui lavat Christus est, et Discipuli, qui lavantur; ergo inferior Discipulis erit Christus; at hoc nullus, ne si insaniat quidem, dixerit. Vides quantum sit malum causas, ob quas omnia Christus agebat, ignorare? vel potius, vides quantum sit bonum omnia diligenter excutere, neque quovis modo aliquid ab eo dictum esse vel factum, sed etiam cujus rei gratia, et propter quid, adjungere? Neque vero tantum hoc loco id fecit, sed et alibi hoc ipsum subindicavit. Cum enim dixisset: « Quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? » »adjecit, « Nonne, qui recumbit? Ego autem in medio ves-

[1] Joan. XIII, 9. — [2] Ibid. 12-15.

» trum sum, sicut qui ministrat [1]. » Hoc vero etiam dixit, et illud fecit, ostendens multis in locis se minora arripere ad docendos Discipulos, et simul ut eos ad modestiam sectandam inducat. Atque hæc illum omnia tolerare manifestum est, non quod inferioris sit naturæ, sed ut eos erudiat; siquidem alibi quoque dicit : « Principes gentium » dominantur earum, apud vos autem non ita; sed qui vult » inter vos esse primus, sit omnium minister. Nam Filius » hominis non venit ministrari, sed ministrare [2]. » Si ergo venit ut ministraret, et humilitatem doceret, noli turbari, nec animum desponde, sicubi eum quæ ministrorum sunt aut perficere videris aut effari. Ita quoque multas orationes ab eadem mente fundit; siquidem accesserunt ad eum dicentes : « Domine, doce nos orare, sicut Joannes docuit » Discipulos suos [3]. » Quid ergo, quæso, faciendum fuit? num orare docendi non erant? Atqui hac de causa venerat, ut ad omnem illos philosophiam informaret. Ergo docendi erant? proinde orare oportuit. Verumtamen hoc verbo solum agendum fuit, inquit. Atqui non ita ea quæ verbis, atque ea quæ factis doctrina proponitur, Discipulos permovere consuevit ; propterea non verbis solum eos orare docet, sed ipse in oratione perseverat, et in desertis totas noctes orando transigit, ut nos erudiat et admoneat, cum in colloquium nobis cum Deo veniendum est, fugiendos tumultus ac vulgi turbas, et in solitudinem secedendum non locorum tantum, sed etiam temporum. Solitudo autem non mons tantum est, sed etiam cubiculum a clamore immune.

III. Atque ut intelligatis condescensionis esse orationem; principio quidem jam ex iis quæ circa Lazarum acciderunt demonstravimus; verumtamen aliunde etiam id constat. Quam enim ob causam in majoribus miraculis non orat,

[1] Luc. xxii, 27. — [2] Matth. xx, 25-28. — [3] Luc. xi, 10.

sed in minoribus? Nam si, quod auxilio indigeret, orabat, et quod sibi sufficientem virtutem non haberet, in omnibus orare deberet, et patrem vocare; quod si minus in omnibus, saltem in majoribus; nunc autem contrarium agit; cum de rebus majoribus agitur, non orat, ut se, ad alios docendos, id ostendat egisse, non quod careret virtute. Certe quando panes benedixit, suspiciens in cœlum oravit [1], ut nos doceret non prius attingendam esse mensam, quam gratias egerimus conditori frugum Deo; et cum multos mortuos suscitasset, non oravit, sed cum Lazarum solum. Et causam tum diximus, quod imbecillitati astantium vellet consulere; quam causam etiam dixit ipse, cum aperte illud addidit : « Propter turbam, quæ circumstat, dixi. » Et non jam orationem, sed vocem mortuum excitasse satis tum demonstravimus. Atque ut hoc manifestius intelligas, vide. Quando enim puniendum fuerit, et quando honore afficiendum, et quando peccata dimittenda, et quando eges ferendæ, et quando quidpiam eorum, quæ majoris momenti sunt, agendum fuerit, nusquam illum vocare Patrem invenies, nec orare, sed cum auctoritate cuncta perficere. Atque horum quidem singula ego numerabo; tu vero diligenter considera, quo pacto nusquam indigeat oratione. « Venite, inquit, benedicti Patris mei, possidete » paratum vobis regnum [2], » et rursus, « Discedite a me male- » dicti in ignem, qui paratus est diabolo et angelis ejus [3]. » Ecce cum omni auctoritate supplicio afficit, et honore, nec oratione ulla indiget. Rursus quando paralytici corpori mederi voluit : « Surgens tolle lectum tuum, et ambula [4]; » quando a morte liberare : « Talitha cumi, surge [5]; » quando a peccatis immunem reddere : « Confide, fili, dimittuntur » tibi peccata tua [6]; » quando dæmones increpare : « Tibi

[1] Matth. xv, 34. — [2] Id. xxv, 34. — [3] Ibid. 41. — [4] Marc. II, 9. — [5] Id. v, 41. — [6] Matth. IX, 2.

» formam dico malignum dæmonium, exi ab eo [1];» quando reprimendum fuit mare, «Tace, obmutesce; » quando aliquem lepra correptum mundare : « Volo, mundare [2]; » quando legem ferre : « Audistis, quia dictum est antiquis : Non » occides; ego autem dico vobis, qui dixerit fratri suo : » Fatue, reus erit gehennæ ignis [3]. » Vides ut omnia cum herili auctoritate perficiat, et in gehennam ejiciat, et in regnum introducat, et paralysim sanet, et mortem abigat, et peccata dimittat, et dæmonia increpet, et mare compescat? tametsi quid majus, quæso, in regnum introducere, et in gehennam injicere, peccata dimittere, cum auctoritate leges ferre, an panes creare? nonne manifestum est, et confessum apud omnes, hæc illis esse majora? nihilominus tamen in majoribus nequaquam orat, ut ostendat in minoribus etiam se non ob infirmitatem virtutis id egisse, sed ob eorum qui tum aderant eruditionem. Atque ut discas quantum sit peccata dimittere, testem tibi Prophetam citabo. Nullius quippe alterius hoc esse ostendit Propheta, nisi Dei solius. « Quis enim Deus, inquit, sicut tu, auferens » iniquitates, transcendens impietates [4]? » Quinetiam in regnum introducere, multo majus est, quam mortem solvere; sed et illud tamen cum potestate præstat. Rursus leges ferre non est subjectorum, sed eorum qui regnant; et hoc quidem clamat ipsa rerum natura; cum regum tantum sit leges sciscere; quod ipsum quoque Apostolus indicat his verbis : « De virginibus autem præceptum » Domini non habeo; consilium autem do, tanquam mise- » ricordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis [5]. » Nam quia servus erat, et minister, non est ausus iis, quæ ab initio præcepta fuerant, quidquam addere. Christus autem non ita; sed summa cum auctoritate recitat leges antiquas,

[1] Marc. IV, 39. — [2] Matth. VIII, 3. — [3] Id. V, 22. — [4] Mich. VII, 18 — [5] 1 Cor. VII, 25.

et suas rursus introducit. Quod si simpliciter leges ferre, solius est regiæ potestatis, cum non modo leges eum ferre compertum fuerit, sed etiam veteres emendare, quæ tandem occasio relinquetur iis, qui voluerint impudenter adversari? satis enim ex hoc liquet eum ejusdem esse cum Patre substantiæ.

IV. Verum ut id quod dico manifestius evadat, ad ipsum Scripturæ locum veniamus. Cum ascendisset in montem, inquit, sedebat, et circumstantibus omnibus cœpit dicere; Beati pauperes spiritu, mites, misericordes, mundi corde [1]; deinde post illas beatitudines ait : « Nolite putare, quoniam » veni solvere legem, aut Prophetas; non veni solvere, sed » adimplere [2]. » Quis enim hoc suspicatus est, aut quid ex iis quæ dicta fuerant, contrarium fuit prioribus, ut hoc diceret? « Beati, inquit, pauperes spiritu, » hoc est, humiles; atqui dixerat hoc quoque Vetus Testamentum. « Sacri- » ficium enim Deo spiritus contribulatus, cor contritum et » humiliatum Deus non despiciet [3]. Et rursus, « Beati mites : » et hoc Hesaïas rursus vociferatur, dum ex persona Dei dicit : « Super quem respiciam, nisi super mitem et quie- » tum, et trementem sermones meos [4]? Beati misericordes, » et hoc rursus ubique dispersum est. « Ne defraudes enim, » inquit, vitam pauperis, supplicem in tribulatione positum » ne rejicias [5], » et magna ubique habetur mentio benignitatis. « Beati mundi corde. » Hoc etiam dixit David : « Cor » mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in » visceribus meis [6]; » reliquas etiam beatitudines si quis percurrat, multam concordiam esse comperiet. Cur igitur cum nihil contrarium prioribus dixisset, adjecit : « Nolite » putare, quoniam veni solvere legem, aut Prophetas [7]? » Non ob ea quæ dicta fuerant, hanc correctionem adjunxit.

[1] Matth. v, 1-12. — [2] Ibid. 17. — [3] Psal. L, 18. — [4] Isaï. LXVI, 2. — [5] Eccli. IV, 4. — [6] Psal. L, 12. — [7] Matth. v, 17.

Nam quia ad amplificationem quamdam mandatorum gradum facturus erat, ne incrementum putarent repugnantiam esse quamdam, aut accessionem esse pugnam, idcirco dixitit : « Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut »Prophetas; » hoc est, perfectiora dicturus sum iis, quæ ante sunt dicta. Exempli causa : « Audistis : Non occides : »ego autem dico : Non irasceris; audistis : Non mœchaberis, »ego autem dico, quicumque respicit mulierem, ad con»cupiscendum eam, jam mœchatus est [1], » et talia quæcumque. Ne igitur abrogationem esse puteris consummationem; non enim est abrogatio, sed adimpletio; et quod in corporibus fecit, hoc et in lege facit. Quid autem in corporibus præstitit? cum mutilata multa membra reperisset, et omnia defectu laborare, perfecit, et in convenientem restituit pulchritudinem et integritatem; ac rebus ipsis omnibus patefecit, se veterum legum auctorem fuisse, ac naturæ nostræ conditorem. Atque hoc illum ostendere studuisse, ex sanatione cæci præcipue constat. Præteriens enim et cæcum quemdam videns, lutum fecit, et ejusmodi lutum oculis illevit excæcatis, eique dixit : « Vade, lava in »Siloam [2]. » Cujus rei gratia cum solo jussu mortuos frequenter suscitet, et alia multa similia edat miracula, hic opus quoddam adjicit, dum lutum conficit, et illi oculos fingit? num satis liquet idcirco id fieri, ut cum audiveris Deum pulverem accepisse de terra hominemque formasse, discas ex iis, quæ nunc geruntur, hunc illum esse, qui hominem a principio formavit? alioqui nisi hoc indicare vellet, superfluum fuisset id quod agebat. Deinde ut intelligas usum luti nihil ad visum cæco restituendum opitulatum illi esse, sed absque illa materia solo jussu fingere oculos potuisse, adjungit et ait : « Vade, lava in »Siloam. »Post quam enim ipso sui opificii modo nobis

[1] Matth. v, 27-28. — [2] Joan. ix, 6.

ostendit, quis esset qui hominem a principio creasset, tunc ait illi : « Vade, lava in Siloam. » Ut igitur optimus statuarius volens per opera suam peritiam ostentare, partem quamdam omittit, dum statuam fingit, ut in eo quod deest, totius operis specimen artis edat, ita Christus etiam cum indicare vellet totum hominem a se fuisse conditum, hunc imperfectum reliquit, ut cum venisset, atque oculos illi restituisset, partis beneficio de toto fidem insereret. Ac vide qua in parte id præstiterit; non in manu, ac pede, sed in oculis, quod membrorum nostrorum pulcherrimum est, et maxime necessarium, et quo nullum nobis pretiosius est membrum. Cæterum qui pulcherrimum maximeque necessarium fingere potuit, nimirum oculos, haud dubium quin manum quoque et pedem, ac cætera possit membra formare. O beatos illos oculos, qui spectaculum omnibus fuerunt, qui aderant, et omnes ad se rapiebant, vocemque per suam pulchritudinem mittebant, et Christi virtutem omnes astantes docebant. Enimvero permirum fuit, quod fiebat, cum cæcus videntes cernere doceret; quod utique Christus indicans aiebat : « In judicium veni in hunc » mundum, ut qui non vident, videant, et qui vident, cæci » fiant [1]. » O beatam cæcitatem ! quos enim a natura non accepit, a gratia accepit, nec tantum damni passus est ex dilatione, quantum ex opificii modo lucratus est. Quid enim oculis illis fieri potest mirabilius, quos immaculatæ sanctæque manus illæ fingere dignatæ sunt ? quodque in sterili accidit, hoc factum est hoc loco. Nam ut illa nullum ex dilatione cepit detrimentum, sed multo illustrior evasit, quæ non lege naturæ, sed lege gratiæ filium accepit; sic nimirum et cæcus nihil ex præterita læsus est cæcitate, sed ingens lucrum inde percepit, cui datum est, ut prius solem justitiæ cerneret, ac deinde hunc subjectum sensibus.

[1] Joan. IX, 35.

V. Hæc a me dicuntur, ne ægre feramus, si quando vel nos ipsos, vel alios quosdam premi calamitatibus videamus : si enim cum gratiarum actione ac patienter feramus cuncta quæ accidunt, omnino bonum finem multisque bonis cumulatum omnis nostra calamitas sortietur. Sed quod dicere volebam quemadmodum corpora, quæ defectu laborabant, perfecta, et integra reddidit : sic et legem imperfectam cum accepisset, emendavit, concinnavit, et meliorem ad statum evexit. Nemo autem, cum audit imperfectam fuisse legem, nos eum qui lator ejus fuerat accusare velle arbitretur; siquidem imperfecta erat illa non ex sua natura, sed progressu temporis deinde talis evaserat. Quandoquidem tum temporis, cum introducta est, admodum perfecta erat, et iis, qui recipiebant eam, conveniens : post quam autem ab illo edocta natura deinceps crevit in melius, hæc imperfectior evasit, non ex sua natura, sed ob incrementum virtutis eorum, quos illa docuerat. Et quemadmodum arcus et sagittæ, quæ regio puerulo ad exercitationem potius fabricata sint, quam ad pugnam et bellum, ubi puer adolevit et in bellis fortiter agere didicit, inutilia redduntur : ita quoque naturæ nostræ accidit : quandiu imperfectiores eramus, ac discendo nos exercebamus, convenientia nobis arma suppeditavit, quæ facile gestare poteramus : cum vero jam factis in virtute progressibus adolevimus, ob nostram perfectionem illa deinceps imperfecta sunt reddita. Propterea venit Christus, ut alia majora nobis traderet. Ac vide quam prudenter et veteres leges recitet, et novas proponat. « Audistis, inquit, quia dictum » est antiquis, Non occides [1]. » Dic etiam a quo sit dictum. Tu hoc dixisti, an pater tuus? Nequaquam hoc dicit. Cur igitur hoc tacuit, neque, quis dixerit, declaravit, sed suppressa legislatoris persona legem protulit? Quoniam si dixis-

[1] Matth. v, 21.

set : « Non occides, ego autem dico vobis : Non irasceris, » grave fuisset visum, quod dicebat, propter eorum qui audiebant vecordiam, qui necdum intelligere poterant, eum nondum ad evertenda priora, sed ad ea augenda hæc sancire : ac sic eum compellassent : « Quid ais? Pater tuus dixit : Non occides, tu vero dicis : Non irasceris? » Ne quis igitur Patri contrarium ipsum putaret, vel tanquam aliquid sapientius illo proferre, non dixit : « Audistis a Patre. » Rursus, si dixisset : « Audistis quia dixi antiquis, » intolerandum hoc quoque, neque minus, quam illud prius visum esset. Nam si cum dixisset : « Antequam Abraham fieret, ego sum [1] : » lapidibus eum obruere aggressi sunt, si adjecisset se quoque Moysi legem dedisse quid non fecissent? Quamobrem neque de se, neque de Patre quidquam dicens, sed in medio relinquens, cum dixisset : « Audistis, quia dictum est antiquis : » Non occides : » quod in corporibus egit, cum ex defectus supplemento docuisset eos, quis hominem a principio condidisset, id etiam hoc loco præstitit, dum per legis emendationem et additionem ejus quod deerat, quis ille fuerit docet, qui ab initio legem tulit. Propterea quoque dum ageret de creatione hominis, neque sui meminit, neque Patris, sed hic quoque nulla expressa persona indefinitam affert orationem dicens : « Qui fecit ab initio masculum et » et fœminam, fecit eos [2], » et verbo quidem creatorem tacuit, opere autem docuit, dum corporum defectum supplevit. Ita hic etiam cum dixisset : « Audistis, quia dictum » est antiquis, » tacuit quidem a quo dictum esset, verum se ipsum operibus ipsis ostendit. Qui enim defectum supplevit, ipse est qui ab initio in lucem ipsum edidit. Ipsas præterea veteres leges citat, ut ex comparatione discant auditores, non ejus qui adversarius sit hæc esse verba, et se eadem cum Patre præditum potestate. Hæc etiam Judæi

[1] Joan. VIII, 18. — [2] Matth. XIX, 4.

intellexerunt, et mirati sunt. Atque ut miratos illos esse cognoscas, audi Evangelistam hoc declarantem ac dicentem : « Admirabantur turbæ super doctrina ejus, quia » docebat eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ » et Pharisæi [1]. » Quid igitur, si perperam hoc suspicabantur? dicet aliquis : attamen eos non reprehendit, nec increpavit, sed et illorum sententiam confirmavit. Cum enim statim accessisset leprosus ac dixisset : « Domine, si vis, » potes me mundare [2]. » Quid ait? « Volo, mundare. » Cur autem non simpliciter dixit : « Mundare, » tametsi testificatus illi erat leprosus potestatem ipsum habere, cum diceret, « Si vis. » Sed ne existimares sententiæ tantum leprosi ascribendum, « Si vis, » adjecit ipse quoque dicens : « Volo, mundare. » Sic data opera suam ubique potestatem manifestabat, seque omnia ex auctoritate præstare, alioqui nisi ita esset, superflua illa esset oratio.

VI. Cum igitur in omnibus ejus potestatem discamus, si quid alibi humile facere illum vel dicere viderimus, cum propter eas, quas nuper enumeravimus, causas, tum quod auditores ad humilitatem velit incitare, ne idcirco vilitatem illi substantiæ imputemus : siquidem hoc ipsum quod carnem assumpsit, ab eo præ nimia humilitate susceptum est, non quod Patre esset inferior : unde vero id constat? Nam hoc quoque veritatis hostes circumferunt dicentes : « Si æqualis erat Patri, quam ob causam Pater carnem non assumpsit, sed Filius servi formam induit? annon est manifestum, quoniam inferior erat? atqui si propterea nostram suscepit naturam, Spiritum, quem ipsi Filio minorem esse autumant, non enim hoc nos dicimus, carnem oportebat assumere. Si enim idcirco major est Filio Pater, quoniam ille incarnatus est, hic non est incarnatus, erit etiam Spiritus ejus ob eamdem causam ipso major : neque enim ipse

[1] Matth. VII, 29. — [2] Id. VIII, 2.

carnem assumpsit. « Sed ne argumentis istud demonstremus, age ex ipsis Scripturis ipsum probemus, et humilitatis causa carnem illum assumpsisse ostendamus. Paulus quidem certe, qui hæc noverat, cum ad quidpiam nobis utile nos cohortaturus est, exempla nobis virtutis de cœlo demittit : ut cum sæpenumero charitatis colendæ consilium dat, et ut se mutuo diligant, cupit discipulos incitare, Christum adducit in medium dicens : « Viri diligite uxores, sicut et » Christus dilexit Ecclesiam [1]. » Rursus, ubi de eleemosyna disserit, idipsum facit : quo circa etiam dicit : « Scitis gra- » tiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos » egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos di- » vites essetis [2]. » Horum autem verborum hic sensus est. Quemadmodum factus est egenus Dominus tuus carnem assumens, ita tu in pecuniis egenus fias. Nam ut illum egestas gloriæ nihil læsit, sic neque pecuniarum inopia lædere poterit, sed multas tibi divitias comparabit. Sic et de humilitate apud Philippenses disserens Christum in medium adducit, cumque dixisset : « Humilitate sibi invicem supe- » riores arbitrantes [3], » adjunxit. « Hoc enim sentite in » vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, » non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed » semetipsum exinanivit formam servi accipiens [4]. » Atqui si quod esset natura inferior, carnem gestare dignatus est, non jam illud factum erit humilitatis, sed frustra protulit illud Paulus, dum ad humilitatem adhortatur. Tum enim humilitas est, cum æqualis obedit æquali. Hoc igitur indicans et ipse dicit : « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam » arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exina- » nivit formam servi accipiens. » Quid est, « Non rapinam arbi- » tratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit

[1] Col. III, 19. — [2] 2 Cor. VIII, 9. — [3] Philip. II, 3. — [4] Ibid. 5-7.

» formam servi accipiens? » Qui rapuit aliquid ex iis, quæ nihil ad se attinent, illud perpetuo retinet, neque potest adduci ut illud deponat, quod metuat, neque confidenter illud possideat : qui vero bonum aliquod possidet, quod auferri non potest, licet illud occultet, minime timet. Verbi gratia, ut exemplis quod dico manifestum evadat, sit quispiam, ejusdem unus servus, alter filius. Si ergo servus minime convenientem ipsi libertatem elata voce sibi vindicet, ac domino se opponat, adduci non potest ut servile quidquam agat, neque præceptis obtemperat, veritus ne hoc ipsum officiat libertati, et obediens præcepto sibi obstaculum objiciat : quippe qui honorem arripuerit, ac præter dignitatem possideat : filius autem servile quodvis opus perficere minime recusabit, cum sciat, tametsi cuncta servorum obeat ministeria, nihil illa suam libertatem læsura, sed immotam illam permansuram, cum opera servilia nativam illi non possint nobilitatem auferre : quod eam non rapina partam ut servus habeat, sed a multo tempore atque ab ipso primo die nativitatis acquisitam. Hoc igitur et Paulus indicans de Christo inquit : quandoquidem natura liber, et genuinus filius erat, non quasi rapinam æqualitatem sibi arrogasset, ipsam debuit occultare, sed formam servi confidenter assumpsit. Noverat enim, probe noverat, condescensionem gloriam ipsi suam imminuere non posse : cum ascititia non esset, neque per rapinam quæsita, nec aliena et non propria, sed naturalis ac legitima. Propterea servi formam assumpsit, cum probe sciret, sibique persuaderet fore, ut nihil hoc ipsi posset nocere. Enimvero nullatenus nocuit, sed et in forma servi eamdem gloriam retinuit. Vides ut ipsa carnis assumptio sit indicium Filium æqualem esse Patri, atque hanc æqualitatem non adventitiam esse, neque accedere solere ac recedere, sed immotam et stabilem esse, qualemque convenit filium erga patrem obtinere?

VII. Hæc igitur omnia dicamus illis, et, quantum quidem in nobis situm erit, ab illa prava hæresi ipsos abducere studeamus, atque ad veritatem reducere. Et vero nos ipsi ne solam fidem nobis ad salutem sufficere censeamus, sed et conservationis curam geramus, optimæque vitæ specimen edamus : ut ex utraque parte perfectam utilitatem percipiamus : et ad quod nuper hortatus sum, nunc quoque ut reipsa præstemus, vos hortor, et mutuas inimicitias deponamus, nec amplius quam uno die quisquam proximi sit inimicus, sed ante noctem iram abjiciat, ne cum solus apud se fuerit, et quæ gesta dictaque fuerint, odio impellente, diligenter collegerit, molestiorem finem efficiat, et difficiliorem reddat reconciliationem. Nam quemadmodum corporis nostri ossa cum e sua fuerint sede convulsa, si confestim restituantur, non magno cum labore proprium locum recuperant : sin autem longo tempore extra sedem suam manserint, difficulter postea revertuntur, et in suum locum redeunt, ac restituta multorum dierum spatio indigent, ut adaptari exacte ac stabiliri possint et permanere : sic nimirum et nos, siquidem statim cum inimicis reconciliemur, decenter id agimus, neque magno studio indigemus, ut in veterem amicitiam gratiamque redeamus : sin autem diuturnum tempus intercesserit, tanquam odio excæcati erubescimus, confundimur, aliis indigemus, qui non modo reconcilient, sed et post quam in gratiam reditum est, nos constanter retineant, donec priorem confidentiam recuperaverimus. Nihil dico de ignominia et pudore. Annon summopere condemnandum est, si aliis egeamus, qui cum nostris membris nos copulent? Neque vero solum id malum ex cunctatione illa et dilatione consequitur, sed quod peccata minime vera, deinde peccata esse videantur. Quodcumque locutus fuerit inimicus, omnia cum suspicione suscipimus, sive gestum, sive aspectum, sive vocem, sive

incessum. Cum enim cernitur, induratam animam inflammat, et si non cernatur, pariter rursus dolorem inurit. Non enim tantum eorum aspectus, qui injuriam intulerunt, sed et recordatio nobis molestiam afferre consuevit : ac si alterum de eo loquentem audierimus, pariter verba facimus, et totam plane vitam in tristitia et dolore traducimus, ac majora nobis ipsis mala quam illis inferimus, dum perpetuum bellum in anima conservamus. Hæc igitur omnia cum explorata sint nobis, dilectissimi, maxime quidem studeamus nullas cum aliquo inimicitias exercere; si quæ vero intercesserint, eodem ipso die reconciliemur. Si enim alterum tertiumve diem attigerint, statim tertia fit quarta, et illa quinta, atque hæc multo plures deinde dies nobis pariet inimicitiarum. Quanto enim amplius differimus, tanto amplius erubescimus. At accedere te pudet, et deosculari eum qui te affecit injuria? Imo vero hoc laus est, hoc corona, hoc encomium, hoc lucrum et thesaurus est bonis innumeris cumulatus, et ipse te commendabit inimicus, et omnes laudabunt, qui aderunt : et vero licet homines reprehendant, Deus sine dubio coronabit. Quod si expectes, ut prior veniat, ac veniam petat, non tantum quæstum facies, siquidem ille præmium præripiet, et totam benedictionem in se transferet : sin autem prior accurras, non superaberis, sed iram vinces, passionem subiges, magnum philosophiæ specimen edes, cum Deo obtemperabis, jucundiorem reliquæ vitæ tuæ cursum reddes, et ab omnibus negotiis ac tumultibus liberaberis. Nec apud Deum solum, sed et apud homines lubricum ac periculosum est multos habere inimicos. Quid dico multos? unum ac solum inimicum habere periculosum est, sicut tutum ac salutare si tibi omnes sint amici. Non ita reditus pecuniarum, non ita arma, mœnia, fossæ, atque innumeræ reliquæ machinæ nos munire solent, ut amicitia sincera. Hoc propugnacu-

lum, hoc securitas, hoc opulentia, hoc deliciæ, hoc efficiet, ut et vitam præsentem cum animi tranquillitate degamus, et futuram largietur vitam. Quæ nimirum omnia mente versantes, et quantum ex ea re lucrum decerpturi simus, animo reputantes, nihil non agamus atque moliamur, ut et quos habemus nobis reconciliemus inimicos, et quos habituri essemus, impediamus, eosque qui nobis amici sunt firmiores constantioresque reddamus : siquidem initium et finis omnis virtutis est charitas : qua sincere ac perpetuo fruentes ut regnum cœlorum adipiscamur, faxit gratia et benignitas Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA.

In illud, Pater, si possibile est, transeat a me calix iste : verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu [1] : *et contra Marcionistas, et Manichæos, et quod ingerere se periculis non oporteat, sed omni voluntati Dei voluntatem anteferre.*

I. Profundam sectionem nuper infliximus iis, qui prædantur, et alios per avaritiam fraudare conantur; non ut eos vulneraremus, sed ut eos corrigeremus : non quod homines odio prosequamur, sed quod improbitatem aversemur. Quandoquidem medicus etiam secat ulcus, non quod ægro sit infestus, sed quod morbum et vulnus oppugnet. Age paululum quietis hodie demus ipsis, ut a dolore possint respirare, neque frequenter icti a medicina resiliant.

[1] Matth. xxvi, 39.

Ita faciunt et medici, emplastra post sectiones imponunt, ac medicamenta, tum aliquot dies elabi sinunt, dum ea excogitant, quæ dolorem possint mitigare. Hos utique nos etiam hodie imitemur, ac indulgeamus ipsis, ut ex sermone nostro utilitatem percipere valeant, ac de dogmatibus instituta disputatione sermonem ad ea, quæ lecta sunt, traducamus. Nam et multos quærere arbitror, qua de causa dicta hæc sint a Christo : ac verisimile est eos, qui adsunt, hæreticos hæc verba arripere, multosque ex fratribus simplicioribus supplantare. Ut igitur et illorum propulsemus insultus, et eos qui quæstiones proponunt, anxietate ac perturbatione liberemus, locum istum pertractantes horum verborum expositioni sic immoremur, ut reconditos quosque sensus attingamus. Non enim sufficit lectio, nisi accedat et cognitio : nam et Candaces Eunuchus legebat[1] : sed quousque præsto fuit, qui doceret eum quid illud esset quod legebat, non magnam inde utilitatem percepit. Ne igitur idem vobis contingat, ea quæ dicuntur advertite : attendite animum, et studiosam mihi mentem præbete : acri sit acie præditus oculus, attentus intellectus, anima curis sæcularibus expedita, ne in spinas, nec in petras, neque secus viam verba spargamus; sed fœcundum ac pingue quoddam arvum colentes, uberem segetem demetamus[2]. Si enim hoc pacto sermoni attentas aures præbueritis, cum leviorem nobis laborem reddetis, tum efficietis, ut facilius id, quod quæritur, reperire possitis. Quid igitur lectum est? « Pater, si possibile est, transeat a me calix » iste[3]. » Quid tandem istud est quod dicit? Nos enim oportet, ubi prius verborum sensum exposuerimus, solutionem deinde subjungere. Quid igitur dicit? Pater, si possibile est, transfer a me crucem. Quid ais? ignorat sit-ne hoc possibile, annon possibile? quis hoc dicat? etsi verba igno-

[1] Act. VIII, 27. — [2] Luc. VIII. — [3] Matth. XXVI, 39.

rantis sint; nam hæc additio, « Si, » dubitantis est. Verum, ut dixi, non oportet verbis adhærere, sed ad sensa converti, et scopum nosse dicentis, et causam et occasionem, omnibusque collectis sensum in eis latentem indagare. Ineffabilis ergo sapientia, ille qui Patrem ita novit, ut Filium novit Pater, quî potuit hoc ignorare? neque enim major est cognitio passionis, quam illa naturæ, quam solus ipse novit exacte. « Sicut enim novit me Pater, inquit, » et ego agnosco Patrem [1]. » Et quid dico de unigenito Dei Filio? Nam neque Prophetæ videntur id ignorasse, sed manifeste novisse, multaque cum asseveratione prædixisse, oportere ut hoc fieret, atque id omnino futurum. Audi sane quo pacto diversa ratione omnes crucem prænuntient. Primus est Jacob patriarcha : siquidem ad ipsum sermonem dirigens ait : « Ex germine, fili mi, ascendisti [2], » germen scilicet virginem vocans, et Mariæ integritatem ac puritatem hac voce significans. Tum crucem designans dicebat; « Recumbens dormiisti ut leo, et quasi catulus leo» nis, quis suscitabit eum [3]? » Mortem quippe dormitionem illius et somnum appellavit, et mortem cum resurrectione copulavit, dicens: « Quis suscitabit eum? » alius quidem nemo, sed ipse se ipsum : quapropter dicebat etiam Christus : « Potestatem habeo ponendi animam meam, et potes» tatem habeo sumendi eam [4] : » et rursus : « Solvite tem» plum hoc, et in tribus diebus excitabo illud [5]. » Quid porro est illud : « Recubans dormiisti ut leo? » Sicut leo nimirum non solum dum vigilat, sed etiam dum dormit, formidabilis est : sic et Christus non ante crucem tantum, sed et in ipsa cruce, atque in ipsa morte formidabilis fuit, magnaque tum miracula edidit, dum solis cursum retro convertit, petras scidit, terram tremefecit, velum templi conscidit,

[1] Joan. x, 15. — [2] Gen. xlix, 9. — [3] Ibid. — [4] Joan. x, 18. — [5] Id. ii, 19.

uxori Pilati metum injecit, Judam coarguit. Tum enim dixit : « Peccavi, tradens sanguinem innocentem [1]. » Atque hoc Pilati uxor indicabat : « Nihil tibi, et justo isti : multa » enim passa sum per visum propter eum [2]. » Tum orbem terrarum tenebræ occuparunt, et medio die nox apparuit, tum mors contabuit, ejusque vis ac potestas destructa est : multa certe corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Hæc olim prædicens Patriarcha, et ostendens illum etiam crucifixum formidabilem fore, dicebat : « Recubans » dormiisti ut leo : » nec dixit : Dormies, » sed, « Dormiisti, » propterea quod illud omnino erat futurum. Mos enim hic est Prophetarum ut multis in locis tanquam præterita futura prædicant. Nam quemadmodum fieri nequit, ut quæ jam evenerunt, non eveniant; ita neque ut hoc, tametsi futurum est, non eveniat. Propterea nimirum per speciem temporis jam præteriti futura prænuntiant, ut hac ratione fieri non posse significent, quin exitum habeant, ac prorsus eveniant. Sic etiam David crucem designans aiebat : « Foderunt manus meas, et pedes meos [3]. » Non dixit : « Fodient, » sed, « Foderunt. Dinumeraverunt omnia ossa » mea [4]. » Nec solum hæc dixit, sed etiam ea, quæ a militibus facta sunt. « Diviserunt sibi vestimenta mea, et super » vestem meam miserunt sortem [5]. » Neque hoc solum, sed etiam quod eum felle cibarunt, et aceto potarunt. « Dede- » runt enim, inquit, in escam meam fel, et in siti mea po- » taverunt me aceto [6]. » Alius rursus cum lancea percussum ab illis fuisse narrat; « Videbunt enim, inquit, in quem » transfixerunt [7]. » Isaïas autem rursus aliter crucem prænuntians dicebat : « Sicut ovis ad occisionem ductus est, » et sicut agnus coram tondente se mutus, sic non aperuit

[1] Matth. xxvii, 4. — [2] Ibid. 19. — [3] Psal. xxi, 17. — [4] Ibid. 18. — [5] Ibid. 19. — [6] Id. lxviii, 22. — [7] Zach. xii, 10,

» os suum. In humilitate ejus judicium ipsius sublatum » est [1]. »

II. Tu vero mihi observa, quo pacto unusquisque istorum tanquam de rebus præteritis verba faciat, ut ea plane futura, et sine contradictione eventura per hoc tempus ostendat. Ita quoque David hoc judicium describens aiebat : « Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? » Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum » adversus Dominum, et adversus Christum ejus [2]. » Neque vero judicium tantum et crucem, quæque in cruce contigerunt, commemorat, sed eum quoque qui tradidit, quod nimirum contubernalis, et ejusdem particeps mensæ fuerit. « Qui enim edebat panes meos, magnificavit super me sup. » plantationem [3]. » Vocem quoque sic effert, quam emissurus erat in cruce : « Deus, Deus meus, quare me dereli- » quisti [4]? » Tum sepulcrum rursus : « Posuerunt me in lacu » infimo, in tenebrosis et in umbra mortis [5]. » Et resurrectionem : « Non enim derelinques animam meam in inferno, » neque dabis sanctum tuum videre corruptionem [6]. » Et ascensionem : « Ascendit Deus in jubilatione, Dominus in » voce tubæ [7]. » Item sedem a dextris : « Dixit Dominus Do- » mino meo : Sede a dextris meis; donec ponam inimicos » tuos scabellum pedum tuorum [8]. » Esaïas vero causam etiam expressit dicens : « Quoniam ab iniquitatibus populi » mei ductus est ad mortem, et quod, quoniam omnes sicut » oves erraverunt, idcirco mactatur [9]. » Tum adjicit, quid ex eo boni consecutum sit, dicens : « Livore ejus nos omnes » sanati sumus, et quod peccata multorum tulit [10]. » Ergo ne Prophetæ quidem crucem noverant, et crucis causam, quæque propter crucem commoda obvenerunt, et sepul-

[1] Isaï. LIII, 7, 8. — [2] Psal. II, 1, 2. — [3] Id. XL, 10. — [4] Id. XXI, 1. — [5] Id. LXXXVII, 6. — [6] Id. XV, 10. — [7] Id. XLVI, 5. — [8] Id. CIX, 1. — [9] Isaï. LIII, 8. — [10] Ibid. 5.

crum, et resurrectionem, et ascensionem, et proditionem, et judicium, et omnia exacte descripserunt, qui vero misit eos, et hæc illis dicenda mandavit, ipse ignorat? quis unquam prudens hoc dixerit? Vides non esse verba tantum temere spectanda? Non enim hoc solum est dubium, sed et majorem id, quod sequitur, dubitandi occasionem affert. Quid enim ait? « Pater, si possibile est, transeat a me calix » iste. » Non enim solum ignorasse reperietur, sed etiam crucem recusasse. Hæc namque verborum istorum est sententia. Si licet, inquit, ne subeam crucem, neve interficiar : tametsi Petrum Apostolorum principem hoc ipsum dicentem : « Propitius tibi esto, Domine : non erit tibi hoc [1] ; » adeo vehementer increpavit, ut diceret : « Vade post me, » Satana, scandalum mihi es : quia non sapis ea, quæ Dei » sunt, sed ea quæ hominum [2] : » idque cum beatum illum paulo ante prædicasset. Verum adeo videbatur absurdum esse non crucifigi, ut illum, qui a Patre revelationem acceperat, qui beatus dictus fuerat, cui cœlorum claves traditæ fuerant, Satanam appellaret, et scandalum, ac tanquam ea, quæ Dei sunt, minime sapientem accusaret, propterea quod dixerat : « Propitius tibi esto : non erit tibi hoc ut cru- » cifigaris. » Ergo qui Discipulum contumeliis affecit, adeoque graviter in illum invectus est, ut et Satanam post tantas laudes appellaret, quia dixerat : « Ne crucifigaris ; » quo pacto nolebat ipse crucifigi? quomodo vero postea boni pastoris depingens imaginem, hoc præcipue virtutis ejus indicium esse dixit, ut pro suis ovibus occidatur, ita dicens : « Ego sum pastor bonus : bonus pastor animam » suam ponit pro ovibus [3] ? » Neque vero hic substitit, sed adjecit : « Mercenarius autem, et qui non est pastor, videt » lupum venientem, et dimittit oves et fugit [4]. » Si ergo boni pastoris est occidi, mercenarii vero nolle hoc pati,

[1] Matth. XVI, 22. — [2] Ibid. — [3] X, 11. — [4] Ibid. 12.

quomodo ille, qui se bonum pastorem profitetur, occidi recusat? Quomodo autem dicebat : « Ego pono animam » meam a me ipso [1]? » Nam si a te ipso ponis, qui fit, ut alterum roges, ne ponas? Quomodo item hac occasione laudat eum Paulus, in hæc verba : « Qui cum in forma Dei » esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, » sed exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in si- » militudine hominum factus, et habitu inventus ut homo, » humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, » mortem autem crucis [2]? » Ipse vero rursus sic dicit : « Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, » ut iterum sumam eam [3]. » Si enim non vult, sed recusat, et Patrem orat, quomodo propterea diligitur a Patre? Charitas enim est eorum, quæ ex animi sententia fiunt. Quomodo autem rursus ait Paulus : « Diligite invicem, sicut et » Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis [4]? » Christus ipse rursus, cum esset crucifigendus dicebat; « Pater, venit hora, glorifica filium tuum [5], » gloriam vocans crucem; et quomodo hic recusat, illic urget? Gloriam enim esse crucem, audi quomodo testetur Evangelista, dicens : « Nondum enim erat datus Spiritus sanctus, » quia Jesus nondum erat glorificatus [6]. » Horum autem verborum hæc est sententia : « Nondum erat data gratia, quia nondum restinctum erat Dei erga homines odium; quod nondum Christus ad crucem processisset. Crux enim Dei in homines odium restinxit, Deum cum hominibus reconciliavit, terram cœlum effecit, homines cum Angelis miscuit, mortis arcem munitissimam diruit, diaboli vires enervavit, peccati virtutem delevit, terram ab errore liberavit, veritatem reduxit, dæmones expulit, templa destruxit, altaria subvertit, nidorem sustulit sacrificiorum, virtutem

[1] Joan. x, 18. — [2] Philip. II, 6-8. — [3] Joan. x, 17. — [4] Ephes. v, 2. — [5] Joan. xvii, 1. — [6] Id. vii, 39.

inseruit, Ecclesias fundavit. Crux Patris voluntas, Filii gloria, Spiritus sancti exultatio, Pauli gloriatio. « Mihi enim » absit, inquit, gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu » Christi [1]. » Crux sole clarior, radiis splendidior ; cum enim ille obscuratur, tum ista fulget. Tum vero sol obscuratur, non quod e medio tollatur, sed quod crucis splendore superetur. Crux nostrum chirographum laceravit, mortis carcerem inutilem reddidit, crux divinæ charitatis indicium. « Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum » unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pe» reat [2] ; » Et rursus Paulus : « Si enim cum inimici essemus, » reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus [3]. » Crux murus inexpugnabilis, scutum invictum, securitas divitum, pauperum opulentia, eorum quibus insidiæ parantur propugnaculum, eorum, qui bello vexantur, armatura, perturbationum destructio, virtutis fundatio, signum admirabile ac stupendum. « Generatio enim hæc signum quærit, » et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ [4] : » itemque Paulus : « Quandoquidem Judæi signa petunt, et Græci sa» pientiam quærunt, nos autem prædicamus Christum cru» cifixum [5]. » Crux paradisum reseravit, latronem introduxit, genus humanum, quod periturum erat, ac ne terra quidem dignum, in regnum cœlorum deduxit. Tanta nobis beneficio crucis bona obvenerunt, et obveniunt, et non vult crucifigi? Quis hoc, quæso, dixerit? Sin autem nolebat, quis eum cogebat? quis ei vim inferebat? Ut quid autem et Prophetas præmisit annuntiantes fore, ut crucifigeretur, si crucifigendus non erat, neque hoc pati volebat? ut quid autem et calicem crucem vocat si utique crucifigi nolebat? Hoc enim est ostendentis, quanto hujus rei desiderio teneretur. Quemadmodum enim sitientibus calix

[1] Gal. VI, 14. — [2] Joan. III, 16. — [3] Rom. V, 10. — [4] Matth. XII, 39. — [5] 1 Cor. I, 22.

suavis est, sic et ipsi crucifigi, quam ob rem etiam dicebat : «Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum [1] : » non quod hoc temere diceret, sed ob hanc causam, eo quod post vesperam subiturus crucem esset.

III. Is ergo, qui etiam gloriam rem istam appellat, et Discipulum increpat, eo quod ipsum prohibeat, et bonum pastorem ex hoc se ostendit, quod pro ovibus suis occidatur, seque desiderio desiderare hanc rem dicit, et ad hoc sponte venit, quomodo rogat, ut hoc non fiat? Quod si nolebat, num difficile fuit ad hoc venientes prohibere? nunc autem vides eum ad hanc rem etiam accurrere. Certe cum in ipsum irruerent dixit : « Quem quæritis [2] ? » at illi dicunt : « Jesum. » Et ait illis : « Ecce ego sum, et » abierunt retrorsum, ac ceciderunt in terram [3]. » Cum igitur eos prius excæcasset, seque aufugere potuisse ostendisset, tum se ipsum tradidit, ut intelligas eum non necessitate, neque vi, neque per tyrannidem irruentium hoc sustinuisse nolentem, sed ultro ac volentem et eligentem, ac multo ante sic dispensantem. Idcirco Prophetæ præmittebantur, et Patriarchæ prædicebant, et crux verbis simul ac rebus præfigurabatur. Siquidem Isaaci mactatio crucem nobis designabat, unde et dicebat : « Abraham pater vester » exultavit ut videret diem meum, et vidit, et gavisus est [4]. » Ergo Patriarcha quidem gavisus est, cum imaginem crucis videret, ipse vero rem ipsam recusat? Et vero Moyses sic Amalec superavit, quia figuram crucis ostendit : et sexcenta ejusmodi in Veteri Testamento leguntur accidisse, quæ crucem præfigurabant. Ut quid igitur ita fiebant, si is qui crucem erat subiturus, hoc fieri nolebat? Id vero quod sequitur, adhuc est explicatu difficilius. Cum enim dixisset : « Transeat a me calix iste, » addidit : « Verumta-

[1] Luc. xxii, 15. — [2] Joan. xviii, 6. — [3] Ibid. — [4] Id. viii, 56.

»men non sicut ego volo, sed sicut tu [1]. » Ex hoc enim, prout verba sonant, duæ voluntates sibi invicem contrariæ demonstrantur : siquidem Pater cum vult crucifigi, at ipse non vult : tametsi ubique videmus eadem ipsum cum Patre velle, atque eadem eligere. Quando enim dicit : « Da eis, »ut quemadmodum ego et tu unum sumus, et ipsi in nobis »unum sint [2], » nihil aliud dicit, nisi unam esse Patris et Filii voluntatem. Et quando dicit : « Verba quæ ego loquor, »non ego loquor : Pater autem in me manens ipse facit »hæc opera [3], » istud ipsum ostenditur. Cum ergo dicit : « A me ipso non loquor, et a me ipso non veni, et a me »ipso non possum quidquam facere, » non hoc dicit, ut ostendat se vel loquendi vel faciendi esse potestate privatum, absit : sed exacte volens ostendere concordem suam esse cum Patre sententiam tam in verbis, quam in rebus ; et in omnibus dispensationibus unam eamdemque esse, sicut jam sæpe demonstravimus. Illud enim : « A me ipso non »loquor, » non potestatis privatio, sed consensus est probatio. Quî fit igitur, ut hic dicat : « Verumtamen non sicut »ego volo, sed sicut tu ? » Forsitan in multam anxietatem vos conjecimus, sed attendite animum : licet enim prolixior fuerit sermo noster, vigere tamen atque adolescere vestrorum alacritatem animorum probe novi : nam ad ipsam quæstionis solutionem nostra deinceps festinat oratio. Quam igitur ob causam ita dictum est ? diligenter advertite. Difficulter admodum admittebatur sermo incarnationis. Siquidem excellens ejus illa clementia et attemperationis ejus magnitudo res erant admiratione dignissimæ, multaque præparatione, ut reciperentur, indigebant. Cogita namque quale illud fuerit audire ac discere Deum ineffabilem, incorruptibilem, qui neque percipi mente potest, nec oculis cerni, nec ullo modo comprehendi, cujus

[1] Matth. xxvi, 39. — [2] Joan. xvii, 11. — [3] Id. vi, 63.

in manu sunt fines terræ, qui respicit terram, et eam tremefacit, qui tangit montes, et fumigant [1], cujus attemperationis momentum nec ipsa Cherubim ferre potuerunt, sed oppansis alis facies occultarunt; hunc qui mentem omnem exuperat, omnemque vincit cogitationem, prætermissis Angelis, Archangelis omnibusque cœlestibus ac spiritualibus illis Virtutibus, hominem fieri dignatum esse, carnemque de terra et luto formatam assumpsisse, atque in virgineum venisse uterum, et novem mensium spatio in ventre fuisse gestatum, lacte nutritum, et humana cuncta tolerasse. Quoniam igitur adeo fuit mirabile, quod futurum erat, ut etiam dum fieret a multis minime crederetur, primum quidem Prophetas ad hoc ipsum annuntiandum præmisit, atque hoc ipsum Patriarcha prædicebat his verbis utens : « De germine ascendisti, fili mi, recubans dormiisti ut leo [2]. » Esaïas autem : « Ecce virgo in uteró habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuël [3]. » Et alibi rursus : « Vidimus eum infantem, tanquam radicem in terra sitienti [4]. » Terram vero sitientem uterum dicit virgineum, eo quod hominis semen non susceperit, neque coïtum sit expertus, sed absque conjugio illum peperit. Et rursus : « Puer natus est nobis, Filius et datus est nobis [5], » et, « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet [6]. » Et Baruch apud Jeremiam : « Hic Deus noster, non æstimabitur alius præter eum. Invenit omnem viam disciplinæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est [7]. » David etiam adventum ejus in carne prædicans ait : « Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidium stillicidans super terram [8], » quoniam absque strepitu in virgineum uterum venit.

[1] Psal. CIII, 32.— [2] Gen. XLIX, 9.— [3] Isaï. VII, 14.— [4] Id. LIII, 2. — [5] Id. IX, 6.— [6] Id. XI, 1. — [7] Bar. III, 36-38. — [8] Psal. LXXI, 6.

IV. At non suffecerunt hæc solummodo, sed et cum advenisset, ne putaretur esse phantasma, quod fiebat, non aspectu solo rem credibilem reddit, verumetiam multo tempore, quodque per humana cuncta transiverit. Neque enim quoquo modo in hominem perfectum atque completum venit, sed in uterum virginis : sic ut etiam in vulva gestaretur, et partum sustineret, et lactis alimentum, et incrementum, ac per temporis prolixitatem, omniumque diversitatem ætatum, quod gerebatur credibile redderet. Quin ne hac quidem probatione contentus fuit, sed et carnem circumferens, eam naturæ perpeti detrimenta permittit, et esurire, et sitire, et dormire, et fatigari : postremo etiam ad crucem veniens sinit eam quæ carnis sunt pati. Propterea namque et guttæ sudoris ex illa cadebant, et Angelus eam confortasse reperitur, et tristatur, et mœstus est. Prius enim, quam hæc diceret, ait : « Anima mea turbata est, et tristis est usque ad mortem. » Si enim his omnibus gestis, malignum os diaboli per Marcionem Ponticum, et Valentinum, et Manichæum Persam, et alios plures hæresum auctores sermonem de dispensatione potuit, quantum in ipsis erat, subvertere, et satanicam vocem emisit, ut diceret eum neque incarnatum esse, neque carnem induisse, sed speciem id quamdam fuisse, phantasma, simulationem, ac mimum : tametsi passiones, et mors, et sepulcrum, et fames reclamarent : si nihil horum contigisset, nonne multo amplius diabolus hæc impietatis pessima dogmata disseminasset? Quamobrem sicut esurivit, sicut fatigatus est, sicut dormivit, sicut manducavit, sicut bibit, sic et mortem recusat, id quod est humanum ostendens, et infirmitatem naturæ, quæ avelli se a præsenti vita sine dolore non patitur. Nam si nihil horum dixisset, potuisset dicere : « Si homo erat, oportebat eum pati, quæ hominis sunt. Quænam autem illa sunt? ut nimirum qui crucifi-

gendus erat, formidaret et anxius esset, nec sine dolore a præsenti vita avelleretur; siquidem insitus est naturæ amor præsentium : » propterea cum verum esse carnis indumentum vellet ostendere, ac dispensationem credibilem reddere, multa cum demonstratione passiones ipsas nudas proposuit. Et hæc quidem una est ratio : sed et altera quædam est nihilo ista minor. Hæc quænam est? Adveniens Christus omnem virtutem homines docere volebat : at is, qui docet, non verbo solum, sed etiam opere instruit : hæc quippe doctoris optima est doctrina. Quandoquidem gubernator quoque dum Discipulum collocat, quo pacto clavum tractet, ostendit, et simul operi verbum adjungit, et neque loquitur tantummodo, neque tantummodo operatur. Pari ratione cum medium adducit cum, quem ad extruendum murum instructurus est architectus, docet illum opere, docet et verbo : similiter et textor et phrygio et auri fusor, et faber ærarius et omnis artifex, cum verbis docet, tum operibus. Quando igitur et ipse nos ad omnem virtutem instructurus advenit, propterea et quæ facienda sunt dicit, et ipse peragit. « Qui enim fecerit, inquit, et do» cuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum [1]. » Sic autem rem expende : humiles ut essemus, ac mites præcepit, et verbis docuit : vide quo pacto et rebus ipsis illa docuerit. Cum enim dixisset, « Beati pauperes spiritu, beati » mites [2], » quo pacto illa præstanda sint, indicat. Quonam ergo pacto docuit? cum accepisset linteum, præcinxit se [3], et lavit pedes Discipulorum. Quid cum hac humilitate conferri potest? Non enim jam verbis tantum illam docet, verumetiam operibus. Mansuetudinem rursus et patientiam docet operibus : quonam pacto? Alapa percussus est a servo pontificis, et ait : « Si quidem male locutus sum, testimo» nium perhibe de malo : si autem bene, quid me cædis [4]? »

[1] Matth. v, 19. — [2] Ibid. 3. — [3] Joan. xiii, 4. — [4] Id. xviii, 23.

Pro inimicis orare præcepit : rursus hoc etiam operibus docet. Cum enim in crucem ascendisset, dixit, « Pater, di-» mitte illis : non enim sciunt, quid faciunt [1]. » Ut igitur præcepit ut oraremus, sic et orat ipse, teque docet orare, cum nec ipse dimittendi sit potestate destitutus. Præcepit rursus, ut iis qui nos oderunt benefaceremus, ac de illis, qui nos calumniantur [2], bene mereremur : hoc autem opere ipso complevit : siquidem ex Judæis dæmones expulit, a quibus correptus a dæmone appellabatur, persequentes se beneficiis cumulabat, insidiantes alebat, crucifigere volentes ad regnum manu ducebat. Rursus ad Discipulos dicebat : « Nolite possidere aurum, neque ar-» gentum, neque pecuniam in zonis vestris [3], » ut ad pau-pertatem incitaret : hoc rursus operibus docebat, cum ita loqueretur : « Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : » Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet [4] : » neque mensa illi erat, non domus, non aliud quidquam ejusmodi : non quod egenus esset, sed quod homines ad hanc insistendam viam erudiret. Hac nimirum ratione docebat illos orare. Dicebant igitur illi : « Doce nos orare [5]. » Idcirco etiam orat, ut et illi discant orare. Sed non tantum orare, verumetiam, quo pacto deberent orare discere illos oportuit : propterea nempe tradidit et illis orationem in hæc verba conceptam : « Pater noster, qui es in cœlis, » sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat » voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum » quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita » nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne » nos inducas in tentationem [6], » hoc est, in periculum, in insidias. Quando igitur orare jussit, « Ne nos inducas in » tentationem, » istud ipsum reipsa docet illos, dum ait :

[1] Luc. XXIII, 34. — [2] Matth. V. — [3] Id. X, 9. — [4] Id. VIII, 20. — [5] Luc. XI, 1. — [6] Matth. VI, 9-13.

« Pater, si possibile est, transeat a me calix iste, » dum omnes sanctos docet, ne periculis sese objiciant, neque se præcipites agant, sed insultum adversariorum expectent, omnemque fortitudinem præ se ferant : non tamen ut ipsi prosiliant, seque priores malis objiciant. Quid ita? ut nimirum humilitatem doceat, et vanæ gloriæ crimine liberet. Quam etiam ob causam hic quoque, dum hæc diceret, « Abiens, inquit, oravit, » et post quam orasset, ita dixit Discipulis : « Non potuistis una hora vigilare mecum? Vigi- » late, et orate, ne intretis in tentationem [1]. » Vides ut non solum oret : sed etiam admoneat? « Spiritus enim promptus » est, inquit, caro autem infirma [2]. » Hoc autem dicebat, ut ex eorum anima fastum omnem depelleret, ut eos superbia liberaret, humiles redderet, ac modestos efficeret. Quod igitur eos precari docere volebat, hoc et ipse precabatur humanitus, non secundum Divinitatem; est enim omnis passionis expers Numen ; sed secundum humanitatem. Porro ut nos orare doceret, orabat, et semper quærere liberari a malis : quod si fieri nequeat, eo, quod Deo visum fuerit, contentos esse. Propterea dicebat : « Verum- » tamen non sicut ego volo, sed sicut tu : » non quod alia voluntas ejus esset, et alia Patris; sed ut homines doceret, quamvis æstuent, quamvis tremant, quamvis pericula immineant, quamvis ab hac vita nolint avelli, propriæ tamen voluntati Dei præferre voluntatem : quod utique Paulus edoctus agere, utrumque opere præstitit : nam et tentationes a se postulavit amoveri, cum ita diceret : « Propter » quod ter Dominum rogavi [3] : » et quoniam Deo visum non est, inquit, idcirco placido acquiesco in infirmitatibus, in contumeliis, in persecutionibus. Forte vero non satis apertum est, quod dicitur : itaque manifestius a nobis reddetur. Multis obsidebatur periculis Paulus, et orabat, ne

[1] Matth. xxvi, 40, 41. — [2] Ibid. — [3] 2 Cor. xii, 8.

periculis objiceretur. Audivit ergo Christum dicentem; « Sufficit tibi gratia mea : virtus enim mea in infirmitate » perficitur [1]. » Post quam igitur, quænam esset Dei voluntas, agnovit, tum voluntatem suam deinceps Dei voluntati subjecit. Hæc igitur utraque per orationem istam docuit, ut neque periculis nos objiciamus, sed et oremus ne in ea incidamus : sin autem nos invaserint, ea patienter feramus, ac propriæ voluntati Dei voluntatem præferamus. Quæ cum ita nobis explorata sint, oremus ut nunquam in tentationem intremus : quod si quandoque intraverimus, Deum precemur, ut nobis patientiam et fortitudinem largiatur, ipsiusque voluntatem omni nostræ voluntati præferamus. Sic enim fiet, ut vitam præsentem cum securitate transigamus, et futura bona consequamur : quorum nos compotes fieri contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, una cum Spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA.

In cœmeterii appellationem, et in crucem Domini et Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.

I. Sæpe apud animum meum disquisivi [2], cujus gratia majores nostri, relictis ædibus, quas in urbibus habent, lege lata statuerint, ut extra civitatem hodie, et quidem in hoc loco in concionem conveniremus. Neque enim sine causa, neque temere id fecisse videntur. Quocirca et

[1] 2 Cor. XII, 9. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 405-416.

causam indagavi, et cum Dei gratia inveni justam esse, et rationi consentaneam, præsentique festo competentem. Quæ igitur causa est? Crucis memoriam agimus. At crucifixus extra civitatem cruci affixus est, propterea extra civitatem nos eduxit. Nam pastorem, inquit, sequentur oves. Ubi vero rex, ibi et milites: et ubi cadaver, ibi et aquilæ. Sed extra civitatem hanc quidem ob causam (congregamur.) Cæterum hanc esse causam, satius fortassis fuerit demonstrare prius ex divinis Scripturis : ne enim existimetis hanc esse conjecturam nostram, Paulum vobis testem do. Quid igitur ille ait de sacrificiis? « Quo» rum enim animalium infertur sanguis pro peccatis in » sancta per pontificem, horum corpora cremantur ex» tra castra [1]. » Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Dixit, jussit Paulus; obtemperavimus, exivimus. Extra igitur hac de causa congregamur. At cujus gratia in hoc martyrio, non in alio? Etenim divino munere quocumque ex latere urbs nostra Sanctorum reliquiis circummunitur. Cujus igitur gratia hic, non in alio martyrio nos convenire voluerunt majores nostri? Quia hic mortuorum multitudo sita est. Cum igitur hodie Dominus ad mortuos descenderit, ea de causa hic colligimur, ob id ipse etiam locus cœmeterium nominatus est : ut discas mortuos, et eos, qui hic siti, non mortuos, sed somno consopitos esse et dormire. Nam ante Christi adventum mors nomen mortis habebat. « Quacumque, inquit, die comederitis de » ligno, morte moriemini [2]. » Et iterum, « Anima quæ » peccat, ipsa morietur [3]. » Et David : « Mors peccatorum » mala [4]. » Rursus. « Pretiosa in conspectu Domini mors

[1] Hebr. XIII, 11,— [2] Gen. II, 17. — [3] Ezech. XVIII, 20. — [4] Psal. XXXIII, 22.

» sanctorum ejus [1]. » Et Job. « Mors viro requies [2]. » Neque solum mors, sed et infernus vocabatur. Audi Davidem dicentem : « Verumtamen Deus eruet animam meam de manu inferi, cum acceperit me [3]. » Et Jacob, « Deducetis » senectutem meam cum mœrore ad infernum [4]. » Hæc nomina habebat obitus noster anteactis temporibus. At post quam Christus venit, et pro mundi vita mortem subiit; mors non amplius vocatur, mors ; sed somnus et dormitio. Dormitionem appellari testantur illa Domini verba : « La- » zarus amicus noster dormit [5]. Non enim dixit : « Mortuus » est, » quamvis revera mortus esset. Ut vero intelligas nomen dormitionis peregrinum fuisse, considera quomodo, hoc audito nomine, Discipuli turbentur, et dicant : « Do- » mine, si dormit, salvus erit [6]. » Adeo non intellexerant, quid sibi dictum illud voluerit. Iterum Paulus : « Ergo et » qui dormierunt, perierunt [7] ? » ad quosdam ait. Rursus alibi de defunctis loquens : « Nos, inquit, qui vivimus, non » præveniemus eos, qui dormierunt [8]. » Et alibi ; « Surge, » qui dormis [9]. » Et ut ostenderet se de mortuis hoc dicere, addit : « Et exurge a mortuis. » Vide quomodo ubique mors nominetur somnus : qua de causa et locus cœmeterii, quasi dicas, dormitorii, nomen invenit. Utile enim hoc nomen est, et philosophiæ multæ plenum. Quando igitur huc mortuum ducis, ne ipse te concidas. Non enim ipsum ad mortem, sed ad somnum ducis : sufficit tibi nomen hoc ad calamitatis solatium et levamen. Disce, quo ducas. In cœmeterium. Et quando ducis ? post mortem Christi; post quam nervi mortis excisi sunt ; ita ut et a loco, et a tempore multum consolationis percipere possitis. Maxime ad mulieres oratio hæc nobis instituitur, cum sexus

[1] Psal. cxv, 15. — [2] Job. III, 23. — [3] Psal. XLVIII, 16. — [4] Gen. XLII, 38. — [5] Joan. XI, 11. — [6] Ibid. 12. — [7] 1 Cor. XV, 18. — [8] 1 Thess. IV, 14. — [9] Ephes. V, 14.

hic affectibus magis sit obnoxius, et ad anxietatem desperationemque perquam proclivis. Sed idoneum habes pharmacum mœrori leniendo, nomen loci. Propterea ergo hic congregamur.

II. Hodie enim omnia inferorum loca circuit Dominus noster. Hodie portas æreas confregit. Hodie vectes ferreos contrivit [1]. Vide dicti accurationem. Non dixit : « Aperuit » portas æreas : » sed, « Confregit portas æreas ; » ut inutilis deinceps carcer fiat. Non abstulit vectes, sed contrivit, ut custodia deinceps infirma reddatur : ubi neque janua, neque vectis; et licet quis intret, non tenetur. Quando igitur Christus confregit, quis alius reparare poterit? Quod enim Deus evertet, inquit ille, quis de cætero restituet? Reges cum vinctos dimittere volunt, missis epistolis, non ita agunt, sed tam fores, quam custodes relinquunt, ut ostendant eo denuo ingrediendum esse, vel illis, qui jam liberi abierunt, vel loco eorum aliis. Non ita Christus, sed demonstrare volens mortem jam ad finem metamque pervenisse, æreas ejus portas confregit. Æreas vero nominavit, non quod portæ illæ ex ære sint fabrefactæ, sed ut declararet immitem illam, et inexorabilem mortis necessitatem. Et ut intelligas tam æs quam ferrum significare idem quod rigidum et inflexibile, audi quid ad quemdam impudentem Deus dicat : « Nervus ferreus, cervix tua, et » frons tua ærea [2]. » Hoc dixit, non quod æream frontem habuerit; sed quia implacabilem vultum, et impudentem, et immitem habuit. Vis discere quomodo fuerit implacabilis, inflexibilis, et ipsissimus adamas? Tanto tempore nemo unquam ei persuadere potuit, ut quemquam ex illis, quos captivos tenebat, dimitteret; quoad usque Angelorum Dominus eo descendens, eum vi sua coëgit. Nam primum quidem alligavit fortem, et tunc vasa ejus diripuit, quare

[1] Psal. cvi, 16, et Isaï. xlv, 2. — [2] Id. xlviii, 4.

et adjungit : « Thesauros tenebricosos, invisibiles [1]. » Licet dictum hoc simplex sit, at duplex est sensus : sunt enim loca tenebricosa, sed videri possunt candela et lumine illato; ille vero inferni locus caliginosissimus erat, et ingratus, neque unquam lucis naturam intra se receperat: propterea tenebrosos, et invisibiles eos dixit. Vere enim tenebricosi erant ; donec descendit Sol justitiæ, eosque illustravit, et ex inferno cœlum fecit. Nam ubi Christus, ibi et cœlum. Thesauros autem tenebricosos nominat infernum : merito, quia multæ divitiæ isthic erant repositæ. Etenim tota hominum natura, quæ gaza quædam Dei est, a diabolo, qui primum hominem in fraudem impulit, spoliata, mortique subjecta est. Quod vero hominum naturam Deus divitiarum loco habuerit, testatur his verbis Paulus : « Dives in omnes, et super omnes, qui invocant eum [2]. » Quemadmodum igitur rex, comprehenso duce latronum et prædonum, qui civitates percurrit, et undique rapit, et antra subit, ut ibi reponat divitias raptas; latronum ducem ligat, supplicioque meritas pœnas persoluturum tradit, thesaurum vero ejus in regium ærarium convertit : sic et Christus fecit, principem illum prædonum, et carceris custodem diabolum, simul et mortem, cum per mortem suam vinxisset, omnes divitias, humanum, inquam, genus transtulit in æraria regia. Hoc et Paulus indicat, cum ait : « Redemit nos de potestate tenebrarum, » et transtulit in regnum dilectionis ejus [3]. » Porro quod admiratione dignissimum est, ipse Rex advenit. Atqui nullus rex unquam hoc dignaretur facere, sed ministri vinctos dimittunt, secus hic : ipsemet Rex ad vinctos venit. Non erubuit carcerem, neque detentos in carcere : de eo enim, quem finxerat, erubescere non potuit ; et confregit fores, et vectes contrivit, superastitit inferno, et deser-

[1] Isaï. xlv, 3. — [2] Rom. x, 12. — [3] Coloss. i, 13.

tam fecit totam illius custodiam, carcerisque custode in vincula conjecto, ad nos remeavit. Tyrannus captivus ducebatur, fortis vinctus. Ipsa mors, abjectis armis, nuda ad Regis pedes cucurrit. Vidisti mirandam victoriam? Vidisti crucis præclara facinora? Dicam tibi quiddam adhuc mirabilius. Disce modum victoriæ, et tunc magis obstupesces. Per quæ enim diabolus vicerat, per eadem Christus eumdem devicit, et acceptis, quibus usus fuerat, armis eum debellavit. Et quomodo? Audi. Virgo, lignum, et mors cladis nostræ fuerunt symbola. Virgo erat Eva. Necdum enim virum cognoverat. Lignum erat arbor. Mors mulcta Adami. Attende vero, rursus virgo, et lignum, et mors symbola extiterunt, et quidem victoriæ symbola. Nam loco Evæ, est Maria; loco ligni scientiæ boni et mali, lignum crucis: loco mortis Adami, mors Christi. Vides eum, per quæ vicit, per eadem et victum esse? Circa arborem prostravit diabolus Adamum, circa arborem debellavit Christus diabolum. Et illud quidem lignum mittebat ad inferos; at hoc etiam illos, qui jam eo descenderant, revocabat. Iterum lignorum alterum hominem jam captum nudumque occultavit: at hoc victorem nudum in alto omnibus ostendit. Et illa quidem mors eos, qui post ipsam nati sunt, condemnavit; at ista mors etiam illos, qui nati fuerant ante ipsam, resuscitavit. « Quis loquetur potentias Domini [1]? » A morte immortales facti sumus. Hæc sunt crucis præclara facinora. Intellexisti victoriam? intellexisti modum victoriæ? disce nunc, quomodo et sine labore et sudore nostro victoria hæc fuerit parta. Nos arma non cruentavimus: non stetimus in acie: non accepimus vulnera. Neque vidimus bellum, et tamen victoriam obtinuimus. Certamen Domini fuit, corona nostra; cum ergo et nostra sit victoria, milites imitemur, lætisque

[1] Psal. cv, 2.

vocibus victoriæ laudes et carmina hodie decantemus. Dicamus Dominum laudantes ; « Absorpta est mors in victo-» ria. Ubi est mors victoria tua? ubi stimulus tuus in-» ferne [1]. » Hæc omnia præclare facta crux nobis peperit. Crux tropæum contra dæmones erectum, gladius contra peccatum, gladius, quo serpentem confodit Christus. Crux patris voluntas, Unigeniti gloria, Spiritus exultatio, Angelorum decus, Ecclesiæ securitas, gloriatio Pauli, Sanctorum murus, totius orbis lumen. Quemadmodum enim si quis lucernam in domo quapiam tenebris obsita accendat, et in altum statuat, tenebras derepente fugat; sic tenebris per universum orbem sparsis, Christus, tanquam lampadem quamdam, crucem accendit, et in altum erexit, omnemque caliginem totius terræ dissipavit. Et quemadmodum lampas supra in vertice lumen habet, sic et crux habuit supra in vertice Solem justitiæ effulgentem. Hunc cum videret mundus clavis affixum, cohorruit, mota est terra, disruptæ petræ, et licet disruptæ sint petræ, durities tamen Judæorum non est disrupta. Velum templi scissum est, et non est scissa improba illorum conspiratio. Quare scissum est velum? Quia templum non potuit videre Dominum crucifixum, et per ea, quæ velo suo acciderunt, tantum non exhortationis modo ista protulit : « De cætero sancta sanctorum conculcet, quiquis volet. Quid enim istis opus habeo, tali sacrificio extra oblato et peracto? Quid mihi prodest testamentum? Frustra et incassum tanto tempore istos docui. Quæ ex lege ad me utilitas redit? Hoc et Propheta clamabat dicens : « Quare fremue-» runt gentes, et populi meditati sunt inania [2]? » Audierant : « Tanquam ovis ad occisionem ductus est, et tan-» quam agnus coram tondente se obmutuit [3]. » Et cum

[1] Osee XIII, 14, et 1 Cor. XV, 54. — [2] Psal. II, 1. — [3] Isaï. LIII, 7.

hanc prophetiam tanto tempore considerassent, præsente jam eo, quod prædictum fuerat, non crediderunt. Cernis, quomodo meditati sunt inania? Propterea scissum est templum, significans solitudinem et vastationem posthac in perpetuum futuram.

III. Cum igitur eum, qui in cruce affixus est, nos itidem sub vesperam visuri simus, tanquam Agnum mactatum et immolatum, moneo, ut cum tremore, veneratione et reverentia multa accedamus. An nescitis, quomodo Angeli astiterint sepulcro corpus non habenti, sepulcro vacuo? attamen cum semel totum corpus Domini recepisset, multum honoris ipsi etiam loco exhibent. Angeli, qui naturam nostram excellentia sua longe superant, tanta reverentia et observantia sepulcro assistunt; nos non ad sepulcrum inane, sed ad ipsam mensam, in qua Agnus positus est, adituri, cum tumultu et turbatione accedimus. Et quæ nobis de reliquo venia speranda erit? Non dico hæc simpliciter et temere, sed cum videre soleam hac vespera multos tumultuantes, clamantes, sese mutuo trudentes, exilientes, convicia jacientes, magisque pœnam quam salutem sibi comparantes, ea de causa hanc admonitionem instituo. Quid facis, o homo? Quando sacerdos stat ante sacram mensam, manibus in cœlum extensis, invocans Spiritum sanctum, ut adveniat, ut proposita dona contingat, magna quies, magnum silentium; quando Spiritus gratiam suam tribuit, quando descendit, quando proposita dona contingit, quando ovem mactatam et consummatam cernis, tunc tumultum, tunc turbas, tunc contentionem excitas et convicia jacis? Quomodo sacrificio hoc perfrui potes, cum tanto tumultu et strepitu ad mensam hanc accedas? Non sufficit nobis peccatis contaminatos accedere, sed ipsum etiam accessus momentum non sinimus a peccato liberum præterire. Quando enim jurgamur, quando

tumultuamur, quando nos mutuo mordemus, quomodo a peccatis immunes erimus? Dic mihi, quid properas? cujus gratia festinas, cum ovem jam occisam aspicis? Nam si tota nocte sacrificium hoc intueri deberes, an spectaculum hoc, cedo, satietatem afferret? Toto die patienter expectasti, bonam noctis partem transmisisti, tantumque laborem brevi temporis puncto prodigis et perdis? Cogita, quidnam sit illud quod propositum est, et quæ sit ejus causa. Occisus est propter te, et tu deseris illum ipsum immolatum aspiciens. « Ubi cadaver, inquit, ibi et » aquilæ [1]. » Nos autem non ut aquilæ, sed ut canes accedimus. Tanta nostra est impudentia. Cogita quid tandem illud sit, quod effusum est. Sanguis est. Sanguis qui chirographum peccatorum delevit. Sanguis, qui animam tuam mundavit, qui maculam eluit, qui principatus et potestates triumphavit. « Expoliamus enim, inquit, principatus et » potestates traduxit confidenter triumphans in cruce [2]. » Multa victoriæ symbola habuit tropæum. Spolia superne de cruce pendent. Quemadmodum enim magnanimus aliquis rex, confecto feliciter difficillimo bello, thoracem, et clypeum, et arma tyranni, et militum, quos devicit, super excelsum tropæum ponit; sic et Christus, finito bello, quod cum diabolo gesserat, arma ejus universa, mortem et maledictionem ob excelsa cruce suspendit, tanquam de tropæo quodam, ut omnes tropæum illud conspicarentur, supernæ virtutes, quæ in cœlis, homines qui inferne terram incolunt; ipsique mali dæmones, qui devicti sunt. Cum igitur tanto munere affecti simus, dignos nosmetipsos pro viribus ostendamus bonis illis, quæ nobis sunt concessa, ut et cœlorum regnum assequamur gratia et humanitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et

[1] Matth. xxiv, 28. — [2] Coloss. ii, 15.

cum quo Patri simul et Spiritui sancto, gloria, honor, potentia in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA I.

In crucem et in Latronem; item de secundo Christi adventu, et quod frequenter sit orandum pro inimicis.

I. Hodie Dominus noster Jesus Christus in cruce, et nos festum agimus; ut discas crucem esse festum et celebritatem spiritualem. Antehac enim crux nomen erat damnationis, nunc vero res honorabilis effecta est; prius symbolum condemnationis, nunc argumentum salutis. Hæc enim nobis innumerabilium bonorum causa effecta est; hæc nos ab errore liberavit, hæc in tenebris positos illuminavit, hæc jam debellatos, cum Deo reconciliavit; abalienatos, domesticos effecit; procul positos, proximos constituit. Hæc inimicitiæ destructio, pacis tutamen, sexcentorum bonorum thesaurus. Propter eam non ultra in desertis vagamur, veram quippe viam novimus; non amplius extra regiam degimus; januam enim invenimus; non timemus ignita diaboli tela, fontem siquidem vidimus. Per crucem non amplius in viduitate sumus, sponsum enim recepimus; non timemus lupum, bonum quippe pastorem habemus : « Nam, ego sum, inquit, pastor bonus [1]. » Per hanc tyrannum non perhorrescimus, Regi enim assidemus; et ideo festum agimus, crucis memoriam celebrantes. Ita et Paulus jussit per crucem festum agere : « Festum aga»mus, inquit, non in fermento veteri, sed in azymis since»ritatis et veritatis [2]. » Deinde causam adjiciens, ita pergit;

[1] Joan. x, 11. — [2] 1 Cor. v, 8.

« Quia Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus [1]. » Vides-ne quomodo per crucem festum agere præcipiat? In cruce namque immolatus est Christus. Ubi namque sacrificium, ibi peccatorum abolitio, ibi reconciliatio cum Domino, ibi festum et lætitia. Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. « Ubi, quæso, immolatus? in excelso patibulo. Novum altare hujus sacrificii, quia ipsum sacrificium novum stupendumque est. Idem quippe et sacrificium et sacerdos erat; sacrificium, secundum carnem; sacerdos, secundum spiritum. Idem et offerebat, et secundum carnem offerebatur. Audi quomodo hæc ambo Paulus declaraverit : « Omnis pontifex, inquit, ex homi» nibus assumptus, pro hominibus constituitur; unde » necesse est ut habeat quidpiam, quod offerat; ecce ipse » offert semetipsum [2]. Alibi vero dicit : Christus semel » oblatus ad multorum auferenda peccata, apparebit expec» tantibus se in salutem [3]. » Ecce hic oblatus est, illic vero semetipsum obtulit. Vides-ne quomodo et sacrificium et sacerdos factus sit, et crux altare fuerit. Et cur, inquies, non in templo hostia offertur, sed extra urbem et mœnia? Ut impleretur illud, « Cum iniquis reputatus est [4]. » Cur autem in sublimi patibulo jugulatur, non sub tecto? Ut aëris naturam purgaret; ideo in sublimi, non imminente tecto, sed imminente cœlo. Aër quippe purgabatur, cum ovis in sublimi immolaretur. Purgabatur item et terra, fluebat enim e latere sanguis in ipsam. Ideo non sub tecto, ideo non in templo judaïco; ne sibi Judæi hostiam sequestrarent, neve putares pro illa gente tantum hanc offerri. Idcirco extra urbem et mœnia, ut discas universale sacrificium esse, quia pro universa terra erat oblatio; ut discerces item purgationem, communem, non peculiarem

[1] 1 Cor. v, 7. — [2] Hebr. v, 1 et 5. — [3] Id. IX, 28. — [4] Isaï. LIII, 12.

esse, quemadmodum apud Judæos. Judæis enim ideo præcepit Deus ut universam terram relinquerent, et uno in loco hostias et preces offerrent, quia tota terra impura erat, fumo, nidore, reliquisque omnibus gentiliorum sacrificiorum inquinamentis eam occupantibus. Nobis vero, quia Christus tandem veniens totum orbem purgavit, quivis locus, orandi locus effectus est. Ideo Paulus confidenter hortabatur, ut ubique sine timore preces emitterentur, his verbis : « Volo viros orare in omni loco, levantes » sanctas manus [1]. » Vides-ne quomodo purgatus sit orbis? Per locum enim licet ubique levare sanctas manus ; quoniam omnis terra sancta effecta est, et sanctis illis templi interioribus sanctior. Illic enim offerebatur ovis irrationabilis, hic vero spiritualis. Quanto autem majus est sacrificium, tanto auctior sanctificatio. Quapropter crux est celebritas.

II. Vis discere aliud ejus insigne opus? Paradisum a quinquies mille et amplius annis clausum, hodie nobis aperuit. Hoc quippe die, hac ipsa hora latronem eo introduxit Deus, duo præclara designans opera ; unum, quod paradisum aperuerit, aliud, quod latronem introduxerit. Hodie antiquam patriam nobis reddidit, hodie in patriam civitatem nos reduxit, et communi hominum naturæ domum dedit. « Nam hodie, inquit, mecum eris in paradiso [2]. » Quid dicis? Crucifixus es et clavis affixus, et paradisum polliceris? Etiam, inquit, ut in cruce virtutem meam edisces. Quia enim res erat tristis, ne naturæ crucis attenderes, sed crucifixi virtutem edisceres, in cruce hoc perpetrat miraculum, quod ejus maxime virtutem demonstrat. Non enim mortuum cum suscitaret, non cum mare ac ventos increparet, non cum dæmonas fugaret, sed crucifixus, clavis perforatus, contumeliis, sputis, conviciis, opprobriis

[1] 1 Tim. II, 8. — [2] Luc. XXIII, 43.

oneratus, improbum latronis animum mutare potuit, ut utriuque virtutem ejus videas; creaturam quippe totam commovit, petras scidit, petra duriorem latronis animam attraxit et honoravit; nam ait : « Hodie mecum eris in pa-» radiso. » Atqui Cherubini paradisum servabant; verum hic Cherubinorum etiam dominus est. Flammeus gladius ibi volvitur; verum ipse et flammæ et gehennæ, et vitæ et mortis potestatem habet. Atqui rex nullus unquam patiatur latronem hominem, vel alium quempiam ex famulis secum sedentem introducere in urbem. Verum Christus hoc fecit, inque sacram patriam ingrediens, secum furem introducit, non paradisum conculcans, neque pedibus latronis deturpans; imo potius honorans. Honor quippe paradisi est talem habere dominum, qui possit vel furem voluptatis, quæ est in paradiso, dignum facere. Etenim cum publicanos et meretrices introducebat in regnum cœlorum, non dedecori, sed honori id erat, ostendens hujusmodi esse dominum regni cœlorum, qui meretrices et publicanos ita spectabiles faceret, ut digni viderentur tanti honoris et muneris. Quemadmodum enim medicum tunc maxime miramur, cum videmus eum homines incurabilibus morbis laborantes, ab ægritudine liberare, et sanitati restituere; ita et Christum mirari justum est, cum insanabilia curat vulnera, cum publicanum et meretricem in tantam sanitatem reducit, ut cœlo digni videantur. Ecquid tantum fecit latro, inquies, ut post crucem, paradisum sit adeptus? Vis-ne ut virtutem ejus breviter demonstrem? Cum Petrus negabat infra, tunc ille supra confitebatur. Non Petrum incusans hæc dico; absit, sed latronis magnanimitatem exhibere volens. Discipulus vilissimæ puellæ minas non tulit, latro autem videns populum totum, circumstantem, clamantem, blasphemias et dicteria jaculantem, non attendit illis; non cogitavit præ-

sentem crucifixi vilitatem, sed fidei oculis hæc omnia prætercurrens, missis illis vilibus impedimentis; agnovit cœlorum Dominum, et ad ipsum animo procumbens dicebat : « Memento mei, Domine, cum veneris in regnum » tuum [1]. » Ne latronem hunc, quæso, prætercurramus, neque nos pudeat eum doctorem accipere, quem Dominus noster non erubuit primum inducere in paradisum. Ne erubescamus magistrum accipere eum, qui ante universam naturam dignus apparuit conversationis ejus, quæ in cœlis est; sed singula accurate excutiamus, ut crucis virtutem discamus. Non dixit ei, quemadmodum Petro : « Veni post » me, et faciam te piscatorem hominum [2]; » non dixit ei, ut et illis duodecim : « Sedebitis super thronos duodecim » judicantes duodecim tribus Israël [3]. » Imo ne verbo quidem ipsum dignatus est. Non miraculum ostendit; non mortuum ille suscitatum vidit, non pulsos dæmonas, non obediens mare vidit; non illum de regno cœlorum allocutus est, non de gehenna; et tamen ille ante omnes ipsum confessus est; idque socio conviciante. Conviciabatur enim ei latro alter. Etenim alius quoque latro crucifixus cum eo erat, ut impleretur illud : « Inter iniquos » reputatus est [4]. » Volebant enim gloriam ejus obscurare Judæi, et undequaque iis, quæ agebantur, insultabant. Verum undique veritas fulgebat, et per ipsa impedimenta augebatur. Conviciabatur ergo ei latro alter. Vides-ne latronem, et latronem? Ambo in cruce, ambo ex vita prædatoria, ambo a nequitia; sed non ambo in iisdem; alius enim regnum cœlorum in hæreditatem accepit, alius in gehennam missus est. Eodem modo et hesterna die, Discipuli et Discipulus; Judas, et undecim. Sed illi quidem dicebant : « Ubi vis paremus tibi comedere Pascha [5]? »

[1] Luc. XXIII, 42. — [2] Matth. IV, 19. — [3] Id. XIX, 28. — [4] Isaï. LIII, 12. — [5] Matth. XXVI, 17.

hic vero proditionem parabat, et dicebat : « Quid vultis »mihi dare, et ego vobis tradam eum [1] ? » Illi quidem ad ministerium divinamque mystagogiam sese apparabant; hic vero ad prodendum festinabat. Ita et nunc latro et latro; sed ille quidem convitiacur, hic adorat; ille blasphemat, hic benedicit, et blasphemantem increpat his verbis : « Neque tu times Deum ; nam digna factis recipimus [2]. »

III. Vidisti fiduciam latronis ? Vidisti fiduciam in cruce? Vidisti philosophiam in supplicio, et pietatem in cruciatu? Quod enim sibi præsens, nec mente excesserit clavis confixus, quis non stupeat ? Ille vero non modo mente constabat, sed omnibus suis relictis, de aliorum rebus curabat, doctor in cruce factus, increpansque his verbis : « Neque »tu times Deum. » Ne attendas, inquit, ad inferius hoc tribunal. Est alius judex invisibilis, est incorruptum tribunal. Ne te moveat, quod infra condemnatus sit; nam superna non sunt hujusmodi. In hoc quippe terrena tribunali, justi quandoque damnantur, et injusti pœnam effugiunt; noxii dimittuntur, et innoxii afficiuntur supplicio. Etenim judices velint nolint, in multis peccant; siquidem vel jus ignorantes et decepti, vel gnari quidem, sed pecunia corrupti verum calculum prodiderunt. Superne autem secus. Deus enim Judex justus, et judicium ejus quasi lux egredietur, non tenebris, non ignorantia obscurantibus. Etenim ne diceret, cum infra damnatum fuisse, ad supernum tribunal illum deduxit. Recordare illius horrendi tribunalis; ac si diceret : « Eo respice, nec damnationis calculum feres, neque infra stabis cum corruptis judicibus, sed judicium superne latum acceptabis. » Vidisti philosophiam latronis? Vidisti prudentiam, et doctrinam? Confestim a cruce in cœlum avolavit. Deinde ex abundanti ipsum increpans : « Non times, dicebat, quia in eadem

[1] Matth. xxvi, 15. — [2] Luc. xxiii, 40.

» damnatione sumus. » Quid sibi vult illud, « Quia in eadem » damnatione sumus? » In eodem nempe supplicio. Nonne tu etiam es in cruce? Dum ergo illi conviciaris, te ipsum prius impetis. Quemadmodum enim is, qui in peccatis est, si alterum criminetur, se ipsum prius criminatur; sic et is, qui in calamitate constitutus, alteri calamitatem vitio vertit, se ipsum prius damnat. « Quia in eadem damnatione su- » mus. » Apostolicam legit ipsi legem, hæc scilicet evangelica verba : « Nolite judicare, ut non judicemini. Quia » in eadem damnatione sumus [1]. » Quid facis, o latro; dum eum defendis, latronis ne socium facis? Nequaquam, ait; ex sequentibus hanc suspicionem amoveo. Ne putes enim eum ex communione supplicii, consortem illum peccati fecisse, sic prius dictum corrigit : « Et nos quidem juste, » nam digna factis patimur. » Vides confessionem perfectam? vides quomodo in cruce peccata exuit? Nam legitur : « Dic tu peccata tua primus, ut justificeris [2]. » Nemo coëgit illum, nemo vim ipsi fecit; sed ipse semetipsum protulit dicens : « Et nos quidem juste, nam digna factis » patimur; hic vero nihil mali fecit, » additque postea : « Memento mei, Domine, in regno tuo. » Non prius ausus est dicere : « Memento mei in regno tuo; » quam per confessionem peccatorum sarcinam deposuisset. Vides-ne quanta res sit confessio? Confessus est, et paradisum aperuit; confessus est, et tantam accepit fiduciam, ut a latrocinio regnum peteret. Vides-ne quantorum nobis bonorum crux causa fuerit? Regnum petis? Quid vides hujusmodi? clavi et crux in conspectu sunt. Verum ea ipsa crux, inquit, est symbolum regni. Ideo ipsum regem voco, quia video crucifixum. Regis enim est pro subditis mori. Hic ipse dixit : « Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus [3]; » ergo et bonus rex animam suam ponit pro subditis. Quoniam

[1] Matth. VII, 1. — [2] Isaï. XLIII, 26. — [3] Joan. X, 11.

igitur animam suam posuit, ideo regem illum voco. « Me» mento mei, Domine, in regno tuo. »

Vides-ne quomodo crux sit regni symbolum ? Vis-ne et aliunde illud discere? Non reliquit eum in terra, sed attraxit eum, et in cœlum deduxit. Unde hoc palam est? Quia venturus est cum illo in secundo et glorioso ejus adventu : ut discas crucem esse rem honorabilem; quare et gloriam illam vocavit. At videamus quomodo cum cruce veniat : necesse quippe est demonstrationem in medium reducere. « Si dixerint, inquit : Ecce in penetralibus est » Christus, ecce in deserto est; ne abeatis [1] : » de secundo et glorioso suo adventu sic loquens propter falsos Christos, propter falsos prophetas, propter Antichristum : ne quis seductus in illum incideret. Quia enim Antichristus venturus est ante Christum, ne quis pastorem quærens, in lupum incidat; idcirco indicium tibi do pastoris adventus. Nam quia prior ejus adventus latuit, ne putes secundum adventum talem futurum esse, hoc tibi signum dedit. Jure autem ille adventus clam fuit, venit enim quæsitum quod perierat : at hic secundus non ita : sed quomodo quæso? « Sicut enim fulgur exit ab Oriente, et apparet usque ad » Occidentem, sic erit et adventus Filii hominis [2]. » Confestim omnibus apparebit, neminique interrogatu opus erit, num hic, num illic sit Christus. Quemadmodum enim apparente fulgure, non opus est perquirere an apparuerit; sic et in adventu Christi non opus erit quærere an Christus advenerit. At quod quæritur est, an cum cruce venturus sit : non enim promissi obliti sumus. Audi igitur ea, quæ sequuntur. « Tunc, inquit, » tunc quandonam? « Cum venerit » Filius hominis, sol obscurabitur, et luna non dabit lucem » suam [3]. » Tanta enim tunc erit lucis copia, ut splendidiores stellæ obscurandæ sint. « Tunc stellæ cadent, tunc signum

[1] Matth. xxiv, 26. — [2] Ibid. 27. — [3] Ibid. 29.

» Filii hominis apparebit in cœlo[1]. » Vides-ne quanta sit virtus signi crucis? Sol obscurabitur, et luna non apparebit : illud vero fulget et apparet, ut discas illud esse splendidius sole et luna. Ac quemadmodum rege in urbem intrante, milites accepta signa, ut vocant, gestant humeris, ejus ingressum prænuntiantes ; sic et Domino descendente de cœlis, præibunt exercitus Angelorum et Archangelorum, signum hujusmodi ferentes humeris, et regium ejus ingressum nobis prænuntiantes. « Tunc commovebuntur Vir- » tutes cœlorum[2], » de Angelis loquitur : tremor apprehendet eos, et timor magnus. Et cur, quæso? Tremendum erit tribunal illud : universa quippe natura nostra judicari debet, et astare ante formidabilem illum judicem. Quare ergo Angeli timent et exhorrescunt? neque enim illi judicandi sunt. Quemadmodum judicante principe, non rei tantum, sed etiam alii ex militia, qui nullius sibi criminis conscii sunt, timent et horrent ob metum judicis; ita et tunc cum de natura nostra judicabitur nullius mali sibi conscii Angeli timebunt, ob immensam judicis formidinem. Verum quare tunc crux apparebit, et cur cum illa venturus est? ut ii, qui illum crucifixerunt, ingrati animi sui nequitiam agnoscant : ideo illorum impudentiæ symbolum ostendet. Quod autem ideo illam allaturus sit, audi Prophetam declarantem : « Tunc plangent tribus terræ[3], » videntes accusatorem, et peccatum agnoscentes. Et cur miraris si crucem gestans veniet, quando et ipsa vulnera tunc ostendet? Nam ait : « Videbunt in quem transfixe- » runt[4]. » Quemadmodum enim erga Thomam fecit, cum ut Discipuli incredulitatem emendaret, ostendit ei fixuram clavorum et vulnera dicens : « Infer manum tuam, et vide » quia Spiritus carnem et ossa non habet[5]; » sic et tunc

[1] Matth. XXIV, 29. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 30. — [4] Zach. XII, 1. — [5] Joan. XXI, 27.

ostendet vulnera et crucem, ut demonstret hunc ipsum esse qui crucifixus fuit.

V. Neque ex cruce tantum, sed etiam ex verbis in cruce prolatis immensam ejus benignitatem videre est : crucifixus enim, dicteriis, cachinnis et sputis dehonestatus dicebat : « Pater, dimitte illis peccatum : non enim sciunt quid » faciunt [1]. » Et crucifixus pro crucifigentibus precatur : quanquam illi contra dicebant : « Si filius Dei es, descende » de cruce, et credemus tibi [2]. » Atqui ideo ille non descendit de cruce, quia filius Dei est ; et ideo venit, ut crucifigeretur pro nobis. « Descende de cruce, inquiunt, et cre» demus tibi. » Hæc verba sunt, et incredulitatis obtentus. Nam multo majus erat lapide superposito ex sepulcro resurgere, quam de cruce descendere : multo majus erat mortuum vinctum et quatriduanum Lazarum cum ipsis fasciis e monumento educere, quam de cruce descendere. Illi igitur dicebant : « Si filius Dei es, salvum fac temetip» sum : » ille vero nihil non agebat, ut illos ipsos qui se conviciis onerabant salvos faceret, dicens : « Dimitte illis » peccatum, non enim sciunt quid faciunt [3]. » Quid igitur? Num illis peccatum dimisit? Dimisisset utique, si voluissent pœnitentiam agere. Si enim non dimisisset illis peccatum, nunquam Paulus fuisset Apostolus. Si non dimisisset illis peccatum, non tria illa millia, non quinque millia, non multæ myriades credidissent. Quod enim multæ Judæorum myriades crediderint, audi quomodo apostoli Paulo dicant : « Vides, » frater, quot sint myriades Judæorum, qui crediderunt [4]. » Imitemur itaque Dominum, et pro inimicis precemur : eamdem enim cohortationem resumo, jam quinto die vobis de eodem argumento dissero ; non quasi inobsequentes vos arguens, absit; sed sperans vos obtemperaturos esse. Quod

[1] Luc. XXIII, 24. — [2] Matth. XXVII, 24 — [3] Luc. XXIII, 24. — [4] Act. XXI, 20.

si qui sint duri, iracundi, et morosi, qui nostris circa orationem monitis non morem gerant, ex numero saltem dierum pudefacti, inimicitias et simultates deponent. Imitare Dominum. Crucifixus est, et pro crucifigentibus Patrem compellavit. Et quomodo possim, inquies, Dominum imitari? Si velis, poteris. Nisi enim posses imitari, cur dixisset : « Discite a me quia mitis sum, et humilis corde [1] ? » Nisi posses imitari, non dixisset Paulus : « Imitatores mei » estote, sicut et ego Christi [2]. » Cæterum si non vis imitari Dominum, imitare conservum, Stephanum videlicet apostolum. Etenim ille Dominum imitatus est. Et quemadmodum Christus inter crucifigentes, missa cruce, missis iis, quæ ad se spectabant, pro crucifigentibus se Patrem precabatur ; ita et servus inter lapidantes, ab omnibus impetitus, exceptis lapidum ictibus, misso dolore, quo hinc afficiebatur, dicebat : « Domine, ne statuas illis hoc peccatum [3]. » Vides-ne quomodo loquatur Dominus? Vides-ne quomodo precetur servus? Ille dicit : « Pater, dimitte illis hoc pecca- » tum ; non enim sciunt quid faciunt [4] : » hic vero : « Ne » statuas illis hoc peccatum. » Ut vero discas illum studiose precari : non stans lapidibus licet obrutus orat, sed positis genibus cum compunctione loquitur, et cum multa commiseratione. Vis ostendam tibi conservum alium longe graviora, quam ille, patientem? Paulus ait : « A Judæis ter » virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, nocte et die in » profundo fui [5]. » Quid tum postea ? « Optabam, inquit, ipse » anathema esse pro fratribus meis, cognatis meis secundum » carnem [6]. » Vis-ne et alium videre, non ex Novo, sed ex Veteri Testamento? Hoc enim est maxime omnium mirabile, quod ubi non præcipiebantur inimicos diligere, quin potius oculum pro oculo exculpere, et dentem pro dente,

[1] Matth. xi, 29. — [2] 1 Cor, xi, 1. — [3] Act. vii, 60. — [4] Luc. xxiii, 24. — [5] 2 Cor. xi, 23. — [6] Rom. ix, 3.

atque in malis par pari referre, ad apostolicam pervenerint philosophiam. Audi quid dicat Moyses, qui sæpe a Judæis lapidatus, et contemptui habitus est : « Si dimittis » illis peccatum, dimitte; si vero non, etiam me dele de » libro, quem scripsisti [1]. » Vides-ne quemlibet ex justis aliorum securitatem præposuisse saluti suæ? Nihil peccasti, et cur vis esse eorum supplicii consors? Quia, inquiunt, cæteris malo affectis, rei meæ prosperæ sensum non percipio. Hæc exempla satis essent : ad majorem autem nostri emendationem, alium eadem philosophia utentem in medium adducam. At enim David beatus ille mansuetusque vir, postquam exercitus totus defecerat, atque necem ejus moliens, filio Absalom tyrannidem detulerat : deinde Deo ob illud facinus in iram concitato : quid enim interest si aliam internecionis causam proferat? ipsoque Angelum mittente, qui districto gladio plagam superne inferret, videns, inquam, David omnes gladio cadere, quid dicit? « Ego qui pastor sum peccavi, et ego pastor inique egi : » sit manus tua super me, et super domum patris mei [2]. » Vides iterum similia præclare gesta? Vis ostendam tibi et alium? Neque enim deerit alter qui eodem modo philosophetur. Samuël ille propheta a Judæis contumelia affectus est, depositus, contemptus, ita ut Deus ipsum consolari cupiens diceret : « Non te contempserunt, sed me [3]. » Quid igitur ille contemptus, despectus, contumelia affectus? « Absit a me ut ita peccem, ut cessem orare pro vobis Do- » minum [4]. » Peccatum putavit esse non orare pro inimicis. Absit a me ut ita peccem, ut non orem pro vobis. Christus dicit : « Pater, dimitte illis peccatum, non enim sciunt quid » faciunt [5] : » Stephanus vero : « Domine, ne statuas illis hoc » peccatum; » Paulus autem : « Optabam anathema esse pro

[1] Exod. xxxii, 32. — [2] 2 Reg. xxiv, 17. — [3] 1 Reg. viii, 7. — [4] Id. xii, 23. — [5] Luc. xxiii, 24.

» fratribus meis, cognatis meis secundum carnem [1]. » Moyses dicit : « Si dimittis peccatum illis, dimitte : si vero non, » etiam me dele de libro, quem scripsisti [2] : » David vero : « Sit manus tua super me, et super domum patris mei [3] : » Samuël autem : « Absit a me ita peccare, ut cessem orare » pro vobis Dominum [4]. » Quam igitur veniam consequemur, Domino et servis tum Novi tum Veteris Testamenti, concitantibus ad orationem pro inimicis, si nos e contrario contra inimicos precemur? Ne quæso, ne id agamus, fratres. Etenim quanto plura exempla, tanto majus, si eos non imitemur, supplicium. Præstantius est pro inimicis, quam pro amicis orare : non enim tantum hinc, quantum inde lucri refertis. « Si enim dilexeritis, inquit, eos, qui vos » diligunt, nihil magni facitis : etenim et publicani hoc fa» ciunt [5]. » Itaque si pro amicis oremus tantum, ethnicis et publicanis nondum meliores facti sumus. At cum inimicos diligimus, Deo pro humana facultate similes efficimur : « Qui solem suum oriri facit super malos et bonos, et pluit » super justos et injustos [6]. » Simus igitur similes Patris : « Nam estote, inquit, similes Patris vestri, qui in cœlis est, » ut regnum cœlorum consequi mereamur, gratia et benignitate Domini et Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Rom. IX, 3. — [2] Exod. XXXII, 32. — [3] 2 Reg. XXIV, 17. — [4] Id. XII, 23. — [5] Matth. V, 46. — [6] Ibid. 45.

HOMILIA II.

In crucem et in confessionem latronis recitata in sancta et magna Parasceve, et quod oporteat pro inimicis orare.

I. Festum hodie agimus [1] et conventum, charissimi, quoniam Dominus noster clavis et cruci affixus. Neque peregrinum tibi videatur, si cum res odiosa et aversanda fuerit, nos festum diem celebremus. Ejusmodi enim sunt omnia spiritualia, contraria humanæ naturæ. Et ut hoc probe cognoscas, crux prius condemnationis et supplicii nomen erat; at nunc res est venerabilis et desiderabilis. Crux antea dedecoris et pœnæ argumentum erat; nunc gloriæ et honoris est occasio, quodque crux sit gloria, audi Christum dicentem : « Pater, clarifica me gloria, quam habui » apud te ante mundi constitutionem [2], » gloriam crucem nominans. Crux caput nostræ salutis : crux infinitorum bonorum argumentum. Propter hanc nos, qui prius inglorii et rejecti eramus, nunc in filiorum ordinem recepti sumus. Propter hanc non oberramus amplius, sed veritatem cognovimus. Propter hanc nos, qui prius ligna et lapides adorabamus, nunc omnium rerum Creatorem cognovimus. Propter hanc, qui servi peccati eramus ad libertatem justitiæ evecti sumus. Propter hanc terra cœlum de cætero facta est. Hæc ab errore nos liberavit : hæc ad veritatem adduxit : hæc reconciliationem Dei cum hominibus instituit. Hæc nos ex profundo malitiæ ereptos, in ipsum virtutis fastigium eduxit. Hæc errorem dæmonum extinxit : hæc

[1] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 411-425. — [2] Joan. XVII, 5.

deceptionem e medio sustulit. Propter hanc non est amplius fumus et nidor, et sanguinis bruti effusio; sed ubique cultus spirituales, hymni, laudes, et precationes visuntur. Propter hanc dæmones fugiunt, diabolusque profligatur. Propter hanc humana natura cum angelica vivendi ratione contendit. Propter hanc virginitas in terris versatur. Ex quo enim ex virgine ille prodiit, cognovit humana natura virtutis hujus viam. Hæc nos in tenebris sedentes illuminavit : hæc nos expugnatos et debellatos liberavit : hæc nos, qui procul aberamus, vicinos esse fecit : hæc nos abalienatos, domesticos fecit : hæc nos peregrinos factos, cœli cives constituit. Hæc nobis bella sustulit, pacis securitas effecta est. Propter hanc non formidamus amplius ignita diaboli jacula, nam vitæ fontem invenimus. Propter hanc non sumus in viduitate : sponsum enim recepimus. Propter hanc non timemus amplius lupum : nam bonum Pastorem agnovimus : dicit enim : « Ego sum pastor bonus [1]. » Propter hanc non horremus amplius tyrannum, ad Regem enim accurrimus. Vides quantorum bonorum crux sit nobis causa? Jure igitur diem festum agimus. Sic et Paulus monet ut festivitatem agamus his verbis : « Itaque feriemur, » non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et ne» quitiæ : sed in azymis sinceritatis et veritatis [2]. » Et cujus gratia nos diem festum agere præcipis, o beate Paule? Agedum causam indica. Quia « Pascha nostrum pro nobis im» molatus est Christus Deus [3]. » Vides quomodo crux sit nobis festum? intellexisti, quod propter crucem nos festum celebrare jubet? In cruce enim oblatus est; ubi vero sacrificium, ibi et peccatorum remissio, ibi reconciliatio Domini, ibi festum et gaudium. « Pascha nostrum, inquit, pro nobis » immolatus est Christus [4] : » ubi immolatus est? in excelsa cruce. Novum et peregrinum altare, cum novum et inusi-

[1] Joan. x, 11. — [2] 1 Cor. v, 8. — [3] Ibid. 7. — [4] Hebr. ix, 28.

tatum fuerit sacrificium. Idem et sacrificium et sacerdos erat, sacrificium secundum carnem, sacerdos secundum Spiritum. Idem immolavit et immolabatur. Audi iterum Paulum dicentem : « Omnis enim pontifex ex hominibus » assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad » Deum [1]. » Unde necesse est et hunc habere aliquid quod offerat. Ecce se ipsum offert. Alibi vero iterum ait : « Sic » et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda » peccata [2]. » Ecce hic oblatus est, ibi se ipsum obtulit. Vidisti, quomodo idem sacrificium seu victima et sacerdos fuerit : et crux erat altare. Sed disquirendum est, cur non in templo sacrificium offeratur, in templo, inquam, judaïco, sed extra civitatem, extra mœnia. Extra civitatem crucifixus est tanquam damnatus quispiam et reus, ut impleretur illud Prophetæ dictum : « Et cum iniquis reputatus » est [3]. » Quare igitur extra civitatem in edito loco, et non sub tecto quopiam? Non sine causa hoc contigit, sed ut aëris naturam purgaret : ideo in excelso loco oblatus est, sub nullo tecto, sed loco tecti, cœlo super imposito, ut universum cœlum mundaretur ove in sublimi loco immolata. Purgatum igitur est cœlum, purgata terra. Stillabat enim sanguis ex latere super terram, omnesque ejus maculas et inquinamenta eluit. Et hujus quidem gratia sacrificium hoc sub tecto non peragitur. Quare vero non in ipso templo judaïco? Nam neque hoc temere et sine causa accidit ; videlicet ne Judæi hoc sacrificium sibi ut proprium vindicarent; ne putares pro sola illa gente sacrificium hoc oblatum esse ; propterea fit extra mœnia, ut discas generale esse sacrificium, ut discas pro universa terra oblationem esse, et communem expiationem institui. Judæis enim ob hoc præcepit Deus, ut tota terra relicta in uno loco immolarent, et preces in uno loco funderent. Nam cum

[1] Hebr. v, 1, et VIII, 3. — [2] Id. IX, 28. — [3] Isaï. LIII, 12.

tota terra tunc contaminata esset fumo et nidore et idololatrico sanguine, et aliis Gentilium inquinamentis, ideo illis unum locum imperavit. Sed cum Christus venit, et extra civitatem mortem obiit, universam terram mundavit, omnemque locum orationi idoneum effecit. Vis discere quomodo tota terra in posterum sit templum effecta, et quomodo omnis locus orationi sit destinatus? Audi iterum beatum Paulum dicentem: « In omni loco levantes puras » manus sine ira et disceptatione [1]. » Vidisti quomodo terrarum orbem expurgarit? Vidisti quomodo ubique puras manus levare possimus? Omnis enim terra de cætero sanctificata est, imo sanctior est illis Judæorum sanctis. Qua ratione? Quia ibi quidem rationis expers, hic vero ratione prædita ovis oblata est. Quanto igitur præstantius id, quod rationem habet, eo, quod ratione caret, tanto amplior et hic sanctificatio est. Vere igitur crux nobis festum diem parit.

II. Vis et aliud crucis factum præclarissimum, et quod omnem humanam intelligentiam superat, ediscere? Paradisum clausum aperuit hodie. Hodie enim latronem in illum introduxit. Duo præclarissima facinora: paradisum reseravit, et latronem introduxit. Reddidit illi antiquam patriam, reduxit in paternam civitatem. « Hodie mecum eris, » inquit, in Paradiso [2]. » Quid dicis? Crucifixus, et cruci clavis affixus es, et paradisum promittis? Quomodo hæc talia largieris? Atqui Paulus ait: « Crucifixus est ex infir» mitate [3]. » Audi alibi dicentem; « Sed vivit ex virtute » Dei. » Et rursus: « Virtus mea in infirmitate perficitur [4]. » Propterea in cruce polliceor, ut per hanc discas meam potentiam. Cum enim crux sit res injucunda et molesta, ne vultum dejicias ad crucis naturam attendens, sed ut lætus

[1] 1 Tim. II, 8. — [2] Luc. XXIII, 43. — [3] 2 Cor. XIII, 4. — [4] Id. XII, 9.

et alacer efficiaris, ad crucifixi potentiam respiciens ea de causa ille ibi suam tibi virtutem ostendit. Non enim mortuum excitans, non mari imperans, non dæmones increpans, sed crucifixus, clavis affixus, injuria affectus, sputis oblitus, conviciis impetitus, irrisui et ludibrio apud omnes habitus, potuit ad se malam latronis mentem attrahere. Vide utrinque potentiam illius effulgescentem. Creaturam concussit, petras disrupit, animam latronis petra duriorem cera molliorem effecit. « Hodie mecum eris in paradiso. » Quid dicis? Cherubim et flammeus ensis custodiunt paradisum, et tu latroni ingressum eo polliceris? Utique ait. Nam et ego Cherubinorum Dominus sum, atque ignis et gehennæ, vitæque et mortis potestatem habeo; propterea dicit, « Hodie mecum eris in paradiso. » Cum Virtutes illæ Dominum viderint, statim cedent, locumque dabunt. Atqui nullus rex unquam patiatur latronem, aut alium quempiam ex famulis secum considentem in urbem ingredi : at iste humanissimus Dominus hoc fecit : in sanctam suam patriam ingressus latronem secum introducit, non inhonorans paradisum, absit, pedibus latronis, sed hoc ipso magis honorans. Honor enim paradisi est habere talem Dominum, tam potentem et humanum, ut et latronem possit efficere dignum paradisi deliciis. Etenim quando publicanos et meretrices in regnum vocabat, non utique id fecit cum regni sui dedecore, sed potius majore cum honore; ostendit enim se esse ejusmodi regni cœlorum Dominum qui etiam meretrices et publicanos tam probatos facere queat, ut digni videantur ea, quæ inibi est, gloria et munere. Quemadmodum igitur medicum tum admiramur, cum intuemur eum homines incurabilibus morbis laborantes, depulsa infirmitate, pristinæ et puræ sanitati restituere; ita et Christum admirare, charissime, et obstupesce, quia homines immedicabilibus animæ morbis obs-

trictos, potuit et a malitia liberare, et regno cœlorum dignos reddere eos, qui ad supremum improbitatis culmen ascenderant. « Hodie mecum eris in paradiso. » Grandis honor, ingens hujus humanitatis magnitudo, inexplicabilis hujus bonitatis immensitas. Nam eo quod paradisum ingreditur, major gloria est quod cum Domino ingreditur. Quid, quæso, accidit? Quid latro ejusmodi egit, ut ex improviso de cruce dignus paradiso judicaretur? breviter, si placet, dicam, latronisque bonitatem, et probitatem ostendam. Quando Petrus Discipulorum princeps negabat infra, tunc ille supra fixus in cruce confessus est? Et hoc non dixi, animo reprehendendi Petrum, absit; sed ut magnanimitatem latronis, et excellentem illius philosophandi rationem demonstrarem. Ille non tulit simplicis puellæ minas; hic totum populum insanientem, et assistentem et vociferantem, et infinita in crucifixum convicia jactantem conspicatus, non vertit oculos ad injuriam crucifixi : sed fidei oculis omnia hæc prætercurrens, omnique indigna, et quæ impedimento esse poterat, persuasione abjecta, agnovit cœlorum Dominum, paucula illa verba proloculus, quæ illum paradiso dignum ostenderunt, « Memento mei » in tuo regno [1]. » Ne prætervolemus simpliciter hoc dictum, neque pudeat nos magistrum accipere latronem, cujus Dominum nostrum non puduit, quominus primum in paradisum induceret. Ne erubescamus magistrum habere hominem illum, qui ante totum humanum genus dignus est habitus conversatione paradisi. Singula igitur verba expendamus, ut et hinc virtutem crucis discamus. Neque enim ad illum, ut ad Petrum et Andream dixit : « Venite » et faciam vos piscatores hominum [2] : » Neque dixit ad illum ut ad duodecim Discipulos, « Sedebitis super duode- » cim sedes, judicantes duodecim tribus Israël [3]. » Plane

[1] Luc. xxiii, 42. — [2] Matth. iv, 19. — [3] Matth. xix, 28.

vero neque verbo illum dignatus est : neque miracula vidit, non mortuos excitatos, non dæmones expulsos, non mare imperio ejus obtemperans : neque de regno cum illo verba fecit : unde autem vel regni nomen novit? Videamus quanta intelligentia præditus fuerit. Conviciis insectabatur illum, inquit, alter latro. Etenim et alter latro crucifixus erat, ut impleretur illud Prophetæ dictum : « Quia cum »iniquis reputatus est [1]. » Volebant namque insipientes Judæi gloriam etiam ejus traducere : et undequaque iis, quæ accidebant, insultabant : sed per illa omnia excrevit veritas : et per ipsa obstacula splendidior, et manifestior evasit. Convitiabatur ergo ei alter latro : unus vero Evangelistarum dicit ambos in Jesum convicia jecisse [2] : et hoc verum est, et maxime hujus probitatem intendit. Nam probabile est principio quidem ipsum conviciatum fuisse, derepente autem tantam mutationem subiisse : conviciabatur ergo, inquit, alter latro. Vides latronem, et latronem? ambo in cruce, ambo ab improbitate, ambo a vita prædatoria arrepti, sed non ambo in iisdem. Nam alter regnum hæres adiit, alter in gehennam demissus est. Ita et heri Discipulus, et Discipuli. Sed ille ad proditionem accingebatur, isti ad ministerium sese præparabant. Ille Pharisæis dicebat : « Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tra»dam [3]? » isti accedebant ad Jesum dicentes : « Ubi vis »paremus tibi manducare Pascha [4]? » Ita et hic latro et latro. At ille conviciabatur : hic convicianti os obstruit. Ille blasphemat, hic vero objurgat; et hæc, cum aspiceret illum crucifixum, condemnatum, populum infra conviciantem, grandi voce vociferantem; sed tamen nihil horum illum transversum egit; aut a conveniente existimatione abduxit : sed et alterum latronem graviter increpat, his ad illum verbis usus : « Neque tu times Deum? »

[1] Isai. LIII, 12.— [2] Marc. XV, 32.— [3] Matth. XXVI, 15.— [4] Ibid. 17.

III. Vidisti libertatem latronis? vidisti quomodo neque in cruce artis suæ obliviscitur, sed per ipsam confessionem prædatur regnum? « Neque tu times Deum, » inquit? vidisti libertatem in cruce, vidisti philosophiam, vidisti reverentiam. Quod enim sibi præsens fuerit, quod de statu mentis non dejectus, etsi clavis affixus, immensosque cruciatus ex clavis ortos perpessus : annon eum admirari æquum est, ob tam generosam animi constantiam? non solum dignum dixerim, quem admiremur, sed quem beatum prædicemus. Etenim non solum non advertebat mentem ad cruciatus, sed omnibus suis relictis, res alterius curabat : et ut illum ab errore eriperet, et magister ejus in cruce fieret, omni ope studebat. « Neque tu times Deum, » inquit. Tantum non ad illum dicit : Ne solum attendas ad id quod apud homines est tribunal : ne ex iis, quæ vides, rem æstimes : ne ea quæ fiunt tantummodo intuearis. Est alius judex invisibilis, incorruptum et sincerum est ejus tribunal, nec decipi aut a vero deflecti potest. Ne te moveat, quod infra condemnatus est, sed quæ supra sunt, ea talia non sunt. In judicio enim quod hic agitur, sæpe etiam innocentes condemnantur, et nocentes dimittuntur, justi pœnis addicuntur, et injusti effugiunt. Et plerique mortalium judicia corrumpunt partim lubentes, partim nolentes. Vel enim jus et fas ignorantes, et decepti, vel videntes quidem, pecuniis vero corrupti prodiderunt veritatem, et contra innocentes sententiam tulerunt : at supra nihil horum locum habet. Nam Deus judex justus est, et judicium ejus, ut lumen, egredietur. Tenebris caret, nullas habet latebras, nec ullo modo de recta semita dejici potest. Ne enim ille diceret : « Apud homines jam condemnatus est, quid ei patrocinaris? » duxit eum ad supernum judicium, ad terribile illud tribunal, ad forum illud incorruptum, ad judicem, quem nullis rationibus in errorem inducere licet. Revoca-

vit ei in memoriam tremendum illud judicium. Eo, inquit; respice, et non feres condemnationis sententiam, neque infra cum hominum turba consistes, sed admiraberis et approbabis judicium cœleste. « Neque tu times Deum, » inquit? vidisti philosophiam latronis, vidisti intellectum, vidisti doctrinam. Confestim a cruce ad cœlum tetendit : vide quomodo apostolicam legem impleat, nec sua tantum curet, sed omnia faciat et moliatur, ut alterum ab errore exolvat, et ad veritatem traducat. Cum enim dixisset; « Neque tu times Deum? » addidit : « Quia in eadem dam» natione sumus. » Considera confessionem absolutam. Quid est, « In eadem damnatione sumus? » In eadem, inquit, pœna; nam et nos in cruce sumus. Ergo cum illum opprobriis appetis, te ipsum prius conviciis incessis. Quemadmodum is, qui peccatis obstrictus, alterum condemnat, se ante illum condemnat : et is, qui calamitate pressus, alteri calamitatem exprobrat, sibi ipsi prius quam alteri calamitatem exprobrat. « In eadem, inquit, damnatione sumus. » Apostolicam ipsi legem evangelicæ consonam recitat; « No» lite judicare, ut non judicemini. Quia in eadem damna» tione sumus [1]. » Quid facis, o latro? num vestri participem illum facis, cum ais, « In eadem damnatione sumus? » Nequaquam, inquit : corrigo dictum per ea, quæ mox sequuntur : « Et nos quidem, inquit, juste, digna enim factis » recipimus. » Ne enim audito, quod dixit, « In eadem dam» natione sumus, » putares, quod Christum scelerum participem fecisset; ideo se ipsum quasi corrigens adjecit : « Nos quidem juste, nam digna factis recipimus. » Vides confessionem perfectam in cruce, vides quomodo his verbis peccata sua eluerit, vides quomodo propheticum illud monitum impleverit : « Dic primus tuas iniquitates, ut jus» tificeris : [2] » nemo illum coëgit, nemo accusavit, nemo

[1] Matth. VII, 1. — [2] Isaï. XLIII, 26.

institit. Ipse sui ipsius fit accusator : qua de causa in posterum omni accusatore caruit. Antevertens enim partes accusatoris sibi sumpsit, et se ipsum, quis esset, publice prodidit his verbis : « Nos juste, nam digna factis recipi- » mus, hic vero nihil mali egit. » Vides reverentiam longe lateque diffusam : quando se ipsum accusarat, quando arcana pectoris sui exprompserat, quando pro Domino defensionem instituerat : « Nos quidem juste, hic vero nihil mali » egit : » tunc et supplicationem offerre ausus fuit his verbis : « Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum. » Non ausus fuit prius dicere : « Memento mei, » quoad usque per confessionem sese a sordibus peccatorum expurgavit ; quoad usque se ipsum condemnans, justum, et innocentem effecit ; quoad usque per accusationem scelera deposuit. Vides quantum possit confessio etiam in ipsa cruce? Hæc audiens, charissime, ne desesperes te ipsum : sed infinitam benignitatis divinæ magnitudinem tecum reputans, properes ad emendationem peccatorum. Si enim latronem in cruce tanto honore dignatus est, multo magis nos insita sua benignitate dignabitur, si voluerimus peccatorum confessionem instituere. Ut igitur et nos benignitate illius perfruamur, peccata propria confiteri ne erubescamus. Magna enim confessionis vis est, et multa ejus potentia. Ecce enim et iste confessus est, et paradisum reperit apertum. Confessus est, libertatemque loquendi ac regnum petendi adeptus est is, qui latro fuerat. Ad id enim usque tempus non petivit regnum cœlorum. Unde, dic mihi, o latro, regni recordatus es? Quid ejus simile nunc vidisti? Quid vides, clavi sunt, et crux, et accusationes, et scommata, et convicia : utique, inquit : nam ipsa crux regni mihi videtur symbolum esse. Propterea ipsum Regem voco, quia ipsum video crucifixum. Regis enim est, pro subditis mori. Ipsemet dixit : « Bonus pastor animam suam ponit pro ovi-

»bus [1]. »Igitur et bonus rex animam suam ponit pro subditis. Cum ergo animam suam posuerit, capropter Regem nomino. « Memento mei, Domine, cum veneris in »regnum tuum. »

IV. Vis discere quomodo crux sit regni nota et symbolum, et quam inclyta res sit? Non reliquit ipsam in terra, sed duxit eam in cælum. Unde hoc liquet? Cum ipso ventura est in secundo ejus et glorioso adventu : sed videamus quando cum ipso sit ventura. Audi ipsum Christum dicentem : « Si dixerint vobis : Ecce in penetralibus est Christus : »Ecce in solitudine, ne exeatis [2]. » De secundo suo adventu hæc dicit, propter falsos Christos, et propter pseudoprophetas, et propter Antichristum, ne quis circumventus in illum incidat. Cum enim Antichristus, ante Christum venturus sit ; Ne, inquit, pastorem quærentes incidatis in lupum, ob id indico vobis certum indicium et argumentum pastoris præsentis : cujus primus adventus licet occultus fuerit ; ne tamen existimetis talem etiam fore secundum. Nam ille merito occultus fuit, venit enim quærere, quod perierat. At iste non ita erit. At quomodo? dic et doce. « Sicut, inquit, exit fulgur ab Oriente et apparet usque in »occidentem ; ita erit et adventus Filii hominis [3] ; »derepente omnibus apparebit. Non necesse erit, ut quisquam interroget : quemadmodum enim facto fulgure, non opus habemus inquirere, num fulgur extiterit ; ita in secundo illo adventu, necesse non erit quærere, num Christus venerit. At vero necdum id quod quærebatur, diximus, num videlicet cum cruce sit venturus. Audi igitur, quomodo et hoc manifeste explicet. « Tunc, inquit, hoc est, cum ve»nero, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum [4]. » Tanta enim tunc erit lucis copia, ut etiam lucidissima sidera sint abscondenda : « Nam et stellæ, inquit, cadent, et

[1] Joan. x, 11. — [2] Matth. xxiv, 26. — [3] Ibid. 27. — [4] Ibid. 29.

» sic signum Filii hominis apparebit in cœlo [1].» Vides quanta sit excellentia hujus signi : quanta claritas, quanta fulgor? sol obtenebratur, et luna non splendet, astra cadunt : illud vero solum apparet, ut intelligas illud, et luna splendidius, et sole fulgentius esse. Quemadmodum enim, rege ingrediente, exercitus præeuntes signa humeris ferunt, regisque ingressum annuntiant : sic et domino omnis creaturæ de cœlis descendente, exercitus Angelorum et Archangelorum signum illud ferunt, et regium ingressum nobis annuntiant. « Tunc, inquit, et Virtutes cœlorum commovebun-» tur [2], » Angelos, et Archangelos, et omnes illas inaspectabiles Potestates intelligens. Tremor enim illos apprehendet, multusque timor, et horror. At cujus gratia, dic quæso, Virtutes etiam illæ percelluntur? Merito. Terribile erit illud tribunal, de universa hominum natura tunc judicabitur, et rationem illa reddet, et terribili tribunali assistet. Cur autem Angeli tunc tremunt, et incorporeæ illæ Virtutes formidant? Neque enim de illis judicabitur. Quemadmodum judice nocentes condemnante, et in solio excelso considente, non solum sontes, sed et qui ex eodem ordine circumstant, nec cujusquam mali sibi conscii sunt, nihilominus timent, et horrescunt formidine judicis; ita et tunc cum de natura judicabitur, et rationes ob commissa piacula reposcentur; etiam, illi, qui nihil sibi consciunt Angeli, et reliquæ Virtutes metuunt, et tremunt propter minas judicis. Et hoc quidem jam intelleximus. Cujus vero gratia, et quare crucem habens venturus est? disce et hujus rei causam. Ut enim ex ipsis operibus illi, qui eum crucifixerunt, propriam insipientiam cognoscant, ipsam illis ostendit crucem, qua eorum redarguatur insania. Et ut intelligas eum propterea crucem ferre, ut illos confundat, et increpet, audi Evangelistam dicentem : « Tunc apparebit signum

[1] Matth. xxiv, 29. — [2] Ibid.

» Filii hominis, et plangent omnes tribus terræ [1],» videntes accusatorem, et agnoscentes peccatum suum. Et quid miraris, quod crucem ferens veniat? Ipsa vulnera secum ferens veniet. Et undenam liquet eum sua vulnera secum ferentem venturum esse? Audi Prophetam dicentem : « Videbunt in quem confixerunt [2]. » Sicut enim cum Thoma egit, volens incredulitatem Discipuli emendare, ostenditque ei fixuram clavorum, et ipsas cicatrices, et ait : « Mitte » digitum tuum huc, et infer manum tuam, et vide, quia » spiritus carnem et ossa non habet [3]; » ut illi monstraret se vere resurrexisse : sic et tunc fert vulnera et crucem, ut eis ostendat se illum esse, quem crucifixerunt. Magnum ergo bonum, et salutare, et evidens argumentum divinæ benevolentiæ.

V. Quinimo non solum crux, sed et ipsa in cruce prolata verba inenarrabilem ejus humanitatem declarant. Audi ipsa verba : « Circumstantibus enim ipsis, a quibus crucifixus fuerat, iraque et furore æstuantibus, « Pater, inquit, » ignosce illis peccatum hoc, non enim sciunt, quid agant [4]. » Vides benignitatem Domini? Crucifixus pro crucifigentibus orabat, etsi illi subsannabant, et illudebant eum dicentes; « Si filius Dei es, descende de cruce [5]. » Atqui propter hoc ipsum non descendit de cruce, quod filius Dei sit : ideo enim venit, ut crucifigeretur pro nobis : « Descendat, » aiunt, de cruce, ut credemus in eum. » Intuere impudentiæ verba, et excusationes incredulitatis. Grandiora fecit, quam sit descensus de cruce, et non crediderunt : et nunc dicunt : « Descende de cruce, et credemus in te. » Multo majus erat mortuum surgere ex sepulcro, lapide imposito, quam descendere de cruce. Multo majus erat quatriduanum Lazarum fasciis involutum, una cum illis educere ex mo-

[1] Matth. xxiv, 30. — [2] Zach. xii, 1. — [3] Joan. xx, 27. — [4] Luc. xxiii, 34. — [5] Matth. xxvii, 40.

numento. Vidisti stultitiæ verba, vidisti insaniæ magnitudinem : sed attendite, moneo, diligenter, ut Dei immensam benignitatem cognoscatis, et quomodo illa ipsa eorum vesania, Christus, velut occasione sit usus ad veniam. « Pater, » inquit, ignosce illis hoc peccatum : non enim sciunt quid » faciunt [1]. » Tantum non hoc indicat, per quæ, inquit, insipientes sunt, per eadem ignorant, quod facuint. Et illi quidem dicebant : « Si filius Dei es, salva te ipsum [2]. » Ipse vero elaborabat, quomodo illos salvaret, illos, inquam, a quibus opprobria perpetiebatur, illudebatur, et conviciis proscindebatur. « Dimitte illis, inquit, hoc peccatum : non » enim sciunt quid faciunt. » Quid ergo? Num dimisit illis peccatum? Dimisit eis, qui pœnitentiam subire voluerint : si non remisisset illis peccatum, Paulus non fuisset factus Apostolus : si non remisisset illis peccatum, non statim tria millia et quinque millia, neque multæ Judæorum myriades postea credidissent. Audi enim quid Jacobus Jerosolymis dicat ad Paulum : « Vides, frater, quot millia Judæo- » rum sunt, qui crediderunt [3]. » Imitemur igitur et nos Dominum, et pro inimicis precemur. Quæ heri monui, eorumdem et nunc commonefacio, sciens præclare facti magnitudinem, imitare tuum Dominum. Ille crucifigebatur, et pro crucifigentibus orabat. Et quomodo possum, inquies, Dominum imitari? si velis, potes : si fieri non posset, non dixisset : « Discite a me quia mitis sum et humilis » corde [4] : » si homo imitari non potuisset, non dixisset Paulus; « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi [5]. » Cæterum si nolis imitari Dominum, imitare conservum, Stephanum dico, qui primus martyrii fores aperuit. Ille Dominum imitatus est. Quemadmodum enim Dominus inter eos, a quibus crucifixus fuerat, suspensus, pro cruci-

[1] Luc. xxiii, 24.— [2] Matth. xxvii, 40.— [3] Act. xxi, 20.— [4] Matth. xi, 29. — [5] 1 Cor. xi, 1.

figentibus orabat; sic et servus inter eos, a quibus lapidabatur, constitutus, et ab omni turba lapidibus appetitus, lapidesque nivis instar irruentes excipiens, neglectis, qui inde oriebantur, doloribus, dicebat : « Domine, ne statuas illis » hoc peccatum [1]. » Vidisti, quibus verbis filius utatur, et quomodo servus oret : ille dicit : « Pater dimitte illis hoc » peccatum; non enim sciunt, quid faciunt [2] : » hic dicit : « Ne statuas illis hoc peccatum. » Et ut intelligas hæc illum diligenter, et accurate agere, non simpliciter orabat, neque obiter, et leviter, neque stans, sed positis genibus, cum dolore, et compunctione, et cum multa commiseratione. Vis tibi ostendam et alium majorem conservum similiter preces pro inimicis fundentem? Audi beatum Paulum : post quam enumerasset, quanta perpessus esset, nam ait : « Quinquies quadraginta una minus accepi, ter virgis cæsus » sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci [3] : » et cum percensuisset totam illam seriem, et insidias, quas ab ipsis quotidie sustinebat, addit et ipse; « Optabam ana- » thema esse a Christo pro fratribus meis, cognatis meis » secundum carnem, qui sunt Israëlitæ [4]. » Vis et alios videre non ex Novo, sed ex Veteri quoque Testamento, qui idem factitant? Tunc enim maxime admirandum est, quando illi, quibus non est imperatum inimicos diligere, sed oculum pro oculo, et dentem pro dente ejicere, et parpari referre, ad apostolicæ perfectionis culmen evadunt. Audi ergo quid dicat Moyses, toties a Judæis lapidibus appetitus : « Si dimittis illis peccatum, dimitte : » si vero non, dele me de libro quem scripsisti [5]. » Vides quemlibet ex justis alienam securitatem præposuisse suæ. Nihil peccasti, cur vis esse particeps supplicii? Non sentio, inquit, felicitatem, si alii rebus adversis conflictentur. Pos-

[1] Act. VII, 20. — [2] Luc. XXIII, 24. — [3] 2 Cor. XI, 27. — [4] Rom. IX, 3. — [5] Exod. XXXII, 32.

sumus autem et alium reperire, qui similem precationem instituat. Data enim opera affero multa exempla, ut vel sic nos ipsos corrigamus, gravique hoc morbo animam liberemus, nempe ne mala imprecemur inimicis. Audi et beatum Davidem, quid ait, Deo irritato, et jam misso Angelo, qui multitudinem puniret : videns Angelum stricto gladio instructum, ictumque jamjam intentantem : « Ego, inquit, » qui pastor sum, peccavi : hi, qui oves sunt, quid fecerunt? » fiat manus tua super me, et super domum patris mei [1]. » Vides iterum similia præclare facta : vis et alium tibi ostendam idem facientem? Samuël propheta a Judæis injuria affectus, contemptus, rejectus, et tanta ignominia notatus est, ut Deus ipse ei aliquid consolationis afferre voluerit. Attendite, oro, diligenter. Dixit enim ad illum Deus : « Non te abjecerunt, sed me [2]. » Quid igitur ille, qui rejectus fuerat, dedecore, contemptu, et injuria affectus? Audi quid dicat : « Absit autem a me hoc peccatum in » Dominum, ut cessem orare pro vobis [3] : » peccatum arbitratus est non orare pro inimicis. Absit a me, inquit, ut ita peccem, ut desinam pro vobis orare. Vides quomodo quilibet ex justis hujus præclare facti singularem curam habuerit, Domini vestigiis insistens? Resumamus de integro quæ dicta sunt. Dominus ait : « Pater, dimitte illis hoc pec- » catum, non enim sciunt, quid faciunt [4]. » Stephanus dixit : « Domine, ne statuas illis hoc peccatum [5]. » Paulus dicebat, « Optabam anathema esse a Christo pro fratribus » meis, cognatis meis secundum carnem [6]. » Moyses similiter : « Si dimittis illis peccatum, dimitte : si vero non, dele » me de libro, quem scripsisti [7]. » David ait : « Fiat manus » tua super me, et super domum patris mei [8]. » Ad eum-

[1] 2 Reg. XXIV, 17. — [2] 1 Reg. VIII, 7. — [3] Id. XII, 23. — [4] Luc. XXIII, 34. — [5] Act. VII, 60. — [6] Rom. IX, 3. — [7] Exod. XXXII, 32. — [8] 2 Reg. XXIV, 17.

dem modum Samuël : « Absit a me hoc peccatum in Do-» minum, ut cessem orare pro vobis [1]. » Quam igitur veniam nos consequemur in posterum, cum qui de Novo sunt, et qui de Veteri Testamento, omnes nos impellant ad hoc, ut preces pro inimicis fundamus, si non omni studio, et diligentia hoc præstare conemur? Ne igitur cunctemur rogo; quo enim plura suppetunt exempla, tanto major nobis impendebit pœna, si imitari nolimus. Multo enim majus est pro inimicis orare, quam pro amicis. Nec tantas nobis fert utilitates oratio pro amicis, quantas oratio pro inimicis. Audi Christum dicentem : « Si diligitis eos, qui vos diligunt, » quæ vobis merces erit? Nonne et publicani hoc faciunt [2]. » Si igitur pro amicis oremus; nondum publicanis meliores sumus effecti : at cum inimicos diligimus, et pro inimicis oramus, Deo similes efficimur, quantum quidem humanæ naturæ fas est. « Estote, inquit, similes Patris vestri, qui in » cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos, et malos, » et pluit super justos, et injustos [3]. » Cum igitur, et a Domino, et a servis exempla nobis subministrentur, æmulemur, et reipsa virtutem hanc præstemus : ut etiam digni habeamur consequi regnum cœleste, et ad metuendam hanc mensam majore cum libertate accedamus, expurgata propria conscientia, promissaque bona adipiscamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi cum quo Patri simul, et sancto Spiritui gloria, potentia, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 1 Reg. XII, 23. — [2] Matth. V, 46. — [3] Ibid. 45.

HOMILIA I.

De resurrectione mortuorum.

I. De fidei nostræ dogmatibus, deque gloria unigeniti Filii Dei pridem apud vos disseruimus, obturantes hæreticorum ora, qui gloriam illi detrahunt, et a Genitore suo illum alienum dicunt : hodie moribus, deque vita instituenda sermonem in medium afferre, et in genere admonere decrevimus. Imo sermo non moralis solum, sed etiam dogmaticus erit : paratus enim sum, ut ad materiam de resurrectione descendam. Quod sane argumentum varium est, et copiosum : nam et in iis, quæ fidei sunt, nos dirigit, et vitam nostram componit, et divinam providentiam ab omnibus calumniatoribus vindicat. Et quemadmodum cum non creditur, vitam nostram subvertit, malisque sexcentis implet, sursum deorsumque factis omnibus : ita cum creditur, providentiam multis rationibus astruit, et nos ad diligentem virtutis curam promovet, vitia magno studio expellit, omnia denique tranquillitate complet ac pace. Etenim, ut nulla illi virtutis cura est, qui resurrectionem non expectat, quique credit se non redditurum rationem de iis, quæ hic operatus est : sed opinatur res nostras tantum inter angustos præsentis vitæ limites contineri, neque ultra se extendere. Quomodo enim virtutis ulla ei cura esset, qui nullam laborum retributionem sibi repositam expectat ? neque peccare desinit, et cum nihil suppliciorum imminere suis male actis credat, permittit sese fœdis concupiscentiis, et in nullum non peccandi genus ruit. Ita et qui sibi persuadet futurum aliquando judicium, et ante oculos statuit terribile illud tribunal, et

indeclinabiles expostulationes, et inevitabilem sententiam : is modis omnibus conabitur, ut studea temperantiæ et æquitati, atque aliis virtutibus, et effugiat intemperantiam, temeritatem omniaque alia vitia : hicque poterit magna virtute repellere eos, qui divinam calumniantur providentiam. Enimvero sunt nonnulli, qui ubi viderint mansuete et caste et juste viventes, molestiis premi, vix necessarium victum habere, sæpe etiam morbo longo et gravi valetudine macerari, et in summa, omni carere subsidio; et e diverso maleficos et pollutos homines, planeque flagitiosos affluere divitiis, deliciari, nitidis vestibus amiciri, domesticorum agmen post se trahere, in admiratione esse, magistratus gerere, multam apud imperatorem fiduciam habere, mox divinam arguunt providentiam, et dicunt : « Ubinam providentia illa ? aut ubi justum judicium ? sobrius et innocens male habet, intemperans et corruptus feliciter agit. Et hic quidem admirationi est, ille vero ludibrio : hic variis fruitur deliciis, ille autem inops extremis pessumdatur incommodis. » Tum igitur is, qui de futuris dubitat, conticescet : at qui de resurrectione bene senserit, et sapienter disputare noverit, facile quidquid id est blasphemiæ diluet, et illis tam stomachabunde disputantibus dicet : « Compescite linguam vestram, et adversus Deum, qui vos fecit, eam ne exacueritis. » Non enim res nostræ in hac solum vita durant, sed festinamus ad vitam aliam multo longiorem, imo finem minime habentem, et ibi omnino pauper iste, qui juste vivit, laborum suorum mercedem accepturus est : intemperans autem et maleficus, malitiæ suæ, illicitæque voluptatis daturus est pœnas. Proinde non a præsentibus solum de divina providentia sententiam feramus, sed a futuris. Præsentia certamen quoddam sunt, et labores, et stadium : futura vero, præmia, coronæ, et bravia. Sicut ergo athletæ in theatro et

in sudore, et pulvere, et æstu multo, et laboribus, et ærumnis pugnandum est : ita et justum hic multa sustinere oportet, et ferre omnia viriliter, siquidem præclaras illic accepturus est coronas. Et si sunt nonnulli, quos perturbat impiorum felicitas; hi secum perpendant, quod quemadmodum et latrones, et sepulcrorum effossores, et homicidæ, et piratæ prius quam ad judicem trahantur, multis deliciis fruuntur, et ex aliena calamitate suam constituentes abundantiam, injustisque opibus locupletati, quotidie inebriantur; ubi autem judicis sententiam subibunt, omnium illorum luent pœnam : ita et illi qui scorta mercantur, et sybariticas mensas instruunt, et supercilia surrigunt, et fastu in foro pleni, pauperes opprimunt; quando unigenitus Dei Filius aderit cum Angelis suis, et sedens super thronum illum, orbem terrarum in medium adduxerit : tunc nudi, et omni suo splendore destituti adducentur, et nullum vel advocatum, vel patronum habentes, absque venia in igneos fluvios projicientur. Quapropter neque hos beatos dixeris ob præsentes delicias, sed potius defle, et deplora ob futura supplicia : neque justum illum miserum existimaveris ob præsentem paupertatem, sed pro beato habe ob subsequentes bonorum divitias, et in tuo animo sermonem hunc de resurrectione radices agere cura : ut si bonus fueris, et tenteris, probatior evadas, majoremque alacritatem per spem futurorum accipias : sin malus, a malitiam desistas, et continentior fias ob timorem futuri supplicii.

II. Idcirco et Paulus de resurrectione nobis subinde verba facit, quemadmodum et hodie audivistis ipsum clamantem, et dicentem : « Scimus enim, quod si terrestre » nostrum domicilium tabernaculi hujus dissolvatur, domum ex Deo habemus non manufactam, æternam, in » cœlis [1]. » Imo altius sermonem ducamus, et videamus

[1] 1 Cor. v, 1.

quomodo in sermonem de resurrectione inciderit. Neque enim simpliciter, neque fortuito hanc nobis afferre solet doctrinam; sed quia simul docere vult quæ futura sunt, et athletas pietatis confirmare studet. Nunc quidem gratia Dei multa pace fruimur : etenim imperatores piam religionem sectantur, et principes veritatem agnoverunt, et populi et civitates, et gentes erroribus liberati, Christum omnes adorant : tunc autem in principio prædicationis, cum nuper pietatis semina jacta essent, magnum prælium erat multiplexque ac varium. Nam principes et reges, et domestici, et cognati, et omnes impugnabant fideles : et repugnante natura ipsa, bellum oriebatur. Pater enim filium tradebat sæpe, et filiam mater, et servum herus. Neque enim civitates solæ, neque regiones, sed et domus nonnunquam in se ipsas sectæ erant, eratque tumulus, qui tunc sæviebat, atrocior quam intestinum quodvis bellum. Nam facultates rapiebantur, libertas auferebatur, et vitæ periculum imminebat, non quod Barbari in nos incursionem facerent, sed qui videbantur nobis præesse et dominari, pejus erga subditos, quam bellatores omnes affecti erant. Et hoc declarat Paulus, ac dicit : « Grave certamen »passionum sustinuistis : et in altero quidem opprobriis et »tribulationibus spectaculum facti : in altero autem socii »taliter conversantium effecti. Nam et vinculis meis com»patiebamini, et direptionem facultatum vestrarum cum »gaudio tulistis [1]. » Ad Galatas autem dicit : « Tanta passi »estis frustra, si modo et frustra [2]. » Thessalonicensibus quoque, et Philippensibus, et in genere omnibus, Paulus scribens, multa ejusmodi testatur. Neque hoc solum erat grave, quod foris frequens bellum gerebatur, et continuum : sed quod et inter fideles ipsos exorta fuerunt nonnulla scandala, et lites, et contentiones, et æmulationes :

[1] Hebr. x, 32, 33. — [2] Gal. III, 4.

quæ et ipsa manifestat Paulus dicens : « Foris pugnæ, intus »timores [1]. » Verum istud ipsum bellum multo atrocius erat et subditis, et præceptoribus : profecto non tantum inimicorum insidias formidabat Paulus, quantum domesticas, et quæ intra Ecclesiam contingebant, ruinas et transgressiones. Nam cum apud Corinthios scortatus esset quidam [2], omni tempore illum lugens perseverabat, ita ut viscera sua disrumperet, et amare ejularet. Erat et tertium genus quoddam, non minus molestiarum, quam dictum est, fidelibus afferens, ipsa scilicet rerum natura, quæ frequentes labores, et sudores exigebat. Neque enim facilis et levis erat via, ad quam illos ducebant Apostoli : sed aspera et inexpedita, quæ animam requirebat sobriam, et vigilem, et undique diligentem. Propterea et Christus angustam et actam ipsam vocavit. Neque enim vivere licenter et absque metu fas erat, sicut apud Gentes in turpitudine et ebrietate, et helluatione, et deliciis, et luxu : sed oportebat etiam frenare iracundiam, et imperare illicitæ concupiscentiæ, et despicere opes, et conculcare gloriam, et superiorem esse invidia, et livore. Quæ qualem laborem requirunt, sciunt ii, qui cum illis quotidie certant. Quid enim, dic oro, infestius illicita concupiscentia, quæ veluti rabidus canis in nos continuo insilit, et quotidie nos obturbat, atque adeo opus habet perpetuo vigilanti anima? Jam quid amarius ira? Nam jucundum quidem est ulcisci eum, qui nos injuria affecit, at hoc non licebat. Quid dico non licuisse ulcisci? imo oportebat et contristantibus benefacere, et scommatis nos incessantibus benedicere, et ne ullum quidem unquam amarum verbum proferre. Quin et continentiam non in solis operibus, sed et cogitatione ipsa monstrare oportet. Non enim solum ab incontinentiæ opere, sed et a tali aspectu abstinendum est, neque ex

[1] 2 Cor. VII, 5. — [2] 1 Cor. V, et 2 Cor. II.

formoso mulierum aspectu voluptas accipienda : nam et ob talem contemplationem extremum supplicium irrogatur. Cum igitur et tantum bellum ab iis, quæ foris ; et tantus timor ab iis, quæ intus : magnus quoque erat labor in exercendis virtutibus. Accedit autem et quartum. Nam inexperti certaminis tanti, quod certandum erat : neque enim Apostoli eos, qui a progenitoribus suis pietatem exceperant, erudiendos sortiti sunt, sed educatos in mollitie et deliciis, et ebrietate, et turpitudine, et intemperantia. Neque hoc parvi momenti erat, ut difficilius redderetur certamen, quod eam philosophiam neque superiora tempora, neque parentes docuerant : sed tunc primum ad hujusmodi certamina instruebantur.

III. Cum igitur tanta tunc esset certandi difficultas, Paulus, ut solaretur certantium laborem, subinde de resurrectione sermonem movebat : et non hac solum adhortabatur athletas, sed et suarum passionum enarratione : eaque de causa antequam in sermonem de resurrectione incidat, suas passiones exponit, sic dicens : « In omnibus premimur, at non anxii reddimur : laboramus, at non destituimur : persecutionem patimur, at non in ea deserimur : dejicimur, at non perimus [1]. » Quibus verbis quotidianas mortes designat, eo quod quasi animati mortui quotidie ad mortem tradebantur : cum ergo hæc insfl-gerentur, hinc sermonem hunc de resurrectione movit. « Credimus enim, ait, quod is qui suscitavit Dominum » nostrum Jesum Christum, et nos per Jesum suscitabit, » et vobiscum constituet : propterea malis non succumbi- » mus : maximam in certaminibus ipsis consolationem habentes, spem futurorum [2]. Et non dixit ad ipsos : « Propter quod ne succumbatis malis. » Sed quid ait? » Propter quod » non succumbimus malis. » Declarat se quoque in continuis

[1] 2 Cor. IV, 8, 9. — [2] Ibid. 10, 11.

conflictationibus esse. Enimvero in olympicis certaminibus athleta intra stadium certat, magister autem ludi foris considens, sermonibus affert auxilium, eatenusque certantem duntaxat juvat, quatenus acclamationibus, sermonibusque valet : neque enim ulla ei lege permittitur propius assistere, et manibus illum adjuvare. At secus res habent in pietatis certaminibus. Idem enim est et athleta et magister ludi ; et idcirco non extra stadium sedet : sed ingressus ad certamina ipsa, firmat compugiles, dicens : « Propter quod malis non succumbimus. » Et non dixit, « Propter quod malis non succumbo, » sed, « Malis non succumbimus, » laudibus ipsos erigere volens. « Sed quamvis » homo noster externus corrumpatur, tamen internus re- » novatur in dies singulos [1]. » Vide quanta sit Apostoli prudentia. Admonuit primum eos ab afflictionibus, quas ferebant, dicens : « In omnibus premimur, at non anxii » reddimur. » Admonuit item a resurrectione Jesus dicens : « Nam qui suscitavit Jesum, et nos suscitabit. » Nunc aliam quamdam adhortandi rationem inducit. Quandoquidem enim homines plerique pusillo animo sunt, et infirmi, ac miseri, ac licet resurrectionem docti negligentes sunt, et ob temporis longitudinem vacillant ac recidunt : ideo aliam illis ante resurrectionem constituit mercedem ac retributionem. Et quænam illa? « Tametsi externus » homo noster corrumpitur, internus tamen innovatur in » dies singulos. » Externum hominem, corpus ; internum, animam vocat. Quod autem dicit hujusmodi est; antequam resurgamus, et antequam fruamur gloria futura, etiam non parva hic laborum remuneratio datur, cum inter angustias ipsas anima nostra junior, sapientior et magis pia evadit, majore pollet patientia, et fortior atque constantior persistit. Nam sicut ii, qui in corporali certamine

[1] 2 Cor. IV, 16.

pugnant, ante coronam et bravium, in exercitatione et palæstra ipsa magnam accipiunt mercedem, eo quod corpora sua firmiora, et validiora exercitando faciunt, et infirmitatem omnem effugiunt : ita et nos virtutis certamen certantes, prius quam aperiatur cœlum, prius quam Filius Dei adsit, prius quam retributiones nobis dentur, magnam mercedem accipimus, eo quod anima sapientiæ fiat amantior. Etenim qui mare navigarunt, et innumeras procellas tulerunt, multasque tempestates perpessi sunt, et cum multis bestiis certarunt : antequam merces referant, non parvum peregrinationis suæ lucrum reportant, eo quod aliquando fidentiores sunt, ac pelagi sævitiam minus horrent: namque intrepide, et cum voluptate quadam transmarinas peregrinationes aggrediuntur. Ita et qui in præsenti vita, propter Christum multas fert afflictiones, multaque gravia patitur, etiam ante regnum cœlorum magnam illam retributionem assequitur : dum magna hic potitur fiducia, animamque suam ita excelsam efficit, ut posthac gravia omnia, quasi e sublimi derideat. Ut autem quod dicimus, adhuc manifestius pateat, exemplo illud declarare volumus. Paulus ille, exantlatis innumeris malis, nonne insignes retributiones accepit cum irrideret tyrannos, cum furibundos populos incitaret, cum omnes pœnas contemneret, impavidusque et imperculsus maneret contra bestias, contra ferrum, in mari, in præcipitiis, in seditionibus, in insidiis, denique in malis omnibus? quid huic conferri potest? Enimvero hominem non exercitatum, et nihil mali expertum, vel levia quæque turbare solent; imo non solum res ipsæ, sed et leves expectationes; et quid dico leves expectationes? etiam rerum umbræ pavidum reddunt, et perterrent. Verum qui exercitatus in certamen ingreditur, ac multa ante mala perpessus est, is omnibus postea superior fit, et tanquam gracculos crocitantes, eos, qui mi-

nantur, contemnit. Non parva autem est hæc corona, neque exigua merces, quod illum nihil humanarum rerum movere possit : nam quæ aliis multum formidanda videntur, ab hoc facile contemnuntur : et propter quæ alii tremunt, et metu obstupescunt, ea multum ridet ipse, quia per excellentem patientiam, angelicarum virtutem philosophiam est adeptus. Si enim corpus recte beatum dicimus, quod potest absque offensa ferre frigus, et calorem, et famem, et inopiam, et viæ difficultates, ærumnasque alias; quanto magis beatam vocare oportet animam, quæ viriliter ac fortiter omnes omnium molestiarum ferre incursus, et per omnia servare cor suum nulli servituti obnoxium potest? Plane is magis rex est, quam ipsi reges. Regem enim satellites, milites, amici, et inimici nunc insidiando, nunc aperte vim faciendo offendere possunt : huic autem, cui animus qualem nunc dixi, neque rex, neque stipator, neque familiaris, neque amicus, neque inimicus, neque diabolus ipse aliqua ex parte poterit nocere. Quî enim posset, cum is omni studio in hoc incumbat, ne inter mala computet, quæ vulgo mala haberit solent?

IV. Talis erat beatus Paulus, atque propterea dicebat : « Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? vel an»gustia? vel persecutio? vel fames? vel nuditas? vel gla»dius? vel periculum? Sicut scriptum est : Quia propter »te morte conficimur tota die, reputati sumus ut oves »mactationis [1] : sed in illis omnibus egregie vincimus »propter eum, qui nos dilexit [2]. » Istud etiam hoc loco insinuans dicebat : « Tametsi externus homo noster cor»rumpitur, internus tamen renovatur in dies singulos [3]. » Infirmum fit corpus, ait, sed validior et potentior animus, quin et multo alacrior, et agilior. Et sicut miles, si gestarit arma sese gravantia, licet admodum strenuus sit, et

[1] Psal. XLIII. — [2] Rom. VIII, 38-40. — [3] 1 Cor. IV, 2.

in militiâ exercitatus, non est terrori hostibus, qui sciunt armaturæ gravitatem pedum velocitati et bellandi usui obesse : sin levia acceperit, et tractabilia, sicut avis aliqua obvium se feret hostibus. Sic et qui carnem suam non ebrietate, neque indulgentia, neque deliciis incrassarit : sed jejuniis et precibus, diuturnaque afflictionum tolerantia, leviorem et tenuiorem effecerit : sicut volucris aliqua superne devolans, ita valido impetu in phalanges dæmonum irruit, et adversarias virtutes facile invadit, sibique subjicit. In hunc modum et Paulus multis affectus plagis, et in vincula conjectus, et ligneis vinctus compedibus, corpus quidem habuit valde infirmum, laboribusque emaceratum, animam vero fortem, et invictam : atque adeo fortis erat vinctus, ut ad solam ejus vocem fundamenta carceris commoverentur, et solutum carceris custodem, vinctum ad pedes suos adduceret, aperirenturque januæ clausæ. Itaque haud parvam nobis consolationem Paulus exhibuit, eamque etiam ante resurrectionem, nempe quod tentationibus meliores et sapientiores reddamur : idcirco dicit : « Afflictio patientiam operatur, patientia probatio» nem, et probatio spem, spes vero non confundit [1]. » Et iterum alius quidam dicit : « Vir qui non tentatur, non est » probatus : et qui non est probatus, nullius pensi est [2]. » Et ita non parum nobis conferunt afflictiones ante resurrectionem; cum anima reddatur probatior patientia, et intelligentia præstantior, et ab omni libera formidine. Et idcirco dicit : « Etiamsi externus noster homo corrumpa» tur, internus tamen renovatur in dies singulos [3]. » Quomodo quæso renovatur? Effugatur enim omnis effœminatio, extinguuntur concupiscentiæ absurdæ, et avaritia, et inanis gloria, et in summa interimuntur omnes aliæ malæ perversæque cogitationes. Ut ergo anima ignaviæ socor-

[1] Rom. v, 4. — [2] Eccli. xxxiv, 9-11. — [3] 2 Cor. iv, 16.

diæque dedita, facile hujusmodi affectionibus est obnoxia : ita si continuis est implicata pro pietate certaminibus non tantum habet otii, ut de his vel cogitet aliquando, curis videlicet ipsam ab his omnibus ad palæstræ studia avocantibus. Propterea dicebat, « Innovatur in dies singulos. » Postea ut denuo soletur animas dolentes in malis, quibus affliguntur, et philosophari nescientes spe futurorum erigat, sic dicit : « Quæ enim nunc levis est afflictio, mire supra modum » æternum gloriæ pondus operatur in nobis, dum non specta- » mus ea quæ videntur, sed quæ non videntur. Nam quæ vi- » dentur, temporalia sunt; quæ vero non videntur, æterna [1]. » Quasi diceret : « Plurima igitur et in hac vita afflictio nobis bona confert, nempe quod animam nostram sapientiorem prudentioremque faciat, innumera quoque et futura bona conciliat : non ea, quæ laboribus ex æquo rependuntur, sed ampliora certaminibus debentur tam secundum qualitatem, quam secundum quantitatem. Et ambo ista declarans, cum magnitudine periculorum excellentiam præmiorum confert, et opponit brevitatem æternitati, levitati pondus, afflictioni gloriam. Afflictio enim, ait, temporalis est et levis. Delectatio autem, imo non dixit, delectatio, sed gloria, quæ delectatione multo est major : utpote æterna, et continua, et magna : pondus autem hic non ærumnosum, et onerosum, sed magnificum et pretiosum aliquid vocat vulgari consuetudine, qua pretiosa gravioris esse ponderis dicere solemus. Cum igitur dicit, pondus gloriæ, magnitudinem gloriæ dicit. Ne hoc reputes, inquit, quod flagellaris et expelleris, sed potius cogita coronas et retributiones, quod illæ longiores, majores et clariores sint præsentibus, nullumque finem habeant, aut terminum. At enim, inquit, hæc jam experimur : illa vero in spe sunt posita : et hæc quidem apparent, illa vero non apparent, sed ex-

[1] 2 Cor. iv, 17, 18.

celsa sublimiaque sunt. Imo invisibilia multo magis apparent, quam visibilia, poterisque illa magis videre, quam hæc : hæc enim transeunt, illa autem permanent. Eapropter addit : « Dum nos non spectamus ea quæ videntur, sed quæ non videntur : quæ enim videntur, temporalia : quæ non videntur, æterna sunt. »

V. At si dixeris : « Quomodo possum videre ea, quæ non videntur? et ea, quæ præsentia sunt, non videre? » A sæcularibus negotiis te ad hanc fidem inducere satagam. Nam in rebus hujus mundi, nemo statim aliquid agit, nisi prius quam videat visibilia, spectet invisibilia. Dicam autem exemplum : Negotiator multas fert tempestates, fluctuum insultus, naufragia, multaque alia incommoda : verum non nisi cum negotiationem aliquandiu exercuerit, et merces comportarit, divitiis partis fruitur. Et præcedunt quidem tempestates, sequuntur autem merces : et videt quidem pelagus ac fluctus, cum e littore solvit, merces autem non videntur, tantum autem sperantur. At nisi ad eam respiciat, quæ non apparet, et absens est, et non in manu, sed in spe, nunquam etiam præsentia, et quæ apparent attentabit. Similiter et agricola jungit boves, trahit aratrum, profundos facit sulcos, seminaque spargit, et omnia, quæ sibi sunt, insumit, et frigora, et glacies, et imbres, et alias fert ærumnas multas : tandemque post labores expectat, ut videat campos virentes, et plenam aream. En et hic prior est labor, posterior vero merces : et merces incerta, labor vero certus et manifestus : et illa quidem tantum in spe, labor autem in manibus. Verumtamen et ipse nisi primum hanc spectet, quæ dubia, et non apparens, et corporeis oculis inconspicua, non solum non jungat boves, neque aratrum trahet, neque semina sparget, sed neque unquam ad id operis vel domo egredietur. Quomodo igitur absurdum non fuerit in rebus sæcularibus non con-

specta prius, quam conspecta præ oculis habere, et ante mercedem sustinere labores, et post exantlatos labores, bona ex iis manantia expectare, atque spe non apparentium, ea quæ videntur aggredi, in iis autem, quæ ad Deum spectant dubitare, hæsitare, et poscere mercedem ante labores, esseque animi abjectioris, quam sint agricolæ, et nautæ? non enim in hoc solo ipsis videmur esse deteriores, quod ægre futura expectamus, sed etiam in alio quodam non minore illis. Et quodnam est hoc? Illi enim non satis fidere possunt fini suo; attamen nec sic a laboribus deterrentur: at tu fidejussorem coronarum habes fide dignissimum: et neque sic imitaris illorum perseverantiam. Etenim nonnunquam agricola post quam sementem jecerit, agrum coluerit, jam segetem increscere viderit, spe tamen ac retributione laborum excidit, si vel grando, vel erucæ, vel locustæ, vel alia quædam talia acciderint, et post multos sudores vacuis manibus domum regreditur. Mercator quoque post longam navigationem ducens oneratam navim, sæpe in ipso portus ostio, irruentibus ventis, impingit in scopulum, et vix nudo corpore salvo egreditur. Et in summa, in sæcularibus negotiis omnibus sæpe sub finem, ejusmodi calamitates eveniunt. Cæterum non idem in tuis contingit certaminibus: sed necesse omnino est, ut qui certaverit, et pietatem seminaverit, multosque labores tulerit, finem ipsum assequatur. Neque enim aëris intemperie, neque ventorum tempestate, laborum mercedes subverti sinit Deus; sed repositæ sunt illæ in cœlestibus et indeprædabilibus thesauris. Propter hoc et Paulus dicebat: «Afflictio patientiam operatur, patientia probationem, »probatio spem, spes autem non confundit [1]. » Igitur ne dixeris futura invisibilia: si enim accurate examinare volueris, longe manifestiora videbuntur, quam illa ipsa, quæ

[1] Rom. v, 4.

in manibus sunt. Quod ipsum Paulus nobis monstrans, dicit : « Illa quidem æterna, hæc vero temporalia, » nomine temporalium declarans nobis corruptibilitatem ipsorum. Nam antequam appareant, aufugiunt, et avolant antequam consistant, mutationesque eorum celeres sunt, incerta possessio. Hoc in divitiis, gloria, potentatu, corporis forma : et hoc in quocumque sæculari alio bono contueri licet. Eapropter Propheta reprehendens agentes in deliciis, et in divitias vel quamvis aliam rem temporalem insanientes, « Quasi stantia, dicit, reputarunt hæc, non quasi fugien- » tia [1]. » Nam sicut umbram nemo comprehenderit, ita neque temporales res ; sed eorum aliqua fine suo consummantur et dissolvuntur : alia ante finem velocius quovis torrente diffluunt. Futura autem non sunt talia : mutationem enim nesciunt, vicissitudinem non patiuntur : non ea urget senectus, nullam alterationem experiuntur, sed perpetuo vigent, et in eodem decore permanent. Itaque si qua oporteat dicere invisibilia, incerta et obscura, ea sunt præsentia : nam apud possidentes non manent, sed quotidie dominos mutant, et ab illis ad alios transeunt, et rursum ab illis ad alios. Post quam hæc omnia Paulus declaravit, ideoque præsentia, temporanea ; futura vero æterna vocavit, de resurrectione sermonem orditur his verbis : « Scimus quod si terrestris nostra domus hujus taberna- » culi dissolvatur, domum ex Deo habemus, non manu- » factam, æternam in cœlis [2]. »

VI. Vide iterum quam proprie etiam hoc loco dictionibus utatur, et vim sententiæ suæ ipsis nominibus declaret. Non enim simpliciter tabernaculum corpus vocavit, sed indicat nobis vitam hanc præsentem momentaneam esse, ac declarat quomodo commutanda sit in meliorem, quasi dicat : « Quid ingemiscis et lacrymaris, dilecte, quod verberi

[1] Amos vi, 5. — [2] 2 Cor. v, 1.

bus pulsaris, quod ab hominum cœtu expelleris, quod in carcerem intruderis? Quid luges afflictiones illas particulares, cum perfectam corporis solutionem expectare debeas, imo non simpliciter corporis, sed corruptionis in corpore? Nam ut ostendat, quod particulares afflictiones non solum contristare nos non debeant, sed et lætificare, indicat optandam esse universalem et postremam consummationem, dissolutionem, inquam, per mortem. Sic enim dicit : « Etenim in hoc tabernaculo ingemiscimus, habitatio» nem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes [1]. » Domum autem tabernaculi, corpus dicit : rem unam duobus nominibus explicando. Vel domum tabernaculi vocat domos, in quibus habitamus [2], civitates, et figuram præsentis vitæ. Et non simpliciter dixit : « Scio: » sed, « Scimus: » et auditorum quoque sententiam assumpsit, dicens: « Non de rebus ambiguis disputo, non de iis quæ nesciantur, sed de quibus jampridem fidem suscepistis, credentes in resurrectionem Domini : et ob hoc tabernacula vocamus corpora eorum, qui hinc decedunt. Vide autem quomodo et verbo apposite sit usus. Non dixit : « Occisum est, vel disparuit, » sed, « Dissolutum est : » quo declaravit ipsum dissolvi, ut resurgat fulgidius, ut inveniatur clarius : sicut etiam labores et præmia comparabat a qualitate, quantitate et tempore ; ita et hic facit, corpus deciduum, tabernaculi; quod autem resurgit, domus nomine vocat : et non simpliciter domum, sed æternam; nec solum æternam, sed cœlestem : excellentiam ejus tam a tempore, quam a loco subindicans. Hæc enim terrestris est, illa cœlestis : hæc temporalis, illa æterna. Et nunc quidem opus nobis est corpore ac domicilio propter carnis infirmitatem : tunc vero idem et corpus erit, et domicilium : neque tecto, neque ullis velamentis habens opus, cum pro omnibus his

[1] 2 Cor. v, 2. — [2] Ibid.

sufficiat incorruptibilitas. Postea indicando eminentiam bonorum nobis repositorum, dicit : « Etenim in hoc inge» miscimus tabernaculo. » Non dixit, « Ingemisco : » sed communem reddit sententiam : « Etenim in hoc, inquit, inge» miscimus ; » volens eos ad suam philosophiam trahere, et sui judicii facere participes. « Etenim in hoc ingemiscimus, » desiderantes domicilium nostrum e cœlo superindui : » non dixit simpliciter, « Indui : » sed, « Superindui : » et adjicit, « Si tamen vestiti, non nudi inveniamur. » Et licet appareat obscurum esse, quod dictum est, fit tamen manifestius per ea quæ subduntur. « Etenim qui sumus in hoc taberna» culo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus exui, sed » superindui [1]. » Vides quomodo sui ipsius non obliviscitur, neque vocat domum hoc corpus, sed tabernaculum, « Eo » quod nolumus exui, sed superindui? » Hic letale vulnus infligit iis, qui naturam corporis et carnem nostram accusant. Quia enim dixit, quod ingemiscimus, et exui volumus, ut ne putes quod corpus quasi malum aliquod, et causam malitiæ, et inimicum, et hostem fugiat, audi quomodo suspicionem excludit : primum quidem cum dicit : « Ingemiscimus domicilium nostrum cœleste superindui » desiderantes. » Qui enim superinduitur, revera aliud quid superinduit. Deinde cum dicit : « Ingemiscimus gravati, eo » quod nolumus exui, sed superindui desiderantes. » Quod autem dixit hoc est, « Non carnem volumus deponere, sed corruptionem : non corpus, sed mortem. Aliud est corpus, aliud mors : et aliud corpus, aliud corruptio : neque corpus corruptio, neque corruptio est corpus, et corruptibile quidem corpus est, non autem corruptio corpus : item corpus mortale est, sed non mors est. Nam corpus opus est Dei, corruptio autem et mors a peccato invectæ sunt. » Igitur ait : « Id quod alienum est exuere volo, non quod pro-

[1] 2 Cor. v, 4.

prium : alienum autem est, non corpus, sed corruptio. » Et propter hoc ait, « Eo quod nolumus exui : » hoc est, auferri corpus, sed superindui in corpore incorruptionem. Corpus medio se modo habet inter corruptionem et incorruptionem. Exuit igitur corruptionem, et induit incorruptionem : abjicit quod accepit a peccato, et possidet quod dedit Dei gratia. Ut discas quod exuere, non de corpore dicit, sed de corruptione et morte : audi ea, quæ mox subjiciuntur. Nam post quam dixit : « Nolumus exui, sed superindui : » non dixit, « Ut absorbeatur corpus ab incorporeitate, » sed quid? « Ut absorbeatur mortalitas a vita, » hoc est, ut evanescat, ut aboleatur : ita abolitionem non corporis vocat, sed corruptionis et mortis. Adveniens enim vita non corpus abolet et absumit, sed mortem et corruptionem quæ illud invaserant. Gemitus ergo ille, non propter corpus est, sed propter corruptionem quæ illi inest. Etenim corpus grave est et onerosum, ac molestum : non secundum suam naturam, sed secundum mortalitatem, quæ postea illi supervenit : verumtamen corpus non est corruptibile, sed incorruptibile et immortale. Tanta quippe ipsius est nobilitas, ut in ipsa corruptione suam dignitatem ostenderit. Nam Apostolorum umbræ incorporeas expulerunt virtutes : item cinis et pulvis eorum dæmonas vicit, et amicula, quæ illorum adhæserant corporibus, morbos fugarunt, sanitatemque contuleruut.

VII. Nihil ergo mihi de phlegmate, et bili, et sudore, et sordibus, atque aliis dixeris, quæ corporis accusatores narrant : neque enim ex natura corporis hæc fuerunt, sed a posteriore corruptione invecta sunt. Nam si ejus virtutem addiscere voles, considera membrorum omnium formationem, figuram, operationes, mutuamque concordiam : et accuratius quavis civitate dispositam optimis legibus gubernata, quæ nonnisi sapientes cives habeat, videbis di-

ligentem membrorum inter se administrationem. Sin sursum deorsum, obiterque hæc prætercurris, et objicis solam corruptibilitatem et mortalitatem, ne sic quidem deerit nobis responsio. Nam quod hinc humano generi non solum nihil damni, sed etiam plurimum commodi accesserit inde liquet : sancti enim omnes in corpore viventes angelicum exhibuere vivendi genus, nullumque hinc ipsis ad virtutis cursum accidit detrimentum. Iis vero, qui ad impietatem propensi erant, non parum impedimento fuit corporis corruptio, ne longius per iniquitatem suam progrederentur. Cum enim homines nonnulli etiam mortali, et patibili hoc corpusculo circumdati, æquales se Deo esse sibi visi sint, et ob hoc tanta se gloria observari curaverint : quos non ex stolidioribus decepissent, si non passioni corruptionique obnoxium corpus, utpote certum infirmitatis suæ indicium, sortiti fuissent? Quia ergo corpus obstat impietati, quæ summa est malitia, et in sanctis efficit, ut animæ fortitudinem declarent : quam veniam consequentur ii, qui ipsum accusant, et malum clamant? Non enim hæc solum nobis de illo dicenda suppetunt; sed etiam quod hinc nobis ad Dei notitiam patet via. Si enim invisibilia ejus, a conditione mundi in facturis considerata conspiciuntur, et fides ex auditu est [1] : satis manifestum, quod per oculos et aures manuducitur anima, ut agnoscat Deum, qui illam fecit. Idcirco istuc ipsum Paulus amat et clamat, ac dicit : « Nolumus illud exui, sed superindui ipsi immor»talitatem [2]. » Neque vero mihi illud objicias, quo possit modo resurgere corpus, fierique corruptionis immune? cum enim Dei potentia operatur, illud, « Quomodo, » non est addendum. Sed quid de Deo loquor? Te ipsum fecit Deus, ut resurrectionis esses opifex, id quod patet in seminibus, artibus, materiisque metallorum. Etenim semina nisi prius

[1] Rom. x, 17. — [2] 1 Cor. xv, 53.

moriantur, et putrescant et corrumpantur, non pariunt spicam. Sicut igitur qui vides ibi granum quod corrumpitur et dissolvitur, non dubitas de resurrectione, sed certissimam demonstrationem facis. Etenim si ita maneret, et non corrumperetur, vel dissolveretur, certum quod numquam resurgeret : sic cogita et de corpore tuo, cum vides corruptionem, tunc potissimum de resurrectione philosophare. Nam mors nihil aliud est, quam plena corruptionis consumptio. Neque enim mors simpliciter corpus, sed corruptionem corporis absumit. Hoc etiam in metallorum materiis vides evenire. Terram enim aureis ramentis plenam accipiunt ejus artis periti, et in conflatorium mittentes, faciunt aurum : et ex arena aliaque materia purum vitrum conficiunt. Jam si tantum potest ignis vis, cur, quæso, non et divina gratia? Et quis mentis compos hæc diceret? Cogita, quomodo te a principio fecit, nec erit quod de resurrectione ambigas. Nonne terram accepit, et formavit? tametsi quid operosius, an formari e terra carnem et venas, et cutem, et ossa, et fibras, et nervos, et arterias, et instrumentalia, et simplicia corpora, oculos, aures, nares, pedes, manus, et ubique horum tam propriam, quam communem indi operationem, an corruptibilia facta, efficere incorruptibilia? Annon vides quomodo uniformis quidem terra, corpus autem multiforme et varium, nempe in operationibus, coloribus, figuratione, essentiis et aliis omnibus? Dic igitur quid ita de futuris dubitas? Et quid opus est dicere de corporibus? quomodo, quæso, fecit virtutes immensas, turmas cœlestes Angelorum et Archangelorum, superioraque his agmina? Dic, oro, modum, quo fecit. Hic nihil dicere aliud possum, quam quod sola voluntas ad hæc suffecerit. Ergo-ne qui tot incorporeos formavit exercitus, hominis corpus corruptum renovare iterum, et in majorem provehere dignitatem ne-

quit? Et quis sic insensatus est, qui de his dubitet, et resurrectionem fore inficias eat? Ad hæc, si non resurgit corpus, non resurgit homo. Homo enim non est anima sola, sed corpus et anima. Si ergo anima sola resurget, dimidium animal resurget, et ita non integrum. Alias vero de anima non proprie dicitur resurrectio. Resurrectio enim ejus est quod cecidit, et quod dissolutum est : anima autem non dissolvitur, sed corpus. Quid ergo id est, quod ait : « Siquidem et induti, non nudi inveniamur? » Sacramentum magnum et ineffabile nobis ibi adumbratur. Quale autem hoc? nempe id quod et in Epistola ad Corinthios dicit : « Omnes quidem resurgemus, unusquisque autem » in suo ordine [1]. » Quid autem est, quod hic dicitur? hoc videlicet, quod Græcus, et Judæus, et hæreticus, et omnis homo, qui venit in hunc mundum, in illo die resurget : et hoc ipsum declarat, dicens : « Omnes quidem non dor- » miemus, omnes autem immutabimur, in momento, in » ictu oculi, in novissima tuba [2]. »

VIII. Quia ergo communis est omnibus resurrectio, et piis et impiis, et malis et bonis hominibus, ut ne ideo putes injustum quoddam fieri judicium, neque dicas apud te ipsum : « Quidnam hoc est? ego, qui multo studio et labore et in miseria vixi, resurgo, et Græcus, et impius, et idololatra, et qui ignorat Christum, etiam ipse resurgit, et simili honore mecum fruitur? » Ut ne talia dicens conturberis, audi quid dicit : « Siquidem induti, non nudi inveniamur. [3] » Et quomodo dicit eum, qui indutus est incorruptionem et immortalitatem, inveniri nudum? Videlicet si gloria privamus, et fiducia ad Deum destituimur. Etenim peccatorum quoque corpora incorruptibilia resurgunt, et immortalia : sed hic honor fomentum et viaticum ipsis erit supplicíorum et ultionis : incorruptibilia enim resurgunt, ut

[1] 1 Cor. xv, 23. — [2] Ibid. 51, 52. — [3] 2 Cor. v, 3.

semper urantur. Nam cum ille ignis sit inextinguibilis, opus est illis corporibus, quæ et ipsa nunquam consumantur. Eapropter dicit : « Siquidem et induti, non nudi in» veniamur. » Non enim hoc solum est, quod quæritur, ut resurgamus, et immortalitatem induamus : sed ut cum resurrexerimus, indutique fuerimus immortalitatem, non inveniamur nudi a gloria, fiduciaque erga Deum, neve igni illi tradamur, et ob hoc dicit : « Siquidem et induti, non » nudi inveniamur. » Post hæc iterum fide digniorem de resurrectione sermonem reddit : et cum dixit, futurum ut absorbeatur mortale hoc a vita, adjicit : « Qui autem nos »fecit ad hoc ipsum Deus [1]; » ac si diceret : « A principio propter hoc hominem formavit, inquit, non ut pereat, sed ut ad incorruptionem pergat. » Ita ut quando mortem permisit, hoc ipsam consilio permiserit, ut supplicio prudentior factus et melior, possis denuo ad immortalitatem reduci. Ratum atque firmum hoc consilium, et hæc sententia ab initio apud Deum, atque hac ratione primum hominem formavit, idque statim nobis ex proœmiis ipsis subindicavit. Nisi enim voluisset ab initio nobis resurrectionis januas aperire, non permisisset Abelem omni virtute præditum, factumque sibi amicum, quæ passus est pati. Nunc autem nobis ut demonstraret, quod ad aliam vitam pergimus, et aliud quoddam sæculum justis relictum est, in quo coronas et retributiones sibi repositas accipiant : permisit, ut is, qui primum hic juste vixerat, laborum suorum mercedes hic non acciperet; sed hinc abiens, clamaret per ea, quæ hic passus est, et ad omnes diceret : « Post hanc vitam est aliqua, et merces et remuneratio. » Propterea etiam Enoch transtulit, et Eliam rapuit, per eos adumbrans dogma resurrectionis. Sufficit igitur ad argumentorum copiam sola Conditoris potentia : at si quis est infirmior, et aliam insuper

[1] 2 Cor. v, 3.

demonstrationem habere vult, et pignus futuræ resurrectionis, etiam idipsum nobis Deus magna liberalitate, et copia dedit, spiritus scilicet gratiam. Quocirca cum Paulus de resurrectione fide dignum sermonem habuisset ex Christi resurrectione, eo quod Deus ejus auctor esset, adducit et hoc dictum. Et arrhabonem nobis dedit, non auri nec argenti, sed arrhabonem spiritus[1]. Arrhabo autem pars est totius, et de toto fidem facit. Nam sicut in conviviis, qui acceperit arrhabonem, fidem habet, et securus est de toto reliquo : ita et tu cum acceperis arrhabonem, Spiritus dona inquam, non jam dubitare debes de cæteris bonis tibi repositis. Qui enim excitasti mortuos, qui curas cæcos, dæmones expellis, leprosos mundas, morbos emendas, mortem solvis, et tot tantaque potes facere in fragili et mortali corpore, quam assequeris veniam, de resurrectione dubitans? Si enim cum nondum resurrectionis tempus advenit, sed cum adhuc certatur, tantas tribuit tibi coronas Deus : cogita, quanta præmiorum tempore bona tibi daturus sit. At si quis dicat : « Sed non videmus hæc signa nunc fieri, neque nobis tanta virtus concredita est : » illud responderim nihil differre, sive nunc, sive olim hæc facta sint. Nam quæ prius ab Apostolis sunt facta, testantur per omnem orbem Ecclesiæ, et populi, et civitates, et gentes, quæ ad idiotas ac piscatores recurrerunt. Neque enim toti orbi prævaluissent illitterati, et inopes, et pauperes, et viles, nisi miraculis adjuti. Verum nec tu gratiæ Spiritus factus es expers; sed etiamnum multa manent donationis illius symbola, atque iis, quæ enumerata sunt, multo majora, et magis admiranda. Non enim æquale est, corpus mortuum suscitare et animam a peccatis occisam ab interitu liberare, quod per baptismum fit. Non æquale est, pellere morbum carnis, et abjicere pondus peccatorum. Non est æquale,

[1] 2 Cor. v, 5.

oculum cæcatum restituere, et animam obtenebratam illustrare. Nisi enim nunc etiam esset arrhabo spiritus, neque baptisma adhibitum esset, neque peccatorum remissio, neque justitia et sanctificatio facta esset : neque adoptionem filiorum Dei accepissemus, neque percepissemus mysteria. Corpus enim et sanguis mysticus non fiunt absque spiritus gratia : neque sacerdotes habuissemus; neque enim has ordinationes sine tali descensu fieri est possibile. Sed multa alia possemus dicere gratiæ spiritus symbola. Itaque etiam tu spiritus arrhabonem habes, et mortem animæ pellis, cæcitatemque cogitationum, et vitam exuisti immundam. Ne igitur dubitemus de futuris, præsertim cum talia acceperimus pignora; sed undequaque de resurrectione sermonem solidum colligentes, vitam tantis dogmatibus dignam exhibeamus, ut et assequamur hic bona immobilia, quæ sermonem ac mentem humanam transcendunt. Quæ nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem, et cum quo Patri gloria, simulque Spiritui sancto in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

Adversus ebriosos et de resurrectione sermo habitus in sancta et magna dominica Paschæ.

1. Jejunii sarcinam deposuimus, sed ne fructum jejunii deponamus : possumus enim jejunii sarcinam deponere et jejunii fructum decerpere. Præteriit labor certaminum, sed non prætereat studium recte factorum : jejunium abiit, sed religio maneat : imo vero ne jejunium quidem abiit.

Verumtamen nolite timere : hoc enim dixi, non ut alteram vobis quadragesimam promulgarem, sed ut vobis eamdem virtutem annuntiarem : jejunium præteriit corporale; sed jejunium non præteriit spirituale : hoc melius est illo, et illud propter hoc est institutum. Quemadmodum, cum jejunaretis, dicebam vobis fieri posse, ut quis jejunando non jejunet, ita et nunc dico fieri posse, ut quis non jejunando jejunet. Ænigma fortasse videtur id, quod dictum est; verum ego quæstioni solutionem adjungam : quî fieri potest, ut quis jejunando non jejunet? cum quis a cibis quidem abstinet, non abstinet autem a peccatis : quî potest fieri, ut non jejunando quis jejunet? cum quis alimentis quidem fruitur, peccatorum vero non gustat; hoc melius est illo jejunium, neque melius tantum, sed etiam levius : illius jejunii tempore multi corporis imbecillitatem obtendebant, molestum pruritum. « Scabie repletus sum, inquit, illuviem non fero : aquæ potus me enecat : olera degustare non possum. » Multa ejusmodi qui tum dicerent audiebam multos : de hoc jejunio nihil tale dici potest. Fruere balneis, mensæ particeps esto, vini utere potu moderato; licet degustare carnes pariter, est qui prohibeat nemo : omnibus fruere, tantum abstine a peccato. Vides ut omnibus facile sit hoc jejunium? non corporis imbecillitatem licet obtendere : merum est animæ recte factum. Potest etiam quispiam non bibendo vinum ebrius esse, et vinum bibendo sobrius esse. Atque ebrietatem esse absque vino disce ex Propheta dicente : « Væ qui ebrii estis absque » vino [1] : » et quomodo fieri potest ut absque vino quis inebrietur? cum perturbationum merum religiosa ratione, pia cogitatione minime temperaris. Potest et aliquis bibendo vinum ebrius non esse : ac ni ita esset, non hoc Timotheo Paulus imperasset, ad eum scribens in hæc verba : « Mo-

[1] Isaï. LI, 21.

» dico vino utere propter stomachum tuum et frequentes » tuas infirmitates [1]. » Nihil quippe aliud est ebrietas, quam animi de nativa sanitate deturbatio, depravatio ratiocinationum, mentis penuria, vacuitas intellectus. Ista vero non ebrietas efficit tantum ex vino, verum ebrietas etiam ex ira et cupiditate a ratione aliena. Nam quemadmodum febrem gignunt vigiliæ, gignit et fatigatio, gignit tristitia, gignit quoque vitiatus humor, et diversa quidem est causa, una vero passio et ægritudo : sic et in istis ebrietatem parit quidem vinum; parit et cupiditas, parit et humor corruptus; et diversa quidem est materia, una vero passio et ægritudo. Abstineamus ab ebrietate : non dico, abstineamus a vino, sed, ab ebrietate abstineamus, non vinum efficit ebrietatem : est enim Dei creatura; Dei porro creatura nihil efficit mali, sed voluntas maligna efficit ebrietatem. Atque ut scias aliter etiam posse quempiam ebrium fieri non solo vino, audi quid dicat Paulus : « Nolite » inebriari vino, » indicans aliter etiam ebrios esse nos posse. « Nolite inebriari vino, in quo est luxuria [2] : » mirabili quadam ratione paucis verbis omnem ebrietatis accusationem complexus est. Quid est, « Nolite inebriari vino, » in quo est luxuria? » Luxuriosos inter juvenes eos vocamus, qui cum paternam acceperunt hæreditatem, cuncta confestim dilapidant, nec perpendunt cui dandum sit, et quando sit dandum; sed nullo delectu et vestes, et aurum, et argentum, omnesque paternas opes in meretrices et impudicos distribuunt. Tale quiddam est ebrietas : tanquam juvenem luxuriosum invadens mentem ebriorum, ratione servituti mancipata, nostras omnes animi sensorum opes inconsiderate ac sine ulla animi attentione cogit effundere. Qui ebrius est, nescit quid dicendum sit, quid tacendum; sed perpetuo patens nullaque obstructum janua est

[1] 1 Tim. v, 23. — [2] Ephes. v, 18.

os ejus : non vectis appositus est labris, non janua. Qui ebrius est, disponere sermones suos in judicio nescit, mentis divitias administrare nescit : non novit hæc quidem recondere, illa vero expendere, sed omnia illa ad impensas et effusiones traducuntur. Spontaneus est furor ebrietas, proditio cogitationum, ebrietas ridicula calamitas, morbus sannis expositus, voluntarius dæmon et ipsa molestior insania.

II. Vis-ne tu discere, quo pacto dæmoniaco ebrius sit deterior? miseremur ejus, qui a dæmonio vexatur, at hunc odisse solemus, illi condolemus, huic autem irascimur et indignamur. Quid ita? illius enim morbus injuria, hujus vero negligentia est appellandus : in illo insidiæ inimicorum, in hoc insidiæ consiliorum, nec aliter affectus est ebrius ac dæmoniacus; pariter circumagitur; pariter de statu mentis dejectus est; pariter concidit; pariter oculorum pupillas contorquet; pariter jacens in terra pedes jactat; spumam ex ore projicit, et ita fœtentem salivam effundit, atque os ejus intolerabili fœtore repletum est, injucundus amicis est vir ejusmodi, ridiculus inimicis, contemptibilis famulis, uxori ingratus, omnibus odiosus, ipsis bestiis molestior : bestiæ eo usque bibunt quousque fert sitis, et cupiditatem sistunt necessitate, hic intemperantia cupiditatem transilit, et ratione carentibus a ratione alienior apparet. Verum illud multo intolerabilius est, quod morbus tot malis redundans, totque secum invehens calamitates, ne crimen quidem censetur; sed in divitum mensis hujus turpitudinis gratia pugna oritur atque certamen, atque inter se majori studio contendunt, quis se ipsum magis infamet, quis majorem subsannandi occasionem præbeat, quis nervos amplius infringat, quis vires amplius debilitet, quis communem Dominum gravius irritet : ac videre est stadium certamenque diabolicum.

Ebrius mortuis miserior est; siquidem ille sensu destitutus jacet, neque bona ulla vel mala potest operari; hic vero ad mala exequenda promptus est, et anima in corpore tanquam in monumento defossa mortuum corpus circumfert. Vides ut miserior sit dæmoniaco, ut magis quam mortui sensu destitutus? Vis-ne tu dicam id, quod his omnibus majus est et gravius; ebrius homo in regnum cœlorum intrare non potest: quis hæc dicit? Paulus. « Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt [1]. » Audisti qualem in turbam ipsum conjecerit? cum impudicis, cum scortatoribus, cum idololatris, cum adulteris, cum maledicis, cum avaris, cum rapacibus. Quid ergo? dicet aliquis, idem-ne est ebrius et impudicus? idem ebrius et idololatra? noli mihi hæc objicere, mi homo, leges divinas ego recitavi, a me rationem ne exigas: Paulum interroga, tum ipse respondit: num enim cum ipsis, aut seorsim ab ipsis supplicio addicatur, non possum dicere: porro non minus quam idololatram, illum a regno cœlorum excidere, id vero oppido confirmabo. Cum igitur hoc in confesso sit, quid a me deinceps rationem reposcis de peccati mensura? cum enim extra fores remaneat, cum a regno excidat, cum expers fiat salutis, cum ad supplicium amandetur æternum, quid tu mihi peccatorum mensuras et bilances, et trutinas profers? Indigna prorsus res est ebrietas, dilectissimi, et importuna valde, non mea vos spectat oratio: absit; plane siquidem credo vestram animam ab ægritudine hac et morbo esse immunem: ac vestræ sanitatis argumentum est, quod hic versemini, quod huc diligenter conveniatis, quod attente audiatis: nemo, qui vino inebrietur, divinorum esse cupi-

[1] 1 Cor. VI, 9, 10.

dus eloquiorum potest. « Nolite inebriari vino, in quo est »luxuria, sed implemini Spiritu [1] : » præclara est hæc ebrietas; hac Spiritus crapula tuam anima sopora, ne ebrietate sopores præoccupa mentem et cogitationes, ne locum impudens ille morbus inveniat. Propterea non dixit, « Participes estote Spiritus, » sed, « Implemini Spiritu : » ad summum usque mentem tanquam calicem imple Spiritu, ne quidquam deinceps injicere possit diabolus : non enim quovis modo participes nos fieri Spiritu jam oportet, sed Spiritu impleri, psalmis, hymnis, canticis spiritualibus, quibus hodie repleti estis : quapropter de temperantia vestra confido. Præclarus est nobis ebrietatis calix; est calix ebrietatis, qui temperantiam gignit, non paralysim. Quisnam ille porro? calix spiritualis, calix salutaris, calix impollutus dominici sanguinis : non gignit ebrietatem ille calix, non paralysim gignit. Non enim vires dissolvit, sed vires excitat; ille non nervos infringit, sed intendit : sobrietatem quippe affert; ille Angelis venerandus est, dæmonibus tremendus, hominibus pretiosus, Domino amabilis. Vides quid dicat David de spirituali calice isto, qui propositus est in hac mensa? « Parasti in conspectu meo »mensam adversus eos, qui tribulant me : Impinguasti in »oleo caput meum, et calix tuus inebrians, quam præcla»rus est [2]. » Etenim ne audito nomine ebrietatis subito metueres, et ejusmodi putares esse, ut infirmitatem inducat, adjunxit esse præclarum et firmum. Novum ebrietatis genus, robur immittit et validum reddit ac potentem : quippe quod ex spirituali petra profluxerit : non est depravatio cogitationum, sed spiritualium cogitationum accumulatio.

III Hac ebrietate ebrii simus, ab illa vero abstineamus, ne præsentem solemnitatem dedecore afficiamus : non

[1] Ephes. v, 18. — [2] Psal. xxii, 4.

enim terræ tantum, sed et cœli est præsens solemnitas : hodie gaudium est in terra, hodie gaudium in cœlo : si enim uno peccatore converso gaudium est in terra et cœlo [1] ; multo magis, extorto de diaboli manibus toto orbe terrarum, gaudium erit in cœlo. Nunc exultant Angeli : nunc lætantur Archangeli; nunc Cherubim et Seraphim hoc nobiscum festum celebrant : non illos pudet conservorum, sed nostris bonis gratulantur. Etsi enim nostrum est quod a Domino accepimus donum, communis est tamen et cum illis voluptas. Sed quid ego conservos commemoro? ipsum Dominum illorum ac nostrum nobiscum celebrare festum non pudet : at quid ego rursus non cum pudere dico ? « Desiderio, inquit, desideravi hoc Pascha manducare vobiscum [2] : » quod si Paschæ festum celebrare desideravit nobiscum, haud dubium quin et resurrectionem quoque. Quando igitur Angeli gaudent, et Archangeli, omniumque Dominus cœlestium virtutum nobiscum festum concelebrat, quæ tandem superesse occasio tristitiæ potest? nullus pauper ob paupertatem sit mœstus, hæc enim celebritas est spiritualis : nullus dives efferatur ob divitias ; nihil enim ex pecuniis ad hujus celebritatis voluptatem potest conferre. Nam in externis quidem et sæcularibus festis, ubi multum merum, ubi mensa referta et ad satietatem comessatio, ubi turpitudo et risus, ubi omnis pompa satanica; merito pauper quidem subtristis, hilaris autem est dives : quid ita? quia dives quidem opiparam mensam apponit, deliciisque amplius fruitur : pauper autem a paupertate prohibetur, ne tantam magnificentiam præ se ferat; hic vero nihil tale est, una diviti et pauperi mensa est : licet dives sit quispiam, nihil adjicere mensæ potest : licet pauper sit, nihilo deteriori conditione ob paupertatem in iis, quæ ad communionem pertinent, erit;

[1] Luc. xv, 10. — [2] Id. xxii, 15.

divina enim est gratia. et quid miraris si diviti et pauperi? Ipsi enim imperatori diademate redimito, purpura convestito, cui mundi regimen est commissum, illi imperatori, et pauperi ad eleemosynam sedenti una est mensa proposita : talia sunt dominica dona, non pro ratione dignitatum distinguit communicandi rationem, sed pro conditione voluntatis ac mentis.

[Cum enim videris in Ecclesia diviti pauperem astantem, privato homini principem, plebeium optimati, cum qui foris ejus potentiam tremebat, intus eidem potentiæ sine formidine admotum, cogita quid sit illud : « Tunc una »pascetur lupus cum agnis [1]. » Lupum vocat Scriptura divitem ; agnum, pauperem. At quo pacto intelligendum illud, communicabit lupus cum agno, quemadmodum dives cum paupere? Animum diligenter adverte. Stant sæpe dives et pauper in Ecclesia : instat hora divinorum mysteriorum; ejicitur dives, utpote non initiatus, pauper vero intromittitur in cœlestia tabernacula; neque indignatur dives; novit enim se alienum esse a divinis mysteriis. Sed, o divinam gratiam ! non solum ex Dei munere par utrique honor est in Ecclesia; sed etiam stantibus ambobus pauper diviti anteponitur in pietatis ratione; nihilque prosunt illi divitiæ sine pietate, nihil fidelem lædit paupertas, quando cum fiducia ad sacrum accedit altare. Hæc autem dico, charissimi, de catechumenis, non vero simpliciter de divitibus. Animadverte, dilecte, quomodo ex Ecclesia recedat dominus, dum mysteriis admovetur fidelis domesticus : recedit domina, et manet ancilla. Deus quippe non accipit personam hominis. Non est itaque in Ecclesia servus et liber; sed eum novit Scriptura servum, qui peccato subditus est. Nam « Qui facit peccatum, inquit, servus

[1] Isaï. II, .

»est peccati [1]; »et cum novit liberum, qui per divinam gratiam liberatus est.]

Cum eadem fiducia et imperator, et pauper ad hanc mensam accedunt, cum eodem honore, imo etiam persæpe cum honore pauper ampliori : quid ita? quod imperator quidem sexcentis negotiis implicatus tanquam navis undique aspergatur, ac multa contrahat peccata; pauper autem de necessario tantum victu sollicitus, negotiorum expertem ac tranquillam transigens vitam, velut in portu sedens, cum multa securitate ad mensam accedat. Rursus in externis solemnitatibus pauper quidem in mœrore, dives autem in hilaritate versatur, non ob mensam tantum, sed etiam ob vestimenta : quod enim in mensa illis evenit, hoc et in vestimentis patiuntur. Cum enim inops pretiosiori amictum stola viderit opulentum, percellitur, seque præ omnibus infelicem ducit : hic vero et ista sublata est penuria; unum enim apud omnes vestimentum est salutare lavacrum. « Quicumque enim in Christo baptizati estis, »Christum induistis [2]. » Ne igitur ebrietate solemnitatem istam dehonestemus; etenim Dominus noster et divites, et pauperes pariter honoravit, et servos, et dominos; sed ob hanc erga nos benevolentiam dominum remuneremur : optima porro est remuneratio conversatio munda et mens sobria. Hæc solemnitas et panegyricus conventus non pecuniis indiget neque sumptibus; sed voluntate ac mente optima : tales enim hic prostant merces, nihil corporeum hic venditur; sed divinorum auditio eloquiorum, preces patrum, benedictiones sacerdotum, concordia et pax, et consensus, spiritualia dona, spirituale pretium. Festum hoc maximum celebremus et illustre, in quo Dominus resurrexit; celebremus autem illud cum gaudio

[1] Joan. VIII, 34. — [2] Galat. III, 27.

simul atque cum pietate; resurrexit enim Dominus secumque suscitavit orbem terrarum, ipse siquidem disruptis mortis vinculis resurrexit. Peccavit Adamus et mortuus est : at non peccavit Christus, et est mortuus. Novum est hoc et admirabile; ille peccavit, et mortuus est; hic non peccavit, et mortuus est : quid ita? quo is, qui peccavit et mortuus est : ejus opera qui non peccavit quidem, mortuus est autem, mortis nexus possit evadere. Ita fit et in pecuniis : sæpenumero debet quispiam, et cum non habeat unde solvat, in vinculis detinetur, alius qui non debet. sed habet unde solvat, cum qui obnoxius est, liberare solet : sic et evenit in Adamo; debebat Adamus, a diabolo detinebatur, sed unde solveret non habebat : non debebat Christus, nec a diabolo detinebatur, sed debitum poterat numerare : venit, mortem persolvit pro eo, qui a diabolo detinebatur, ut illum exolveret.

IV. Vides præclara resurrectionis effecta? nos duplici morte mortui eramus, duplicem itaque resurrectionem expectemus: ipse simplici mortuus est morte; propterea simplici quoque resurrectione resurrexit. Quid hæc sibi volunt? mortuus, inquam, est Adamus, et corpore, et anima : mortuus est peccato et natura. « In quocumque die » comederitis de ligno, morte moriemini [1]. » Atqui non eadem die mortuus est natura, sed peccato est mortuus : illa mors est animæ, hæc mors est corporis. Sed cum audieris mortem esse animæ, noli mori animam arbitrari; est enim immortalis; verum animæ mors est peccatum et supplicium æternum; propterea ait Christus : « Nolite ti- » mere eos, qui occidunt corpus, animam autem non pos- » sunt occidere : sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam [2] : » quod autem est perditum, subsistit quidem, sed aciem oculorum ejus

[1] Gen. II, 17. — [2] Matth. X, 28.

qui perdidit, fugit. Verum, ut dicebam, duplex in nobis mors est : quapropter et duplicem fieri in nobis resurrectionem oportet : in Christo simplex mors fuit, non enim Christus peccavit ; sed ipsa mors simplex propter nos est suscepta : non enim mortem debuit ille, neque enim reus erat peccati, quocirca nec mortis ; propterea ille quidem resurrectione simplici a simplici morte resurrexit ; nos autem, qui duplici morte mortui simus, duplici quoque resurrectione resurgimus. Una quidem antea resurreximus, quæ est a peccato : consepulti enim sumus ipsi in baptismo, et consurreximus cum ipso per baptismum ; una hæc resurrectio est liberatio a peccatis ; altera vero resurrectio est corporis : dedit majorem, expecta etiam minorem ; hæc enim multo major est illa : multo enim majus est peccatis liberari, quam corpus resurgens intueri. Propterea cecidit corpus, quia peccavit : si igitur principium cadendi est peccatum, principium resurgendi est a peccato liberari. Resurreximus deinceps resurrectione majori abjecta gravi morte peccati, et veteri exuta veste : ne igitur de minori desperemus. Hac et nos olim resurrectione resurreximus, quando baptizati fuimus, atque hi qui heri vesperi baptismate digni habiti sunt, hi agni præclari. Nudiustertius crucifixus est Christus, sed nocte præterita resurrexit ; et hi nudiustertius a peccato detinebantur, sed simul cum eo resurrexerunt : ille corpore mortuus est, et corpore resurrexit : hi mortui peccato erant, et a peccatis liberati resurrexerunt. Ac terra quidem verno hoc tempore rosas et violas aliosque flores nobis edit ; aquæ vero terra nobis pratum delectabilius exhibuerunt. Ne mireris quod ab aquis flores germinarint ; nec ipsa terra ex propria natura, sed ex Domini mandato germen edit ; animalia quoque motu prædita in principio edit aquarum natura ; « Pro» ducant, enim, inquit, aquæ reptilia animarum viven-

» tium [1]; » et mandatum opus evasit, illaque animæ expers substantia animata protulit animalia. Ita nunc etiam, « Producant, aquæ, non reptilia viventium animarum, sed spiritualia dona. » Produxerunt tum aquæ pisces rationis expertes ac mutos; nunc ratione præditos ac spirituales pisces effuderunt; pisces, quos Apostoli sunt piscati. « Ve- » nite enim, inquit, et faciam vos piscatores hominum [2] : » hæc est illa piscatio de qua tum loquebatur; novus revera piscationis modus : qui piscantur ex aquis ejiciunt; nos in aquas injicimus, atque ita piscamur. Fuit olim et stante Judæorum lege piscina : quid poterit illa piscina; ut judaïcam discas egestatem; ut divitias discas Ecclesiæ. Piscina erat aquarum, illucque Angelus descendebat, et aquas movebat [3]; deinde post aquæ motionem æger unus ingrediebatur et sanabatur : unus solus quotannis sanabatur, statimque gratia consumebatur, non propter ejus, qui dabat, egestatem; sed propter eorum, qui accipiebant, infirmitatem. Descendebat igitur Angelus in piscinam, et aquam movebat, ac sanabatur unus : descendit Dominus Angelorum in Jordanem, et aquam movit, atque universum terrarum orbem sanavit. Propterea illic quidem is, qui post primum secundus descenderat, minime sanabatur; Judæis quippe gratia data erat infirmis, egenis : hic vero post primum secundus, post secundum tertius, post tertium quartus : licet decem, licet viginti, licet centum, licet decies mille, licet universum orbem terrarum immiseris in piscinam, non consumitur gratia, non exhauritur donum, non latices inquinantur. Novus purgationis modus; non enim est corporalis : nam in corporibus quidem, quo plures abluuntur, eo majores sordes latices contrahunt; hic vero, quo plures abluunt, eo puriores evadunt.

V. Vides magnitudinem doni? at tu doni hujus magni-

[1] Gen. 1, 20. — [2] Matth. IV, 19. — [3] Joan. V, 3.

tudinem conserva, mi homo. Non licet tibi indifferenter vivere; legem tibi ipsi cum omni diligentia scisce, agon est et lucta quædam hæc vita; qui autem in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Vis-ne optimum quemdam ac securum recte factorum modum te doceam? quæ nimirum indifferentia quidem videntur, sed peccata pariunt. ex mente pellamus : nam inter actiones quædam quidem peccata, quædam vero non peccata, sed peccatorum sunt causæ : sic risus quidem peccatum natura non est; fit autem peccatum, si ultra modum effundatur: nam ex risu facetiæ, ex facetiis verborum obscœnitas, ex obscœnitate verborum turpia facta, ex turpibus factis supplicia oriuntur, ac pœnæ : tolle igitur antea radicem, ut totam ægritudinem tollas : si enim nobis ab iis, quæ indifferentia sunt, caveamus, nunquam in ea, quæ prohibita sunt, prolabemur. Ita mulierem aspexisse indifferens multis videtur : at ex hoc cupiditas lasciva gignitur, ex cupiditate fornicatio, ex fornicatione rursum supplicium ac pœna. Ita delicate vivere ac laude nihil grave esse videtur : verum inde ebrietas, quæque ex ebrietate mala sexcenta nascuntur. Tollamus igitur ubique peccatorum principia. Idcirco quotidie continua doctrina perfruimini; idcirco septem dierum spatio consequenter collectam agimus, ac spiritualem mensam vobis apponimus, ut nostra opera divinis eloquiis perfruamini, ut vos singulis diebus instruamus, atque adversus diabolum armemus : nunc enim ferocius invadit : quanto majus est donum, tanto etiam majus est bellum. Si enim cum unum in paradiso vidisset minime tulit, cum tam multos videat in cœlo, dic quæso qui feret? exasperasti belluam, sed noli timere; majorem gratiam accepisti, gladium exacutum; illo punge serpentem. Idcirco illum Deus adversum te exasperari permisit, ut virium tuarum potentiam ipso experimento cognoscas. Et quemadmodum

cum optimus palæstræ magister squalidum quempiam, enervatum athletam ac despectum acceperit, ubi eum unctum instruxerit, exercuerit, corpulentum reddiderit, otiari deinceps non sinit; verum in certamina jubet descendere, ut eum doceat experientia, quantum ipsi robur indiderit. Ita Christus etiam fecit, poterat siquidem inimicum e medio tollere, sed ut gratiæ excellentiam, ac virtutis spiritualis, quam ex baptismate nactus es, magnitudinem discas, tecum illum congredi sinit, ac multas tibi occasiones suppeditat coronarum. Idcirco septem consequentibus his diebus concionum doctrina fruimini, ut in luctarum palæstra diligenter instituamini. Alioquin autem etiam spiritales sunt nuptiæ ea, quæ jam fiunt : in nuptiis vero ad septem dies thalami prostant. Propterea nos quoque lege sanximus vobis, ut hic septem dierum spatio ad sacros thalamos vos sistatis. Verum illic quidem post septem dies solvuntur : hic autem, si velis, in sacro thalamo perpetuo stare potes; atque in sæcularibus quidem nuptiis post unum vel alterum mensem sponsa non adeo sponso est amabilis : hic vero non ita, sed quanto temporis fit major progressus, tanto ardentiores sponsi sunt amores; tanto suaviores complexus, tanto spiritualior congressus, si diligentes ac vigilantes simus. In corporibus rursus post juventutem senectus : hic post senectutem juventus, et juventus quæ finem nullum habet, si voluerimus. Magna gratia, sed major erit si voluerimus : magnus erat etiam Paulus, cum baptizaretur : at multo deinde major est factus; cum prædicaret, confundebat Judæos; postea raptus est in paradisum; in tertium cœlum ascendit. Itaque nobis etiam licet crescere si velimus, et collatam per baptismum gratiam augere; bonis autem operibus augetur, ac fit illustrior, lucemque nobis splendidiorem suppeditat. Quod si ita fiat, multa cum fiducia in conclave sponsi una cum

ipso intrabimus, et iis bonis perfruemur, quæ reposita sunt iis, qui diligunt illum. Quæ nobis omnibus consequi detur gratia, et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria et adoratio in sæcula sæculorum. Amen.

CONCIO.

In sanctum Pascha.

I. Opportune [1] hodie omnes cum beato Davide clamemus : « Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet » omnes laudes ejus [2] ? » Ecce enim advenit nobis hodie desideratum salutareque festum, dies nimirum resurrectionis Domini nostri Jesu Christi; pacis argumentum reconciliationis causa, quæ bella sustulit, mortem dissolvit, diabolum prostravit. Hodie homines cum Angelis commixti sunt, et qui corpore sunt induti, cum incorporeis potestatibus hymnos persolvunt. Hodie evertitur diaboli tyrannis; hodie vincula mortis soluta sunt; inferni victoria sublata est; hodie opportune proferatur prophetica vox illa : « Ubi est mors stimulus tuus? Ubi inferne victoria » tua [3] ? » Hodie portas æreas confregit Dominus noster Christus, ipsamque mortis personam delevit. Quid dico personam? ipsius quoque nomen mutavit; neque enim ultra mors vocatur, sed dormitio et somnus. Siquidem ante Christi adventum, crucisque œconomiam, ipsum quoque mortis nomen terribile erat. Certe primus homo magni supplicii loco hanc audivit sententiam : « Quacum-

[1] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 473-478. — [2] Psal. CV, 2. — [3] Osee, XIII, 14, et 1 Cor. XV, 55.

» que die comederis, morte morieris [1]. » Quin et beatus Job hanc illo nomine appellavit : « Mors viro requies [2]. » Et propheta David dicebat : « Mors peccatorum pessima [3]. » Non modo animæ divulsio a corpore mors vocabatur; imo etiam infernus. Audi enim patriarcham Jacob dicentem : Deducetis senectutem meam cum dolore ad inferos [4]; » et Prophetam quoque : « Infernus dilatavit os suum [5]; » alius item Propheta : « Eripiet me de lacu inferiori [6]; » in multisque Veteris Testamenti locis transitum ex hac vita, mortem et vitam vocari deprehendes. Quoniam vero Christus Deus noster in sacrificium oblatus est, et resurrectio consecuta est, illa nomina benignus Dominus sustulit, novumque et extraneum vivendi institutum in mundum induxit; exitus ex hac vita jam non mors, sed dormitio et somnus vocatur. Undenam hoc liquet? Audi Christum dicentem : « Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut a » somno suscitem eum [7]. » Quemadmodum enim facile nobis est dormientem expergefacere et excitare; sic et communi omnium Domino a mortuis suscitare. Quia vero novum extraneumque erat id, quod ab ipso dictum fuerat, neque ipsi Discipuli dictum intellexerunt, donec ad illorum infirmitatem se demittens, id clarius diceret. Communis vero orbis doctor beatus Paulus ad Thessalonicenses scribens ait : « Nolo vos ignorare de dormientibus, ut non » contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent [8]. » Et rursus alibi : « Ergo qui dormierunt in Christo, perie» runt [9]? » Et iterum : « Nos qui vivimus, qui residui sumus, » non præveniemus eos qui dormierunt. » Et alibi rursum : « Si enim credimus, quod Jesus mortuus est et resurrexit; » ita et Deus eos qui dormierunt, adducet cum eo [10]. »

[1] Gen. II, 17. — [2] Job. III, 23, juxta LXX. — [3] Psal. XXXIII, 22.— [4] Gen. XLII, 38. — [5] Isaï. V, 14. — [6] Psal. LXXXV, 13. — [7] Joan. XI, 11.— [8] 1 Thess. IV, 12. — [9] 1 Cor. XV, 18.— [10] 1 Thess. IV, 13-15.

II. Videtis mortem passim vocari dormitionem et somnum, et eam quæ antea terribilis erat, nunc post resurrectionem facile contemni? Vides splendidum resurrectionis tropæum? per hanc enim innumera nobis bona obtigerunt, per hanc dæmonum fallacia soluta est, per hanc mortem irridemus, per hanc præsentem vitam contemnimus, per hanc ad futurorum desiderium excitamur; per hanc licet corpore induamur, nihilo meliore conditione sumus, quam incorporea, si tamen velimus. Hodie præclarum victoriæ triumphum agimus; hodie Dominus noster, tropæo contra mortem erecto, tyrannideque diaboli calcata, per resurrectionem viam nobis ad salutem munivit. Omnes proinde gaudeamus, exultemus, et lætemur. Nam etsi Dominus ipse sit qui vicit et tropæum erexit, communis tamen lætitia, commune gaudium est. Nam propter nostram salutem omnia fecit; et per quæ diabolus nos expugnavit, per ea ipsa Christus ipsum superavit. Ea ipsa arma accepit, ac per eadem ipsum prostravit. Quomodo autem, audi: Virgo, lignum et mors nostræ cladis symbola erant. Etenim virgo erat Eva; nondum enim virum noverat, quando seducta est; lignum erat arbor; mors supplicium de Adamo sumptum. Vides-ne quomodo virgo, lignum et mors cladis nobis symbola fuerint? jam vide quomodo eadem ipsa nobis victoriæ causa sint. Pro Eva Maria; pro ligno scientiæ boni et mali, lignum crucis; pro morte Adami, mors Domini. Vides-ne eum iisdem armis vicisse, et iisdem profligatum esse? Per lignum diabolus vicerat Adamum, per crucem Christus diabolum debellavit. Et illud quidem ad infernum mittebat; hoc autem crucis lignum defunctos ex inferno reducebat; illud quasi captivum et nudum eum qui prostratus fuerat, obtegebat; hoc autem victorem nudum in alto defixum omnibus ostendebat. Et mors illa quidem prior omnes in damnationem

trahebat; hæc vero posterior etiam eos qui ante se fuerant, suscitabat. « Quis loquetur potentias Domini, auditas »faciet omnes laudes ejus[1]? » per mortem immortales facti sumus, per lapsum surreximus, per cladem victores fuimus.

III. Hæc crucis præclara opera; hæc maximum resurrectionis argumentum. Hodie Angeli choros ducunt, omnes cœlestes Virtutes exultant, gaudentes de communi salute hominum generis. Nam si de uno peccatore pœnitentiam agente gaudium est in cœlo et in terra, multo magis de salute mundi. Hodie humanam naturam, a diaboli tyrannide liberatam, ad priorem nobilitatem reduxit. Cum enim video primitias meas de morte victoriam retulisse, non timeo, non horreo bellum, neque infirmitatem meam considero; sed immensam virtutem pro me pugnaturam respicio. Nam qui mortis tyrannidem devicit, totamque illius vim sustulit, quid in posterum non facturus est pro genere suo, cujus formam ob ingentem clementiam suam accipere dignatus est, et per eam contra diabolum in arenam descendit? Hodie ubique terrarum gaudium et lætitia est spiritualis. Hodie et Angelorum cœtus, et omnium supernarum Virtutum chorus propter hominum salutem exultant. Cogita igitur, dilecte, gaudii magnitudinem, quoniam supernæ quoque Potestates festum nobiscum agunt; congaudent quippe nostris bonis. Etiamsi enim gratia illa Domini nos proprie respiciat, in partem tamen gaudii illi veniunt. Quamobrem non erubescunt nobiscum festum celebrare. Et quid dico, conservos nostros non erubescere nobiscum festum celebrare? Ne Dominus quidem noster et eorum idipsum agere erubescit. Quid dico, non erubescit? etiam concupiscit nobiscum festum celebrare, Undenam id liquet? Audi ipsum dicentem : « Desi-

[1] Psal. cv, 2.

»derio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum [1]. » Si Pascha manducare desideravit, utique et festum nobiscum celebrare. Cum ergo videas non Angelos tantum et omnium cœlestium Potestatum cœtum, sed etiam ipsum Angelorum Dominum nobiscum festum agere, quid tibi jam deest ad lætitiam? Nemo ob paupertatem hodie mœstus esto; spiritualis quippe est celebritas. Nemo dives ob divitiarum copiam extollatur; nihil enim pecuniarum ad hoc festum afferre valet. In externis quippe solemnitatibus, ubi multa pompa et apparatus, ingens mensæ lautitia; jure pauper in mœrore et anxietate, dives in voluptate et lætitia. Quare? quia ille splendida veste amicitur, et lautiorem mensam apponit; pauper vero inopia impeditur, quominus eumdem luxum ostentet. Hic vero nihil simile, sed illa omnis inæqualitas abest; una mensa diviti et pauperi, servo et libero. Si dives sis, nihil plus habebis quam pauper; si pauper, nihil minus quam dives; neque propter penuriam spiritualis convivii lautitia minuitur. Divina quippe gratia est, quæ personarum discrimen non respicit. Et quid dico eamdem pauperi et diviti apponi mensam? ei etiam qui diademate redimitur et purpura vestitur, atque totius orbis imperium obtinenti, et pauperi ad eleemosynam sedenti, una apponitur mensa. Talia quippe sunt dona spiritualia; non dignitatibus eorum communicatio, sed voluntati et proposito tribuitur. Eadem fiducia, eodem honore imperator et pauper ad usum et participationem divinorum mysteriorum accedunt. Et quid dico, eodem honore? sæpe pauper cum majori fiducia. Quare? Quoniam imperator negotiorum curis distentus, et casuum frequentia circumdatus, quasi in mari versans, sic undique ingruentibus fluctibus agitatur, et peccatis multis fœdatur. Pauper autem iis expeditus, deque solo necessario alimento

[1] Luc. xxii, 15.

sollicitus, negotiis vacuam et quietam vitam ducens, quasi in portu et in tranquillo loco sedens, cum multa pietate ad mensam astat.

IV. Neque vero inde solum, sed etiam aliunde mœroris occasiones offeruntur iis qui sæcularia festa frequentant. Illic enim rursum pauper in tristitia, dives in gaudio agit, non tantum ob mensam ejusque lautitiam; sed etiam ob vestimenta splendida, et amictus præstantiam. Quod propter mensam, idipsum propter vestimenta patiuntur. Cum pauper divitem vestitu fulgentem videt, dolore cruciatur, se miserum existimat, et in maledicta erumpit. Hinc autem hujusmodi mœror eliminatur; una quippe omnibus vestis est salutare indumentum; clamat quippe Paulus his verbis: « Quicumque in Christum baptizati estis, » Christum induistis [1]. » Ne igitur, quæso, hujusmodi festum dehonestemus, sed digno animi sensu quæ nobis dona a divina gratia collata sunt, accipiamus. Ne ebrietati et gulæ nos dedamus, sed Domini nostri munificentiam nobiscum reputantes, quod videlicet pari honore divites et pauperes, servos et liberos habuerit, et commune omnibus donum effuderit; beneficum illum paribus remuneremur officiis, ob benevolentiam quam exhibuit nobis; congruens autem munus fuerit, vitæ institutum ipsi placitum, animusque vigilans et expeditus. Hoc festum, hæc celebritas non pecuniis, non sumptibus eget, sed proposito tantum et pura mente. Nihil hic corporeum emi potest, sed omnia spiritualia, divinorum eloquiorum doctrina, preces patrum, benedictio sacerdotum, divinorum et arcanorum mysteriorum communio, pax et concordia, et spiritualia dona, digna largitoris munificentia. Celebremus igitur hunc festum, in quo surrexit Dominus. Surrexit enim, et orbem secum suscitavit. Et ille quidem surrexit, mortis

[1] Gal. III, 27.

vinculis disruptis; nos autem suscitavit, peccatorum nostrorum catenis solutis. Peccavit Adam, et mortuus est. Christus non peccavit, et mortuus est. Res nova et singularis; ille peccavit et mortuus est; hic non peccavit, et mortuus est. Cur et qua de causa? Ut qui peccavit et mortuus est, per eum qui non peccavit et mortuus est, posset a mortis vinculis liberari. Ita quoque sæpe in pecuniariis debitis fieri solet; debet quispiam alicui argentum, et solvere nequit, ideoque apprehenditur; alius vero nihil debens, qui solvendo par erat, numerata pecunia debitorem a vinculis liberavit. Tale quidpiam inter Adamum et Christum intercessit. Adamus erat debitor et morti obnoxius, et detinebatur a diabolo; Christus nec debebat, nec detinebatur; venit tamen et debitum mortis explevit pro eo qui detinebatur, ut illum a mortis vinculis liberaret. Vidisti-ne præclara resurrectionis opera? Vidisti-ne Domini benignitatem? Vidisti-ne magnitudinem providentiæ? Ne itaque simus erga tam beneficum ingrati; neque quia jejunium præterivit, segniores evadamus, sed nunc majorem quam antehac animæ nostræ sollicitudinem geramus, ne saginata carne anima infirmior sit, ne ancillam curantes, dominam negligamus. Quæ utilitas, quæso, si obesi dirumpamur et modum excedamus? Hinc enim et corpus labefactatur, et anima læditur. Sed tantum sumamus quantum necessitas postulat, ut et animæ et corpori quantum convenit tribuamus, ne ea quæ ex jejunio collegeramus, confestim effundamus. Non prohibeo cibi et recreationis usum; non prohibeo, inquam; sed hortor ut necessitatem ne excedamus, nimiamque voluptatem resecemus, ne modum excedentes, animæ sanitatem labefactemus. Neque enim voluptate fruetur ille qui necessitatis limites præteribit; idque optime sciunt illi qui rei periculum fecerunt; innumeras enim sibi morborum species pepererunt,

ingensque sunt fastidium perpessi. Verum non dubito quin hortationibus meis morem geratis; novi enim quam obsequentes sitis.

V. Quamobrem hic finem hortandi faciens, sermonem convertere libet ad eos, qui in lucifera nocte dono divini baptismatis dignati sunt; ad has nempe pulchras Ecclesiæ plantas, ad flores spirituales, ad novos Christi milites. Nudiustertius Christus pendebat in cruce; sed nunc resurrexit; eodem quoque modo hi nudiustertius a peccato detinebantur, sed nunc cum Christo resurrexerunt. Ille corpore mortuus est et resurrexit; hi per peccatum mortui erant, et a peccato resurrexerunt. Terra itaque hoc tempore veris rosas, lilia et alios nobis flores profert : aquæ autem hodie ipsa terra longe amœnius nobis pratum ostendunt. Nec mireris, dilecte, si ex aquis prata floribus distincta prodierint : neque enim terra ab initio secundum propriam naturam herbarum germina fundebat, sed Domini cessit imperio. Ipsæ aquæ tunc motu prædita animalia produxere, cum audissent : « Producant aquæ reptilia animarum viventium [1] : » ac præceptum in opus exiit; inanimata substantia viva animalia protulit. Ita nunc quoque illud ipsum præceptum omnia operatum est. Tunc dixit : « Producant aquæ reptilia animarum viventium : » nunc autem non reptilia, sed spiritualia dona fundunt. Tunc aquæ pisces rationis expertes profuderunt; nunc autem rationabiles et spirituales pisces nobis pepererunt, quos Apostoli piscati sunt : « Venite, inquit, post me, et faciam vos » piscatores hominum [2]. » Novus sane piscandi modus. Nam piscatores educunt pisces ex aquis, et captos enecant : nos autem in aquas injicimus, et qui capiuntur vita donantur. Erat quidem olim et apud Judæos piscina aquæ. Verum disce quid illa potuerit, ut plane perspicias Judæorum

[1] Gen. I, 20. — [2] Matth. IV, 19.

inopiam, et simul videas ubertatem nostram : « Descende-» bat, inquit, Angelus, et turbabat aquam, et qui prior des-» cendebat post aquæ commotionem, sanitatem consequeba-» tur [1]. » Descendit Angelorum Dominus in Jordanis fluenta, et aquæ naturam sanctificans, universum orbem sanavit. Ideo illic quidem is, qui post priorem descendebat, non sanabatur; Judæis quippe infirmis et humi repentibus hujusmodi dabatur gratia; hic vero post primum secundus descendit, post secundum tertius et quartus, etiamsi sexcentos dixeris, etiamsi totum orbem terrarum in hæc fluenta spiritualia injeceris, non insumitur gratia, donum non exhauritur, fluenta non fœdantur, liberalitas non minuitur. Vidisti-ne magnitudinem doni? Andite, qui hodie hac nocte in superna Jerusalem cives ascripti estis, et dignam magnitudine donorum custodiam exhibete, ut uberiorem gratiam attrahatis : nam gratus de jam receptis animus Domini munificentiam provocat. Non licet tibi, dilecte, rursum quoquolibet modo vivere : sed leges tibi et regulas præscribas, ut accurate omnia perficias, et magnam custodiam adhibeas etiam circa ea quæ levia putantur esse. Certamen quippe luctaque est omnis vita præsens, et eos, qui semel in hoc virtutis stadio sunt ingressi sese omnino continere par est : « Omnis enim, qui in agone contendit, ab omni-» bus se abstinet [2]. » Non vides quantam in gymnicis certaminibus sui curam habeant, qui cum hominibus certamen susceperunt, quantaque abstinentia corpus exerceant? Ita et hic se res habet. Quia non est nobis colluctatio cum hominibus, sed cum spiritualibus nequitiæ, nostra exercitatio et abstinentia spiritualis sit : nam et arma quibus, nos induit Dominus, spiritualia sunt. Habeat igitur oculus suos terminos et regulas, ne temere statim in quævis obvia feratur : habeat et lingua suum septum, ut ne mentem

[1] Joan. v, 4. — [2] 1 Cor. ix, 25.

antevertat. Idcirco enim et dentes et labia ad linguæ custodiam creata sunt, ne unquam inconsulto per ostium erumpat; sed post quam omnia, quæ ad se pertinent, rite disposuerit, tunc cum omni ornatu et decoro procedat, et hujusmodi proferat verba, ut det gratiam audientibus, eaque profundat dicta quæ ad illorum institutionem conferant. Solutum vero risum declinare prorsus oportet, incessuque modesto nec concitato, veste constricta prodire par est; et sic omni modo sese concinnet oportet eum, qui huic virtutis stadio nomen dedit : externus enim membrorum modus compositus, est quasi imago interioris animæ status.

VI. Si ad hujusmodi consuetudinem nos ab initio composuerimus, facili deinceps progredientes via, virtutem omnem percurremus, nec multo egebimus labore, multumque de cœlo subsidium asciscemus. Sic enim præsentis vitæ fluctus tuto licebit transmittere, laqueisque diaboli superatis, æterna bona consequi gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simul et Spiritui sancto, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA.

In ascensionem Domini nostri Jesu Christi, sermo recitatus in Martyrio Romanesiæ, ubi Martyrium corpora sub pavimento prope cadavera hæreticorum condita, ablata fuerunt, et editiore loco separatim sepulta.

I. Etiam cum crucis memoriam recoluimus [1], extra ur-

[1] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 488-491.

bem ejus solemnitatem celebravimus : et nunc quando Crucifixi ascensionem agimus, illustrem hunc atque refulgentem diem, extra civitatem rursus festum peragimus. Atqui hoc, non quod civitatem despicere velimus, sed martyres potius honorare cupiamus. Ne enim viri sancti de nobis merito conquerantur, ac dicant : « Nos ne digni quidem eramus, qui unum Domini nostri diem in tabernaculis nostris celebrari videremus : neve nobiscum expostulando dicant : Sanguinem quidem nostrum pro ipso effudimus, et digni habiti sumus, quibus pro eo caput amputaretur, ipsius autem salutiferum festum celebrari diem videre non summus promeriti in habitaculis nostris. Ideo relicta civitate ad pedes sanctorum horum properamus, occasione præsentis diei, et de tempore præterito excusantes nos apud ipsos. Nam si antea ad strenuos hos pietatis athletas currere oportebat, quando adhuc sub pavimento reconditi jacebant, multo sane magis id jam peragere oportebit, quando seorsim repositas videmus margaritas, quando a lupis liberatæ sunt oves, quando a mortuis recesserunt vivi. Ne antea quidem ullum detrimentum passi sunt ex communi cum illis sepultura. Quorum enim spiritus in cœlis sunt, eorum neque corpora ex propinquitate lædebantur; quorum animæ in manu Dei sunt, neque reliquiæ eorum ex loco, in quo reconditæ sunt, aliquid pati poterant. Nihil ergo iis antehac detrimenti accessit : populus tamen noster non qualecumque a loco damnum ferebat : quippe qui currebat quidem ad Martyrum reliquias, at cum ambiguitate et hæsitatione preces offerebat, quod sanctorum sepulcra ignoraret, ac ubi veri illi thesauri recondili essent. Idemque factum est veluti si greges ovium adducti ad perfruendum alveis puris, qui, ubi ad fontes limpidos venerint, tetro quodam odore atque fœtore aliunde cominus erumpente, iterum inhibeantur : ita et in isto ovili

contigit. Ibat quidem populus ad puros illos Martyrum fontes, sed dum fœtorem hæreticorum inde cominus erumpentem sentiret, iterum inhibebatur. Quod quidem conspiciens prudens hic pastor atque magister, cuncta ad Ecclesiæ ædificationem disponens, non est passus diu hoc damnum pro levi haberi, fervens hic amator et æmulator Martyrum. Sed quid agit? aspicite sapientiam ejus : turbida quidem ac fœtida fluenta obruit, atque obstruxit deorsum : puros autem Martyrum fontes seorsum in puro mundoque loco collocavit. Considerate etiam quantam erga vita functos exhibuerit humanitatem, atque erga Martyres honorem, et in populum curam. Erga mortuos quidem humanitatem, quod eos loco non moverit, sed ubi erant, ibi reliquerit : erga martyres autem honorem, eos ab improba vicinitate eximens : erga populum vero curam atque sollicitudinem, non permittens eos amplius cum discrimine et hæsitatione suas preces fundere. Propterea vos huc adduximus, ut illustrior conventus fieret, splendidiusque spectaculum non hominum solum, sed et Martyrum collectorum, neque Martyrum duntaxat, verumetiam Angelorum. Etenim et Angeli præsentes sunt, Angelorum et Martyrum concursus fit hodie. Videre cupis Angelos pariter ac Martyres? Aperi oculos fidei et cernes spectaculum illud. Nam si omnis aër Angelis repletus sit, quanto amplius Ecclesia : si vero Ecclesia, quanto magis dies jam præsens, quando eorum assumptus est Dominus? Quod autem omnis aër Angelis sit repletus, audi quid dicat Apostolus, admonens mulieres, ut velato sint capite; « Debent enim, » inquit, mulieres velamen habere supra caput suum, propter Angelos [1]. » Rursusque Jacob : « Angelus, qui eruit me » a juventute mea [2]. » Et qui in domo cum Apostolis erant, ad Rhoden puellam dicebant : « Angelus ejus est [3]. » Ac

[1] 1 Cor. II, 10. — [2] Gen. XLVIII, 16. — [3] Act. XII, 15.

iterum Jacob : « Vidi, inquit, castra Angelorum [1]. » Sed quorsum Angelorum castra ac copias super terram vidit? sicut rex jubet per singulas civitates suas milites disponi, ne grave aliquod bellum imminens, incursionibus infestet eas : ita et Deus dæmonibus in aëre isto, barbaris atque immanibus, semper bella suscitantibus, pacisque inimicis, Angelorum castra opponit, ut dum vel apparent solum, ipsos reprimant, nobisque pacem perpetuam concilient. Atque ut discas Angelos pacis esse, audi in precationibus diaconos semper dicentes : « Angelum pacis rogate. » Vides Angelos adesse et Martyres. Quid igitur mirabilius iis, qui se a conventu hodierno abstraxerunt? et quid beatius nobis, qui advenimus, et celebritate ista perfruimur? Cæterum isti de Angelis sermones, in aliud nobis tempus referendi. Jamvero ad institutum præsentis festi revertamur.

II. Quæ igitur præsens est ista celebritas? veneranda utique et magna, charissime, sensumque ac intellectum omnem humanum excedens, Deique munificentia, qui illam fecit, digna. Hodie enim humanum genus reconciliatum est Deo. Hodie diuturna simultas, longumque bellum deletum est atque sublatum. Hodie pax quædam nobis admirabilis rediit, non antea unquam expectata. Quis enim sperasset fore, ut Deus homini reconciliaretur? non quod inhumanus sit Dominus, sed quia segnis famulus et iners; non quod crudelis ac sævus Dominus, sed quia servus contumax, atque ingratus. Vis discere, quo pacto benignissimum hunc atque lenissimum Dominum nostrum exacerbavimus? æquum namque est prioris nostræ simultatis cognoscere fundamentum; ut quando aspexeris nos inimicos et hostes honore affectos, ipsius honorantis admireris benignitatem; ne ex propriis recte factis illam factam mutationem arbi-

[1] Gen. XXXII, 2.

treris : et beneficii immensitate perspecta, de magnitudine munerum gratias illi agere non desistas. Vis ergo nosse quomodo Dominum tam liberalem, mansuetum, bonum, omniaque ad salutem nostram disponentem exacerbaverimus? Deliberavit aliquando de universo nostro genere omnino delendo, atque ita nobis iratus erat, ut perdere nos vellet cum uxoribus ac liberis, bestiis atque jumentis, et cum universa terra. Et si velis, curabo ut ipsam quoque sententiam ejus audias : « Delebo, inquit, hominem quem » creavi a facie omnis terræ, et bruta animalia et jumenta, » quia pœnitet me fecisse hominem [1]. » Et ut discas eum non nostram odisse naturam, sed malitiam abominatum esse; qui dicebat : « Delebo hominem, quem creavi in » terra, » etiam dixit homini : « Tempus omnis hominis ve- » nit ad me [2]. » Nam si hominem odisset, non cum homine verba faceret. Nunc autem vides ipsum noluisse facere, quod comminatus fuerat; quin et servum excusabat, ac cum eo, velut ejusdem conditionis amico, verba faciebat Dominus, causasque superventuræ perditionis enarrabat : non quidem ut causas discat homo, sed ut aliis quoque eas insinuans, temperantiores eos reddat. At quod modo dicebam, ita male nostrum genus se gerebat antea, ut periculum esset, ne ex ipsa terra excideret. Cæterum nos qui terra videbamur indigni, hodie in cœlum sublati sumus : qui ne terreno quidem principatu eramus digni, ad supernum cœleste regnum ascendimus, cœlos pervasimus, thronum regalem atque dominicum apprehendimus; et natura, propter quam paradisum servabant Cherubim, ipsa supra Cherubim sedet hodie. At quo pacto admirabile hoc et magnum accidit? quo pacto nos qui tantam clementiam offenderamus, terraque ipsa videbamur indigni, ac terreno omni principatu atque honore exciderамus, ad tantam al-

[1] Gen. VI, 7. — [2] Ibid. 52.

titudinem sumus evecti? quo pacto bellum dissolutum est? quo pacto ira sublata? Quomodo? Nam istud admirabile est, non quod iis, qui injuria irascebantur Deo, sed quod ipso Deo, qui jure nobis succensebat, provocante nos atque invitante, pax facta sit. « Pro Christo enim legatione » fungimur, inquit Apostolus, tanquam Deo exhortante per » nos [1]. » Quid istud? Ipse est violatus injuria, et ipse ad pacem invitat! Ita sane, quippe qui Deus sit: atque ob id, ut benignus pater hortatur, et allicit. Sed vide quid agatur: mediator utique est invitantis, et adhortantis filius, non homo purus, non Angelus, neque Archangelus, neque famulorum ullus. Et quid efficit mediator? opus mediatoris. Quemadmodum enim duobus se invicem aversantibus, et ad concordiam pacemque mutuam adduci nolentibus, tertius quispiam veniens, et se medium interponens, utriusque inimicitiam diluit: ita et Christus egit. Iratus siquidem nobis erat Deus, et nos Deum benignissimum Dominum aversabamur; medium igitur se Christus interponens, utramque naturam reconciliavit. Sed quo pacto se mediatorem constituit? Pœnam, quæ nobis a Patre infligenda erat in se suscepit, suppliciumque cœlitus immissum, ac contumelias in hoc mundo sustinuit. Vis nosse quomodo utraque ipse susceperit? « Christus, inquit Apostolus, nos » redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledic- » tum [2]. » Vides quo pacto pœnam cœlitus latam ipse susceperit? Vide etiam quomodo opprobria in terris sustinuerit: « Opprobria exprobrantium, inquit, tibi, ceciderunt » super me [3]. » Cernis quo pacto diremerit inimicitiam? quo pacto non ante destiterit quidvis agere, pati atque moliri, quam hostem et inimicum cum Deo reduxerit in gratiam. Et istorum tantorum bonorum causa est hodierna dies: quemadmodum enim primitias naturæ nostræ as-

[1] 2 Cor. v, 20. — [2] Gal. III, 13. — [3] Psal. LXVIII, 12.

sumpsit, sic restituit Domino. Et quod de campis accidit spicarum plenis, ubi quis ex paucis spicis collectis parvum manipulum conficiens, eumque Deo offerens, paucitate illa toti arvo benedicit; ita Christus fecit, qui per unam illam carnem atque primitias, totum genus nostrum benedicendum curavit. Sed cur non totam naturam obtulit? Eo quod non sit hoc offerre primitias, si totum quis offerat : sed si parvum aliquid quis offerens, per parvum, totum benedicendum curet. Atqui si primitiæ, dicet quispiam, essent, primum ipsum hominem procreatum offerri oportuit : primitiæ enim sunt, quæ primum tolluntur, et primum germinant. Non sunt primitiæ censendæ, charissime, si primum fructum obtulerimus exilem et evanescensem, sed si probum atque perfectum offeramus. Quoniam igitur fructus ille peccato obnoxius erat, ideo non est oblatus, etiamsi primus esset : at hic a peccato liber erat; ideoque oblatus est, licet posterius extiterit : hæ enim sunt primitiæ.

III. Et ut discas non primum germinantem fructum primitias dici, sed probatum, generosum, et qui ad vigorem opportunum perfectionemque perveniat, ex Scripturis tibi depromam testimonium : « Si ingressus fueris in terram » promissionis, quam Dominus Deus tuus dat tibi [1]. » Moyses ad populum ait : « Et plantaveris in ea omne » lignum pomiferum, faciens fructum ad vescendum, tribus » annis non mundabis fructum ejus. Quarto autem anno » fructus ejus sanctus erit Domino [2]. » Atqui si essent primitiæ primus qui producitur fructus, eum, qui primo anno nascebatur, offerri Domino oportebat. Nunc vero ait : » Tribus annis non mundabis fructum ejus; » sed relinques illum, propterea quod evanida adhuc et imbecilla est arbor, et fructus præcoces et immaturi. Quarto autem

[1] Levit. XIX, 23. — [2] Ibid. 23, 24.

anno, inquit, fructus ejus sanctus erit Domino. Et in hoc cerne sapientiam legislatoris, qui illo vesci non permisit, ne ante Deum quisquam fructum sumeret : neque offerri illum mandavit, ne crudus et immaturus offeratur Domino. Sed dimitte, inquit, quia primus est : ne offeras autem, quoniam indignus est honore acceptantis. Vides ergo non primum fructum, qui producitur, sed bonum atque probatum, primitias dici. Et hæc a nobis propter carnem, quam obtulit, dicta sunt. Obtulit ergo primitias nostræ naturæ Patri, atque ita donum oblatum admiratus est Pater, propter dignitatem offerentis puritatemque ipsius oblati, ut propriis illud manibus acceperit, sibique proximum constituerit, dicens : « Sede a dextris meis [1]. » Sed ad quam dixit naturam Deus : « Sede a dextris meis ? » Clarissimum est ad eam hoc dictum, quæ audivit : « Terra es » et in terram reverteris [2]. » Nonne satis erat superare cœlos ? nonne satis erat cum Angelis consistere ? Annon esset etiam hic honos ineffabilis ? at ascendit super Angelos, præterivit Archangelos, superavit Cherubim, ascendit supra Seraphim, prætergressus est Potestates, nec prius substitit, quam thronum ipsum Domini comprehendit. Non vides quid medium a cœlo ad terram ? Sed ab imo potius incipiamus. Non vides ab inferno ad terram ? intervallum quantum ? rursus a terra in cœlum ? rursus a cœlo ad cœlum sublimius, et ab illo ad Angelos, ad Archangelos, ad supernas Potestates, ad ipsum quoque thronum regalem ? supra hoc totum intervallum ac spatium naturam nostram sustulit. Cerne quam humili ante loco illa erat, et quam alte ascenderit : neque enim descendere licuisset inferius, quam quo descenderat homo, neque ascendere sublimius, quam quo eum rursus evexerat Christus. Atque ista perspicue Paulus dicebat : « Qui

[1] Psal. cix, 1. — [2] Gen. III, 19.

» descendit, ipse est qui et ascendit. » Et quo descendit? « In inferiores partes terræ [1]; » ascendit autem supra omnes cœlos. Disce quis ascenderit, et cujusmodi natura, ac quemadmodum antea sese haberet : libenter enim versor circa vilitatem generis nostri, ut excellentius honorem, qui a benignitate Domini ad nos derivatur, perdiscam. Terra et cinis eramus nos. Sed nondum hoc culpa : naturæ enim infirmitas erat. Irrationabilibus facti sumus insipientiores : « Comparatus est enim jumentis insipienti» bus homo, et similis factus est illis [2]. » Hoc autem est animantibus rationis expertibus deteriorem fieri, quando quis similis fit illis. Siquidem rationis expertem esse natura, et sic permanere, naturale est : sed mente ac ratione ornatos, in illam amentiam delabi, voluntatis est culpa. Itaque cum audieris, quod similis factus sit rationis expertibus : ne arbitreris hoc dicere, ut ostendat homines esse belluis pares, sed illis pejores ostendere voluisse. Etenim rationis expertibus evasimus pejores et insulsiores. Non quod ut homines, illuc delapsi simus, at quod etiam ad majorem ingratitudinem prosilierimus. Et hoc patefaciens Hesaïas dicebat : « Cognovit bos possessorem suum, et » asinus præsepe domini sui; Israël autem me non cogno» vit [3]. » Cæterum non confundamur super prioribus : « Ubi enim abundavit delictum, superabundavit et gra» tia [4]. » Vides quomodo jumentis insipientiores eramus? Cupis et volucribus ipsis nos irrationabiliores aspicere? « Turtur et hirundo, et passeres agri cognoverunt tempus » adventus sui, populus autem meus non cognovit judicia » mea [5]. » Ecce et asinis et bobus, ecce et volucribus, turture atque hirundine nos insipientores ostendimur. Vis discere et aliam nostram insipientiam? Ad formicas quo-

[1] Ephes. IV, 10. — [2] Psal. XLVIII, 21. — [3] Isaï. I, 3. — [4] Rom. V, 20. — [5] Jer. VIII, 3.

que nos, ut ab iis discamus, remittit; ita naturalem mentem amiseramus : « Vade enim ad formicam, inquit, et » considera vias ejus [1]. » Formicæ facti sumus discipuli, nos qui ad imaginem Dei facti eramus : at non qui nos fecit, est auctor : sed nos ipsi qui imaginem ejus retinere noluimus. Et qui dico formicis? imo lapidibus ipsis stupidiores evasimus. Vis-ne horum quoque proferam testimonium? « Audite convalles, et fundamenta terræ; quia » judicium Domino adversus populum suum [2]. » Cum hominibus judicium exerces, et vocas fundamenda terræ? imo vero inquit; nam et terræ fundamentis stolidiores sunt homines? Quem ergo adhuc quæris in iis excessum malitiæ, quando et asinis stupidiores, et bobus irrationabiliores, et hirundine ac turture ingratiores, et formicis dementiores, ipsisque lapidibus stupidiores reperiuntur. Quin et serpentium quoque similes effecti videmur: « Furor » enim illis, inquit, secundum similitudinem serpentis : » venenum aspidum sub labiis eorum [3]. » Quid autem est opus rationis expertium stuporem atque stoliditatem commemorare, quando et ipsius diaboli videmur filii dicti? « Vos enim, inquit, filii diaboli estis [4]. »

IV. Verumtamen nos stupidi atque ingrati, insipientes, et lapidibus ipsis insensibiliores, qui cunctis inferiores eramus, abjectissimi atque vilissimi; quo pacto dicam, aut quid eloquar, quomodo istud verbum efferam? Vilissima illa nostra natura, quæ cunctis insipientior erat, cunctis est hodie facta sublimior. Hodie recuperarunt Angeli, quod dudum desideraverant. Hodie aspexerunt Archangeli, quod diu concupierant : hodie nostram naturam de throno regali fulgoris instar resplendentem gloria et pulchritudine immortali viderunt. Id enim multo ante desi-

[1] Prov. VI, 6. — [2] Mich. VI, 2. — [3] Psal. LVII, 4, et CXXXIX, 3. — [4] Joan. VIII, 44.

derabant Angeli, et concupiscebant Archangeli. Nam licet eos natura humana concesso sibi honore superaret, attamen de bonis nostris gaudebant : nam et quando cruciabamur, dolebant. Et licet Cherubim custodirent paradisum, vicem tamen nostram dolebant. Et sicut minister, conservum ex mandato domini apprehensum, et carceri traditum, custodit quidem, commiseratione tamen conservi ductus, super illo quod accidit, dolet et angitur : ita et Cherubim susceperant quidem custodiendum paradisum, at de custodia dolebant. Et ut discas quod doluerint, ab hominibus illud tibi perspicuum reddam. Quando enim homines conservis compati vides, jam non amplius dubitandi tibi locus relinquitur de Cherubim : multo enim sunt illæ Potestates indulgentiores hominibus. Quis igitur justorum non doluit, cum juste punirentur homines, etiam post sexcenta peccata? Hoc enim est admiratione dignissimum, quod cum illorum scelera nossent, atque intelligerent illos in Dominum offendisse, ex ea tamen re dolorem animo capiebant. Utique Moyses post populi idololatriam dicebat : « Aut dimitte eis hanc noxam : aut si non facis, dele me de libro, quem scripsisti [1]. » Quid sibi vult istud? Vides impietatem hominum, et illorum doles afflictiones? Propterea, inquit, doleo, tum quia puniuntur, tum quia justas præbent suæ punitionis causas. Ezechiel quoque aspiciens Angelum percutientem populum, magna exclamans voce cum ejulatu dixit : « Heu mihi, Domine Deus : consummationem tu facis » reliquiarum Israël [2]? » Et Jeremias : « Corripe nos, Do- » mine, verumtamen in judicio : et non in furore tuo, ne » nos paucissimos facias [3]. » Ergo si Moyses, Ezechiel, atque Jeremias super istis tristati sint, an Potestates illæ nihil nostris movebantur malis? at qua ratione id esset ulla ex

[1] Exod. xxxii, 32. — [2] Ezech. ix, 8. — [3] Jer. x, 24.

parte credibile? Quod enim res nostras pro suis ducant; disce quantum gaudium conceperint, videntes nobis conciliatum esse Dominum. Si enim antea non doluissent, non sane ea essent postea lætitiæ voluptate perfusæ. Quod autem gavisæ sint, patet ex iis quæ et Christus ipse dixit : « Quoniam gaudium erit in cœlo, et in terra super uno » peccatore pœnitentiam agente [1]. » Porro si unum peccatorem convertentem se videntes Angeli gaudent, quomodo hodie per primitias, universam naturam humanam aspicientes in cœlum illatam, non maximo gaudio sint affecti? Audi igitur et aliunde supernæ turbæ lætitiam, super nostra reconciliatione. Quando enim Dominus noster natus est secundum carnem, ex eo deinceps hominibus ipsum reconciliatum cernentes; non enim, si reconciliatus non fuisset, usque adeo descendisset; cernentes ergo istud, choris in terra statutis exclamabant : « Gloria in excelsis » Deo : et in terra pax, in hominibus bona voluntas [2], » Et ut discas quod ob id glorificaverint Deum, post quam terra recepit bona : etiam causam adduxerunt, dicentes : « In terra » pax, in hominibus bona voluntas : » hominibus inquam, qui erant antea hostes declarati, et ingrati. Vides quo pacto Deum de alienis bonis laudent, aut potius in propriis; cum nostra bona, sua esse ducant. Vis etiam nosse, quomodo qui aspectabant, ut ipsum ascendentem viderent, gavi sint, et exultarint? Ipsum Christum dicentem audi : quoniam ascendebant, inquit, et descendebant continue. Atque hoc proprium est desiderantium contemplari inopinatum spectaculum. Et unde constat assidue illos ascendere atque descendere? ipsum dicentem audi : « Amodo » videbitis cœlum apertum, et Angelos Dei ascendentes, et » descendentes supra Filium hominis [3]. » Talis siquidem amantium mos est, neque tempus expectant, sed tempus

[1] Luc. xv, 7. — [2] Id. II, 14. — [3] Joan. I, 52.

præfinitum lætitia anticipant Idcirco descendunt novi et inauditi illius spectaculi visendi desiderio impulsi, hominem scilicet in cœlo apparentem : ideoque ubique se Angeli manifestant, et quando natus est, et quando resurrexit, ac hodie quando in cœlos ascendit : « Ecce enim duo, inquit, » in vestimentis albis [1], » per habitum, lætitiam declarantes : et dixerunt ad Discipulos : « Viri Galilæi, quid statis ? hic Je» sus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quem» admodum vidistis eum euntem in cœlum [2]. »

V. Hic jam mihi diligenter attendite, quamobrem ita dicunt? an quod oculos non haberent Discipuli? aut quod accidérat, non viderent ? Nonne ait Evangelista quod, videntibus ipsis, elevatus est ? Qua ergo de causa assistebant Angeli docentes eos, quod in cœlum ascendisset? propter duas nimirum istas causas : unam quidem, quod dolerent illi ob Christi ab ipsis discessionem. Quod autem dolerent, audi quid ad eos dicat : « Nemo ex vobis, inquit, » interrogat me, quo vadis? Sed quia hæc locutus sum » vobis, tristitia implevit cor vestrum [3]. » Nam si amicos et consanguineos nostros separari a nobis non ferimus, quomodo Discipuli suum ab ipsis separari cernentes Salvatorem, magistrum, ac curatorem benignissimum, mansuetissimum, et optimum, plane non dolerent? quomodo non contristarentur ? Idcirco astitit Angelus, qui dolorem ex ascensu provenientem, reditus commemoratione iterum mitigaret, consolareturque ipsos, « Hic enim Jesus, qui » assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet [4]. » Doluisti, inquit, de assumptione ipsius. Sed nolite amplius dolere. Etenim rursus veniet. Nam ut ne facerent, quod egit Elisæus, aspiciens magistrum suum assumi, qui discidit vestimentum ; non enim habebat aliquem astantem sibi atque

[1] Act. 1, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Joan. XVI, 6. — [4] Act. 1, 11.

dicentem, quod iterum venturus esset Helias [1] ; ne igitur hoc et isti facerent, ideo Angeli astiterunt, qui tristitiam illorum lenirent, ac consolarentur. Et hæc quidem una est causa præsentiæ Angelorum : posterior autem, ea non inferior est, propter quam etiam causam adjecerit, « Qui » assumptus est. » Et quæ est ista ? In cœlum assumptus est. Ingens autem interstitium erat, neque sufficiebat vis nostri aspectus, ut corpus ad cœlos assumi prospiceret. Sed sicut avis in sublime volitans, quanto magis in altum ascenderit, tanto amplius a nostro aspectu subtrahitur : ita et corpus illud, quanto altius evehebatur, tanto magis abscondebatur; cum non posset oculorum infirmitas intervalli longitudinem assequi. Propterea astiterunt Angeli, qui docerent ascensionem in cœlum, ne arbitrarentur eum in cœlum ascendisse instar Heliæ : sed quod vere in cœlum ascenderit, ob id ait : « Qui assumptus est a vobis in » cœlum. » Neque enim hoc simpliciter adjectum est. Quinimo Helias tanquam in cœlum assumptus est : servus enim erat : Jesus autem in cœlum, quia Dominus erat : ille in curru igneo, hic in nube. Nam quando servum vocari oportebat, currus mittebatur; quando autem Filium, thronus regalis, neque simpliciter thronus regalis, sed ipsemet paternus. Etenim de Patre ait Hesaïas : « Ecce » Dominus sedet super nubem levem [2]. » Quia ergo Pater in nube sedet, ideo et Filio nubem misit. Atque Helias quidem ascendens, ovinam pellem super Elisæum dimisit : Jesus autem ascendens, gratiarum dona in Discipulos demisit, non unum Prophetam facientia, sed infinitos Elisæos, atque adeo illo multo majores et illustriores. Exurgamus igitur, dilectissimi, et ad reditum illum oculos mentis dirigamus. Etenim Paulus ait : « Ipse descendet de cœ- » lis, in jussu, in voce Archangeli : et nos qui vivimus.

[1] 4 Reg. II. — [2] Isaï. XIX, 1.

» et residui sumus, obviam rapiemur in nubibus, in occur-» sum Domini in aëra [1], » at non omnes. Quod autem non omnes rapiemur, sed alii permansuri sint, alii vero rapiendi, audi quid dicat Christus : « Tunc invenientur duæ » molentes in mola, una assumetur, et una relinquetur : » duo in lecto uno erunt, unus assumetur, et unus relin-» quetur [2], » Quid sibi vult ænigma istud? quid denotat mysterium hoc reconditum? Per molam omnes in paupertate et miseria viventes nobis demonstrat : per lectum autem ac requiem, cunctos divitiis affluentes, et honoribus conspicuos innuit : volensque ostendere etiam ex pauperibus salvandos fore atque perdendos, dixit quod in mola, una assumetur, et una relinquetur, et eorum, qui in lecto erunt, unus assumetur, et unus relinquetur : declarare volens, quod peccatores quidem hic relinquantur, supplicium expectantes : justi autem in nubes rapiantur. Sicut enim rege aliquo in civitatem introëunte, alii quidem in dignitatibus atque honoribus constituti, et qui plurimum gratia apud illum valent, extra civitatem ei progrediuntur obviam : rei autem et criminibus obnoxii, intus servantur, sententiam a rege expectantes : ita etiam quando Dominus advenerit, alii quidem qui fiduciam habent, in medium ei occurrent aërem : damnati vero, et qui multorum sibi conscii fuerint peccatorum, hic præstolabuntur judicem. Tunc et nos rapiemur : non equidem me ipsum in numerum ac calculum rapiendorum referens, dixi : « Nos : » non equidem ita sum expers sensus ac rationis, ut propria ignorem peccata. Et nisi jam metuerem conturbare lætitiam præsentis festivitatis, flerem sane amarissime istius dicti memor, et mea peccata in memoriam revocans. Cum autem præsentis festi lætitiam confundere nolim, hic sermonem finiam, vigentem ac recentem vobis illius diei memoriam

[1] 1 Thess. IV, 16. — [2] Matth. XXIV, 41.

relinquens, ne glorietur dives in divitiis suis, neque pauper se ipsum miserum reputet in paupertate sua, sed quisque prout sibi conscius fuerit, vel hoc, vel illud faciat. Neque enim dives felix, neque pauper miserabilis : sed beatus, imo beatissimus, qui raptu illo in nubibus habitus fuerit dignus, licet omnium fuerit pauperrimus : quemadmodum vicissim qui exciderit, miser, imo miserrimus, quamvis omnium sit ditissimus. Propterea dico, ut qui peccatis obnoxii sumus, lugeamus nos ipsos : at qui bonis operibus clarent, confidant; imo non solum confidant, sed et confirmentur : neque illi lugeant solum, sed et mutentur ac convertantur. Licet enim et ei, qui male vitam ducit, improba postposita vita, ad virtutem transire, iisque qui a principio bene vixerunt, similem fieri, quod et nos studeamus. Et qui bonæ sibi conscii fuerint vitæ, in pietate perseverent, bonam hanc possesionem semper augentes, et priori fiduciæ aliquid continuo addentes. Quid autem diffidentes sumus ac timidi, multorumque nobis peccatorum conscii, mutemur in melius; ut ad illorum quoque fiduciam pertingentes, pariter cuncti atque unanimes cum debita gloria Angelorum Regem suscipiamus, beataque illa lætitia perfruamur in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium cum Patre et sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA.

In ascensionem Domini nostri Jesu Christi, et in principium Actorum II.

I. Divitiæ nobis ac thesaurus æternæque vitæ fontes sunt Servatoris œconomiæ, quas et enarrare cupimus et prædicare festinamus; pro merito autem celebrare non valemus. Verum desiderio capti, et infirmitatem confitentes nostram, ad propheticam illam vocem, ceu ad tranquillum portum confugimus : « Quis loquetur potentias Domini, et auditas » faciet omnes laudes ejus [1] ? » Nam si magnus ille Propheta, cui abscondita et occulta sapientiæ suæ revelavit Deus, qui dignatus est Christi pater vocari, David beatus ille magnus in Prophetis, gloriosus, in regibus, Dei amicus, cujus cor apud ipsum pretiosum erat, ita ut ipse Deus diceret : « Inveni David » filium Jesse, virum secundum cor meum [2]. » Si ille talis ac tantus, magnitudinem divinæ cognitionis respiciens, dicebat : « Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata » est, non potero ad eam [3]. » Si Propheta deficit, dum potentiam ejus respicit; si Paulus theologus cœlestisque illa tuba clamat, « O altitudo divitiarum et sapientiæ et scien- » tiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et » investigabiles viæ ejus [4] ! » Si Prophetarum et Apostolorum linguæ, tot fluenta emittentes quibus repleta est universa terra cognitione Domini, ita ut aqua multa maria tegeret : si tanta taliaque flumina influentia, quæ pietatis mare constituunt, se superari fatentur, us ostendant ejus

[1] Psal. cv, 2. — [2] Act. xiii, 22. — [3] Psal. cxxxviii, 6. — [4] Rom. xi, 33.

qui prædicatur potentiam; tanto sapientiæ pelago proposito, quid esse videbitur perquam exigua verbi stilla? Verum torpere non decet, etiamsi ad magnitudinem theologiæ respiciamus; sed Dei propositum spectantibus divina doctrina fidenter est adeunda. Præmia quippe sua Deus distribuit, non pro dignitate eorum quæ dicuntur, sed secundum prædicantium affectum, et secundum auditorum charitatem. Ac quemadmodum patres prolis amantes, cum filios suos vident balbutientes, et verbis claudicantes, non verba minus articulate prolata respiciunt, sed affectum naturæ : ipsisque omni rhetorico apparatu, et philosophica sublimitate jucundior est illa puerorum balbuties; sic etiam Deus non linguas nostras circa theologiam balbutientes, sed amorem affectumque nostrum respicit, quoniam fide prædicamus et amore celebramus. Non potest enim humana lingua clare loqui, sed quidquid de Deo dicimus, balbutiendo proferimus : « Quare? » quoniam Paulus ipse clamat : « Ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus [1]. » Attamen etiamsi balbutiamus, prædicationem pacis nobis Deus commisit. Quamobrem clamat Hesaïas : « Et linguæ balborum discent loqui pacem [2]. » Agedum communem patrem Dominumque nostrum balbutientes paucis alloquamur, qui dignatus est Discipulis dicere, « Pueruli : » nam si pueros vocat, balbutientes pueros feret. Quoniam vero dixit eum assumptum esse in cœlos, et illa ejus celebranda ascensio prædicata est, non præfinito tempore concluditur gratia, neque diebus circumscribitur theologia.

II. Quandoquidem autem cum ascendere vellemus in montem Olivarum, præpediti sumus, ut Christus novit, et propositum nostrum cohibuit aëris intemperies et populi frequentia. (Hæc porro dico ut eorum, qui id mihi vitio

[1] 1 Cor. XIII, 9. — [2] Isaï. XXXII, 4.

vertere vellent, suspicionem præcidam;) cumque dictorum multitudinem considerantes, dicendi cito finem fecerimus, ne dictorum multitudine memoriam vestram obrueremus, hodie debitum reddimus. Nam lex jussit eum, qui primo mense Pascha non celebrasset, secundo mense debitum solvere. Opus autem est ut sciatis verbum Dei non temporibus, non diebus circumscribi; sed quotidie prædicationem admittere de cruce, de passione, de resurrectione, de ascensione, de secundo adventu.

III. Cumque pauca ex divinis verbis quæ hodie lecta sunt ante prælibaverimus, exque evangelicis fontibus hauserimus, sic ad promissionem accedamus. « Cum sero esset » die illa, una sabbatorum, cum fores essent clausæ ubi » erant Discipuli congregati, venit Jesus [1]. » Ex quo Servator resurrectionem nobis paravit, raro apparet : aliisque a dominica diebus Discipulis sese exhibet. Quemadmodum enim singulis sabbatis synagogam adibat, ut impleret legem; sic ex quo resurrectionem paravit, et pignus mundo attulit, die dominica apparere curavit, una sabbatorum; ut sanctæ dominicæ fundamentum poneret. Nam quæ ad sabbata spectabant, finem habebant, et dominica dies, scilicet resurrectionis, initium ducebat, ut de nuper dictis memoria teneatur. Cur beatus Matthæus sabbata inscribens, et sacris dominicis dans initium, dicebat : « Vespere » sabbatorum [2] ? » Quia finis erat, et vespera priorum sabbatorum, « Quæ lucescit in una sabbatorum [3]. » Apparuit igitur, cum resurrexisset, una sabbatorum ipso die sanctæ festivitatis resurectionis; « Januis clausis, ubi erant Disci- » puli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, » et stetit in medio [4]. » Ubi metus adest, advenit is, qui metum solvit; ubi tempestas ingruit, fulgent ea quæ tran-

[1] Joan. xx, 19. — [2] Matth. xxviii, 1. — [3] Ibid. — [4] Joan. xx, 19.

quillitatem parant; ubi videt scapham fluctibus agitatam, gubernaculum scientiæ affert : procellam sedat, scapham in tranquillum locum ducit, ingruenti timoris morbo remedium adhibet. « Stetit in medio ; » et quid dicit ? « Pax » vobis [1]. » Ne fluctuet mens vestra, ne turbentur cogitationes, ne formidolosis cogitationibus quasi bello moveamini : « Pax vobis. » Pax bellum de medio tollit, metum solvit, inimicitiam eliminat. « Pax vobis. » Pax a Deo sæpe data hominibus est, at non auctoritate præsentiæ et personæ suæ ; sed per Angelos, per Prophetas : solus Servator, ipse præsens, pacem dedit. Danieli pax data est, sed per Angelum. Visus est Danieli Angelus, et dixit : « Pax tibi, vir de- » sideriorum, fortiter viriliterque age, Dominus tecum [2]. » Visus est quoque Gedeoni Angelus, et dixit : « Pax tibi [3], » Angeli itaque pacem dederunt ; sed nondum Dominus Angelorum : per nuntios misit ; quod evangelicam pacem sibi reservaret. Prophetæ vero cum sæpe ab Angelis pacem accepissent, pacem sitiebant ipsius persona et auctoritate datam. Ideo clamabat Hesaïas : « Domine Deus noster, pa- » cem da nobis [4]. » Non per alios, sed te ipsum pacem da nobis : deinde secundum precationem responsio profertur : « Pacem meam do vobis, et cum hoc dixisset, ostendit eis » manus et latus [5]. » Quemadmodum enim dux e bello reversus, victricibus plagis ornatus, vulnera non erubescit ; sunt enim illa coronis ipsis splendidiora; sic et Servator vulnera pro veritate, et pro communi genere nostro accepta non tegit, sed revelat, ut suam demonstret fortitudinem. Ostendit manus, in quibus erat fixura clavorum : ostendit et latus, unde nobis fons mysteriorum scaturivit. Ostendit manus, ut resurrectioni fidem faceret, ut certiores faceret

[1] Joan. xx, 19. — [2] Dan. x, 19.— [3] Judic. vi, 23.— [4] Isaï. xxvi, 12. — [5] Joan. xx, 20.

eos, qui dubitarent, eum, qui passus fuerat, resurrexisse, corpusque vere mortuum et sepultum revixisse.

IV. « Gavisi sunt Discipuli viso Domino [1]. » Pax data est, metus solutus est, gratia floruit. Dixit ergo illis : « Iterum » pax vobis [2]. » Cur iterum? ubi vult dona gratiæ fundare, benedictiones iterat : quemadmodum fecit et Abrahamo : « Benedicens benedicam tibi, et multiplicans multiplicabo » te [3]; » sic tum proximis, tum procul positis paci pacem adjicit : « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos [4]. » Attende, quæso; vide quomodo ad humanam formam œconomiam rapiat. Non dixit : « Sicut genuit me Pater : » missio enim humanam formam ostendit. Id vero frequenter indicamus, quia id œconomiam declarat. Ubi, inquit, nudam naturam profert, Patrem atque Filium prædicat. « Sicut » misit me. » Quomodo misit te? Attende, quæso. Missus es Dominus de cœlo, quo pacto ita mittere potes ut Pater te misit? Non modum, inquit, missionis significo, cum dico, « Sicut misit me, » sed virtutem ejus. Missus sum ut patiar pro mundo, mittam vos ut passionibus vestris orbem coronem : et quia non potuit mortalis natura dominicam similitudinem assequi, addit : « Et cum hæc dixisset, in- » sufflavit, aitque illis : Accipite Spiritum sanctum [5]. » Attende : cur insufflavit Servator in Apostolos ipso resurrectionis die? An nonnisi insufflando poterat Spiritum sanctum dare? Verum quia cum primum hominem formaret, « In- » sufflavit in faciem ejus, et factus est homo in animam » viventem [6], » sed insufflationis illius gratiam per prævaricationem perdidit, et post quam vivificam illam vim perdiderat, in pulverem resolutus est, et in sepulcro ejus opificium dissolvit; ut figmentum suum renovaret, et priscum illud donum restitueret, insufflavit in faciem Apostolorum

[1] Joan. xx, 20. — [2] Ibid. — [3] Gen. xxii, 17. — [4] Joan. xx, 21. — [5] Ibid. 21. — [6] Gen. ii, 7.

veterem illam et vivificam vim, figmentoque suo illam restituit. Ac simul implebantur Prophetarum dicta. Beatus quippe Nahum propheta, cum prævideret futurum esse, ut Servator a mortuis resurgens insufflaret in sanctos Apostolos, et impleret eos divino munere, populo testificabatur his verbis : « Celebra, Juda, festa tua, redde Deo vota tua : » non adjicient ultra venire in antiquationem : consumma- » tum est. Ascendit enim ex terra qui insufflet in faciem » tuam, et qui liberet te de tribulatione [1]. Tunc dixit : Pax » vobis : et cum hoc dixisset, insufflavit, et dixit eis : Ac- » cipite Spiritum sanctum [2]. » Quia videbat humanam naturam in laboribus dejectam, et ob infirmitatem certamina recusantem, id quod deficiebat, implet virtute Spiritus, ut illam imbecillitate labantem consolaretur : ac ceu ferrum quodpiam divina gratia acuit illam, ut quod ex natura sua non habebat, ex gratia acciperet, et virtute Spiritus firmata, certamina adiret. « Accipite Spiritum sanctum : sicut misit » me Pater, et ego mitto vos [3]. » At tu ut Servator egressus, vidisti peccatores, et miseratus es illos; peccatorum nobis veniam dedisti. Superior est gratia : incidimus in abyssum peccatorum : multi sunt peccatores, multa opus est gratia. Auctoritatem non habemus : quomodo possumus mitti ut tu missus es? Quamobrem ut impleretur illud : « Sicut » misit me Pater, et ego mittam vos, » dicit : « Quorum re- » miseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, » retenta sunt [4]. » Quam habet potestatem, dat. Quemadmodum fieri nequit ut gens principi committatur, si non habeat veniæ, mortis ac supplicii potestatem; sic et Servator, illos constituturus principes orbis, dat illis et supplicii et veniæ potestatem, his verbis : « Quorum remi- » seritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis,

[1] Nahum. I, 15, et II, 1. — [2] Joan. XX, 22. — [3] Ibid. 21. — [4] Ibid. 23.

» retenta sunt. » Nullo enim pacto potest quis aut martyrium fortiter subire, aut diligenter prædicare, aut quid magnum difficileque præstare, nisi Martyris animum roboret Spiritus sancti virtus : alio quippe modo non possunt Martyres esse. Martyrem vero nunc dico, non modo qui cruciatibus consummatus sit, sed etiam qui verbo gratiæ sit testificatus. Quivis enim veritatis præco, Martyr est Dei. Quapropter de Joanne Baptista dicit Evangelium ; « Et testificatus » Joannes veritati, dicens ; Hic est [1]. » Martyr non patiendo, sed clamando efficitur. Non possunt Martyres esse divini Verbi, nisi sancto Spiritu roborentur. Ideo resumens Servator dicit : « Vos autem manete in civitate Jerusalem, donec » induamini virtute ex alto, et accipiatis virtutem superve- » nientis Spiritus sancti [2] ; » virtutem, quam qui non acceperint, non possunt esse Martyres seu testes.

V. « Thomas autem unus ex duodecim, quid dicitur » Didymus, non erat cum eis [3]. » Erat autem magna illa Christi œconomia, quod Thomas non adesset, ut ejus dubitatio clariorem certioremque efficeret resurrectionem. Nisi enim Thomas defuisset, et de resurrectione dubitasset, ac dubitationi certum argumentum Servator opposuisset, futurum erat ut resurrectionis miraculum plurimis adhuc offendiculo esset. Verum ejus dubitatio fidelibus cunctis remedium attulit. Cum itaque venit, dixerunt ei alii Discipuli : « Vidimus Dominum. » Illi gloriabantur de iis, quæ viderant ; hic vero contradicendi quodam studio captus est, non incredulitate, tanta res est dubitatio ! Cum certior fieri peroptaret, non dixit : « Id fieri nequit. » Attende diligenter. Non negavit resurrectionem ; non dixit : « Impossibilia dicitis, res impossibiles annuntiatis ; » sed certior fieri voluit dicens : « Nisi videro in manibus ejus fixuram clavo- » rum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam :

[1] Joan. I, 32. — [2] Luc. XXIV, 49. — [3] Joan. XX, 24.

»et post dies octo [1]. » Vide quomodo alia dominica, nam a dominica in dominicam sunt octo dies. « Post dies octo »a resurrectione venit iterum Jesus, januis clausis, et ste»tit in medio et dixit : Pax vobis [2]. » Quia pridem eodem in loco his dixerat : « Pax vobis ; » hic semel dicit, ut ex sancta Trinitate perfectum et integrum donum faceret. «Pax vobis. Deinde dicit Thomæ : Infer digitum tuum huc [3]. » Attende, quæso. Non expectat Servator donec a Discipulis Thomæ dubitationem audiat : non docetur prius quam doceat, sed ut persuadeat ipsi se præsentem fuisse, licet non appareret ; et ut dubitationis inqui-itor sit, ait Thomæ : « Infer digitum tuum huc, ut dixisti, et vide manus meas : »et infer manum tuam, et mitte in latus meum : et noli »esse incredulus, sed fidelis [4]. » Ostendit eum, qui evidens indicium quærit, non esse fidelem ; sed eum, qui fidei se subjicit, fidelem esse. Similis est is, qui investigat latus Christi, et fixuras clavorum ei quid dicit : « Quomodo genitus est? » Imo non similis. Ille quippe quærebat in carne videre fixuras clavorum, quæ sub aspectum et sensum cadebant : cupiebat videre rem peractam, quam ante sciebat : « Tu vero qui curiose perquiris naturam invisibilem, substantiam incomprehensibilem, generationem ineffabilem, genitorem inenarrabilem, genitum incomprehensibilem, annon gravius prævaricaris? Annon es infideli deterior? Si quod latus investigaverit beatus Thomas, audivit, « Noli »esse incredulus, sed fidelis ; » tu qui incorpoream et incomprehensibilem virtutem scrutaris, noli esse incredulus, sed fidelis. Attamen Dei indulgentiæ gratias agimus, quod Thomæ digitus pietatis calamus fuerit, qui hæretica retia subverteret, et eorum ora obturaret, qui dicere auderent illum specie induisse corpus, specieque tantum mortuum esse. Digitus vero Thomæ hæreticorum dubitationem ita

[1] Joan. xx, 25. — [2] Ibid. 26. — [3] Ibid. 27. — [4] Ibid.

solvit, ut ille digitus, contra quem nihil potuerunt Magi Ægyptiorum dicentes : « Digitus Dei est hic [1]. » Par erat Thomam post certum illud acceptum indicium, illud Davidis proferre : « In die tribulationis meæ Deum exqui-» sivi [2]; » et quia manibus scrutabatur, sequentia addere, « Manibus meis nocte contra eum, et non sum decep-» tus [3]. Noli esse incredulus, sed fidelis. » Ille et a fixura eum, qui passus erat, conspexit, et a prævia cognitione Deum dicit : « Dominus meus et Deus meus. »

VI. Audiant hæretici. Si vere id recusat, nec est æqualis Patri, cur exuperantem honorem non rejicit? Audivit a quonam, « Magister bone, » et dixit : « Cur me dicis bo-» num? nemo bonus nisi unus Deus [4]. » Licet illud « Bonus, » etiam apud nos in usu sit. Illud « Bone » audire, ut tu suspicaris, aliquando recusavit; annon illud « Deus et Domi-» nus » multo magis recusare debuit? « Magister bone, » ac dicit, « Cur me dicis bonum? » Hic autem, « Dominus meus » et Deus meus, » et non dicit : « Cur me dicis Dominum et Deum? » Sed ibi quia se indigna vox erat; non enim dixit : « Domine bone, » sed, « Magister bone; » vilitatem respuit ac rem gloriosam sibi admisit. Hic quoque reprehendit, sed contraria de causa reprehendit, quoniam id tardius dixerat. Reprehendit illum, non quod dixisset, « Dominus » meus, » sed quod tardius dixisset. « Quia igitur vidisti me, » credidisti : beati qui non viderunt, et crediderunt [5]. » Unus reprehensus est, et nos omnes beati vocati sumus : illa quippe beatitudo ad nos omnes pertransit, et ad eos qui nobiscum sunt; quia cum miracula illa non visu percepe-rimus, sed fide acceperimus, participes tamen sumus magnæ illius gloriosæque beatitudinis.

VII. Sed ab historia (3), quam compendio tractavimus,

[1] Exod. VIII, 19. — [2] Psal. LXXVI, 3. — [3] Ibid. — [4] Matth. XIX, 16. — [5] Joan. XX, 29.

pertranseamus, si ,amen dictorum copia non defatigati estis, ad aliam propheticam vocem : « Venite, ascendamus »ad montem Domini [1]. » Etenim a monte Olivarum assumptus est Servator. « Venite, ascendamus ad montem »Domini, et ad domum Dei nostri. » Diem autem illam Deus ejusdem nominis honore dignatus est, quo mons appellabatur. Etenim illic ex monte qui vocabatur Oliveti, assumptus est Servator, et hic etiam plantatur oliva, quæ et propinquitate et nominis societate veteri historiæ fidem facit. Nam duxit Servator Discipulos in montem Olivarum e regione Jerusalem. Et illi et huic igitur animum adhibeas : « Venite, ascendamus ad montem Domini. » Una ascendamus desiderio et verbo : eaque videamus, quæ salutaris illa Assumptio nobis operata est.

VIII. Volo itaque (4) hunc librum sumere, ac minutatim a principio examinare, ut divina fluenta vobiscum hauriam : atque ut veritatis institores thesauros ejus una scrutemur, utpote qui studeamus in pietate ditescere. « Acta, »inquit, Apostolorum. » Vel ipse titulus rerum vim totam enuntiat, estque proœmium totius operis pollicitatio. Neque tamen omnium Apostolorum acta hoc in libro feruntur : sed si quis rem accurate scrutetur, quæ prima feruntur in libro, Petri miracula et doctrinam exhibent, pauca de reliquis Apostolis; post hæc vero de Paulo totus liber absolvitur. Petrus memoratur et Paulus, et quomodo omnium Apostolorum sunt acta? Verum quia secundum Paulum cum gloria afficitur unum membrum, gloria item afficiuntur omnia membra, ideo non inscripsit Historiographus Acta Petri et Pauli ; sed Acta Apostolorum : communis est pollicitatio. Quærimus ergo quis hunc Actorum librum adornaverit : varii enim in varias sunt sententias. Alii dicunt ejus auctorem esse Clementem Romanum, alii

[1] Isaï. II, 5.

Barnabam, alii Lucam evangelistam. Quoniam igitur illi in varias abeunt sententias, ipsum scriptorem pro interprete accipiamus; quisnam ille sit, quid agat; et num de se ipso quidpiam significet. « Primum quidem sermonem » feci de omnibus, o Theophile [1]. » Cum dixit, « Primum, » mentem nostram alio remittit, ut quæramus quem primum dicat sermonem. Nam si hunc solum edidisset, non diceret : « Primum feci. » Hic igitur liber secundus esse deprehenditur. Primum jam feci : quem vero primum fecerit, ipse indicat : « Primum quidem sermonem feci de omnibus, o » Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere [2]. » Primo sermone non Acta edidit, sed Evangelium, non ea scripsit quæ Petrus et Paulus fecerunt, sed « Quæ cœpit Jesus fa- » cere et docere. » Palam igitur est Lucam, qui Evangelium scripsit, etiam Acta edidisse. Verum attende, videamus num ipe sit. « Primum quidem sermonem feci de omnibus, » o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere, usque in » diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, » quos elegit, assumptus est [3]; » ac si diceret : « Narravi acta et doctrinam Servatoris usque ad assumptionem. Animum adhibete, obsecro. Primus, inquit, liber meus complectitur opera Domini et doctrinam ejus, pertingitque primus ille liber usque ad assumptionem. » Comperies autem nec Matthæum ex toto, nec Marcum nisi ex parte tantum, nec Joannem complevisse totum Evangelium usque ad assumptionem, sed unum Lucam. Nam Matthæus hunc habet Evangelii finem : « Undecim autem Discipuli abierunt in » montem Galilææ, ubi constituerat illis Jesus. Visus est » autem illis, et adoraverunt eum, et dixit : Euntes docete » omnes gentes. Et ecce ego vobiscum sum omnibus die- » bus usque ad consummationem sæculi [4]. » Et hic finis Evangelii. Quomodo autem assumptus sit non dixit. Marcus

[1] Act. I, 1. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 2. — [4] Matth. XXVIII, 16-20.

similiter dicit : « Et egressæ sunt mulieres de monumento, » et nemini quidquam dixerunt : timebant enim [1]. » Et paucis interpositis, de assumptione sic breviter loquitur : « Et » Dominus quidem post quam locutus est eis assumptus est » in cœlum, et sedet a dextris Dei. Illi autem profecti præ- » dicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem con- » firmante sequentibus signis. Amen [2]. » Hic finis Evangelii. In Marco assumptionis mentio non est fuse descripta. Joannes vero Salvatorem ad stagnum Tiberiadis apparuisse narrat, aitque : « Dicit Petro : Petre diligis me [3] ? » et dialogum implevit. Certe Joannes hic stetit, nec memoravit assumptionem ; sed dicit : « Multa quidem alia signa fecit » Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror » mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros [4]. » Nec Joannes itaque, nec Matthæus omnino assumptionem memorarunt, nec Marcus fuse descripsit. Verum Lucas usque ad assumptionem librum protulit. Ideo dicit : « Pri- » mum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, » quæ cœpit Jesus facere et docere, usque in diem qua præ- » cipiens Apostolis, quos elegit, assumptus est [5]. »

IX. Quis est hic Theophilus? Illo tempore præfectus erat, et in præfectura sua prædicationem suscepit; ac quemadmodum proconsul Cypri, Pauli prædicationem in proconsulate suscepit ; sic et Theophilus dum præfectus esset prædicationem admisit Lucæ ministerio. Rogavit autem et beatum Lucam, ut Apostolorum acta sibi conscriberet. Servatoris, inquit, gesta me docuisti ; doce me etiam gesta Discipulorum, ideo illi secundum librum nuncupat. Etenim Evangelium secundum Lucam ad Theophilum scriptum est : undenam id probetur ipse indicat. « Quoniam » quidem multi conati sunt ordinare narrationem rerum,

[1] Marc. xvi, 8.— [2] Ibid. 19, 20.— [3] Joan. xxi, 15. — [4] Ibid. 25. — [5] Act. i, 1.

» de quibus certiores facti sumus, sicut tradiderunt nobis, » qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis : » visum est et mihi, assecuto omnia a principio, diligen- » ter ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognos- » cas eorum verborum, de quibus eruditus est, veritatem [1]. » Illud vero, « Optime, » est quasi, « Splendidissime : » tunc enim splendidissimis hæc dignitas tribuebatur. Undenam id perspicuum est? Festus præses dicit Paulo : « Insanis, » Paule : » cui ille; « Non insanio, optime Feste [2], » præsi- dem sic compellans : et hic « Optime Theophile. » Cum itaque de Evangelio primum Lucas locutus esset, quod nuncupa- verat Theophilo. rursus secundum librum eidem Theo- philo nuncupat. Quem librum ? « Primum quidem sermo- » nem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere » et docere. » Et quousque sermonem fecisti? « Usque in » diem, qua præcipiens Apostolis, quos elegit, assumptus » est. » Est autem illud per hyperbaton seu transpositio- nem dictum. Evangelium composui usque in diem, qua assumptus est, post quam Apostolis, quos elegerat, præ- cepta dedit. Animum adhibe, quæso. « Quibus et præbuit » se ipsum vivum post passionem suam. » Vide Evangelistæ fi- duciam : ne in Actibus quidem theologiam relinquit. Non dixit: « Quibus apparens; » sed, « Quibus præbuit se ipsum vi- » vum. » Nam « Solvite, inquit, templum hoc, et in tribus » diebus excitabo illud [3]. Quibus præbuit se ipsum vivum » post passionem suam in multis argumentis per dies qua- » draginta apparens eis, et loquens de regno Dei [4]. »

X. Attende, quæso : « In multis argumentis per dies » quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei. » Per illos quadraginta dies, non quotidie apparebat eis. Etenim post resurrectionem, magnam carni suæ vim indidit ad fi- dem conciliandam, ne, si frequentius appareret, magnitu-

[1] Luc. I, 1-4. — [2] Act. XXVI, 24. — [3] Joan. II, 19. — [4] Act. I, 5.

dinem virtutis solveret. Oportebat enim illum post resurrectionem cum divinis signis apparere, nec se frequentius in conspectum dare. Ideo dicit, « In multis argumentis per » dies quadraginta. » Non enim se in conspectum dabat; sed erant hæc argumenta ipsum esse probantia. Apparebat enim alia forma, alia voce, alio habitu. Astabat Apostolis frequenter, nec ab eis cognoscebatur. Adiit piscatores Petrum et socios, aitque : « Filioli, numquid habetis ad man » ducandum [1] ? » et non cognoverunt eum, non formam, non vocem, dicitque : « Mittite ad dexteram navigii, et in- » venietis [2] : » ac cum misissent, multa piscati sunt. Cum itaque non ex conspectu perciperent, ex argumentis virtutis percipiebant. Quapropter evangelista Joannes dicit Petro : « Dominus est [3], » non visu suadente, sed argumento virtutis. Ideo clamat Lucas, « In multis argumentis per dies » quadraginta apparens eis, et loquens. » Neque solum apparebat, sed etiam quandoque videbatur. Re diligenter observata, comperimus ipsum undecies visum fuisse sanctis Apostolis, et tunc assumptum fuisse : quia enim undecim habebat Discipulos, post quam Judas expulsus fuerat, ac per nefariam proditionem, et locum suum et dignitatem perdiderat, undecies Apostolis apparet; non omnibus simul, sed variis modis, aliquando quibusdam, ut cum decem illis apparuit, absente Thoma. Rursum apparuit præsente Thoma. Numerum vero quærimus, quomodo constet eum undecies apparuisse propter undecim Apostolos. Primum apparuit Mariæ in monumento, nec non aliis mulieribus : nam mulieres illum prius, quam alii omnes, conspexerunt, quas et beatus Hesaïas compellat : « Mulie- » res a spectaculo venientes, venite et annuntiate nobis [4]. » Apparuit igitur mulieribus. Si quis voluerit calculum ducere, videat num circa numerum erremus. Primo mulieri-

[1] Joan. xxi, 5. — [2] Ibid. 6. — [3] Ibid. 7. — [4] Isaï. xxvii, 11.

bus Mariæ et reliquis : deinde Petro ; postea Cleophæ et socio in via, cum Emmaüs irent, cumque in fractione panis cognitus est. Undenam id liquet, quod Petro apparuerit ante, quam his duobus? Ingressi sunt illi duo Cleophas et socius a vespera, ut annuntiarent Discipulis se vidisse Dominum. Et invenerunt Apostolos dicentes : « Vere surrexit » Dominus et apparuit Simoni [1]. » Dum illi duo quod viderant annuntiarent, fama præcesserat, quod Petrus vidisset Dominum. Hoc et Paulus significat his verbis : « Tradidi » enim vobis in primis quod et accepi, quod Christus mor» tuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas, et quod » resurrexit et visus est Cephæ, deinde undecim Discipu» lis [2]. » Primum Petro, deinde illis. Apparuit igitur mulieribus primo, deinde Petro, postea Cleophæ et socio tertium, deinde decem Discipulis, non præsente Thoma ; deinde undecim Discipulis, præsente Thoma. Ecce jam quinquies apparet. Postea quingentis fratribus ; illud enim Paulus indicat his verbis : « Deinde visus est plus quam quingentis fratri» bus una vice, ex quibus plerique manent usque ad hoc » tempus [3]. » Ecce jam sexto : postea septem illis ad mare Tiberiadis. Deinde Jacobo secundum Paulum. Sub hæc Apostolis omnibus. Animum adhibe, quæso. Habes igitur primo mulieres, Petrum, Cleopham et socium, visionem Thoma absente, visionem undecim Apostolorum, visionem quingentorum fratrum. Ecce jam sexto ; septimo, illis septem ; octavo, Jacobo ; nono septuaginta Discipulis ; decimo in monte Galilææ ; undecimo in monte Olivarum. Cum in resurrectione Dominus sæpe pacem repetierit, absurdum esset nos hunc calculum non repetere ad confirmationem. Habes igitur primo, mulieres ; secundo Petrum ; tertio, Cleopham et socium, quarto, decem Apostolos ; quinto, undecim Apostolos ; sexto, quingentos ; septimo, septem

[1] Luc. XXIV, 34. — [2] 1 Cor. XV, 3-5. — [3] Ibid. 6.

illos; octovo, Jacobum; nono, septuaginta Discipulos; decimo, in monte Galilææ; undecimo, in monte Olivarum.

XI. « Apparens eis per dies quadraginta, et loquens de » regno Dei. Et convescens præcepit eis ab Jerosolymis ne » discederent; sed expectarent promissionem Patris [1]. » O magnam Servatoris tolerantiam! o bonitatem! Esto, Domine, ante passionem una vixeris, una recubueris cum Discipulis; quare post resurrectionem convesceris? ut ex his, inquit, Thomam de resurrectione certiorem faciam. Si namque, post quam id ita gestum est, etiam nunc sunt qui resurrectionem non credant; si id non factum esset, si non comedisset et bibisset cum illis, quis effrenata eorum ora compescuisset, qui de Servatoris œconomia quælibet temere proferre audent? Hinc discimus divinam et mysticam mensam honorare. Sæpe contigit ut ea, quæ sermones non emendaverant, mensa emendaret. Sæpe sexcenti conciliatores ne unam quidem inimicitiam solvere potuerunt, et una mensa bella sedavit. Ab iis, quæ præcesserunt, hujus rei argumentum accipe. Non cessabamus inimici esse Dei, adversus divinum verbum bellum gerentes, ut dicit Paulus : « Inimici cum essemus, reconci- » liati sumus Deo per mortem Filii ejus [2]. » Inimici eramus? Missa fuit lex, nec reconciliavit : venerunt Prophetæ, et non persuaserunt; qui inimici Dei erant inimici manserunt et hostes. Multi tyranni contra veritatem, multi Dei hostes erant contra piam religionem, multa verba, multæ doctrinæ fuere, neque bellum sedarunt. Venit Christus, mensam fundavit suam, se ipsum proposuit in cibum, et dixit : « Accipite, manducate [3], » et statim bellum solvit, pacique triumphum attulit. In Ægypto Dei hostes plagis afficit, et nemo obsequitur : tyrannos perculit, et nemo obtemperat. Hic se ipsum proponit in cibum, et omnes

[1] Act. 1, 4. — [2] Rom. v, 10. — [3] Matth. xxvi, 26.

erubescunt et obtemperant. Flagellis non persuadebat, et cum comeditur persuadet : cum comeditur, inquam, in mystica mensa. Nam « Ego, inquit, sum panis qui de cœlo » descendit, et dat vitam mundo [1]. » Et convescens loquebatur de regno Dei : et « Præcepit eis ab Jerosolymis ne » discederent, sed expectarent promissionem Dei Patris, » quam audistis » a me. Esto audierimus a te, dixisti enim : « Ascendo ad Patrem meum [2], » et consolabor vos, et mittam vobis Spiritum veritatis Paracletum. Tu dixisti, Pater vero quandonam promisit? Non dixit : « Ut expectarent promissionem meam, sed promissionem Patris, quam audistis. Pater promisit, ego monui. » Ubinam promisit? Si evolveris totum Evangelium, non invenies Patris vocem promittentis se Discipulis daturum esse Spiritum sanctum. Ubinam ergo promisit? In Prophetis, ut dicit Paulus. « Paulus ser- » vus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evan- » gelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in » Scripturis sanctis de Filio suo [3]. »

XII. Cum prius ergo promiserit Evangelium, prius promisit etiam se daturum esse Spiritum sanctum. Ubinam illa promissio? Vobiscum quæro quasi unus ex vobis; cum vere unus ex vobis sim fide et charitate erga Christum. Sæpe namque vestræ charitati dixi, oves et pastores ex humana divisione sic vocari; nam erga Christum omnes sumus oves. Etenim tam pastores, quam ii qui pascuntur, ab uno superno pastore pascuntur. Ubinam ergo promisit? Dicit Deus per prophetam Joël : « In novissimis diebus, » dicit Dominus omnipotens, effundam de Spiritu meo su- » per omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ » vestræ [4]. » En igitur promissionem, eventus quandonam? Cum descendit Spiritus sanctus in Apostolos, et distribuit eis linguarum divisionem, et loquebantur linguis. In ebrie

[1] Joan. VI, 41. — [2] Id. XX, 17. — [3] Rom. I, 1. — [4] Joël. II, 2

tatis suspicionem vocabantur, dicitque Petrus : « Viri Israë-» litæ, quid attenditis his hominibus quasi ebriis, cum sit » hora diei tertia? Sed hoc est quod dictum est per prophe-» tam Joël : In novissimis diebus, dicit Dominus, effundam » de Spiritu meo super omnem carnem [1]. » Hæc est Patris promissio. At undenam liquet promissionem ex persona Patris esse, quandoquidem novi etiam Filium in Prophetis locutum? Undenam liquet Patrem hoc dixisse : « Effun-» dam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophета-» bunt filii vestri et filiæ vestræ. Dabo, inquit, signa in » cœlo sursum, et in terra deorsum; sanguinem, et ignem, » et vaporem fumi [2]. » Dixi sæpe, sanguinem e latere fluentem. Signum enim erat maximum a cruento corpore sanguinem effluentem videre, sanguinem e latere manantem, ignem in Apostolos descendentem. « Sanguinem, et ignem, » et vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, et luna in » sanguinem, antequam veniat dies Domini magna et illus-» tris [3]. » Animadverte loquentem Deum Patrem, quomodo Filium indicet, quando dicit : « Antequam veniat dies » Domini; » non dicit : « Dies meus : » quid igitur? Si tu das signa, cur in alium intelligentiam transfers dicens : « Ante-» quam veniat dies Domini magnus et illustris? » Animum adhibe, forte dicat quispiam Prophetam loqui ex sua propria persona : « Antequam veniat dies. » At non poterat dicere Propheta : « Effundam de Spiritu meo super omnem » carnem, antequam veniat dies Domini magnus et illustris. » Et erit, omnis quicumque invocaverit nomen Domini, » salvus erit [4]. » Hoc itaque Deus in Prophetis dicit. Paulus vero hæc adjicit; « Ipse autem Dominus omnium, dives in » omnes, qui invocant illum. Omnis enim quicumque invo-» caverit nomen Domini, salvus erit [5]. » Deinde ostendens

[1] Act. II, 15-17. — [2] Ibid. 19. — [3] Ibid. 20. — [4] Ibid. — [5] Rom. X, 12, 13.

hoc de Christo dictum esse, ait : « Quomodo ergo invoca-» bunt, in quem non crediderunt? Quomodo credent ei, » quem non audierunt? quomodo vero audient sine prædi-» cante? quomodo autem prædicabunt, nisi mittantur? » sicut scriptum est : Quam speciosi pedes evangelizantium » pacem, evangelizantium bona [1]! » Animum adhibe, quæso. « Præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expec-» tarent promissionem Patris, quam audistis a me; quia » Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabi-» mini Spiritu sancto, non post multos hos dies [2]. » Decem erant dies usque ad Pentecosten, in qua apparuit Spiritus sanctus, et baptizavit Apostolos, non aqua, sed igne.

XIII. Hic itaque solvitur quæstio a plurimis mota. Multi quæsierunt, num ante Salvatoris passionem baptizati fuerint Apostoli baptismo evangelico. Nos vero neque sententiam dicimus, neque ratiociniis humanis tantam controversiam aggredimur, sed Scripturis hæremus. Comperimus Apostolos ante passionem Christi baptisma Joannis Baptistæ accepisse. Servator autem ante passionem aliud baptisma non dedit, ne Joannis prædicationem abrogaret, ansamve contradicendi Judæis præberet, quod ad Joannis Baptistæ contumeliam, aliud sibi proprium baptisma induxisset, sed illos sinebat pignus aquæ habere, reservans illis gratiam Spiritus. Quamobrem quasi nondum accepissent Spiritum, ait, « Accipite Spiritum sanctum; » addit-que : « Abite Jerosolymam, et expectate promissionem Pa-» tris, quam audistis a me; quia Joannes quidem baptizavit » aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post » multos hos dies; » non ulterius aqua, jam enim acceperant, sed Spiritu sancto : non addit aquam aquæ, sed complet id quod deficiebat. « Vos autem baptizabimini in Spi-» ritu sancto non post multos hos dies; » scilicet post decem

[1] Rom. x, 14, 15. — [2] Act. 1, 4, 5.

dies. Quod opus est intervallo? Quod intervallum? Decem dies quæ intercesserunt, quibus Apostolorum fidem exercitavit. Nam quiescente gratia, et nemine apparente, eorum fides exercebatur, num quasi veracem expectent eum, qui pollicitus est. Promisit enim dicendo, « Non post mul» tos dies. » Non definivit dies; non omnia nos scire concedit, sed ostendit se mensuram tenere dominicæ auctoritatis. Quæ audis, disce; quæ non didiceris, ne curiose inquire. « Vos autem baptizabimini in Spiritu sancto. » Cum igitur Spiritus sanctus supervenit eis in die Pentecostes, replevit totam domum ubi erant sedentes, ut baptizati essent in Spiritu sancto, velut in aqua. Ea vero, quæ in hac visione sub aspectum non cadebant, commiscet cum iis, quæ sub sensum cadebant, ut donum linguarum. Baptizati sunt ergo in Spiritu : quod autem Spiritum accipere idipsum esset quod baptizari in Spiritu, testificatur alia historia. Cum enim Petrus reprehenderetur ab aliis Discipulis : « Cur ingressus es ad viros gentiles, et instituisti eos? » respondit : « Ego eram in Joppe urbe. Cornelius autem quidam centurio misit ad me, et abiens docebam eum : factum est autem cum loquerer, decidit in eos Spiritus sanctus, sicut et in nos in initio. Et ut ostenderet Petrus, quod accipiendo Spiritum sanctum Cornelius et socii baptizati fuissent, dixit : « Statim recordatus sum verborum Do» mini, sicut dicebat : Joannes quidem baptizavit aqua, vos » autem baptizabimini in Spiritu sancto [1]. »

XIV. Erant igitur ante passionem Apostoli aqua loti : lavacrum autem illud erat in remissionem peccatorum; sed non erat participatio Spiritus sancti. Nam « Venit, inquit, » Joannes prædicans in deserto baptismum pœnitentiæ in » remissionem peccatorum [2]. » At undenam sciemus hunc baptismum accepisse Apostolos? Hoc demonstremus. Non

[1] Act. xi, 16. — [2] Marc. i, 4.

dixit: « Joannes baptizavit vos aqua; » sed, baptizavit tantum. Nondum palam est eum Apostolos baptizasse. Undenam ergo id liquidum? Cum Petrus repugnando diceret: « Do- » mine, non mihi lavabis pedes in æternum; » respondit Servator: « Nisi lavero te, non habebis partem mecum. » Respondit Petrus: Domine, non tantum pedes, sed et » manus et caput. » Respondit Servator: « Qui lotus est, » non indiget nisi ut pedes lavet [1]. » Vides quo pacto lava- crum confirmaverit: ubi namque non nominatur Pater et Filius et Spiritus sanctus, baptismus pœnitentiæ est; ubi vero nominatur, baptismus adoptionis. Servator non abro- gavit baptismum pœnitentiæ, sed complevit, et adjecit baptismo in Trinitate, baptismum sancti Spiritus. Hæretici vero, quantum in ipsis fuit, baptismum in Trinitate consti- tutum abrogarunt. Non reveriti sunt dominicam vocem: « Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet. Vos autem » baptizabimini in Spiritu sancto non post multos hos dies. » Dehinc ostenditur aviditas humanæ naturæ ejusque curio- sitas: quoniam proprium est hominibus interrogare, quan- donam consummatio, quando veniet Christus; post quot annos finis aderit, quandonam regnum cœlorum apparebit. Apostoli humanis exercitati incommodis ex Servatore scis- citantur. « Igitur qui convenerant interrogabant eum di- » centes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum » Israël [2]? » Quoniam dixerat ipsis, « Cum venerit Filius » hominis in gloria sua, » dicunt ei: « Si in tempore hoc; » discere cupiebant an e propinquo esset expectatio, an pro- cul salus. Quibus Servator, « Non est vestrum nosse tem- » pora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate [3]. » Apostolis ne tempora quidem explorare fas erat; et hære- ticis licitum erit substantiam tempora excedentem, et na- turam æternam scrutari? Cum hæreticus quispiam ita

[1] Joan. XIII, 8-10. — [2] Act. I, 6. — [3] Ibid. 7.

quæsierit, quo pacto genuit Pater? quis generationis modus? tu illi dominicam vocem reponas, « Non est vestrum » nosse tempora vel momenta; » non est vestrum nosse Dei generationem et substantiam; nec tantum non est vestrum, sed neque Angelorum, neque Archangelorum, neque cujusvis creatæ potestatis. Sed cujusnam est nosse? « Nemo » novit Patrem nisi Filius, neque Filium nisi Pater; » neque profunda Dei, nisi Spiritus Dei : « Non est vestrum » nosse tempora vel momenta. » Non revereris Apostolorum modum? qui cum Servatore vixerant, quibus ipse apparuit, qui ab illo illuminati, illud tamen nosse non permittuntur, sed docentur modum suum non transcendere, illudque audierunt, « Non est vestrum nosse tempora vel » momenta? » Et tu scrutaris? Daniel quidem didicit tempora et momenta; nam ait : « Septuaginta hebdomades » abbreviatæ sunt super populum tuum; a verbo dierum » exitus, ut ædificetur templum; hebdomades septem, et » hebdomades sexaginta et duæ et una [1]. » En hic tempora ediscere potuit; verum ex illa temporum ratione hominum audaciam refrenat; ut discant se, si hæc tempora ediscere non permittantur, multo minus debere divinam generationem scrutari. « Non est vestrum nosse tempora vel mo- » menta, quæ Pater posuit in sua potestate. » Ergo-ne Filius non posuit in sua potestate; sed in potestate Patris sunt sæcula et tempora, Filiusque nihil habet cum illo commune? Si nihil habet commune Filius circa tempora, momenta et sæcula, mentitur Paulus cum dicit : « In novis- » simo dierum horum locutus est nobis in Filio, per quem » fecit et sæcula [2]. » Si sæculorum conditor Filius, ergo illa in ejus potestate sunt : et illud est quod ait, « Pater posuit » in sua potestate. » Potestatem ergo Patris vocat Filium,

[1] Dan. IX, 24. — [2] Hebr. I, 1.

quemadmodum et virtutem et sapientiam. « Christus enim » Dei virtus et Dei sapientia [1]. »

XV. « Non est vestrum nosse tempora vel momenta, sed » accipietis virtutem supervenientis sancti Spiritus in » vos [2]. » Accipietis virtutem, non ut scrutemini tempora vel momenta, sed ut credatis Domino : « Et eritis mihi » testes in Jerusalem et in omni Judæa et Samaria, et usque » ad terminum terræ [3]. » Ne metiaris ordinem verborum, sed auctoritatis potentiam. Hic dixit, « Prædicate ubique : » illud potestatem indicat, si verba rei exitus sequatur. Possum et ego auctoritate et arrogantia usus, astantibus vel domesticis paucis vel fratribus dicere : « Proficiscimini ad gentes, et omnes docete, omnes convertite, barbaros occidite, cunctos imperio adversantes concidite; » verba prodeunt; sed si gesta ipsa non sequantur, non modo mendax deprehendor, sed etiam arrogans et temerarius. Examinéntur ergo verba Servatoris, non ex iis quæ dixit, sed etiam ex iis quæ perfecit. Dixit, « Docete omnes » gentes [4]; » Si dictum illud non in opus exierit, illud arrogantia erat, non auctoritas divina. Dixit, « Prædicate usque ad terminum terræ : » si quis sit terminus vel extremus terræ, qui prædicationis expers fuerit, prædictio falsa est. Si autem res ipsæ plus quam verba splendeant, veraces sunt testes, verax ille, cui testimonium perhibent. « Et » cum hæc dixisset, videntibus illis elevatus est [5]. » Poterat non palam ascendere; sed sicut testes resurrectionis habuit oculos Discipulorum; sic et ipsos oculatos assumptionis testes constituit. « Videntibus illis elevatus est : » ab iis sublatus est, « Et ferebatur; » nubes suscepit eum : « Cum- » que intuerentur eumtem illum, » assumptus, elevatus est, sursum ferebatur, et ingressus est : « Non enim in manu-

[1] 1 Cor. 1, 24. — [2] Act. 1, 7. — [3] Ibid. 8. — [4] Matth. xxviii, 19. — [5] Act. 1, 9.

» facta sancta ingressus est Jesus, sed in ipsum cœlum, ut » appareret coram Deo [1]. » Non solum ingressus est, sed etiam penetravit; nam ait Paulus : « Habentes pontificem » magnum, qui penetravit cœlos, Jesum [2]. » Ascendit, adiit, assumptus est, ivit, penetravit. Animadverte. Ascendit quasi potestatem habens, ut impleretur Prophetæ oraculum : « Ascendit Deus in jubilatione [3]. » Hic Propheta apertam effert fiduciam. « Ascendit Deus in jubilatione. Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ » æternales, et introibit Rex gloriæ [4]. » Introibit; non enim in manufacta sancta ingressus est Jesus; sed in ipsum cœlum ingredietur Rex gloriæ. Duo demum facta sunt; quemadmodum enim obstupuit terra cum vidit Servatorem corpore indutum; et sicut cum extraneum et ignotum quempiam videmus, solemus dicere : « Quis hic est? » de noto quippe nemo sciscitatur; sic terra Servatorem videns divina virtute præditum, ventisque et mari imperantem, dicit : « Quis est hic, quia venti et mare obediunt ei [5]? » Quemadmodum itaque obstupescens terra clamabat : « Quis est hic? » sic et cœlum obstupescens, quod in carne Divinitatem cerneret, dicit : « Quis est iste Rex gloriæ [6]? »

IX. Et vide mihi, quæso, rem mirabilem; Salvator venit, veniensque Spiritum sanctum attulit, ascendens corpus sanctum retulit, ut daret mundo pignus salutis, Spiritus sancti virtutem. Rursus eidem mundo sanctum corpus salutis pignus esse dicat Christianus; cum hoc dico, et te dico et unamquamque personam christianam. Ego Christianus sum et Dei sum; quare hoc? Spiritum sanctum de cœlo habeo. Vis aliud indicium? Accepi Spiritum Dei de cœlo, pignus meum habeo. Corpus ejus sursum est; Spiritus ejus deorsum apud nos. Dubitas-ne nos

[1] Hebr. IX, 24. — [2] Id. IV, 14. — [3] Psal. XLVI, 6. — [4] Id. XXIII, 7. — [5] Marc. VIII, 27. — [6] Psal. XXIII, 8.

esse Dei? Genus unum factum est Dei atque hominum; quemadmodum enim separatas partes jungit cognatio; et is, qui quempiam non novit, ex unius viri cum muliere conjunctione, duas familias totas copulat, ita ut ille consobrinus, ille avunculus constituatur; sic Christo carnem assumente, per carnem tota Ecclesia, Christi cognata effecta est; Paulus est Christi cognatus, Petrus item, omnisque fidelis, nos omnes, quivis pius. Ideo dicit Paulus : « Genus ergo cum simus Dei [1]. » At etsi sciam qua mente id dictum sit, non in scopo mihi est totam dicti rationem et sensum explorare; sed id solum dicam, Paulum genus illud firmare. Et alibi rursum : « Nos sumus corpus » Christi, et membra ex parte, ex carne ejus [2]. » Scilicet propter carnem quam assumpsit, cognati ejus sumus. Habemus igitur pignus ejus sursum, nimirum corpus quod ex nobis assumpsit; et in terra Spiritum sanctum nobiscum. Et vide rem mirabilem; non dico quod Spiritus descenderit de cœlo, et non ultra sit in cœlo, et quod mutatis sedibus, corpus cœlum, Spiritus terram occupet; sed quod Spiritus sit nobiscum, et ubique et in cœlo : « Nam, » quo ibo, inquit, a Spiritu tuo [3]? » Ecquid miraris si Spiritus sit nobiscum et sursum, quando etiam corpus Christi est et sursum et nobiscum? Habuit cœlum sanctum corpus; suscepit et terra sanctum Spiritum; venit Christus et attulit; ascendit Christus et retulit. Videreque erat imaginem Adami, in sepulcro humatam, non ultra cum Angelis apparentem, sed super Angelos cum Deo sedentem, ut et nos ejus opera assideremus. O stupendam dispensationem? o magnum Regem per omnia magnum, ita magnum, inquam, et mirabilem! Atque ut ait Propheta : « Domine » Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in » universa terra! quoniam elevata est magnificentia tua

[1] Act. XVII, 28. — [2] 1 Cor. XII, 27. — [3] Psal. CXXXVIII, 7.

» super cœlos [1].» Elevata est Divinitas; ipsis verbis dicitur : « Videntibus illis elevatus est, » qui secundum omnia magnus, magnus Deus, magnus Dominus : « Magnus Do- » minus et laudabilis nimis [2]. » Si vero magnus Deus et magnus Dominus, magnus etiam Rex est : « Rex magnus » super omnem terram. Montes Sion, latera Aquilonis, » civitas Regis magni [3]. » Magnus Propheta, magnus Sacerdos, magnum Lumen, secundum omnia magnus, semperque Scriptura magnum prædicat; ut cum Paulus dicit : « Magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi [4]; » Quemadmodum et David dicit : « Magnus Dominus et laudabilis » nimis. » Magnus Rex, magnus Propheta; cum enim miracula ederet Jesus, dicebant : « Propheta magnus surrexit, » et Deus visitavit plebem suam [5]. » Non modo autem secundum Divinitatem magnus, sed etiam secundum carnem : quemadmodum enim Deus magnus, Dominus magnus, et Rex magnus est secundum Divinitatem; ita rursus magnus Sacerdos, et magnus Propheta. Quomodo illud? Ait Paulus : « Habentes itaque pontificem magnum, qui penetravit cœlos » Jesum filium Dei tenemus confessionem nostram [6]. » Si autem Pontifex magnus et Propheta magnus, vere visitavit Deus plebem suam, et suscitavit Prophetam magnum in Israël. Quod si magnus est Propheta, et Rex magnus, Lux etiam magna est : « Galilæa gentium, populus qui sedebat » in tenebris, vidit lucem magnam [7]; » imo et dies ejus magnus, ut ait Propheta : « Antequam veniat dies Domini » magnus [8]. » Cum undique magnum audias, et magna esse opera ejus, unde tibi in mentem venit, o hæretice, scissionem facere, et magnum illum minuere? Habeamus igitur pignus vitæ nostræ in cœlo; assumpti sumus una cum Christo. Rursus certe rapiemur in nubibus, si digni fueri-

[1] Psal. VIII. — [2] Id. XLVII, 2. — [3] Ibid. — [4] Tit. II, 13. — [5] Luc. VII, 16. — [6] Hebr. IV, 14. — [7] Isaï. IX, 1. — [8] Joël. II, 31.

mus, qui illi in nubibus obviam veniamus. Reus non obviam venit judici; sed coram eo sistitur, nec occurrit illi unquam, utpote qui minus habeat fiduciæ. Precemur itaque, ut simus ex numero eorum qui ipsi obviam venient, licet in minori ordine. Ut enim ii, qui regi occurrunt, etiamsi non omnes pari in honore sint, honorifice tamen excipiuntur; sic erit et illo tempore. Neque enim omnes eodem vivendi genere sunt usi; nam unusquisque mercedem suam accipiet, secundum proprium laborem. Nunquam impediatur verbum Christi; sed cum veritate fiduciam habeamus omnes in charitate Christi, populum pascentes, animas irrigantes, animis non divisi. Pacis inimicus judicem habet; et quoniam, fratres, homines quidem verbis persuademus, Deo autem tales videmur, quales sumus, testis est ille cogitationum inspector, qui rationem repetet ab iis omnibus qui mendacia loquentur, nos nunquam pacis inimicos esse voluisse, nec hodie velle. Nam si pacem perdiderimus, inimici erimus eorum qui a Christo audierunt, « Pax vobis. » Verum quod pacem velimus, et curemus, et concupiscamus, testis ille qui novit; de reliquis tacebimus. Nam qui præmiorum largitorem expectat Deum, ad se purgandum non contumeliam inferet superno illi tribunali. Potest Deus pacem dare pacemque firmare inter prædicatores, et auditores, inter doctores et discipulos; ut per omnia a pace orsi, et in pace perseverantes, Deo pacis gloriam referamus, Patri et Filio et Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA I.

De sancta Pentecoste, et cur jam non fiant miracula, quodque ea, quæ geruntur, ac dicuntur a nobis, præscribantur.

I. Rursus festivitas, rursusque festus conventus, ac rursus Ecclesia filiorum multitudine gloriatur, hæc multorum liberorum parens, eademque filiorum amans. Sed quid prodest amor filiorum, quandoquidem in festis solum, non perpetuo, dilectos filiorum vultus intuetur, non secus ac si quis pulchram vestem habeat, nec ei semper illa uti permittatur? Est enim Ecclesiæ vestis astantium multitudo, sicut et ait Propheta sic olim Ecclesiam allocutus: «Omnes istos circumdabis » tibi ut ornamentum sponsi, et ut stolam sponsæ [1]. » Ut igitur honesta quædam et ingenua mulier, cui tunica sit recte composita et ad talos usque demissa, multo apparet elegantior ac præstantior : sic etiam Ecclesia multo splendidior hodie redditur, dum corporum vestrorum obtegitur multitudine, ac recte composita veste amicitur. Nulla enim pars ejus hodie nuda sicut superioribus diebus cerni potest : sed illius nudationis auctores fuerunt ii, qui hodie tantum affuerunt, qui non perpetuo matrem obtegunt. Cæterum non mediocriter periculosum esse nudam matrem negligere probe intelligemus, si veteris historiæ recordemur; si illius, qui parentem nudum vidit, recordemur, et visionis illius pœnas dedit : tametsi non ille quidem patrem nudum reddidit, sed vidit solum patrem, cum nudus esset, et ne sic quidem supplicium effugit, qui vidit solum [2] : at qui adsunt

[1] Isaï. XLIX, 18. — [2] Gen. IX, 21.

hodie, et antea non affuerunt, non nudam matrem cernunt, sed nudam ipsam efficiunt. Quod si is, qui nudationis spectator fuit, supplicium non evitavit; qui nudationis sunt auctores, quam tandem veniam merebuntur? Hæc vero dico non ut eos percellam, sed ut pœnam effugiamus, ut maledictionem Cham effugiamus, ut Sem et Japheth benevolentiam imitemur, ac matrem nos quoque nostram semper obtegamus. Judaïci sensus est ter in anno tantum apparere Deo : ad illos dictum est : « Ter in anno appare-» bis Domino tuo [1] : nos autem semper sibi vult Deus apparere. Enimvero locorum etiam intervalla efficiebant, ut tot solummodo conventus illi agerent, quod uno tum loco Dei cultus conclusus esset : propterea raro admodum congregari poterant et adesse : nam Jerosolymis adorare necesse fuit, alibi nequaquam : idcirco præcepit ut ter in anno Deo apparerent, et excusabat eos itineris intervallum; nos vero nullum excusationis genus teget. Atque illi quidem ubique locorum dispersi erant. « Erant enim, inquit, » in Jerusalem habitantes Judæi viri religiosi ex omni na-» tione, quæ sub cœlo est [2] : » nos vero civitatem unam habitamus omnes, intra eadem mœnia considemus, ac sæpenumero ne uno quidem angiportu ab Ecclesia distinguimur, et perinde ac si longa maria nos dirimerent, adeo raro conventus istos celebramus. Atque illis quidem, tribus solum temporibus, ut festum agerent, imperavit; nobis autem ut semper id præstemus imperavit : semper enim nobis est festivitas. Ut igitur intelligatis festivitatem nobis semper esse, festivitatum dicam occasiones, et diebus singulis festum esse cognoscetis. Itaque prima festivitas apud nos sunt Epiphania : quæ porro festi est occasio? quoniam Deus « In terris » visus est et cum hominibus conversatus est [3] : » quandoquidem unigenitus Dei Filius Deus nobiscum fuit : at hoc

[1] Exod. xxiii, 17. — [2] Act. ii, 5. — [3] Baruch. iii, 38.

est semper : « Ecce enim, inquit, vobiscum sum omnibus »diebus usque ad consummationem sæculi [1] ; » ideo singulis diebus Epiphania possumus celebrare. Quid sibi vult festum Paschæ, et quænam illius est occasio? mortem Domini tum annuntiamus, et hoc est Pascha : sed ne hoc quidem tempore definito agimus. Cum enim vellet nos Paulus a temporum necessitate liberare, atque ostendens posse nos semper Pascha celebrare : « Quotiescumque enim, inquit, »manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem »Domini annuntiabitis [2]. » Quando igitur semper Domini mortem possumus annuntiare, Pascha semper possumus celebrare. Vultis nosse festivitatem hanc etiam hodiernam singulis diebus impleri posse, imovero singulis diebus esse? videamus quænam illius sit occasio, et cujus rei gratia ipsam agamus. Quia nimirum Spiritus sanctus ad nos venit : nam quemadmodum cum fidelibus est hominibus unigenitus Dei Filius, ita quoque Spiritus Dei. Unde hoc constat? « Qui diligit me, mandata mea servabit : et ego rogabo »Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vo»biscum in æternum, Spiritum veritatis [3]. » Ut igitur de se ipso dixit Christus, « Ecce ego vobiscum sum omnibus »diebus usque ad consummationem sæculi, » ac semper Epiphania possumus celebrare; ita quoque de Spiritu sancto dixit : « Vobiscum est in æternum, semperque possumus Pentecostem celebrare. »

II. Atque ut intelligatis nobis semper festum agitare licere, neque determinatum esse tempus, neque nos temporis necessitate coarctari, quid Paulus dicat audite. « Itaque »festum agitemus : » temetsi non erat festum quando hæc scripsit : non erat Pascha, non erat Epiphania, non erat Pentecoste; sed indicat non tempus, sed conscientiam mundam festum efficere : nihil enim aliud est festum quam

[1] Matth. xxviii, 20. — [2] 2 Cor. xi, 25. — [3] Joan. xiv, 15, 16.

lætitia : spiritualem vero lætitiam nihil aliud gignit, quam conscientia bonorum operum : porro is, cui bona sit conscientia, et talia opera, festum agere semper potest. Hoc igitur ipsum indicans Paulus dicebat : « Itaque festum » agitemus, non in fermento veteri, neque in fermento ma- » litiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis [1]. » Vides ut temporum necessitate nequaquam te constrinxerit, sed ad puram habendam conscientiam fuerit cohortatus? Vellem equidem totum in hoc sermonem consumere : qui enim quosdam post longum temporis intervallum in manus sumpserint, eos facile non dimittunt : quando igitur vos, qui post annum adestis, intra retia nostra cepimus, hodie dimittere minime volumus; sed ne sermonis de hoc festo recedatis expertes, ab hac cohortatione ad festivitatis occasionem oratio traducenda est. Multa quidem sæpenumero de cœlo in terram generi humano delapsa sunt bona : qualia vero demissa sunt hodierno die, nunquam antea. Cognoscite igitur qualia prius, et qualia hodierno die, ut et utrorumque discrimen animadvertatis. Pluit in terram manna Deus, et panem cœli dedit eis : « Panem enim Angelorum manducavit homo [2]; » res procul dubio magna est, Deique digna benignitate : postea de cœlo demissus est ignis, et judaïcum populum errantem correxit, ac sacrificium abripuit ab altari [3]. Omnibus rursus fame tabescentibus demissa pluvia, multamque frugum attulit ubertatem. Magna sunt hæc et admirabilia, sed multo majora sunt præsentia : non manna, ignis, et pluvia demissa est hodie, sed imber spiritualium donorum : nimbi desuper sunt dejecti, quibus non jam ad fruges proferendas tellus excitatur; sed naturæ persuadetur humanæ, ut virtutis fructum hominum agricolæ reddat. Quique guttam inde exceperant, naturæ suæ confestim obliviscebantur, et An-

[1] 1 Cor. v, 8. — [2] Psal. LXXVII, 24. — [3] 3 Reg. XVIII, 38.

gelis omnis terra subito replebatur, Angelis non cœlestibus, sed qui humano in corpore Potestatum incorporearum virtutem exhiberent. Non enim illi deorsum descenderunt, sed quod mirabilius fuit, qui deorsum erant, ad illorum virtutem ascenderunt : non enim carne deposita nudis animabus incedebant, sed naturam retinentes animi proposito Angeli fiebant. Atque ut intelligas ne priorem quidem illam pœnam fuisse pœnam, quando dixit : « Terra es, et in terram » reverteris [1], » propterea manere te permisit in terra, ut amplius potentia spiritus ostenderetur, quæ talia per terrenum corpus perficeret. Nam videre erat luteam linguam dæmonibus imperantem : videre erat luteam manum morbos sanantem : imovero non manum tantum luteam videre erat ; sed quod multo mirabilius erat, luteorum corporum umbras et mortem, et incorporeas Potestates, dæmones, inquam, superantes. Nam quemadmodum, apparente sole, tenebræ discutiuntur, feræ latibula sua ingrediuntur, homicidæ, latrones et tumulorum prædones ad vertices montium recurrunt : sic, apparente vocemque mittente Petro, erroris tenebræ discutiebantur, recedebat diabolus, fugiebant dæmones, corporum morbi tollebantur, animarum ægritudines sanabantur, malitia omnis arcebatur, in terras virtus reducebatur. Et quemamodum regiis ex æreariis, in quibus aurum et lapides pretiosi sunt, si quis vel minimum quid efferre potuerit eorum, quæ honorifice sunt recondita, licet unum lapillum tantum, multis opibus auget possessorem : sic ex ore Apostolorum ; etenim regia quædam erant æraria illorum ora, in omnibus sanationum reconditus inerat thesaurus ; vel unumquodque verbum exiens spirituales multas opes pariebat. Tum vere licebat intueri desiderabilia esse Domini eloquia super aurum, et lapidem pretiosum multum [2] : quod enim aurum non poterat, neque pretiosus lapis, hoc Petri verba faciebant.

[1] Gen. III, 19. — [2] Psal. XVIII, 11.

Quot enim auri talenta claudo a nativitate rectum incessum reddere potuissent? sed nunc tollere naturæ defectum potuit verbum Petri : dixit : « In nomine Jesu Christi surge et » ambula [1], » et sermo factus est opus. Vides ut desiderabilia sint super aurum, et lapidem pretiosum multum? vides ut æraria fuerint regia illorum ora? vere medici orbis terrarum fuerunt illi, et agricolæ, et gubernatores : medici quidem, quoniam ægritudines curabant : agricolæ, quoniam verbum religionis seminabant : gubernatores, quoniam erroris procellam sedabant. Idcirco nonnunquam dicit : « Euntes infirmos curate [2], » tanquam medicos alloquens : nonnunquam, « Ecce mitto vos metere, quod vos non labo- » rastis, » tanquam agricolas alloquens : et alibi rursus, « Fa- » ciam vos piscatores hominum [3], » et Petro « Noli timere, » ex hoc jam homines eris capiens [4], » tanquam ad gubernatores et piscatores verba faciens; et videre erat miraculis succedentia miracula. Etenim natura nostra ante decem dies ad regium thronum ascendit, et hodierno die Spiritus sanctus ad naturam nostram descendit; primitias nostras Dominus in cœlum evexit, et Spiritum sanctum demisit. Alter est Dominus, qui hæc dona distribuit; nam Spiritus sanctus est Dominus, et dispensationem nostra causa susceptam Pater et Filius et Spiritus sanctus inter se diviserunt : nondum decem elapsi dies erant, ex quo Christus ascenderat, et spiritualia nobis dona misit, reconciliationis illius munera. Nam ut ambigeret nemo et quæreret, quid tandem in cœlos ascendens Christus egisset; num Patri nos reconciliasset? num propitium ipsum reddidisset? ut nobis ostenderet se naturæ illum nostræ placatum reddidisse, confestim nobis reconciliationis illius dona misit. Cum enim uniti sunt et reconciliati inter se inimici, post reconciliationem statim sequuntur invitationes, convivia, et mu-

[1] Act. III, 6. — [2] Matth. X, 8. — [3] Id. IV, 19. — [4] Luc. V, 10.

nera. Misimus ergo nos fidem, et inde spiritus dona recepimus : misimus obedientiam, et justitiam recepimus.

III. Atque ut intelligatis reconciliationis Dei donum esse, quod Spiritus sanctus est datus, ex Scripturis id persuadere vobis conabor : ac primum a contrariis probationem rei petam; et ostendam, cum iratus est, cum Spiritus gratiam inhibere : ut cum credideris ejus iræ argumentum esse, quod non adsit Spiritus sanctus, rursusque demissum videris Spiritum, discas, nisi reconciliatus fuisset, Spiritum sanctum nequaquam illum fuisse missurum. Unde igitur hoc intelligemus? Heli senex vir fuit, alias quidem æquus et probus, sed qui filiorum improbitatem nesciret corrigere, verum ultra modum liberos amaret. Audite quotquot filios habetis, ut amori vestro pudorique modum faciatis : hinc enim Heli cum Deum irritasset, in tantam illum iracundiam impulit, ut totam gentem fuerit aversatus. Itaque ut indicaret is, qui hæc scripsit, Deum illos admodum aversatum esse, dicebat : « Verbum erat pretiosum : et non erat visio » distinguens [1] : » pretiosum hoc loco rarum appellans : per hæc enim ostendit rarum fuisse tum donum prophetiæ : ac rursus lugens alius et lamentans ob iram Dei dicebat : « Et » non est in hoc tempore princeps, neque Propheta [2], » et rursus ait Evangelista : « Nondum enim erat Spiritus sanc- » tus : quia Jesus nondum erat glorificatus [3]. » Quoniam enim nondum fuerat crucifixus, non erat Spiritus sanctus in hominibus datus. Illud quippe, « Glorificatus, » idem valet, quod crucifixus. Nam etsi res est natura sua ignominiosa, quia tamen eorum causa fiebat quos amabat, gloriam illam Christus appellat. Quare vero, dic quæso, ante passionem non est Spiritus datus? quoniam in peccatis erat orbis terrarum, in offensionibus, odio et ignominia, cum nondum oblatus Agnus esset, qui mundi tollit pecca-

[1] 1 Reg. III, 1. — [2] Dan, III, 38. — [3] Joan VII, 38.

tum. Quoniam igitur nondum crucifixus fuerat Christus, reconciliatio nondum facta erat : cum vero nondum esset facta reconciliatio, merito neque Spiritus mittebatur, ita ut reconciliationis indicium Spiritus mitteretur. Propterea dicit etiam Christus, « Expedit vobis, ut ego vadam : si » enim non abiero, ille non veniet [1] : » si non abiero, et Patrem reconciliavero, inquit, Paracletum vobis non mittam. Videtis quam multis ex locis vobis demonstrarim illud iræ divinæ signum esse, quod non sit in hominibus Spiritus sanctus? « Verbum erat pretiosum, et visio non » erat distinguens [2] : Non enim est princeps, neque Propheta » in tempore isto [3] : Nondum enim erat Spiritus sanctus : » quia Jesus nondum erat glorificatus [4] : Expedit vobis, ut » ego vadam : si enim ego non abiero, ille non veniet [5]. » Itaque signum est iræ divinæ, quod non sit Spiritus sanctus : cum copiose missum videris Spiritum sanctum, nihil de reconciliatione dubites amplius. Verum ubi nunc est Spiritus sanctus? dicet aliquis. Nam tum quidem recte dicit, cum signa fiebant, et mortui suscitabantur, et leprosi omnes mundabantur : jamvero unde planum faciemus adesse nobis Spiritum sanctum? Nolite timere, ostendam enim in nobis esse nunc quoque Spiritum sanctum. Qua tandem ratione? nam si non esset in nobis Spiritus sanctus, quomodo isti, qui hac sacra nocte illuminati sunt, a peccatis liberari potuissent? non enim absque Spiritus efficacitate possumus a peccatis liberari, quod quemadmodum doceat Paulus audite. « Eramus enim aliquando et nos in- » sipientes, increduli, errantes, servientes desideriis variis : » cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris » nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed » secundum misericordiam suam salvos nos fecit, per lava-

[1] Joan. xvi, 7.— [2] 1 Reg. iii, 1.— [3] Dan. iii, 38.— [4] Joan. vii, 39. — [5] Joan. xvi, 7.

» crum regenerationis et renovationis Spiritus sancti [1] : » et rursus alibi, « Nolite errare, neque fornicarii, neque idolo- » latræ, neque adulteri, neque molles, neque masculorum » concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, ne- » que maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt [2]. » Vides omnia genera improbitatis? « Et hæc quidem fuistis : sed » abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis [3] : » quo pacto? hoc enim est, quod quæritur, num per Spiritum sanctum nequitiam deposuerimus; audi ergo : « Sed sanc- » tificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri » Jesu Christi, et in spiritu Dei nostri [4]. » Vides-ne Spiritum sanctum omnem illam improbitatem delevisse?

IV. Ubi nunc sunt, qui Spiritus majestatem blasphe- mant? si enim peccata non dimittit, frustra accipitur in baptismate; si peccata dimittit, frustra blasphemiis ab hæ- reticis incessitur. Si non esset Spiritus sanctus, Dominum Jesum dicere non possemus : « Nemo enim potest dicere » Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto [5]. » Si non esset Spiritus sanctus, Deum orare fideles non possemus : dici- mus enim, « Pater noster, qui es in cœlis [6]. » Ut igitur Do- minum vocare non possemus, sic neque Patrem Deum vo- care possemus. Unde id constat? ex eodem Apostolo, qui ait : « Quoniam autem estis filii, misit Deus spiritum Filii sui » in corda vestra clamantem : Abba, Pater [7]. » Itaque dum patrem vocas, recordare Spiritu animam commovente illa te fuisse appellatione donatum. Nisi esset Spiritus sanctus, sermo sapientiæ ac scientiæ in Ecclesia non esset; nam « Alii quidem datur per spiritum sermo sapientiæ, alii vero » sermo scientiæ [8]. » Nisi esset spiritus sanctus, pastores et doctores in Ecclesia non essent : nam et isti per Spiritum

[1] Tit. III, 3-5. — [2] 1 Cor. VI, 9, 10. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Id. XII, 3. — [6] Matth. VI, 9. — [7] Galat. IV, 5. — [8] 1 Cor. XII, 8.

fiunt, sicut et Paulus dicit, « In quo vos Spiritus sanctus »posuit pastores et episcopos [1]. » Vides hoc quoque per Spiritum fieri? Nisi esset Spiritus sanctus in hoc communi patre ac doctore, cum paulo ante sacrum hoc in tribunal ascendit, ac vobis omnibus pacem dedit, non simul omnes acclamassetis, « Et cum spiritu tuo : » idcirco non cum ascendit tantum, neque cum vos affatur, neque cum pro vobis orat, hac illi voce acclamatis, sed cum huic sacræ mensæ assistit, cum tremendum sacrificium est oblaturus : nam quid dicam, norunt, qui sunt mysteriis initiati; non prius attingit proposita, quam vobis ipse gratiam fuerit precatus a Domino, vosque illi acclamaveritis : « Et cum spi»ritu tuo, » qua responsione vobismetipsis in memoriam revocatis nihil eum præstare, qui adest, neque naturæ humanæ opera esse proposita dona, sed præsentem Spiritus gratiam, et ad omnia advolantem, mysticum illud perficere sacrificium. Licet enim homo sit is, qui adest, Deus est tamen, qui per ipsum operatur. Noli ergo naturam attendere illius, quem cernis, sed gratiam ejus invisibilem considera : nihil humanum est eorum, quæ in hoc sacro geruntur sanctuario. Nisi Spiritus adesset, Ecclesia non consisteret : si vero consistit Ecclesia, dubium non est quin adsit Spiritus. Cur igitur, dicet aliquis, nunc signa non fiunt? hic mihi vos animum diligenter attendite : a multis enim et frequenter et semper hanc mihi propositam audio quæstionem : « Quare tum linguis loquebantur omnes qui baptizabantur, jamvero non item? » discamus prius, quid sit loqui linguis, ac deinde causam dicemus. Quid igitur est loqui linguis? Qui baptizabatur, statim lingua loquebatur Indorum, Ægyptiorum, Persarum, Scytharum, Thracum, ac vir unus multas linguas assumebat; et isti nunc si baptizati tum fuissent, statim illos diversis loquen-

[1] Act. xx, 28.

tes linguis audiisses. Nam Paulus invenit, ut dicitur, quosdam in Joannis baptismate baptizatos, dixitque ad eos : « Si Spiritum sanctum accepistis credentes? Dicunt illi : » Sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus [1]; » statimque jussit eos baptizari, « Et cum imposuisset illis manus Pau- » lus, venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur lin- » guis omnes [2]. » Cur igitur subducta est, et ex hominibus sublata nunc illa gratia? Non quod ignominia nos afficiat Deus, sed quod honorem etiam deferat. Quo tandem pacto? ego dicam. Stolidiores erant tum temporis homines, non ita pridem ab idolis abducti, ac porro crassior et stupidior mens illorum adhuc erat, omnibusque corporalibus intenti erant et addicti, nequedum incorporea illis dona in mentem venerant, neque noverant, quid esset gratia spiritualis, quæque sola fide percipitur; idcirco signa fiebant. Nam ex donis spiritualibus alia quidem invisibilia sunt, et sola fide comprehenduntur : alia vero signum quoddam sensibus objectum exhibent ad faciendam fidem infidelibus. Exempli causa, remissio peccatorum res est spiritualis, invisibile donum est : quomodo enim peccata nostra purgentur, carnis oculis non videmus : quid ita? quoniam anima est, quæ purgatur : at corporis oculis nequaquam cernitur anima. Est igitur spirituale donum quoddam purgatio peccatorum, quæ corporis oculis patere non potest : at variis loqui linguis est illud quidem spiritualis etiam spiritus operationis : verumtamen sensibus objectum signum præbet, quodque facile ab infidelibus perspici potest : nam quæ fit intus in anima operatio, invisibilis, inquam, per exteriorem linguam, quam audimus, manifestatur et ostenditur. Idcirco etiam dicit Paulus : « Unicuique autem datur » manifestatio Spiritus ad utilitatem [3]. » Itaque signis equidem non indigeo. Quid ita? quippe qui absque signi largi-

[1] Act. xix, 2. — [2] Ibid. 6. — [3] 1 Cor. xii, 7.

tione Domino credere didici : nam qui incredulus est, pignore indiget : ego vero credens pignore minime indigeo, neque signo : sed licet lingua non loquar, a peccatis purgatum esse me scio : at illi tum non credebant, nisi signum accepissent : propterea signa tanquam pignus quoddam fidei, qua credebant, illis dabantur. Itaque non ut fidelibus, sed ut infidelibus dabantur signa, ut fierent fideles : sic etiam ait Paulus, « Signa sunt non fidelibus, sed infidelibus [1]. » Videtis-ne Deum signorum manifestationem subduxisse, non ut ignominia nos afficeret, sed ut honorem deferret? Nam cum fidem nostram vellet ostendere; quod absque pignoribus aut signis illi credamus, hoc fecit. Siquidem illi, nisi prius signum et pignus accepissent, ei de rebus minime apparentibus non credidissent : at ego etiam sine hoc omnem fidem exhibeo : hæc igitur causa est, cur jam signa non fiant.

V. Voluissem equidem de festivitatis occasione verba facere, ac docere, quid tandem sit Pentecoste, cur in hac festivitate donum Spiritus datum sit, cur in linguis igneis, et cur post decem dies : sed prolixiorem doctrinam esse video : quamobrem, ubi pauca quædam addidero, finem faciam dicendi. « Cum complerentur dies Pentecostes, apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis [2] : » non ignis, sed tanquam ignis, ut nihil sensile de Spiritu sancto suspiceris. Sicut enim ad fluenta Jordanis non columba descendit, sed in specie columbæ [3] : ita et hic non ignis, sed in specie ignis, et rursus superius ait : « Tanquam advenientis spiritus vehementis [4], » non spiritus vehementis, sed tanquam advenientis spiritus vehementis. Cur igitur Ezechiel quidem donum accipit prophetiæ, non in similitudine ignis [5], sed per librum : Apostoli vero per ignem

[1] 1 Cor. XIV, 22. — [2] Act. II, 3. — [3] Luc. III, 22. — [4] Act. II, 2. — [5] Ezech. II, 10.

dona recipiunt? Nam de illo quidem ait Scriptura datum fuisse in ore ejus capitulum libri, et scriptam fuisse querimoniam, et carmen, et væ, et fuisse posteriora et anteriora scripta, et comedisse illud, et factum esse in ore quasi mel dulce. De Apostolis vero non ita : sed « Apparuerunt eis »linguæ tanquam ignis [1]. » Cur igitur illic liber et litteræ : hic vero lingua et ignis? quod ille quidem abiret insecaturus peccata, calamitatesque judaïcas deploraturus : hi vero peccata orbis terrarum absumpturi exirent : propterea libellum hic accepit, qui futuras calamitates memoriæ suggereret : ignem illi accipiebant, ut orbis terrarum peccata exurerent, et cuncta delerent. Nam quemadmodum si incidat ignis in spinas, illas facile delet omnes : sic et spiritus gratia peccata hominum absumebat. Verum stupidi Judæi, dum hæc fierent, cum illos percelli oportuisset ac tremere, denique largitorem adorare, rursus amentiam suam ostendunt, et Spiritu repletos Apostolos ebrietatis accusant. « Isti enim, inquiunt, musto pleni sunt [2]. » Animadverte nequitiam hominum, et Angelorum probitatem contemplare : nam Angeli quidem cum primitias nostras ascendentes viderent, lætabantur, ac dicebant : « Attollite »portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales, »et introibit Rex gloriæ [3] : » homines vero descendentem ad nos Spiritus gratiam videntes dicunt ebrios esse, qui gratiam receperunt, et ne anni quidem tempestas eos repressit; nam veris tempore reperiri mustum minime potest : atqui tum ver erat. Verum illi quidem relinquantur : nos autem benigni Dei retributionem consideremus. Accepit Christus primitias naturæ nostræ, ac Spiritus gratiam nobis retribuit, et quemadmodum longo in bello fit, cum dirempta pugna fierit, et confecta pax, qui sibi invicem infensi erant, pignora mutuo sibi dant et obsides : sic et inter

[1] Act. II, 3. — [2] Ibid. 13. — [3] Psal. XXIII, 7.

Deum et naturam evenit humanam : pro pignoribus et obsidibus ipsa primitias misit, quas in cœlum tulit Christus : nobis ille Spiritum sanctum pignoris et obsidis loco remisit. Porro nos pignora et obsides habere hinc liquet : nam ex genere regio pignora et obsides esse oportet; idcirco etiam Spiritus sanctus ad nos missus est, ut qui maxime regia sit substantia, quemadmodum et qui a nobis sursum evectus est ex genere fuit ortus regio, quippe qui Davidis esset ex semine. Quamobrem non amplius pertimesco, quandoquidem sursum primitiæ nostræ sedent : idcirco licet immortalem mihi vermem objicias, licet ignem inextinctum, licet alias pœnas ac supplicia, non amplius reformido : imovero reformido equidem, verumtamen de salute mea non despero. Nisi enim magna in genus nostrum congerere bona statuisset Deus, primitias nostras sursum non assumpsisset. Antea quidem nos suspicientes in cœlum, incorporeas illas cogitantes Virtutes, vilitatem nostram facta cum supernis Virtutibus comparatione cernebamus : jamvero cum nobilitatem nostram cernere voluerimus, in cœlum suspicimus, ad regium ipsum thronum : illic enim ex nobis sumptæ primitiæ considunt. Ita quoque veniet e cœlis, ut nos judicet Dei Filius : quamobrem parati simus, ne ab illa gloria excidamus. Omnino enim veniet, et non tardabit communis Dominus noster, veniet exercitus secum trahens, Angelorum agmina, ordines Archangelorum, Martyrum turmas, Justorum choros, Prophetarum et Apostolorum cœtus, et in medio spiritualium illorum exercituum ineffabili quadam et inexplicabili gloria Rex circumdatus apparebit.

VI. Omnem igitur operam adhibeamus, ut ab illa gloria non excidamus. Vultis dicam etiam ea, quæ terrorem incutient? non ut tristitiam afferam, sed ut ad meliorem frugem traducam. Tum flumen ignis ante tribunal illud

trahitur, tunc aperiuntur libri [1], judicium exercetur formidabile ac tremendum : propterea tanquam in judicio vitæ nostræ diaria leguntur, et commentarii, et multa de libris istis loquuntur Prophetæ. Ac Moses quidem ait : « Si » quidem remittis eis peccatum, remitte : sin autem, me » quoque dele de libro, quem scripsisti [2]. » Christus vero rursus ad Discipulos dicebat : « In hoc nolite gaudere, quod » dæmonia vobis subjiciuntur : gaudete autem, quod no- » mina vestra scripta sunt in cœlis [3] : » et rursus propheta David : « In libro tuo omnes scribentur : dies formabun- » tur ; et nemo in eis [4] : » et rursus : « Deleantur de libro vi- » ventium, et cum justis non scribantur [5]. » Vides alios quidem deleri, alios vero inscribi? vis discere non justos modo libris in illis scribi ; sed etiam peccata nostra illic esse perscripta? Festivitatis tempus est, discamus ea, quibus possumus a supplicio liberari : terribilis est oratio, sed utilis et fructuosa : siquidem impedit ne reipsa pœnas experiamur : ergo discamus perscribi peccata, et quidquid hic locuti fuerimus, illuc statim deferri, et perscribi. Unde vero id constat? non enim talia sunt simpliciter affirmanda? Michæas (5) ad Judæos ait : « Væ qui provocatis Domi- » num [6]. » Et quomodo, inquiunt, provocavimus eum? In eo, quod vos dicitis : « Omnis qui facit malum, bonus est » in conspectu Domini [7]. » Improborum servorum sunt ista verba, et in iis ipse sibi complacuit : in perditis, inquit, in iis, qui non servierunt ei. « Ecce custodivimus custodias » ejus, et beatos dicimus alienos [8]. » Nos enim, inquit, quotidie servimus, et alii bonis potiuntur. Talia nimirum sæpenumero de dominis servi loquuntur : sed hominem quidem de homine ista dicere, non ita grave est, tametsi est

[1] Dan. IV, 10. — [2] Exod. XXXII, 32. — [3] Luc. X, 20. — [4] Psal. CXXXVIII, 16. — [5] Id. LXVIII, 29. — [6] Malac. II, 17. — [7] Id. III, 14. — [8] Ibid. 4.

grave : de communi vero totius orbis terrarum Domino hæc proferre, de misericordi ac benigno Domino, nulla non graviori mulcta, nullo non extremo supplicio vindicandum est. Sed ut intelligas ejusmodi verba perscribi, audi quid dicat Propheta : « Ecce scripta sunt hæc in libro » viventium in monumentum in conspectu Dei [1]. » Scribuntur autem, non quod Deus in memoriam revocet diem, vel tanquam criminis probandi causa, et accusationis firmamentum librum proferat. Fortasse mentem vestram timore concussi ; non vestram, sed meam prius. Age igitur orationem absolvam, vel potius timorem exolvam : imovero non exolvam, sed leniam ; volo enim maneat, et mentem vestram purget, sed imminuam illum, ne sit intolerabilis. Quanam erga ratione poterimus imminuere ? si non modo perscribi peccata sed etiam deleri demonstraverimus. Nam in judicio quæcumque dixerit in commentariis ille, qui litigat, omnino scribuntur in perpetuum, nec amplius deleri possunt : at in illo libro, licet mala quæpiam dixeris, si volueris, rursus delentur. Unde hoc liquet ? ex Scriptura. « Averte enim, inquit, faciem tuam a peccatis » meis, et omnes iniquitates meas dele [2]. At nemo quod scriptum non est, delere potest : itaque quoniam scripta fuerant, deleri precatur. Docet autem et alius quidam, quonam pacto deleantur, ita dicens : « Eleemosynis et fide » purgantur peccata [3] : » non tantum delentur, sed etiam purgantur, sic ut nec ullæ reliquiæ maneant deletionis. Neque vero quæ post baptismum scripta sunt, tantum delentur ; sed etiam quæ ante lavacrum scripta fuerant, illa omnia baptismi aqua et Christi cruce delentur, sicut et Paulus ait : « Delens, quod adversus nos erat, chirographum, » quod erat contrarium nobis : et ipsum tulit de medio, » affigens illud cruci [4]. » Vides quo pacto deletum fuerit illud

[1] Malac. III, 16. — [2] Psal. L, 11. — [3] Prov. XV, 27. — [4] Coloss. II, 14.

chirographum? neque deletum tantum, sed etiam dirup-tum est, cum illud crucis clavi conciderint, sic ut inutile redderetur. Verum illa quidem gratia et benignitate virtutis Christi crucifixi cuncta deleta sunt : quæ vero post baptismum commissa sunt, multo indigent studio, ut rursus deleantur; quandoquidem neque secundum est lavacrum, sed lacrymis indigent nostris, pœnitentia, confessione, eleemosyna, precibus, aliisque generibus omnibus pietatis : sic etiam post baptismum delentur peccata, multo cum labore et fatigatione. Omnem igitur adhibeamus diligentiam; ut ea deleamus ex hoc tempore, et in altera vita subeundis probris ac suppliciis liberemur. Licet enim sexcenta peccata commiserimus, si velimus, has omnes poterimus sarcinas peccatorum deponere. Velimus ergo; multo enim melius est, ut modico hic exantlato labore ab inevitabili supplicio liberemur, quam ut ubi hoc perbrevi tempore oratio ac desidiæ indulserimus, in pœnas illas æternas incidamus. Sed jam tempus est, ut quæ dicta sunt recenseamus. Objurgavimus eos, qui semel tantum per annum huc veniunt, quod denudatam esse matrem sinant; veterem illis historiam, maledictionem, et benedictionem in memoriam revocavimus : de judaïcis festivitatibus disseruimus, et qua de causa ter in anno sibi apparere jubeat Deus Judæos : diximus festivitatem esse quovis tempore, Pentecosten, item Pascha, et Epiphaniam : diximus conscientiam puram efficere festivitatem, non dierum temporumve conversionem. Inde digressi sumus ad dona de cœlo demissa, reconciliationis hoc indicium esse diximus : ostendimus adesse Spiritum sanctum ex remissione peccatorum, ex responsione facta pastori, ex sapientiæ scientiæque sermone, ex ordinationibus, ex mystico sacrificio : diximus obsides mutuos ac pignora nos retinere : causam addidimus, ob quam sublata nunc sunt e medio signa : tremendi postea

judicii memoriam renovavimus, ac eorum, qui tunc aperiuntur, librorum, et quemadmodum omnia peccata nostra perscribantur : ostendimus rursus ea deleri, si velimus. Horum omnium recordamini : si vero fieri non potest ut omnium, sermonis illius de libris omnium loco recordamini, et quæcumque responderitis, tanquam habeatis eum, qui adsit, et ea scribat, ita caute loquimini, ac semper recentem horum verborum memoriam conservate : ut eorum quidem, quorum nomina scripta sunt in libro justorum, recte factorum numerum augeatis; quorum autem multa inibi peccata sunt scripta, hic ea, nemine sciente, delentes divulgationem illam effugiamus. Possumus enim, ut ostendimus, adhibito studio, precibus, ac ferventi devotione, quæ scripta sunt, omnia peccata delere. Hoc igitur quovis tempore studeamus, ut cum illuc abierimus, aliquam obtinere veniam possimus, et omnes inevitabiles pœnas effugere : quibus nos utinam omnes liberatos regnum cœlorum obtinere contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, et Spiritui sancto, gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

De sancta Pentecoste.

I. Magna sunt [1], dilectissimi, nec ulla possunt humana oratione comprehendi, quæ nobis hodierno die a benignissimo Deo impertita sunt dona. Quamobrem omnes communiter gaudeamus, et lætitia exultantes Dominum nos-

[1] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 492-493.

trum laudemus. Festivitas enim publicusque conventus nobis est dies hodiernus. Nam quemadmodum in quatuor anni tempestatum ac solstitiorum vicissitudine alteri succedit altera : sic nimirum et in Ecclesia Domini festivitas dum festivitati succedit, ad sese mutuo nos transmittunt. Nuper itaque festum crucis celebravimus, passionis, resurrectionis, ac deinde Domini nostri Jesu Christi in cœlos ascensus; hodie tandem ad ipsum culmen bonorum provecti sumus; ad ipsam metropolim festorum evasimus; ad fructum ipsum dominicæ promissionis pervenimus. « Si » enim abiero, inquit, ego alium Paracletum mittam vo» bis [1], » et « Non relinquam vos orphanos [2]. » Vides sollicitudinem? videtis ineffabilem benignitatem? Ante hos dies in cœlum ascendit, regium thronum recepit, sedem ad Patris dexteram recuperavit; et hodie nobis sancti Spiritus adventum largitur, ac per ipsum de cœlis sexcenta nobis bona suppeditat. Quid enim, quæso, eorum quibus salus nostra continetur, non per Spiritum dispensatum est nobis? Per ipsum a servitute liberamur; in libertatem vocamur; in adoptionem deducimur; ac denuo, ut ita dicam, fingimur : grave fœtidumque peccatorum onus deponimus. Per Spiritum sanctum sacerdotum cernimus choros : doctorum ordines habemus : ab hoc fonte manant et revelationum donationes, et gratiæ sanitatum, et reliqua omnia, quibus Ecclesia Dei condecorari solet, inde promuntur. Hoc illud est, quod clamat Paulus his verbis : « Hæc omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens » privatim singulis, prout vult [3] : » prout vult, inquit, non prout jubetur : dividens, non divisus, auctorem se præbens, non auctoritati subjectus. Eamdem quippe potestatem, quam Patrem habere testatus est, hanc et Spiritui sancto Paulus attribuit. Et quemadmodum de Patre dicit,

[1] Joan. XVI, 7. — [2] Id, XIV, 18. — [3] 1 Cor. XII, 11.

« Deus vero est, qui operatur omnia in omnibus [1] : » sic et de Spiritu sancto, « Hæc omnia, inquit, operatur unus at- » que idem Spiritus, dividens privatim singulis, prout vult. » Vides-ne tu perfectam potestatem? quorum enim natura est una, haud dubium, quin eorum una sit auctoritas : et quorum æqualis honoris est majestas, eorum et virtus ac potestas est una. Per hunc peccatorum remissionem obtinuimus : per hunc sordes omnes abstersimus : per hujus donationem ex hominibus Angeli facti sumus, qui ad gratiam accurrimus, non natura mutati, sed quod multo est mirabilius, in natura permanentes humana Angelorum conversationem exhibemus. Tanta siquidem virtus est Spiritus sancti. Et quemadmodum ignis iste, qui sensu percipitur, ubi molle lutum ceperit, rigidam illud testam efficit : sic nimirum et ignis Spiritus cum animam probam occuparit, licet eam luto molliorem receperit, ferro duriorem illam reddit; etenim eum, qui paulo ante peccatorum fæce pollutus erat, continuo sole ipso efficit clariorem. Atque hoc illud est, quod beatus nos docebat Paulus, cum clamaret, ac diceret : « Nolite errare : neque fornicarii, neque » idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque » masculorum concubitores, neque fures, neque ebriosi, » neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt [2]. » Et cum omnia ferme improbitatis genera enumerasset, eosque, qui se his peccatis obstrinxerint, alienos fieri a regno Dei docuisset, continuo subjecit : « Et hæc quidem » fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justifi- » cati estis [3]. » Quo pacto, quave ratione? dic quæso : hoc enim illud est quod quæritur. « In nomine Domini Jesu » Christi, inquit, et in spiritu Dei nostri [4]. » Vides virtutem Spiritus sancti, charissime? Vides ut omnem hanc iniquitatem Spiritus sanctus deleverit, eosque qui prius a pecca-

[1] 1 Cor. XII, 6. — [2] Id. VI, 9, 10. — [3] Ibid. 11. — [4] Ibid.

tis suis proditi erant, subito ad summos honores evexerit?

II. Quis ergo pro merito lugeat ac deploret eos, qui blasphemiis Spiritus sancti appetunt majestatem ac Numen, qui tanquam furiosi quidam et amentes ne beneficiorum quidem magnitudine ab hac sua ingrati animi improbitate revocantur; imo adversus propriam ipsorum salutem omnia machinari non verentur, atque a Domini majestate dejectum, quantum in ipsis est, in creaturarum redigere ordinem moliuntur? Quos equidem lubens sic interrogaverim: « Quid tandem causæ est, heus vos, cur bellum tam acerbum adversus Spiritus majestatem inductum habeatis, vel potius adversus vestram ipsorum salutem: neque vobis in mentem venire patiamini, quæ Discipulis a Salvatore sunt dicta? « Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes » eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti [1]. » Vides æqualem honore majestatem? Vides concordiam exacte descriptam? vides ut indivisa sit Trinitas? num uspiam discrimen aut immutatio imminutiove? quid vos Domino verbis nova quædam mandata adjungere audetis? An vero nescitis in negotiis etiam humanis si quis forte conatus sit, aut eo sit progressus audaciæ, ut a rege missis litteris quidquam adjiciat, detrahatve, qui ejusdem alioquin est generis nobiscum, ejusdemque consors naturæ, solere illum extremo supplicio mulctari, nullaque posse ratione a merita pœna vindicari? Quod si tantum in hominis negotiis periculum imminet, quam tandem veniam obtinebunt, qui usque eo prosiliunt arrogantiæ, ut quæ a communi Salvatore nostro sunt dicta, corrumpere moliantur, neque Paulum, qui loquentem in se Christum habet, audire dignentur clara voce clamantem ac dicentem: « Oculus non vidit » et auris non audivit, et in cor hominis non ascenderunt » quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum [2]? » Si ergo

[1] Matth. xxviii, 19. — [2] 1 Cor. ii, 9.

neque oculus vidit, neque auris audivit, neque cor capere potuit cognitionem bonorum, quæ ipsum diligentibus sunt parata, unde, quæso, fieri poterit, o beate Paule, ut nos eorum cognitionem assequamur? Expecta paulisper : tum tu illum ipsum audies hoc dicentem. Itaque adjecit dicens : « Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum [1] : » neque vero hic substitit; sed ut potentiæ magnitudinem indicaret, et quo pacto ejusdem sit substantiæ atque Pater et Filius : « Spiritus enim, inquit, omnia scrutatur, etiam profunda » Dei. » Deinde cum exemplis humanis accuratiorem doctrinam inserere animis nostris vellet, adjecit : « Quis enim » hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis » qui in ipso est? sic et quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi » spiritus Dei [2]. » Vides eximiam perfectamque doctrinam? quemadmodum, inquit, ea, quæ in mente sunt hominis fieri nequit, ut alter noverit, sed ipse res suas novit solus : sic et quæ Dei sunt nullus novit nisi spiritus Dei, quod maximum est valdeque idoneum ad ostendendam Spiritus dignitatem. Exemplum enim attulit, quasi hoc innueret : « Fieri non potest, ut quis hominum ea, quæ in sua mente sunt, unquam ignoret. Ut igitur fieri hoc non potest : sic et ea quæ Dei sunt tam exacte Spiritus sanctus novit. » Sed negari non potest, quin his etiam verbis beatus iste illos tangat, qui ob anticipatam suam opinionem cum salutis suæ detrimento tantum bellum Spiritus dignitati se indixisse declarant, quantumque situm in ipsis est, cum supremi dominatus dignitate privant, atque ad creaturarum dejiciunt vilitatem. Veruntamen licet illi contentionis studio ducti Scripturæ sacræ verbis adversarios sese opponant, nos divina documenta velut oracula de cœlo missa suscipientes, debitas laudes offeramus : et cum recta fide etiam veritatis exactam cognitionem præ nobis feramus. Atque ad eos

[1] 1 Cor. II, 10. — [2] Ibid. 12.

quidem revincendos, qui ea, quæ Spiritus sancti responsis contraria sunt, docere non dubitant, sufficiunt ea quæ dicta sunt : verumenimvero cujus rei gratia tantorum causam bonorum non statim post suam in cœlos ascensionem Dominus sit largitus, sed paucos dies prius siverit expectare, ac solos manere Discipulos domi, tum deinde spiritus gratiam demiserit, operæ-pretium facturi videmur, si dilectioni vestræ referamus : non enim temere, neque sine causa factum est illud. Nam quoniam genus humanum vidit non tanto in pretio habere, quæ sunt in manibus bona, neque pro dignitate ea colere, quæ jucunda simul et magna videantur, nisi etiam contrariorum occursus irrepserit : exempli causa, dicendum enim est apertius, qui sano est ac vegeto corpore, neque sentit, neque scire potest exacte, quanta illi sanitas bona largiretur, nisi infirmitate obrepente morbum etiam fuerit expertus : et qui diem rursus aspicit, lumen tanti non facit, nisi succedentes nocti tenebras senserit. Etenim contrariorum experientia magistra nos aperte docet, qualia sint ea, quibus antea fruebamur. Idcirco nimirum tum quoque, quandoquidem præsente illo sexcentis bonis Discipuli potiti erant, et quod cum illo versati fuissent, dies jucundissime transigebant. Omnes enim incolæ Palestinæ tanquam ad luminaria quædam oculos suos ad eorum ora convertebant, quando et mortuos ad vitam revocabant, et leprosos mundabant, dæmones expellebant, morbos curabant, aliaque multa miracula edebant : quoniam igitur ita illustres erant et celebres, propterea ad tempus eos permisit ab ejus virtute sejungi, cujus auxilio nitebantur : ut cum eo fuissent destituti, tum quantum illis ejus bonitatis præsentia prodesset, edisceret, ut cum præteritorum bonorum magnitudinem perspexissent, majori cum studio Paracleti donationem excipierent. Etenim illos mœrentes consolatus est, et propter

magistri discessum lugentes ac tristitia repletos, suæ lucis radiis illustravit, prope jacentes erexit, mœroris caliginem discussit, et anxietatem omnem depulit. Quandoquidem namque dominicam vocem audierant, « Euntes docete om-» nes gentes [1] : » dubitabant autem deinceps et ignorabant, quo proficisci quemque oporteret, et in quanam orbis terrarum regione verbum Dei prædicare; in specie linguarum Spiritus sanctus advenit, singulis orbis terrarum regiones docendas distribuit, atque impertitæ linguæ opera tanquam in tabula eorum fidei commissi magistratus ac magisterii leges descripsit. Propterea in specie linguarum spiritus advenit : neque idcirco tantum, sed ut veteris etiam historiæ memoriam nobis refricaret. Cum enim olim homines superbia elati turrim extruere voluerint, quæ ad cœlum usque pertingeret, et invecta divisione linguarum pravam illorum coïtionem et concordiam dissiparit Deus : idcirco nunc quoque in specie ignearum linguarum ad eos advolat Spiritus sanctus, ut per illum orbem terrarum divisum conjungat. Et accidit res nova simul ac mira : ut enim tum antiquitus linguæ terrarum orbem diviserunt, et malam concordiam in dissidium converterunt; ita nunc quoque terrarum orbem linguæ copulârunt, et quæ dissidebant in concordiam reduxerunt. Itaque in specie linguarum idcirco advenit : tanquam ignis autem linguæ erant, quod sylvescentes in nobis peccatorum spinæ succrevissent. Nam quemadmodum terra fertilis ac pinguis, si minime colatur, magnam spinarum sylvam profundit : sic et natura nostra, quæ a creatore suo bona est condita, et ad virtutis fruges idonea, eo quod neque pietatis aratrum, neque cognitionis Dei semen excepisset, quasi spinas quasdam et aliam inutilem sylvam impietatem produxit. Et quemadmodum sæpe propter spinarum multitudinem, ac malorum grami-

[1] Matth. xxviii, 19.

num terræ facies ne apparet quidem : sic et animæ nostræ nobilitas puritasque minime apparebat, quousque naturæ humanæ agricola venisset, et ipsam immisso spiritus igne perpurgasset, atque, ut ad excipiendum cœleste semen idonea redderetur, effecisset.

III. Tanta sunt, hisque multo plura, quæ nobis hujus diei beneficio bona obvenerunt. Quæ cum ita sint, oro, obtestorque vos, pro dignitate congestorum in nos bonorum, festum nos quoque celebremus, non januam coronantes, sed animas comentes ; non forum tapetibus exornantes, sed animam splendidam virtutis amictu reddentes, ut hoc pacto possimus et spiritus gratiam suscipere, et fructus inde pullulantes decerpere. Quis porro ille fructus est spiritus? audiamus Paulum dicentem : « Fructus autem » spiritus est charitas, gaudium, pax [1]. » Vide quanta sit accuratio in verbis, quanta in doctrina convenientia : præmisit charitatem, tum deinceps ea quæ consequuntur commemoravit : radicem fixit, ac deinde fructum indicavit : fundamentum jecit, ac deinde ædificium imposuit; a fonte initium duxit, et mox ad fluvios devenit. Non enim fieri potest, ut gaudii materia nos commoveat, prius quam aliorum prosperitatem nostram ducamus, et proximi bona propria reputemus : hæc vero non aliunde promanare queunt quam quod charitatis vis prævaluerit, atque dominatus. Charitas radix est, et fons materque cunctorum bonorum : etenim tanquam radix sexcentos virtutum ramos germinat, quasi fons multos latices profundit, et ut mater gremio suo ad se confugientes arcte complectitur. Quod quidem cum beatus Paulus probe nosset, fructum spiritus eam appellavit : alibi vero tantam detulit ei prærogativam, ut eam legis plenitudinem appellarit : « Plenitudo enim, » inquit, legis est charitas [2]. » Enimvero ipse omnium domi-

[1] Gal. v, 22. — [2] Rom. XIII, 10.

nus tanquam descriptionem sufficientem, et fide dignum specimen, ut quis se ipsius discipulum probaret, non aliud quam quod a charitate petitur, nobis proposuit, cum dixit : « In hoc cognoscent omnes quia Discipuli mei estis, si »dilectionem habueritis ad invicem [1]. » Quamobrem ad ipsam, quæso, confugiamus omnes, eique adhæreamus, et cum ipsa festivitatem hanc excipiamus. Ubi enim charitas, animæ cessant defectus; ubi charitas, alieni a ratione mentis insultus sedati sunt. « Charitas, inquit, non agit perpe»ram, non inflatur, non est ambitiosa [2] : »charitas malum proximo non infert : ubi charitas dominatur, nuspiam Caïn cernitur, qui fratrem occidat. Tolle fontem invidiæ, et malorum omnium flumen sustulisti : exscinde radicem, et fructum simul excidisti. Hæc vero eo dicuntur a me, quod de iis qui invident, magis sim sollicitus, quam de iis quibus invidetur. Illi enim sunt, qui maximam faciunt jacturam, multamque sibi perniciem invehunt; nam illis quidem quibus invidetur, illud, siquidem velint, materiam affert coronarum, quod invidiam patiantur, Ac vide, quæso, quo pacto justus Abel celebretur laudibus, et in dies præconiis efferatur, quod cædis causa celebris nominis occasionem attulerit. Atque hic quidem post obitum etiam per sanguinem audacter loquitur, et clara voce parricidam accusat [3] : ille autem superstes videlicet operum fructum per operum mercedem recepit, et gemens tremensque vitam in terris traduxit. At hic interfectus et jacens in terra, post obitum etiam majore cum fiducia loquendi facultatem ostentabat. Et quemadmodum illum sic afficiebat peccatum, ut etiamnum vivens infelicius mortuis vitam degeret : sic et istum post mortem etiam virtus illustriorem reddidit. Quocirca nos quoque ut majorem et hic et illic fiduciam nobis conciliemus, ut ampliorem ex hac

[1] Joan. XIII, 35. — [2] 1 Cor. XIII, 4. — [3] Gen. IV, 10.

festivitate lætitiam decerpamus, omnia quidem animæ sordida vestimenta rejiciamus, præcipue vero nos invidiæ veste spoliemus. Licet enim sexcentorum recte factorum meritum cumulasse videamur, si nobis hæc acerba tetra que lues negotium facessat, in nihilum cuncta recident. Faxit Deus ut ejus nos omnes expertes simus, atque illi maxime qui hodierna die per gratiam lavacri veterem peccatorum amictum adjecerunt, et ipsius solis radiis æmulum jam possunt lumen effundere. Vos igitur hortor, qui hodie in adoptionem transcripti estis, qui splendidum hunc amictum induistis, omni custodia, quo nunc præditi estis, splendorem conservate, atque omni ex parte diabolo aditum intercludite, ut copiosiori Spiritus gratia percepta fructificare possitis unum triginta, et unum sexaginta, et unum centum : ut efficiamini digni qui cum fiducia Regi cœlorum occurratis, cum venturus fuerit, omnique sermone sublimiora bona distributurus illis, qui præsentem vitam cum virtute transegerint in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et potestas, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA.

In eos, qui ad synaxim non occurrerunt, et quod Filius Patri sit consubstantialis, demonstratio, quodque ea, quæ humiliter, ab eo dicta sunt et facta, non propter imbecillitatem potentiæ, vel ut minor censeatur, facta sint, et dicta, sed propter diversas dispensationis rationes : ex disputatione de incomprehensibili et consequenter.

I. Iterum Circensia [1], iterumque nobis imminutus est conventus : imo vero quandiu vos adestis, fieri nequit, ut imminuatur. Nam sicut agricola, si fruges adultas viderit et maturas, quod cadant folia, non admodum curat : sic nimirum et ego cum fructus nobis adsit, non ita doleo, dum folia nobis abripi cerno. Mihi quidem propter illorum negligentiam dolet, verumtamen conceptum ob illos dolorem mitigat vestræ alacritas charitatis. Enimvero illi quantumvis advenerint aliquando, ne tum quidem adsunt, sed hic quidem corpus eorum est situm, mens autem foris vagatur : at vos licet absitis aliquando, tunc etiam adestis : corpus enim vestrum foris, mens autem hic vestra versatur. Statueram equidem prolixam in illos orationem habere; sed ne, dum minime præsentes, nec audientes increpo, cum umbra videar depugnare, his sermonibus in illorum adventum reservatis, ad consuetum Scripturæ pratum ac pelagus charitatem vestram deducere, Deo favente, conabor. Sed attendite animum, atque vigilate : nam inter eos quidem, qui navigant, licet dormiant omnes, si solus vi-

[1] Vide D. Guillon, tom. XIII, pag. 597-602.

gilet gubernator, nullum est periculum, dum illius vigilantia et ars navigio pro omnibus sufficit : hic vero non ita : sed licet vigilet orator, nisi vigilantiam eamdem exhibeant auditores, demersus hic sermo noster peribit, neque mentem ullam, a qua possit excipi, naneiscetur. Quapropter sobrios esse nos ac vigilantes oportet : siquidem præstantioribus in rebus negotiatio nostra consistet, nec ad aurum, vel ad argentum, vel ad res pereuntes, sed ad futuram vitam et cœlestes thesauros adipiscendos navigamus : multoque plures hic quam in mari vel in terra sunt vitæ : quod si quis accurate illas tenere nesciverit, acerbissimum naufragium patietur. Quotquot igitur nobiscum navigatis, ne confidentiam vectorum, sed vigilantiam et sollicitudinem exhibete gubernatorum : nam et illi dum, dormientibus cæteris omnibus, ad gubernacula sedent, non vias tantum in aquis circumspiciunt, sed et in cœlum ex tanto respiciunt intervallo, ac veluti manu quadam a stellarum cursu deducti, navim cum securitate moderantur : neque pelagus imperitus ullus interdiu tam intrepide posset ignorare, atque illi tranquille media nocte, cum mare terrorem magis incutit, vigilantes pacate suam artem exercent, et non semitas solum inter undas, neque cursus astrorum, sed et ventorum exitus circumspiciunt : tantaque virorum illorum est sapientia, ut sæpe ventorum impetum vehementius ingruentem ac navigium subversum, crebis velorum mutationibus excipientes, solerter periculum omne depellant, et violentis ventorum incursibus artem suam opponentes tempestati navim eripiant. Quod si pro mundanis illi rebus hoc sensibile mare navigantes, animo semper sunt adeo vigilanti, multo magis ita nos esse comparatos oportet : cum periculum negligentibus majus immineat, majorque sit securitas vigilantibus. Nam neque ex asseribus nostra hæc cymba compacta est, sed ex divi-

nis est conglutinata Scripturis, nec illam stellæ superne deducunt, sed hanc nobis Sol justitiæ navigationem moderatur : neque Zephyri flatus sed lenem Spiritus auram præstolantes ad gubernacula sedemus.

II. Vigilemus itaque, viasque circumspiciamus, nam de Unigeniti gloria rursus nobis est sermo, siquidem hominum, Angelorum, Archangelorum et omnis, ut summatim dicam, creaturæ captum incredibilem in modum superare substantiam Dei, nec ab illa comprehendi posse, atque Unigenito soli, simulque Spiritui sancto cognitam et perspectam esse ostendimus : nunc autem ad alteram partem certaminis oratio traducitur : quærimus enim an ejusdem virtutis, an ejusdem potentiæ sit, an ejusdem cum Patre substantiæ Filius : imovero non quærimus, sed Christi beneficio jam invenimus, et firmiter tenemus, sed ad hoc ipsum demonstrandum iis, qui impudenter his obsistunt, jam nos accingimus. Enimvero pudet me, ac rubore suffundor, cum ejusmodi sum orationem ingressurus : quis enim nos non rideat, qui res adeo claras probare ac demonstrare conemur? quis eos non damnet, qui quærunt num consubstantialis Patri sit Filius? id enim est non Scripturis solum, sed et communi hominum omnium sententiæ ac rerum naturæ adversari. Nam ejusdem esse substantiæ genitum atque genitorem, non in hominibus solum, sed et in cunctis animantibus et in arboribus cernere licet. Annon igitur absurdum est, si cum in plantis, in hominibus et animalibus immota lex ista maneat, in Deo tantum eam movere velis et subvertere? Sed ne videamur ex rebus tantum, quæ apud nos sunt, hæc confirmare, age ductis ab ipsis Scripturis argumentis id ostendamus, et de his sermonem instituamus. Neque enim nos, qui persuasi sumus, sed illi increduli risu digni judicabuntur, qui rebus adeo claris et evidentibus se oppo-

nunt, ac veritatis adversantur. Quas tu res claras, inquiunt, narras? si enim quia Filius dicitur, consubstantialis est Patri, poterimus nos quoque consubstantiales esse : nam et nos filii dicimur : « Ego enim dixi, inquit, » Dii estis et filii Excelsi omnes [1]. » O impudentiam! o dementiam summam! quam evidenter suam in omnibus insaniam produnt. Cum de incomprehensibili Dei substantia sermonem institueremus, hoc sibi vindicare contendebant, quod Unigeniti erat solius, quasi nimirum ita Deum perfecte noverint, ut se ipsum novit ipse : jamvero cum de gloria Unigeniti verba facimus, ad suam illum deprimere vilitatem contendunt, aiuntque : « Nos etiam filii appellamur : » nec tamen plane nos istud consubstantiales Deo reddit. Tu filius appellaris, at ille est : hic appellatio, illic res ipsa : tu filius appellaris; sed unigenitus ut et ille non appellaris; sed in sinu Patris non versaris, sed non es splendor gloriæ, neque figura substantiæ [2], neque Dei forma existis. Si ergo tibi non persuaserit illud prius, hæc et his multo plura persuadeant, quæ nobilem ejus originem illam testantur. Quando enim substantiam suam a paterna vult ostendere nulla ex parte diversam, « Qui » vidit me, inquit, vidit Patrem [3] : » quando propriam virtutem, « Ego, inquit, et Pater unum sumus [4] : » quando potestatis æqualitatem, » Sicut enim Pater suscitat mortuos, » et vivificat : sic et Filius quos vult vivificat [5] : » quando cultus identitatem, « Ut omnes honorificent Filium, sicut » honorificant Patrem [6] : » quando demum in legum mutationibus auctoritatem, « Pater meus, inquit, operatur, et » ego operor [7]. » At isti, his omnibus prætermissis, dum nomen Filius proprie non accipiunt, quia et ipsi filiorum sunt appellatione decorati, ad eamdem Filium deprimunt

[1] Psal. LXXXI, 6. — [2] Hebr. I, 3. — [3] Joan. XIV, 9. — [4] Id. X, 30. — [5] Id. V, 21. — [6] Ibid. 23. — [7] Ibid. 17.

vilitatem aiuntque : « Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi »omnes. » Quando igitur propter hanc filii appellationem nihil amplius, quam tu, habere Filium affirmas, et hac ratione fieri ut ne verus quidem sit filius, etiam propter appellationem Dei, quoniam et hoc tibi nomen impertivit, nihil amplius, quam tu, Patrem habere fortasse contendes. Ut enim filius vocatus es, sic et deus es vocatus : at quemadmodum deus vocatus dicere non audes nudum illic esse nomen, sed verum esse Deum Patrem fateris : ita neque de Filio cum agitur, aude te ipsum in medium inferre ac dicere : « Filius ego quoque sum vocatus : cumque minime sim ejusdem substantiæ, neque ejusdem ille debet esse » : nam quæ sunt enumerata cuncta verum illum esse Filium ejusdem substantiæ cum genitore demonstrant. Quando enim ejusdem esse cum illo formæ atque ejusdem figuræ dicit, quid aliud quam substantiæ non esse ulla ex parte diversitatem ostendit ? Nam neque forma est in Deo, neque facies : quemadmodum ista dicis, inquit, dic etiam contraria, quænam tandem contraria ? cujusmodi est, quod Patri supplicet : nam si ejusdem virtutis est, ejusdemque substantiæ, ac per potestatem omnia peragit, quam ob causam supplicat ?

III. Ego vero non hæc solum dicam, sed et alia quæcumque humilia de ipso dicta sunt, diligenter omnia proponam, si primum illud dixero, mihi quidem eorum, quæ humiliter de ipso sunt dicta, multas et justas proferendas causas suppetere, te autem eorum, quæ sublimia sunt atque gloriosa, nullam aliam posse occasionem afferre, quam quod suam nobis volucrit nobilitatem indicare : quandoquidem id ni ita se habeat, pugna erit et certamen in Scripturis. Nam quod ait : « Sicut Pater suscitat mortuos, »et vivificat; sic et Filius quos vult vivificat [1], » et quæ-

[1] Joan. v, 21.

cumque alia dixi, et quod rursus oret, cum illud ei fuerit agendum, contrarium est : sed si causas aperuero, sublata omnis erit occasio dubitandi. Quænam igitur sunt causæ, cur cum ipe, tum Apostoli de ipso humilia multa dixerint? Prima quidem causa et maxima, quod ipse carne indutus fuerit, ac tum illis, qui tunc erant, tum quicumque post futuri erant, omnibus fidem facere vellet, non umbram aliquam esse, neque figuram tantum id, quod cernebatur, sed veritatem naturæ. Si enim cum tot humilia et humana dixerint Apostoli, et ipse de se ipso, potuit tamen diabolus miseris aliquot hominibus et æruinosis persuadere, ut dispensationis rationem negarent, et cum carnem non suscepisse dicere auderent, atque omne humanitatis fundamentum tollerent : si nihil istorum dixisset, quam pauci fuissent, qui non in barathrum hoc incidissent? Non audis etiamnum Marcionem dispensationem in carne negantem, Manichæum, Valentinum, et multos alios? Ideo multa humana loquitur, humilia, et ab illa ineffabili essentia aliena, ut dispensationis rationi fidem astruat : in id enim summo studio diabolus incumbebat, ut hanc fidem ex hominum mentibus evelleret, cum probe nosset, si fidem dispensationis sustulisset, de plerisque rebus nostris actum fore. Est et altera præter istam causa, nimirum infirmitas auditorum, quodque illi qui tum primum ipsum videbant, ac tum primum audiebant, sublimiores capere dogmatum sermones minime possent. Enimvero non sola niti conjectura, quod dico, ex ipsis demonstrare Scripturis, et docere conabor. Si quid forte magnum et sublime, suaque dignum gloria locutus esset : quid dico magnum et sublime atque ipsius gloria dignum? si quid forte dixisset quod naturam humanam excederet, perturbabantur, scandalizabantur : sin autem humile quidpiam et humanum, accurrebant, ac sermonem admittebant. Ubinam tandem id videre est?

Apud Joannem præcipue, cum enim dixisset ipse : « Abra-» ham pater vester exultavit, ut videret diem meum : et » vidit, et gavisus est. Quadraginta, inquiunt, annos non-» dum habes et Abraham vidisti[1] ? » Vides ut erga illum tanquam nudum hominem affecti essent? Quid igitur ipse? « Antequam Abraham fieret, inquit, ego sum : et tulerunt » lapides, ut jacerent in eum : » cumque de mysteriis pro-lixe dissereret, ac diceret : « Et panis quem ego dabo pro » mundi vita, caro mea est[2], » aiebant : « Durus est hic » sermo, quis potest eum audire? et multi Discipulorum » ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant[3]. » Quid ergo, quæso, faciendum illi fuit? an sublimioribus perpetuo verbis immorandum, ut prædam absterreret, atque omnes a doctrina sua repelleret? at hoc Dei benigni-tatis non fuit. Nam et rursus cum dixisset : « Qui sermonem » meum audit, mortem non gustabit in æternum[4], » aiebant : « Nonne bene diximus nos, quia dæmonium habes? Abra-» ham mortuus est, et Prophetæ mortui sunt, et tu dicis : » Qui sermonem meum audit, mortem non gustabit[5]? » Et quid mirum, si multitudo sic affecta erat, cum in ea sen-tentia principes ipsi essent? Nicodemus quidem, qui et ipse princeps erat, et multa cum benevolentia ad ipsum venerat dixeratque ; « Scimus quia a Deo venisti magister[6], » sermo-nem de baptismate capere minime potuit multo illius im-becillitate majorem : cum enim dixisset Christus : « Nisi » quis natus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest videre » regnum Dei[7], » sic in humanas incidit suspiciones, ut di-ceret : « Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? » numquid potest in ventrem matris suæ iterum introire et » renasci[8]? » Quid igitur Christus? « Si terrena dixi vobis, » et non creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia crede-

[1] Joan. VIII, 56, 57. — [2] Id. VI, 52. — [3] Ibid. 61 et 67. — [4] Id. VIII, 51. — [5] Ibid. 52. — [6] Id. III, 2. — [7] Ibid. 3. — [8] Ibid. 4.

tis[1]? » quasi se defenderet, ac rationem redderet, cur non perpetuo de superna nativitate verba faceret. Sub ipsum rursus passionis tempus, post sexcenta miracula, post multam illam potentiæ suæ declarationem, cum diceret : « Vi» debitis Filium hominis venientem in nubibus[2], » non ferens dictum illud pontifex, scidit vestimenta sua : quonam igitur modo verba fieri apud istos oportuit, qui nihil sublime tolerarent? Nihil quippe mirum, si hominibus, qui humi serpebant, et adeo imbecilles erant, nihil omnino de se magnum aut sublime proferret.

IV. Sane quidem sufficerent ea, quæ dicta sunt, ad ostendendum hanc fuisse causam et occasionem, cur adeo vilia tunc et abjecta proponeret : verumtamen ex altera parte conabor idipsum reddere manifestum. Ut enim si quando magnum quid et sublime pronuntiasset Christus, offendi illos, perturbari, resilire, convitiari, ac refugere vidistis, ita si quando quid humile abjectumque dixisset, accurrisse illos; et doctrinam admisisse conabor ostendere. Illi enim ipsi, qui resiliebant, cum rursus diceret : « A me » ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater meus loquor[3], » statim accurrerunt, et cum indicare vellet Evangelista propter verborum humilitatem illos credidisse, indicium adjunxit dicens : « Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum : » atque aliis pluribus in locis ita evenisse comperimus : ideo multa sæpe humanitus loquebatur, et rursus non humanitus, sed ut Deum decebat, atque ipsius nobilitas exigebat : cum ut auditorum imbecillitati se attemperaret, tum ut dogmatum sinceritati provideret. Etenim ne forte, si semper ita se demitteret, quam de ipsius dignitate concipi par est, apud posteros opinio læderetur, ne illam quidem partem neglexit, sed tametsi fore prævidebat, ut minime sibi obtemperarent, sed conviciarentur ac resilirent,

[1] Joan. III, 12. — [2] Matth. XXVI, 64. — [3] Joan. XII, 50.

dixit tamen, cum ut illud quod indicavi constitueret, tum ut causam aperiret, ob quam illis et humilia verba commiscuit : hæc nimirum erat, quod dictorum magnitudinem capere nondum possent. Et sane nisi hoc constituere in animo habuisset, supervacaneum fuisset dogmatum sublimium doctrinam illis proponere, qui neque aures præbere, neque animum adhibere voluissent : jamvero tametsi minime illis prodesset, nos quidem certe erudiebat, et ut convenienti opinione de illo imbueremur, efficiebat; illudque persuadebat in causa fuisse, ut ad tantam humilitatem orationem traduceret, quod sublimitatis eorum, quæ dicebantur, nondum capaces essent. Cum igitur eum videris humilia loqui, ne ad essentiæ vilitatem, sed ad imbecillitatem auditorum ipsum sese attemperare puta. Vultis et tertiam causam afferam? Non enim tantum ob carnem qua circumdatus erat, neque ob auditorum imbecillitatem, sed quod auditores docere vellet, ut animo demisso et humili essent, multa humiliter et gessit et dixit : atque hæc tertia rursus est causa. Nam qui humiliter sentire docet, non verbis tantum, sed et factis ad hoc nos erudit, sermone simul et opere modestiam præ se ferens. « Discite enim, in» quit, a me, quia mitis sum et humilis corde [1], » et alibi rursus : « Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed » ut ministraret [2]. » Ergo qui docebat nos, ut humiles fieremus, neque principem locum usquam occuparemus, sed inferiores ubique censeri contenti essemus, ac verbis factisque nos ad hoc incitabat, ei multæ suppetebant humiliter loquendi occasiones. Licet et quartam proferre causam nihilo inferiorem allatis : quænam est illa tandem? ne forte propter magnam et immensam hypostasium propinquitatem, nos in unius personæ opinionem incideremus : etsi enim raro tale quid dixerit, jam in eam nonnulli prolapsi

[1] Matth. xi, 29. — [2] Id. xx, 28.

sunt impietatem. Sabellius quidem certe Afer cum dicentem audisset : « Ego et Pater unum sumus, » et « Qui vidit » me, vidit Patrem [1], » ex hac verborum propinquitate, qua ad genitorem accedere videbatur, occasionem impietatis arripuit, ita ut unam esse personam et hypostasim unam censeret. Neque vero solæ sunt istæ causæ, sed ne quis eum primam illam et ingenitam esse substantiam arbitraretur, aut majorem suo ipsius genitore censeret : nam et hoc ipsum timuisse Paulum apparet, ne quis forte hoc impium pravumque dogma suspicaretur. Certe cum dixisset: « Oportet enim illum regnare, donec ponat inimicos sub » pedibus [2] : » et addidisset : « Omnia subjecit sub pedibus ejus [3], » adjunxit : « Præter eum, qui subjecit illi omnia [4] : » non utique adjuncturus, nisi timuisset ne qua forte diabolica talis sententia exoriretur. Sæpe quoque dum Judæorum invidiam lenit, de verborum sublimitate nonnihil remittit, ut eorum, qui cum ipso sermocinabantur, suspicioni satisfaciat ; ut cum ait : « Si ego testimonium perhibeo » de me ipso, testimonium meum non est verum [5]. » Nam ut eorum suspicionem refelleret, ita dixit : neque enim hoc verum non esse, voluit indicare, quin potius, ut vos arbitramini, et suspicamini, inquit, cum me nolitis recipere de me ipso verba facientem.

V. Et vero plures aliæ reperiri causæ possent : ac verborum quidem humilitatis multas nobis proferre occasiones liceret : at tu dogmatum sublimiorum aliam affer occasionem præter eam, quam diximus. Ea vero fuit, quod suam nobis vellet patefacere nobilitatem ; sed aliam afferre nullam posses. Nam is quidem, qui magnus est, exiguum aliquid poterit de se dicere, nec ullum id crimen erit, siquidem istud est modestiæ : si quis autem qui parvus sit,

[1] Joan. x, 30. — [2] Id. xiv, 9. — [3] 1 Cor. xv, 25. — [4] Ibid. 26. — [5] Ibid. 27. — [6] Joan. v, 31.

magnum de se quidpiam dicat, criminationem non effugiet : est enim illud arrogantiæ : quapropter sublimem quidem omnes laudamus, cum humilia de se dixerit, humilem autem nemo laudabit, si quid forte magnum de se dixerit. Itaque si multo inferior Patre Filius esset, ut vos dicitis, non oportuisset eum verba proloqui, ex quibus ipsum genitori suo æqualem esse constaret : id enim arrogantiæ fuisset. Quod autem is, qui genitori suo sit æqualis, humilia quædam et abjecta dicat, nulli est obnoxium reprehensioni, vel crimini, cum laude potius, et maxima istud admiratione sit dignum. Atque ut manifestiora fiant, quæ diximus, et intelligatis vos omnes nos divinis non adversari Scripturis, age primam causarum istarum, quas attulimus, jam pertractemus, et quonam in loco propter indumentum carnis aperte sua essentia inferiora verba proferat ostendamus. Ac si videtur, orationem ipsam in medium adducamus, qua Patrem oravit. Sed attendite, quæso, diligenter : rem enim omnem paulo altius repetitam statui narrare. Peracta est olim cœna sacra illa nocte, qua tradendus fuit : sacram enim illam appello, quia innumera illa bona, quæ in orbem terrarum effusa sunt, initium inde duxerunt. Tunc igitur cum Discipulis undecim proditor recumbebat, et cœnantibus illis ait Christus : « Unus ex vobis tradet me [1]. » Horum mihi memores estote verborum, ut cum ad orationem ventum fuerit, qua de causa sit oret, videamus. Ac mihi sollicitudinem Domini considera : non dixit : « Judas me tradet, » ne editis evidentibus criminis indiciis impudentiorem illum redderet : cum autem ille stimulante conscientia dixisset. « Numquid ego sum, Domine? ait illi? » Tu dixisti [2], » et ne tum quidem adduci potuit, ut eum accusaret, sed ipsum indicem criminis sui constituit. Verumtamen ne sic quidem melior evasit, sed cum accepisset

[1] Matth. xxvi, 21. — [2] Ibid. 25.

buccellam, exivit. Cum ergo exiisset, assumptis Jesus Discipulis ait : « Omnes vos scandalum patiemini in me [1]. » Renitente autem Petro, ac dicente : « Etsi omnes scandalizati » fuerint, ego nunquam scandalizabor [2], » ait rursus Jesus : « Amen dico tibi, antequam gallus cantet, ter me negabis [3]. » Cum autem rursus contradiceret, deinceps illum reliquit. Non potes, inquit, verbis persuaderi, sed contradicis, ac rebus ipsis tibi persuadebitur non esse Domino contradicendum. Atque horum mihi iterum memores estote verborum : utilis enim eorum erit memoria, dum orationem perscrutabimur, indicavit proditorem, prædixit omnium fugam, et mortem suam : « Percutiam, inquit, pastorem, et » dispergentur oves [4] : » prædixit, qui se abnegaturus esset, et quando, et quoties, et accurate omnia. Post hæc ut idoneam præscientiæ futurorum afferat probationem, cum ad villam quamdam venisset, orat : et illi quidem Divinitatis orationem esse dicunt, nos autem esse dicimus dispensationis. Judicate itaque, ac per ipsius Unigeniti gloriam, ita sententiam ferte, ut nihil cujusquam gratiæ detis. Nam tametsi apud amicos causam dico, precor tamen et obsecro, ut incorruptum judicium, nec vel in gratiam nostri, vel in illorum odium fiat. Enimvero ex hoc ipso maxime constat orationem Divinitatis non esse, Deus enim non erat : Dei est adorari, Dei est orationem suscipere, non orationem offerre. Attamen quoniam impudentes sunt, ex ipsis orationis verbis manifestum reddere conabimur, totum illud dispensationis esse, ac secundum carnem infirmitatis. Quando enim humile quid loquitur Christus, sic humile loquitur ac vile, ut summa dictorum humilitas vel admodum contentiosis persuadere queat illa verba multum ab illa ineffabili atque inenarrabili essentia dissidere. Ad ipsa igitur orationis verba veniamus. « Pater, si possibile

[1] Matth. xxvi, 31. — [2] Ibid. 33. — [3] Ibid. 34. — [4] Ibid. 31.

» est, transeat a me calix iste. Verumtamen non sicut ego » volo, sed sicut tu [1]. » Hic igitur eos interrogemus, ignoratne num possibile sit, aut impossibile, qui paulo ante inter cœnandum dicebat : « Unus ex vobis tradet me? » Qui paulo ante dicebat : « Scriptum est : Percutiam pastorem, et dis- » pergentur oves, » et, « Omnes scandalum patiemini in » me? » qui Petro dixit : « Me negabis, » et « Ter me nega- » bis, » hiccine, quæso, nunc ignorat? quis hoc dixerit, quantumlibet adversum sentiat? Nam cum illud quidem, quod ignoratur, nulli neque Prophetarum, neque Angelorum, neque Archangelorum notum fuerit, ansam aliquam contentiosis fortasse præbebit : cum autem illud quod ignoratur, ita clarum et exploratum omnibus fuerit, ut etiam homines accurate illud noverint, qua excusatione, qua venia digni fuerint, qui asseverant eum, quod ignoraret, ista dixisse? Sane quidem hunc, de quo agimus sermonem, exacte servos ejus novisse liquet, et per crucem illud patiendum, ac tam multis ante annis horum utrumque declarans David ex persona Christi dicebat : « Foderunt manus » meas, et pedes meos [2], » et quod futurum erat tanquam præteritum annuntiavit, hoc nimirum indicans, quemadmodum fieri nequit, ut ea quæ jam evenerunt facta non fuerint, sic nec posse fieri, ut hoc non accidat. Rursus Hesaïas, hoc ipsum prædicens aiebat : « Sicut ovis ad occisio- » nem ductus est, et sicut agnus coram tondente se mutus [3]. » Hunc rursus agnum cernens Joannes dixit : « Ecce Agnus » Dei, qui tollit peccatum mundi [4], » ille nimirum prædictus, inquit. Ac vide, non simpliciter dictum est Agnus, sed additum est, Dei. Nam quoniam et alter erat Agnus judaïcus, ut hunc esse Dei ostenderet, sic locutus est. Ille pro sola gente offerebatur, hic pro toto terrarum orbe fuit oblatus :

[1] Matth. xxvi, 39. — [2] Psal. xxi, 17. — [3] Isaï. liii, 7. — [4] Joan. i, 29.

atque illius quidem sanguis corporalem plagam prohibuit a Judæis, hujus vero sanguis purgationem orbi attulit universo. Et vero hic sanguis, judaïci, inquam, agni, non ex sua potuit natura, quod potuit, sed quoniam hujus erat figura, vim illam obtinuit.

VI. Ubi sunt igitur illi, qui dicunt : « Et ille filius dicitur, et nos filii et ob hanc appellationis communionem, ad nostram conantur eum dejicere vilitatem? ecce namque agnus, et agnus, atque unum quidem est nomen, utriusque vero naturæ discrimen immensum. Ut ergo cum appellationis illic audis communionem, nihil æquale mente concipis; ita nimirum et hic dum filium audis et filium, noli Unigenitum ad vilitatem tuam deprimere. Quid vero de servis dicendum est? Si enim Divinitatis sit oratio, secum ipse pugnare videbitur, sibique contradicere, et adversari. Iste enim, qui hoc loco dixit : « Pater, si possibile est, transeat » a me calix iste [1], » quique cunctatur, ac refugit passionem, alibi cum dixisset oportere Filium hominis tradi, et flagellis cædi, cumque Petrum dicentem audiisset : « Propitius tibi esto, Domine; non erit tibi hoc [2], » ita vehementer illum increpavit, ut diceret : « Vade post me, Satana, » scandalum es mihi; quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed » ea quæ hominum [3]; » tametsi paulo ante ipsum laudaverat, beatumque prædicarat, nihilominus Satanam eum vocavit, non quod Apostolum ignominia vellet afficere, sed quod hoc probro cuperet indicare, non ex animi ejus sententia dictum illud prolatum fuisse, sed adeo alienum, ut qui illud protulerit, licet Petrus esset, Satanam non dubitaverit appellare. Alibi rursus ait : « Desiderio desideravi » hoc Pascha manducare vobiscum [4]. » Quam ob causam hoc Pascha dicit? tametsi alio quoque tempore festum

[1] Matth. xxvi, 39. — [2] Id. xvi, 22. — [3] Ibid., et Marc. viii, 33. — [4] Luc. xxii, 15.

istud cum ipsis peregit quam tandem ob causam? quoniam illud secutura crux erat. Et rursus : « Pater, clarifica » Filium tuum, ut et Filius tuus clarificet te [1]; » ac multis in locis eum passionem prædixisse, atque, ut eveniret, optasse comperimus, ejusque rei causa venisse; quomodo ergo hic dicit : « Si possibile est : » imbecillitatem naturæ ostendit humanæ, quæ utcumque avelli a præsenti vita nolebat; sed recusabat et tergiversabatur propter insitum illi a Deo jam a principio præsentis vitæ amorem. Si enim post quam ipse tot tantaque dixerit, carnem illum non assumpsisse ausi sunt quidam asserere; si nihil horum dictum fuisset, quid non dixissent? Idcirco prædicit quidem illic ut Deus, et advenire passionem exoptat; refugit autem hic et deprecatur, ut homo; ultro enim illum ad passionem venisse docet illud, quod ait : « Potestatem habeo » ponendi animam meam, et potestatem habeo sumendi eam. » Nemo tollit eam a me; ego pono eam a me ipso [2], » quomodo ergo dicit : « Non sicut ego volo, sed sicut tu? » Quid vero miraris, si ante passionem tantum adhibeat studii, ut veritatem carnis confirmet, cum et post resurrectionem Discipulum cernens incredulum, et vulnera ipsi et clavorum fixuras ostendere non recusarit, et manus contactui subjicere cicatrices, ac dicere : « Scrutare et vide, quia spiritus carnem et » ossa non habet [3]? » Idcirco nec a principio perfectæ ætatis hominem suscepit, sed et concipi et nasci, et lacte nutriri sustinuit ac tanto tempore in terra versari, ut hoc ipsum et temporis diuturnitate et aliis omnibus confirmaret. Nam quoniam sæpenumero in terris Angeli in forma hominum apparuerunt, atque adeo ipse Deus; quod autem apparebat, non carnis veritas erat, sed attemperatio; ne forte talem hunc esse adventum arbitreris, quales illi fuerunt, sed veram esse carnem tibi fides fiat, et conceptus, et

[1] Joan. xvii, 4. — [2] Id. x, 18, 19. — [3] Luc. xxiv, 39.

natus, et educatus, atque in præsepio positus fuit, non in cubiculo quodam, sed in diversorio coram innumera multitudine, ut vulgo ejus nativitas innotesceret. Idcirco et fasciæ, et prophetiæ superioribus idipsum sæculis prædixerunt, non hominem tantum illum futurum, sed fore ut conciperetur, nasceretur, et puerorum more nutriretur. Et hoc est quod Hesaïas clamat dicens : « Ecce virgo in utero » habebit, et pariet Filium, et vocabunt nomen ejus » Emmanuël. Butyrum et mel comedet [1] ; et rursus : Par» vulus natus est nobis, et Filius datus est nobis [2]. » Vides ut priorem etiam illius ætatem prænuntiarint? interroga ergo hæreticum, Deus formidat ne, ac recusat, et cunctatur, et tristitia afficitur? quod si dixerit : « Etiam, » deinceps recede, et statue illum infra cum diabolo, vel potius eo inferius; neque enim ille hoc dicere audebit; sin autem dixerit, nihil horum esse Deo dignum, dic : « Ergo nec orat Deus : » absque istis enim et aliud absurdum erit, si hæc Dei verba fuerint. Neque enim animi solum æstuationem hæc verba significant, sed etiam duas voluntates, unam quidem Filii, alteram vero Patris inter se contrarias; nam quod dixit : « Non sicut ego volo, sed sicut tu, » hoc indicantis est. Atqui ne hoc quidem unquam illi admiserunt, sed nobis semper dicentibus illud, « Ego et » Pater unum sumus [3], » in majestate, illi in voluntate dictum esse inquiunt, dicentes Patris et Filii unam esse voluntatem. Si ergo Patris et Filii una est voluntas, quomodo hic dicit : « Verumtamen non sicut ego volo, sed » sicut tu [4]? » Nam si in Divinitate quidem sit, quod dictum est, exoritur quædam contradictio, et multa ex eo absurda nascuntur; sin autem in carne, rationi consentanea sunt, neque reprehendi quidquam poterit; non enim carnem nolle mori, damnari potest, cum hoc sit naturæ; ipse

[1] Isaï. VII, 12, — [2] Id. IX, 6. — [3] Joan. X, 30.

autem, quæ naturæ sunt, omnia præter peccatum copiosissime ostendat, ut ora hæreticorum obturet. Quando ergo dicit : « Si possibile est, transeat a me calix iste, » et, « Non sicut ego volo, sed sicut tu [6], » nihil aliud præ se fert, nisi se vere carne circumdatum esse, quæ mortem reformidet; illius enim est mortem timere, et recusare, et mœrore affici. Quandoque igitur destitutam illam et nudatam propria operatione derelinquit, ut cum ejus infirmitatem ostenderit, ejus quoque naturæ fidem faciat; quandoque vero eamdem celat, ut nudum hominem non fuisse intelligas. Nam quemadmodum, si semper humana demonstrasset, hoc utique creditum fuisset; ita, si semper quæ Dei sunt perfecisset, dispensationis rationi fides adhibita non fuisset. Propterea variat et intermiscet cum verba tum actiones, ut neque Pauli Samosateni, neque Marcionis, et Manichæi morbo ac furori præbeat occasionem; ideo et quod futurum est prædicit ut Deus, et rursus ut homo recusat.

VII. Vellem equidem reliquas etiam causas percurrere, atque ex ipsis actionibus indicare, quemadmodum hic, dum carnis infirmitatem ostenderet, sic et alibi rursus illum orasse, dum auditorum infirmitatem corrigeret. Neque enim cuncta, quæ humiliter dicta sunt, ob carnis amictum solum esse dicta censendum est, sed ob alias etiam quas attuli, causas; verumtamen ne eorum, quæ dicta fuerint, multitudo, eorum quæ dicenda sunt, copiam obruat, hic finem faciens adversus eos dicendi, et reliquis in alium diem, rejectis ad orationis rursus cohortationem me convertam. Licet enim de hoc argumento sæpe verba fecerimus, tamen operæ-pretium fuerit, ut nunc etiam de eo dicamus; nam et earum vestium quæ semel tinctæ fuerint, facile color evanescit; quas vero multoties et frequenter

[6] Matth. xxvi, 39.

immersas eduxerint infectores, eæ florem coloris immutabilem servant; hoc et in animabus nostris contingit; si quando enim eadem verba frequenter audierimus, quasi tincturam quamdam exceptam doctrinam non facile deponemus. Ne igitur perfunctorie audiamus; non enim est, non est, inquam, oratione quidquam potentius, aut quod ei possit æquari. Non sic amictus purpura splendidus est imperator, ut qui orat, colloquio cum Deo exornatus. Ut enim si, astante exercitu, ducibus, magistratibus, consulibus multis, accedens quis privatim cum imperatore in colloquium veniat, cunctorum oculos ad se convertit, eaque ratione fit illustrior, sic et orantibus accidit. Cogita namque quantum illud sit futurum, ut præsentibus Angelis, astantibus Archangelis, Seraphim, Cherubim, cæterisque Virtutibus omnibus, unus homo multa cum fiducia possit accedere, et cum Virtutum illarum Rege colloqui; num hoc illi cujuslibet honoris instar erit? Neque vero tantum honorem, sed utilitatem quoque maximam possumus ex oratione decerpere, vel etiam antequam id quod petimus, obtinuerimus. Nam simul atque manus in cœlum quis extenderit, Deumque invocarit, confestim ex rebus excessit humanis, ad futuram vitam mente translatus, ac deinceps, quæ sunt in cœlis, animo concipit, nihilque cum hac vita commune tempore precationis habet, si diligenter precatus fuerit; sed licet effervescat iracundia, facile sedatur; licet cupiditas exardescat, extinguitur; licet invidia torqueat; multa cum facilitate depellitur; idemque contingit, quod exoriente sole Propheta dicit contingere. Quid illud est? « Posuisti tenebras, et facta est nox; in ipsa pertransibunt » omnes bestiæ sylvæ. Catuli leonum rugientes, ut rapiant, » et quærant a Deo escam sibi. Ortus est sol, et congregati » sunt, et in cubilibus suis collocabuntur [1]. » Ut igitur radiis

[1] Psal. CIII, 20-22.

solis exorientibus, feræ omnes fugantur, et in sua lustra discedunt; ita nimirum ubi tanquam radius quidam ex ore nostro linguaque oratio sese effuderit, cum mens illuminatur, tum expertes rationis ac belluinæ perturbationes aufugiunt et abiguntur, atque in suos specus abscedunt, si modo diligenter, si attento animo, si mente vigilanti oraverimus. Tum licet affuerit diabolus, abigitur; licet dæmon, recedit. Nam si Domino colloquia serente cum servo, nullus ex conservis, ne ex illis quidem qui fiduciam apud illum obtinent, auderet accedere, et illum obturbare; multo minus hi ex eorum numero, qui Deum offenderunt, neque fiduciam obtinent, nobis in divinum colloquium admissis obstrepere poterunt, si conveniens studium adhibuerimus. Oratio portus tempestate jactatis, fluctuantibus anchora, scipio titubantibus, pauperum thesaurus, divitum securitas, morborum curatio, custodia sanitatis. Oratio simul et bona nobis immota conservat, et confestim mala transmutat; sive tentatio invaserit, facile propulsatur; sive pecuniarum jactura, sive quodlibet aliud eorum, quæ molestiam animæ nostræ inurunt, cuncta quamprimum repellit. Oratio mœroris omnis refugium, hilaritatis argumentum, occasio perpetuæ voluptatis, philosophiæ mater. Qui diligenter potest orare, licet omnium sit pauperrimus, tamen omnium est ditissimus; ut qui oratione destitutus est, licet in ipso regio throno sedeat, omnium est pauperrimus. Nonne rex erat Achab, et vim auri argentique habebat immensam? at quoniam orationem non habebat, Eliam quærens circumibat, hominem, qui neque diversorium, neque vestem habebat, sed melotem solam. Quid hoc sibi vult, quæso? Tu qui tot habes apothecas, eum, qui nihil habet, quæris? Ita est, inquit; nam quid mihi tandem prosunt hæc promptuaria, cum hic nobis cœlum clauserit, et inutilia cuncta reddiderit? Vides, ut hic illo fuerit opu-

lentior? nam quousque vocem hic emitteret, in multa paupertate rex cum toto comitatu versabatur. O rem mirabilem! ne vestem quidem habuit, et cœlum clausit, ideo nimirum cœlum clausit, quia vestem non habuit; quia nihil hic possedit, idcirco multam exhibuit potestatem; cum labra tantum diduxisset, ut innumeri e cœlo thesauri delaberentur, effecit. O sanctum os, cui fontes imbrium inerant! o linguam stillas effundentem! o vocem bonis innumeris scaturientem! Ad hunc igitur nostros semper oculos convertentes pauperem simul et divitem, qui dives idcirco fuit, quia pauper fuit, contemnamus præsentia, concupiscamus futura; sic enim et quæ hic sunt, et quæ illic, omnia bona consequemur. Quæ nobis omnibus præstare dignetur gratia et benignitas Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria simulque sancto Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA.

Adversus Judæos et Gentiles demonstratio, quod Christus sit Deus, ex iis, quæ multis in locis de illo dicta sunt apud Prophetas.

I. Quoniam plerique hominum [1], sive ex innata socordia, sive ex nimia sæcularium rerum, quibus se dediderunt, cura atque sollicitudine; alii vero ignorantia magna detenti, prolixos sermones non libenter audiunt; operæ-pretium visum est multiloquii molestiam resecare: ut sermonis brevitate cum segnitiem eorum tollam, tum iis, qui in lectionis fasti-

[1] Vide D. Guillon, tom. XIII, pag. 282-328.

dium prolapsi sunt, suadeam, ut præsenti orationi magna cum alacritate aures præbeant. Ideo nullis verborum nominumque lenociniis utens, sed dicta sic temperans, ut famulo, ancillæ, viduæ, institori, nautæ et agricolæ captu facilia sint, brevitati insuper, quantum fas erit, ubique studebo : paucisque doctrinam tradere satagam : atque utroque modo oscitantium auditorum studia excitabo; quo facile et absque labore hæc percipere possint, iisque in memoria repositis, lucrum inde reportent. Primum autem cum Gentilibus manus conseram. Nam si dixerit Gentilis, « Unde manifestum est Christum esse Deum? » hoc enim ante omnia præstituere oportet, utpote cum cætera inde consequantur; non a cœlo demonstrationem petemus, neque ab aliis id genus. Nam si illi dixero : « Cœlum creavit, terram item vel mare; » id ipse non feret; si dixero : « Mortuos suscitavit, cæcos curavit, dæmonas fugavit; » neque hoc admittet; si dixero : « Regnum promisit et occulta bona, » si de resurrectione verba fecero, hoc non modo non recipiet, sed etiam ridebit. Unde igitur, maxime si idiota sit, illum instituemus? Unde, inquam, nisi ex iis, quæ apud me et illum in confesso sunt, nec in dubium vocari possunt. Nam si supponam ipsum condidisse cœlum et alia, quæ dixi, id ille non facile credet. Quænam igitur sunt ea, quæ ipsum fecisse Gentilis ipse fatetur, neque negare potest? Quod Christianorum genus ipse fundaverit, neque enim illud negaturus est, quod universas per orbem Ecclesias condiderit. Hinc ejus potentiæ argumentum ducemus, et ostendemus ipsum vere Deum esse : dicemusque non esse puri hominis tantum orbem, terram, mare, tam brevi tempore pervadere, et ad res tantas evocare; cum maxime tam absurdis moribus assueti homines essent, et tot malis irretiti. Et tamen potuit ille humanum genus ab his omnibus liberare; non Romanos tantum, sed Persas et omne barbaro-

rum genus. Hæc porro fecit, non armis usus, non sumptibus, nullis exercitibus, non commissis prœliis; sed principio per undecim viros, ignobiles, viles, ignaros, idiotas, pauperes, nudos, inermes, calceis carentes, una tunica tectos. Quid dico, fecit? Persuadere potuit tot hominum gentibus, ut non de præsentibus tantum, sed etiam de futuris philosopharentur, utque patrias leges evellerent, veteresque mores tanto tempore radicatos penitus tollerent, aliosque substituerent, qui ab assuetis et facilibus ad difficiliora ejus præcepta traducerent. Hæc vero facere potuit, dum oppugnaretur ab omnibus : crucemque sustinuit, infame supplicium, ac mortem ignominiosissimam. Neque enim negabunt ipsum a Judæis crucifixum immeraque ab illis passum esse, et tamen quotidie prædicationem accrescere : quodque incredibile videatur, ea non hic tantum, sed et apud Persas floret, etiamsi ab illis oppugnetur. Etenim apud illos quoque Martyrum examina multa : et tamen qui ipsis lupis feruciores erant, accepta prædicatione ovibus mansuetiores evasere : jamque de immortalitate, de resurrectione et de ineffabilibus bonis philosophantur.

II. Non in urbibus tantum, sed étiam in deserto hæc præclare gesta videas, in vicis, in agris, in insulis, in portubus et navalibus : non idiotæ, non principes tantum; sed illi ipsi qui diademate redimiuntur, crucifixo magna cum fide subditi sunt. Quod autem hæc non temere contigerint, sed diu ante prædicta sint, jam demonstrare conabor. Imo vero ut ne sermo noster suspectus sit, operæ pretium erit libros Judæorum, qui ipsum crucifixerunt, in medium proferre, ipsorumque testimonia ex Scripturis, quæ penes eos asservantur, excepta sub incredulorum oculis percurrere. Quod igitur Deus homo futurus sit, Deusque mansurus, primus omnium dicit Jeremias : « Hic Deus noster,

» non reputabitur alius ad illum. Invenit omnem viam » scientiæ, et dedit illam Jacob puero suo, et Israël dilecto » suo. Post hæc in terra visus est, et cum hominibus con- » versatus est [1]. » Vides quomodo omnia paucis verbis declaravit, nempe quod Deus existens, homo factus sit, et cum hominibus conversatus sit; et quod veterem legem ipse condiderit? « Nam invenit, inquit, omnem viam scien- » tiæ, et dedit illam Jacob puero suo, et Israël dilecto » suo. » Hic quippe docet, etiam ante incarnationem ipsum omnia dispensasse, omniaque fecisse, legem statuisse, providisse, curasse, benefecisse. Alius iterum Propheta quomodo dicat ipsum non modo hominem futurum, sed etiam ex Virgine nasciturum, audi : « Ecce virgo in utero habe- » bit, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emma- » nuël [2], » quod interpretantur, « Nobiscum Deus. » Deinde ostendens, non apparenter, sed vere hominem esse, addidit, [« Butyrum et mel comedet. » Mos est enim, ut his cibis peculiariter pascantur pueri mox ut nati fuerint. Et declarans, quod non purus homo, iterum addit dicens (6):] « Propter quod prius quam sciat puer vocare patrem bo- » num vel malum, non obtemperat malitiæ, ut eligat bo- » num [3]. » Quod autem non tantum homo et ex Virgine, sed etiam ex domo David futurus esset, audi quomodo diu ante prædixerit Hesaïas, qui figuris licet usus et metaphora, prædicit tamen : « Egredietur virga de radice Jesse, » et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum » spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus » consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, spiri- » tus timoris Dei replebit illum [4]. » Hic enim Jesse pater fuit Davidis, quia ex illa tribu erat : nec solum ex illa tribu, sed etiam ex domo Jesse prodibit : id vero prænun-

[1] Baruch. III, 23, 24. — [2] Isaï. VII, 14. — [3] Ibid. 16. — [4] Id. XI, 1.

tiavit his verbis : « Egredietur virga de radice Jesse. » Non de virga simpliciter loquens, sed de illo et de regno ejus. Quod autem non de virga hæc dixerit, in sequentibus declarat : post quam enim dixerat « Virgam, » subjunxit, « Et » requiescet super eum spiritus sapientiæ et intellectus. » Nemo enim, etsi admodum insipiens sit, dixerit spiritus gratiam super lignum advenisse : sed palam est, super templum illud immaculatum venisse. Ideo non dixit, « Veniet, » sed, « Requiescet : » quoniam post quam venit, ibi mansit, nec discessit. Quod Joannes evangelista declarat his verbis : « Ego vidi spiritum descendentem sicut columbam, et » manentem super eum [1]. » Neque silentio præterniserunt sententiam judaïcam, quam illi exhibuerunt ipso nato : nam Matthæus sic loquitur : « Audiens autem Herodes tur- » batus est, et omnis Jerosolyma cum illo [2]. » Hesaïam quóque audi, qui id diu ante prænuntiavit : « Cupient, si fiant » igne combusti : quia puer natus est nobis, et filius datus » est nobis, et vocatur nomen ejus, magni consilii Angelus, » admirabilis consiliarius, Deus fortis, potens, princeps pa- » cis, pater futuri sæculi [3]. » Hoc de puro homine dici non posse palam est vel iis, qui admodum contentiosi sunt. Nullus quippe homo a sæculo Deus fortis vocatus est, ut neque tantæ pacis princeps : nam « Pacis ejus, inquit, non » est terminus [4]. » Id declarat rerum eventus, quia totam pervasit terram, universum mare, orbemque habitabilem, montes, saltus, colles, a die illa, a qua Christus incipiens, in cœlum ascensurus dixit : « Pacem meam do vobis : non » sicut mundus dat do vobis [5]. » Cur ita locutus est Christus? Quia nimirum pax hominum facile solvitur, variasque habet vicissitudines : pax autem ejus, firma, immota, stabilis, diuturna, immortalis, finem non habens, licet in-

[1] Joan. I, 33. — [2] Matth. II, 3. — [3] Isaï. IX, 6. — [4] Ibid. 7. — [5] Joan. XIV, 27.

numera bella undique moveantur, ac mille quotidie parentur insidiæ. Verum illius sermo qui omnia perficit, hoc cum cæteris effecit.

III. Non solum autem illum hominem futurum, sed etiam modum adventus ejus prædixerunt. Quia enim venturus erat non tonitrua, non fulmina superne mittens, non quatiens terram, non commovens cœlum, non portenta exhibens; sed sine strepitu nulloque conscio, in domo fabri nasciturus erat, in domo ignobili ac vili, audi quomodo neque hoc tacuerit David : « Descendet, inquit, sicut » pluvia in vellus [1]. » tranquillitatem et quietem significans. Neque hoc tantum; sed etiam quam mansuete et suaviter cum hominibus conversaturus esset, alius Propheta declarans vide quid dicat. Nam quia cum contumeliis, sputis, convitiis afficeretur, inhonoraretur, flagellaretur, postremoque crucifigeretur, nullum ultus est talia facientem, sed omnia patienter tulit, contumelias, insidias, insaniam et importunum plebis illius furorem atque incursum, hæc omnia declaravit his verbis : « Calamum contritum non » confringet, et linum fumigans non extinguet, donec edu» cat in victoriam judicium, et in ipso Gentes sperabunt [2]. » Alius item locum, in quo nasciturus erat, indicat dicens : « Et tu, Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in » principibus Juda : ex te enim exiet dux, qui regat popu» lum meum Israël; et exitus ejus ab initio a diebus sæ» culi [3]. » Hic Divinitatem et humanitatem declarat : nam cum ait : « Et exitus ejus ab initio a diebus sæculi, » æternam ante sæcula existentiam demonstrat; cum vero ait : « Exiet dux qui regat populum meum Israël, » generationem secundum carnem. Ac vide rursum et hic aliam prophetiam refulgentem. Non enim dicit solum ipsum esse nasciturum, sed etiam locum nobilem futurum esse, qui

[1] Psal. LXXI, 6. — [2] Isaï. XLII, 5. — [3] Mich. V, 2.

tunc erat ignobilis et exiguus : « Nequaquam enim minima » es, inquit, in principibus Juda. » Sane totus orbis ad Bethlehem videndam confluit, ubi natus repositus fuit, neque ulla alia, quam hæc, causa est. Alius iterum tempus quo venturus erat significavit his verbis : « Non deficiet » princeps de Juda, neque dux de femoribus ejus, donec » veniat cui repositum est, et ipse expectatio Gentium : li- » gans ad vineam pullum suum, et ad helicem pullum asinæ » suæ. Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ » pallium suum. Jucundiores oculi ejus vino, et candidiores » dentes ejus lacte [1]. » Vide hanc etiam prophetiam congruere. Nam tunc advenit, cum jam deficerent principes judaïci, et sceptro Romanorum subderentur : et sic implebatur prophetia, quæ dicit : « Non deficiet princeps de » Juda, et dux de femoribus ejus, donec veniat, cui repo- » situm est [2], » de Christo scilicet loquens. Nam statim atque natus est, et descriptio illa prima facta est, imperantibus Romanis Judæorum genti, cum eos sub imperii sui jugum egissent. Itemque aliud significatur his verbis, « Et » ipse expectatio Gentium. » Cum advenisset enim, omnes gentes attraxit. Herodes Jesum natum perquirens pueros eo in loco interempturus erat : et neque hoc siluerunt Prophetæ, sed multis antea temporibus prædixerunt his verbis : « Vox in Rama audita est, luctus, fletus et clamor » multus : Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, » quia non sunt [3]. » Ex Ægypto rediturus erat, et hoc prænuntiarunt dicentes : « Ex Ægypto vocavi filium meum [4]. » Conspicua in loca venturus erat, ut statim ibi signa faceret et doceret : et hoc quoque prænuntiatum est; audi enim Hesaiam dicentem : « Regio Zabulon, terra Nephtha- » lim, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem mag-

[1] Mich. v, 3-4. — [2] Gen. xlix, 10. — [3] Jer. xxxi, 15. — [4] Osee xi, 1.

» nam, sedentibus in tenebris, et in umbra mortis lux orta »est [1], » quibus significatur adventus ejus in illa loca, doctrina quoque, cognitio, quam a miraculis acceperunt. Deinde alia enarrans miracula, ostendensque quomodo claudos curaverit, cæcos sanaverit, mutos loqui fecerit, ait : « Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum »audient; » aliisque interpositis, « Tunc saliet, inquit, si»cut cervus claudus, et clara erit vox balbutientium : » quod scilicet nunquam factum est, nisi in adventu illius. Signorum item aliquorum speciatim meminerunt : ingressus est enim aliquando in templum, et pueri adhuc lactentes, inexpeditamque adhuc habentes linguam cecinerunt in illum hymnos, sic dicentes : « Hosanna in excelsis : »Benedictus qui venit in nomine Domini [2] : » hoc multo antea prædixerat Propheta, « Ex ore, inquiens, infantium »et lactentium perfecisti laudem, ut destruas inimicum et »ultorem [3]. » Vides-ne quomodo contra se ipsam decertans natura opificem prædicaret, et innocens ætas, necdum articulatam vocem emittere valens, apostolicam prædicationem susciperet?

IV. Quia vero cum Judæis aliquando disserens ob ingratum eorum animum multa subobscure quasi in ænigmate et parabola locuturus erat, idipsum quoque diu antea prædictum est : « Loquar propositiones a fundatione mundi, »eructabo abscondita ab initio [4]. » Quin et sapientiam ejus in concionando longis antea temporibus prænuntians Propheta dicebat : « Diffusa est gratia in labiis tuis [5] : » Et alius iterum Propheta : « Ecce intelliget puer meus, et »exaltabitur, et glorificabitur, et valde sublimis erit [6]. » Adventus autem ipsius præclara gesta cum signis edita, quasi compendio enarrans, iterum is ipse dixit : « Spiritus

[1] Isaï. IX, 1. — [2] Matth. XXI, 9. — [3] Psal. VIII, 3. — [4] Id. LXXV, 2. — [5] Id. XLIV, 3. — [6] Isaï. LII, 13.

» Domini super me, propterea unxit me, evangelizare pau-» peribus misit me : prædicare captivis remissionem, et » cæcis visus restitutionem [1]. » Quoniam Judæi tot ab eo beneficiis affecti frustra temereque ipsum aversaturi erant, licet eum nec in magno, nec in parvo possent arguere; illud quoque prædictum fuit : audi Davidem hoc ipsum vaticinantem his verbis : « Cum iis, qui oderant pacem, » eram pacificus, cum loquebar illis, impugnabant me gra-» tis [2]. » Asino vectus ingressurus erat civitatem, et illud quoque jamdiu prænuntiatum fuerat a Zacharia sic lo-quente : « Gaude multum, filia Sion; prædica, filia Jeru-» salem : ecce rex tuus venit tibi mansuetus, vectus supra » subjugalem et pullum juvenem [3]. » Ejecit vendentes columbas et nummularios, quod ille faciebat zelo domus Domini ductus, et ut simul ostenderet se non esse contrarium Deo, sed cum Patre consentientem : quare domum vindicabat, quod in ea hujusmodi negotiatio fieret : neque hoc silentio prætermissum est, sed idipsum propheta David vaticinatus est, et qua mente hanc sumpturus vindictam esset prænuntiavit dicens : « Zelus domus tuæ comedit » me [4]. » Quid hoc manifestius fuerit? Futurum erat ut proderetur, et mensæ illius consors proditionem faceret. Vide quomodo hoc etiam prædixerit hic ipse Propheta di-cens : « Qui edebat panes meos, magnificavit super me » supplantationem [5]; » animadverte item Evangelistæ con-sonantiam : « Qui intinxit, inquit, mecum manum suam » in catino, hic me tradet [6]. » Non modo traditor ille ip-sum proditurus erat, sed etiam sanguinem pretiosum ven-diturus, accepta pro hac re pecunia : neque illud tacuit Propheta, sed impudentia illorum pacta et sermones, quos inter se conferebant retulit. [Nam ille dicebat : « Quid

[1] Isaï. LXI, 1.— [2] Psal. LXXIX, 6.— [3] Zach. IX, 9. — [4] Psal. LXVIII, 10. — [5] Id. XL, 10. — [6] Matth. XXV, 15.

»vultis mihi dare, et ego vobis illum tradam ; » isti vero responderunt, « Triginta argenteos. » In ænigmate dicit (7) :] « Deus laudem meam ne tacueris, quia os pec»catoris et os dolosi super me apertum est [1]. » Is ipse proditor demum ob tanta facinora se ipsum damnans, cum argenteos projecit, tum ad laqueum currens, ita vitam clausit : viduamque uxorem, et filios pupillos reliquit, domumque desertam. Vide quomodo et hanc calamitatem tragice Propheta prænuntiet his verbis : « Fiant filii ejus »orphani et uxor ejus vidua : nutantes transferantur filii »ejus, et ejiciantur de habitationibus suis [2]. » Post illum Matthias factus est Apostolus, et hoc ipsum ille præfatus est his verbis : « Episcopatum ejus accipiat alter. » Tradito et comprehenso Jesu libente ac volente, coactum est concilium iniquitate plenum, Judæorum simul ac Gentilium : vide quomodo id etiam prædixerit Propheta dicens : « Quare fremuerunt Gentes, et populi meditati sunt »inania [3]. » Neque tantum ista prænuntiarunt, sed etiam silentium, quod multis habitis sermonibus, oblatisque criminationibus ille servabat, prædixit Hesaïas his verbis : « Sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus co»ram tondente mutus, sic non aperuit os suum [4]. » Postea corruptum judicium declarans, « In humilitate, inquit, ju»dicium ejus sublatum est; » id est, nullus de ipso juste judicavit. Deinde causam cædis patefacit. Nam quia non peccatorum suorum causa passus est, inculpatus enim et innoxius erat, sed pro mundi malis traditus est; vide quomodo hæc ambo subindicaverit, cum dixit : « Qui pecca»tum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus [5], » per hoc enim cujus rei causa occisus sit declaravit. Sequitur et alia causa : « Pro iniquitatibus, inquit, populi mei ad mor

[1] Psal. cviii, 1. — [2] Ibid. 8. — [3] Id. ii, 1. — [4] Isaï. liii, 7. — [5] Ibid. 9.

» tem venit [1]. » Neque vero tantum causam cædis, sed etiam quid lucri ex cruce et ex cæde illa accesserit ostendere volens, vide quomodo id prænuntiet his verbis : « Omnes » sicut oves erravimus : homo in via sua aberravit : disci- » plina pacis nostræ super eum : livore ejus nos omnes sa- » nati sumus. » Deinde quia pœnas daturi erant Judæi flagitiorum hujusmodi, illud quoque declarat idem Propheta cum dicit : « Dabo improbos pro sepultura ejus, et divites » pro morte ejus [2]. » Rursus David cum dixisset, « Abji- » ciamus a nobis jugum ipsorum, » adjecit, « Qui habitat in » cœlis irridebit eos : tunc loquetur ad eos in ira sua, et in » furore suo conturbabit eos [3] : » quibus significat dispersionem eorum per totum terrarum orbem; quod etiam ipse Christus in Evangeliis declarans dicebat : « Eos autem » qui me noluerunt regnare super se abducite huc, et oc- » cidite eos [4]. » Præterea de cæde locuti, modum ejus non siluerunt, sed illum indicavit David ita loquens : « Fode- » runt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia » ossa mea [5]; » nec iniquitatem post mortem consecutam reticuit : nam dicit : « Diviserunt sibi vestimenta mea, et » super vestem meam miserunt sortem [6]. »

V. Deinde quod sepulturæ tradendus esset, declaravit his verbis : « Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis et » in umbra mortis [7]. » Cum autem resurrecturus esset, vide quomodo hoc prænuntiarit : « Non derelinques, ait, ani- » mam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre » corruptionem [8] : » alio item modo id Hesaïas declarat : « Et Dominus, inquit, ipsum vult purificare a plaga, os- » tendere ei lumen, justificare justum, qui multis bene ser- » viat [9]. » Quod ejus cædes peccatorum hominum solutio fue-

[1] Isaï. LIII, 5. — [2] Ibid. 9. — [3] Psal. II, 3. — [4] Luc. XIX, 27. — [5] Psal. XXI, 18. — [6] Ibid. 19. — [7] Id. LXXXVII, 6. — [8] Id. XV, 10. — [9] Isaï. LIII, 10.

rit, idipsum etiam indicavit his verbis : « Et ipse peccata »multorum tulit [1]. » Quod homines a dæmonibus liberabit : « Et fortium, inquit, dividet spolia. » Quod illud ipsum per montem effecerit, id non tacuit, sed ait : « Pro »eo quod in mortem tradita est anima ejus [2]. » Quod toti orbi præficiendus esset, sic declaravit : « Et ipse hæreditate »possidebit multos [3]. » Deinde quoniam cum in infernum descendisset, omnia turbavit, strepitu atque tumultu universa replevit, arcemque destruxit ; hanc rem non silentio prætereunt, sed modo David dicit : « Attollite portas, prin»cipes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit »Rex gloriæ [4] ; » modo Hesaïas aliter, « Portas æreas con»fringam, et vectes ferreos conteram, et aperiam tibi the»sauros tenebrosos, occultos, invisibiles ostendam tibi [5] : » sic appellans infernum. Nam etiamsi infernus esset, at sanctas animas et vasa pretiosa servabat, nempe Abraham, Isaac et Jacob : propterea thesauros appellabat, tenebrosos autem, quia nondum Sol justitiæ ibi fulserat, neque de resurrectione prædicaverat. Quod post resurrectionem non cum Angelis constitutus esset, non cum Archangelis, non cum alia administratoria Virtute, sed in throno regio sessurus, audi quomodo David declaret : « Dixit Dominus Do»mino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos »tuos scabellum pedum tuorum [6]. » Missurus postea erat Apostolos, et hoc prædixit Hesaïas dicens : « Quam speciosi »pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona [7]. » En qualem laudat corporis partem, pedes, qui illos ubique portabant. Ad hæc commemorat David quomodo prævaluerint Apostoli, dicens : « Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa [8]. » Non enim armis, non pecu-

[1] Isaï. LIII, 12. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Psal. XXIII, 7. — [5] Isaï. XLV, 2. — [6] Psal. CIX, 1. — [7] Isaï. LII, 7. — [8] Psal. LXVII, 12.

niis, non robore corporis, non exercituum copiis, neque alio simili modo superarunt, sed verbo simplici, et multam habente virtutem, miraculorum nempe ostentum. Crucifixum enim prædicantes, et miracula patrantes, sic orbem subegerunt. Ideo ait : « Dominus dabit verbum evangelizanti-» bus virtute multa, » sic miracula vocans. Nam ineffabilis virtus erat piscatorem, publicanum, tentorium opificem, solo præcepto mortuos suscitare, dæmones expellere, mortem abigere, philosophorum linguam refrenare, rhetorum ora consuere, reges ac principes vincere, Barbaris, Græcis, omnique nationi imperare. Et apposite sic locutus est : nam hæc omnia verbo illo perfecerunt, et virtute multa mortuos in vivos mutarunt, peccatores in justos, cæcos in videntes, morbos naturæ, et animæ nequitiam expellentes. Deinde quod hæc virtus illis a Spiritu sancto accedere, hinc declaratur : « Spiritu, inquit, sancto repleti erant [1] ; » et viri simul atque mulieres prophetabant. Linguæ ignis forma visæ sederunt supra unumquemque eorum : et hoc Joël diu ante prænuntiavit dicens : « Effundam de Spiritu meo » super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et fi-» liæ vestræ visiones videbunt, et adolescentes vestri som-» nia somniabunt : et quidem super servos meos, et super » ancillas effundam, prius quam veniat dies Domini magnus » et illustris [2] : » magnum et illustrem vocans diem adventus Spiritus sancti nec non eum, qui in consummatione sæculorum futurus est. Idem vero ipse Propheta salutem per fidem prænuntians, neque enim illam tacuit, ait : « Et » erit omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit [3]. »

VI. Ubique terrarum præcones mittit, ac nemo est quin audiat prædicationem; et hoc ipsum prænuntiatum est : audi hoc prophetice dicentem Davidem : « In omnem ter-» ram exixit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eo-

[1] Act. II, 4. — [2] Joël. II, 28, 29. — [3] Ibid. 32.

» rum [1]. » Ad hæc, quod cum auctoritate prædicarint, et ipsis regibus potentiores fuerint, ipse alibi docet inquiens : « Constitues eos principes super omnem terram [2]. » Quod regibus ac principibus majores fuerint Petrus et Paulus, declaravit eventus. Nam regum leges, etiam ipsis viventibus, abrogantur : leges vero piscatorum illorum, etiam mortuorum, firmæ sunt, et immotæ manent ; idque licet dæmonibus, diuturna consuetudine, vitio, voluptate innumerisque aliis illas refringere conantibus. Ut ostendat autem eos ipsos principes constitutos, amabiles omnibus desiderabilesque fore, subdit : « Propterea populi confitebuntur tibi » in sæculum [3] ; » id est, gratias tibi agent plurimas, quod tales principes dederis. Quod prædicatio ubique propaganda sit, id quoque præsignificatum est : « Audi Davidem id tibi declarantem his verbis : « Postula a me, et dabo tibi gen» tes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos » terræ [4]. » Idipsum item alius Propheta alicubi sic enuntiat : « Implebitur omnis terra scientia Domini, sicut aqua » multa, quæ operit maria [5]. » Et vide facilitatem obedientiæ : « Non docebit, ait, unusquisque proximum suum, et unus» quisque fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum : quia » omnes cognoscent me a minimo illorum, usque ad maximum » illorum [6]. » Firmitas Ecclesiæ his declaratur : « Erit in novis» simis diebus conspicuus mons Domini, et supra verticem » montium domus Domini, et elevabitur super colles, et ve» nient ad eam populi multi et gentes multæ [7]. » Quod vero non firma tantum, solida et immobilis futura sit, sed etiam multam orbi pacem sit conciliatura, quodque tunc multorum principatus, tum monarchiæ auferendæ sint : unum autem in omnes regnum futurum, et abundantiori pace fruiturum, non sicut prius : nam priscis temporibus artifi-

[1] Psal. XVIII, 3. — [2] Id. XLIV, 18. — [3] Ibid. 20. — [4] Id. II, 8. — [5] Isaï. II, 9. — [6] Jer. XXXI, 34. — [7] Isaï. II, 2.

ces omnes et rhetores armis instructi erant, et in acie stabant : post adventum vero Christi, hæc omnia soluta sunt, et bella in constitutam partem seorsim concesserunt, hoc docens Propheta quidam dicebat : « Et confringent gladios » suos in vomeres, et lanceas suas in falces : et non sumet » gens contra gentem gladium, et non discent amplius bel- » lum [1]. » Nam prius in illis omnes exercebantur : nunc autem artis ejus obliti sunt ; imo plures eam ne vel minimum sunt experti : quod si quidam sint, illi admodum pauci sunt ; at olim in omnibus gentibus sexcentæ seditiones excitabantur. Deinde et unde constituenda sit Ecclesia prædicit. Quia enim non mansueti tantum, mites et urbani homines ; sed etiam feri et inhumani, moribusque similes lupis leonibus et tauris, cum ipsis conventuri erant, omnes unam Ecclesiam constituturi, audi quomodo gregis illius varietatem Propheta declaraverit : « Tunc, inquit, pascetur si- » mul lupus cum agno [2], » quo frugalem regum vitam indicat. Quod autem hæc non de feris dicta sint, dicat Judæus quandonam hoc factum sit? nunquam enim lupus cum agno compascuus fuit : quod si etiam futurum esset, ut cum illo pasceretur, quid hoc humano generi profuturum esset? Sed de feris hominibus id dictum est, de Scythis, Thracibus, Mauris, Indis, Sauromatis, Persis. Quod autem omnes illæ gentes sub uno jugo futuræ essent, alius Propheta declaravit his verbis : « Et servient ei sub jugo uno, et adorabunt » illum unusquisque e loco suo [3]. » Non ultra, inquit, Jerosolymis solum, sed ubique terrarum. Neque enim postea Jerosolymam jubebuntur homines adire, sed quisque domi manens hunc cultum præstabit.

VII. Quod Judæi ejiciendi essent, neque hoc prætermissum silentio fuit : vide quomodo et hoc prædixerit Pro- » pheta : « Ecce in vobis concludentur januæ, et non ac-

[1] Isaï. II, 4, 5. — [2] Ibid. 6. — [3] Sophon. III, 1.

» cendetis altare meum gratis [1]. » Quinam porro hunc cultum exhibituri essent, sic prænuntiatum est : « Ab oriente solis » usque ad occidentem, nomen meum glorificatum est in » gentibus, et in omni loco incensum mihi offertur, et » hostia pura [2]. » Vides quomodo cultus nobilitatem declaravit? quomodo excellentiam et mutationem ejus? Quod non in loco, sed in moribus, neque in nidore et fumo, sed in alio cultu nostra futura sint ministeria. Et quomodo illos omnes, dicet quispiam, attraxerunt Apostoli? Qui nonnisi unam linguam habebat, nempe judaïcam, quomodo Scytham, Indum et Sauromatam docere potuit? accepto nempe per Spiritum sanctum linguarum multarum dono. Et hoc quidem de Gentibus : de Israële item donum linguarum? quod autem neque hoc attraxerit Judæos, audi quo pacto declaret Propheta dicens : « In variis linguis et » aliis labiis loquar populo huic, et neque sic audient me, » dicit Dominus [3], » Quid hoc manifestius videri possit? Erant Judæi increduli futuri, et gentes ad fidem advolaturæ : et hoc quoque præsignificatum est : audi Hesaïam hoc ita declarantem : « Inventus sum ab iis, qui me non » quærunt : manifestatus sum iis, qui me non inquirunt. » Dixi : Ecce ego sum, ad gentem, quæ non invocavit nomen » meum [4]. « De Israële autem : « Tota die expandi manus » meas ad gentem non credentem et contradicentem [5]; » ac rursum : « Annuntiavimus ei ut puero : sicut radix in » terra sitienti [6]; » ac rursum, « Domine, quis credidit au- » ditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est [7]? » Non dixit : « Doctrinæ nostræ, » ubi ostendit eos non ex se locutos esse, sed ea, quæ a Deo audierant, annuntiasse. Quod nostra judaïcis præferenda ac multo præstantiora sint, declaravit Moyses his verbis : « In æmulationem de-

[1] Malach. I, 10. — [2] Ibid. — [3] Isaï. XXVIII, 11. — [4] Id. LXV, 1. — [5] Ibid. — [6] Id. XXVIII, 9. — [7] Id. LIII, 2.

» ducam vos in non gente : in gente insipiente irritabo vos [1] : » priorem populi vilitatem indicans, cum dicit : « In nongen- » te : » non enim gens putabatur esse, ob vilitatem nimiam, ob insipientiam, ob amentiam. Sed mutatio tanta a fide facta est, ut hi honorabiliores appareant iis, qui tunc honorabantur. Hoc ægre laturos Judæos, et inde meliores futuros, ex his etiam declaratur : non enim simpliciter dixit : « Anteponam ; » sed simul hoc ipsum declarans, et qualemcumque hinc futuram emendationem indicans, « In » æmulationem, inquit, deducam vos in non gente; » ac si diceret; « Tanta dabo ipsis bona, ut vos æmulatione corri- » piamini, et ut mordeamini. » Hoc itaque meliores ipsos reddidit. Nam qui divisum mare, scissas petras, aërem mutatum, et tot tantaque prodigia viderant; imovero qui filios suos immolaverant, qui ipsi Beelphegor initiati fuerant, multisque præstigiis operam dederant; hi post quam nos accessimus, longeque præstantiores suis res exhibuimus, æmulatione ducti, et meliores effecti sunt, atque se continuerunt; ita ut ea, quæ nec Prophetarum monitis, nec prodigiorum ostentis territi fecerant, jam æmulatione nostri recte faciant. Nemo itaque illorum jam filios immolat, nemo ad idola accedit, vel vitulum adorat. Virginitatis decor in Veteri Testamento ne nominabatur quidem; cum autem in Novo splendidus futurus esset, vide quomodo id prædicat David : « Afferentur regi virgines post eam, addu- » ducentur in templum regis [2]. » Sed neque sacerdotum nomen tacuit; episcoporum dico : « Constituam enim prin- » cipes tuos in pace, et episcopos tuos in justitia [3]. »

VIII. Venturus erat rationem exacturus ab hominum genere, et speciatim a Judæis; attende quomodo et hoc ipsum vaticinentur tum David, tum Malachias, qui sic ait : « Et ingressus est sicut conflatorium, sicut herba fullonum,

[1] Deut. XXXII, 21. — [2] Psal. XLIX, 16. — [3] Isaï. LX, 17.

» et purgabit argentum et aurum [1], » Pauli verbis affinia loquitur, qui sic habet : « Dies enim declarabit, quia in igne » revelatur [2]. » David vero, « Deus manifeste veniet [3], » secundum ejus adventum prædicans : nam primus adventus cum multa attemperatione fuit : secundus non item; sed horroris terrorisque plenus erit, Angelis præcurrentibus, ejusque præsentia ceu fulgur omnia occupante. Nam « Si- » cut fulgur, inquit, exit ab Oriente, et apparet usque ad » Occidentem, ita erit adventus Filii hominis [4] : » quo declaratur ejus splendor, qui semetipsum annuntiat. Hoc David indicans dicebat : « Deus manifeste veniet [5]. » Deinde futurum ejus judicium significans sic prosequitur : « Ignis » in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas » valida [6]. » Supplicia memoravit, splendorem jam indicat, « Advocabit cœlum desursum, et terram discernere popu- » lum suum [7] : » hic terram vocat genus humanum : sub hæc cum toto hominum genere Judæos annumerans : nam ad illos quoque respicit : hæc subjungit : « Congregate illi » sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacri- » ficia, et annuntiabunt cœli justitiam ejus, quoniam Deus » judex est [8]. » Adventu suo sacrificiorum cultum sublaturus et reprobaturus erat, ut nostrum hoc sacrificium induceret; audi quomodo et hæc prædicta sint : « Sacrificium » et oblationem noluisti : corpus autem aptasti mihi [9] : » quod etiam alibi dicebat : « Populus quem non cognovi ser- » vivit mihi, in auditu auris obedivit mihi [10]; » id est, non mare divisum, non petras scissas videns, sed audiens Apostolos meos. Et hic rursum, « Corpus autem aptasti mihi. » Post hæc statim adjecit : « Tunc dixi : Ecce venio. In ca- » pite libri scriptum est de me [11], » Duo autem hic indican-

[1] Malach. III, 3.— [2] 1 Cor. III, 13.— [3] Psal. XLIX, 5. — [4] Matth. XXIV, 27. — [5] Psal. XLIX, 3. — [6] Ibid. 4. — [7] Ibid. 5. — [8] Ibid. 8. — [9] Id. XXXIX, 9. — [10] Id. XVII, 48. — [11] Id. XXXIX, 10.

tur et venturum esse, et tunc venturum esse, cum sacrificia rejecta fuerint, quod tunc contigit, cum principatus judaïcus in romanum transit. Invenimus etiam Baruch de adventu ejus ita loquentem : « In terra visus est, et cum » hominibus conversatus est [1]. » Ait quoque Moyses : « Pro» phetam vobis excitabit Dominus Deus ex fratribus vestris » sicut me, ipsum audietis in omnibus. Et erit, omnis anima, » quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de » populo suo [2]. » Vides hoc in nullo alio impletum, quam in hoc tantum. Nam multi Prophetæ surrexerunt, et omnibus inobsequentes fuerunt, nihilque propterea passi sunt. Huic autem quia non obedierunt Judæi, palabundi, errantes, fugitivi, exules ubique vagantur. Vide namque quomodo exclusi sint a civitate, atque a paternis legibus et consuetudinibus, cum ignominia, turpitudine, et ultionis pœna. Quæ vero sub Vespasiano et Tito passi sunt, ne enarrari quidem possunt, ita omnem calamitatem excedit illa tragœdia. Et impletum est propheticum illud : « Omnis » qui non audierit Prophetam illum, exterminabitur. » Ideo apud illos omnia in solitudinem versa, quia Prophetam illum non audierunt. Quod resuscitaturus sit omnes, declaravit Hesaïas his verbis : « Resurgent mortui, et excitabuntur » qui in sepulcris sunt. Ros enim qui a te, medicina ipsis est [3]. » Neque hoc tantum, sed quod post crucem, post cædem clariores res ejus futuræ sint, quodque post resurrectionem latius propaganda sit prædicatio (prædictum est). Quia enim ligatus est, proditus a Discipulo, sputis et contumeliis affectus, verberatus, crucifixus, et quantum in illis fuit ne sepulturæ quidem traditus, ac vestimenta ejus diviserunt milites, quia in suspicionem tyrannidis vocatus, et quasi blasphemus obiit; (quasi tyrannus scilicet) « Omnis enim, qui se regem facit, contradicit

[1] Baruch. III, 38. — [2] Isaï. XXVIII, 1. — [3] Id. XXVI.

» Cæsari [1]; » rursum (quasi blasphemus) « Ecce vos au-» distis blasphemiam ejus [2]; » quia, inquam, hæc omnia eventura erant, auditorem excitans, et ad fiduciam præparans; « Ne timueris, inquit, horum causa : » illius enim, qui crucifixus, flagellatus, a latronibus contumelia affectus, in blasphemiæ suspicionem vocatus occisus est; illius, inquam, res tali conditione post mortem et post resurrectionem erunt, ut nemo negaverit eum honore magno repletum esse. Hoc utique sic contigit, quod diu ante prænuntians Propheta dicebat : « Erit radix Jesse, et qui exurget ut » imperet Gentibus : in ipso Gentes sperabunt, et erit re-» quies ejus honor [3]; » ac si diceret : « Hoc genus mortis diademate honorabilius est. » Imperatores enim, posito diademate, crucem suscipiunt, symbolum mortis illius : in in purpura crux, in diademate crux, in precibus crux, in armis crux, in sacra mensa crux, et ubique terrarum crux plus quam sol refulget. « Et erit requies ejus honor. »

IX. At non hujusmodi sunt res humanæ, imo in his contra prorsus accidit. Nam viventibus iis, qui gloria fruuntur, res eorum florent; iis vero mortuis, pereunt et omnia. Quod non in divite, neque in principe tantum, sed in ipso imperatore animadvertas : etenim et leges eorum abrogantur, et imagines obscurantur, memoria eorum extinguitur, nomen in oblivionem venit, clientes despiciuntur : illorum scilicet qui prius arma moverant, qui nutu solo populos, urbes resque publicas mutaverant, quibus licebat et occidere, et ad supplicium ductos a morte liberare. Attamen hæc omnia pereunt, licet antea florucrint. At secus in Christo, nam ante crucem in luctu res erant, Judas prodidit, Petrus negavit, reliqui fugerunt, solus ille inter inimicos comprehensus est, multi ex iis, qui crediderant, retrorsum abierunt. Post quam autem occisus vitam clausit,

[1] Joan. XIX, 12. — [2] Matth. XXVI, 65. — [3] Isaï. XI, 10.

ut discas eum, qui crucifixus est, non purum hominem fuisse, res ejus clariores, illustriores ac sublimiores evaserunt. Ante crucem princeps Apostolorum, ne ostiariæ quidem minas tulit, sed post tantam initiationem, aiebat se nescire quis esset : post crucem vero orbem terrarum peragravit : hinc innumeri populi Martyrum jugulati sunt; præoptantes occidi, quam ea loqui, quæ locutus fuerat princeps Apostolorum, unius ostiariæ terrore superatus. Hinc omnes regiones, et omnes civitates, desertum, habitata et inhabitata terra, crucifixum prædicamus. Reges, duces, principes, consules, liberi, servi, idiotæ, sapientes, insipientes, barbari, variaque hominum genera, demum universa, quam sol respicit, terra tam ampla, hoc nomine et ejus adoratione frequentatur, ut discas quid sit, « Erit » requies ejus honor. » Locus autem, qui corpus illud occisum recepit, licet admodum parvus et angustus, innumeris regum aulis venerabilior, ipsisque regibus pretiosior : « Et erit requies ejus honor. » Quodque mirabile dictu est : id non ipsi tantum, sed etiam Discipulis ejus contigit : nam qui vi ducebantur et circumagebantur, contempti, vincti, innumeris malis affecti, post mortem ipsis regibus honorabiliores sunt. Id quomodo fiat perpende : in regia urbe Roma, missis aliis omnibus, ad sepulcra piscatoris et tentoriorum opificis accurrunt imperatores, consules, exercituum duces : Constantinopoli vero, non prope Apostolos, sed foris ad ipsa limina, optaverunt ii, qui diademate redimiuntur, corpora sua sepeliri (8) : atque ita imperatores piscatorum ostiarii facti sunt : sic in obitu hoc non dedecori, sed honori sibi esse putant non solum ipsi, sed etiam eorum nepotes. « Et erit, inquit, requies » ejus honor. » Tunc honoris magnitudinem videbis, cum mortis ejus symbolum didiceris : mortis, inquam, male dictæ, mortis omnium ignominiosissimæ. Hoc quippe solum

mortis genus maledicto obnoxium erat. Exempli causa, facinorosorum olim alii comburebantur, alii lapidabantur, alii alio supplicii genere vitam claudebant : crucifixus autem, in ligno pendens, non id solum mali patiebatur, quod eam subiret damnationem, sed quod maledictus esset : « Maledictus enim, inquit, omnis qui pendet in ligno [1]. » Attamen maledictum illud execrabile, extremi supplicii symbolum, nunc desiderabile amabileque factum est. Nihil enim imperatoriam coronam sic exornat, ut crux universo mundo pretiosior : et quod omnes olim exhorrescebant, ejus nunc figura ita certatim exquiritur ab omnibus, ut ubique reperiatur, apud principes et subditos, apud mulieres et viros, apud virgines et nuptas, apud servos et liberos : nam illud omnes signum frequenter imprimunt in membrorum nobiliori parte; et in fronte ceu in columna figuratum quotidie circumferunt. Hoc in sacra mensa, hoc in sacerdotum ordinationibus, hoc rursum cum corpore Christi in mystica cœna refulget. Hoc ubique celebratum videre est, in domibus, in foro, in desertis, in viis, in montibus, in saltibus, in collibus, in mari, in navibus, in insulis, in lectis, in vestimentis, in armis, in thalamis, in conviviis, in vasis argenteis et aureis, in margaritis, in parietum picturis, in corporibus brutorum male affectis, in corporibus a dæmone obsessis, in bellis, in pace, in diebus, in noctibus, in choreis tripudiantium, in sodalitiis sese macerantium; adeo certatim donum hoc mirabile, ejusque ineffabilem gratiam omnes perquirunt. Nemo pudore afficitur, vel erubescit dum cogitat hoc maledictæ mortis symbolum esse; sed illo omnes magis exornamur, quam coronis, diadematibus, et mille margaritatum monilibus : ita non modo non aversamur crucem, sed etiam amabilis illa desiderabilisque omnibus est : ubique illa ful-

[1] Dan. XXI, 23.

get, in parietibus domorum, in tectis, in libris, in urbibus, in vicis, in incultis, in cultis locis. Hic libenter Gentilem interrogarem, undenam fit, ut damnationis maledictæque mortis symbolum, omnibus ita amabile optabileque sit?

X. Quod si nihil hoc esse putas, si adhuc impudens manes, veritatemque aversaris, atque ad lumen cæcutis : age tibi alio argumento commonstramus, quantum sit illud. Quale illud argumentum? Sunt judicibus multa supplicíorum genera, lignum, lora, ungues, plumbata, quibus corpora lacerant, membra discerpunt atque suspendunt : quisnam vellet hæc in domum suam inferre? Quis vellet carnificis hæc agentis manum contingere, vel ut id videret, propius accedere? Annon plerique hæc execrantur, aliique hinc male ominantur, ac neque tactum, neque aspectum ferunt? Annon etiam procul fugiunt, et oculos avertunt? Talis olim crux erat, imo illis multo gravior. Nam ut ante dixi, non tantum mortis, sed etiam maledictæ mortis symbolum erat. Unde ergo, dic mihi, jam ita desiderabilis optabilisque facta est, omnibusque antefertur? Illud vero ipsum lignum, in quo sacrum corpus passum et crucifixum est, cur certatim omnes adeunt? Cur particulam ejus multi sumentes auro inclusam, tum viri tum mulieres a collo suspendunt ad ornatum : etsi damnationis et ultionis symbolum hoc lignum fuerit? At qui omnia facit, et immutat ea, qui orbem ex tanta nequitia transtulit, et terram cœlum effecit, etiam rem hanc vituperio plenam, et mortem omnium ignominiosissimam supra cœlos adduxit. Hæc igitur omnia prævidens Propheta dicebat : « Et erit requies ejus » honor. » Hoc quippe mortis symbolum, neque enim finem faciam ita loquendi, multis benedictionis argumentum effectum est, et omnimodæ firmitatis murus, diaboli letifera plaga, dæmonum frenum, camus adversariarum virtutum. Hoc mortem sustulit, hoc inferni portas æreas confregit,

vectes ferreos contrivit, diaboli arcem destruxit, peccati nervos excidit, totum orbem damnationi subjectum eripuit, immissam divinitus naturæ nostræ plagam curavit. Quid dico? quod non potuere mare divisum, petræ scissæ, aër mutatus, manna quadraginta annis tot hominum millibus erogatum, lex et alia signa cum in deserto, tum in Palæstina facta, hæc potuit crux, non in una gente, sed in toto orbe; crux, inquam, maledictum symbolum, omnibus execrandum, post Crucifixi mortem potuit omnia nullo negotio perficere. Neque hæc solummodo, sed ea, quæ postea secuta sunt, ejus virtutem declarant. Orbem enim terrarum, quid quoad virtutem sterilis erat, nec melius se habebat, quam desertum, cum non posset quidpiam boni parere, statim paradisum et matrem fœcundissimam effecit. Et hoc diu ante prænuntiavit Propheta his verbis : « Lætare » sterilis, quæ non paris : erumpe et clama, quæ non par» turis, quia multi filii desertæ magis, quam ejus quæ habet » virum [1]. » Quod vero cum talem eam fecisset, legem ipsi dederit multo præstantiorem priori, id minime tacuerunt Prophetæ : ac vide quid præsignificaverint : « Disponam eis » testamentum novum, non secundum testamentum, quod » disposui patribus eorum in die, qua manum eorum ap» prehendi, ut educerem eos de terra Ægypti : quia ipsi » non manserunt in testamento meo, et ego neglexi eos, » dicit Dominus. Quia hoc est testamentum quod disponam » eis, dans leges meas in mente eorum, et in corde eorum » inscribam eas [2]. » Deinde subitam mutationem et doctrinam facilem declarans ait : « Et non docebunt unusquisque » proximum suum, et unusquisque fratrem suum, dicens; » Cognosce Dominum, quia omnes scient me a parvo ip» sorum usque ad magnum ipsorum [3], » Quod in adventu suo peccatorum veniam daturus esset, hoc item sic prænuntiavit Propheta : « Hoc erit ipsis a me testamentum,

[1] Isaï. LIV, 1. — [2] Jer. XXXI, 32, 33. — [3] Ibid. 34.

» cum auferam iniquitates ipsorum, et peccatorum eorum » non recordabor amplius [1]. » Quid hac re manifestius esse possit? vocationem quippe gentium, novæ legis supra veterem excellentiam, facilitatem accessus, credentium gratiam, et donum in baptismo factum his vaticiniis significavit.

XI. Quod vero qui hæc fecit, is ipse postea judex affuturus sit, perpende quomodo et hoc prænuntient Prophetæ; neque enim id silentio præterniserunt; alii quidem videntes eum in eo ipso habitu, quo venturus erat; alii verbis eum præsignificantes. Nam Daniel etiam in medio barbarorum Babyloniorum, videt ipsum in nubibus venientem. Audi illius Prophetæ verba: « Aspiciebam, inquit, et ecce quasi Fi» lius hominis veniens in nubibus, et pervenit usque ad Anti» quum dierum, et ante eum oblatus est. Et datus est ei prin» cipatus et regnum et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi ser» vient [2]. » Et judicium ejus ita subindicat: « Aspiciebam do» nec throni positi sunt, et libri aperti sunt, et fluvius igneus » manabat in conspectu ejus; mille millia ministrabant ei, et » decies millies dena millia assistebant ei [3]. » Neque hoc tan» tum narrat, sed quem justi habituri sunt honorem sic describit: « Et judicium dedit sanctis Altissimi, et regnum obti» nuerunt sancti [4]. » Malachias vero hoc judicium per ignem futurum esse declarat his verbis: « Ecce ipse ingreditur sicut » ignis conflatorii, et sicut herba fullonum [5]. » Vidisti-ne Prophetarum accurationem, quomodo omnia, quæ futura sunt, annuntiare præoccuparint? Quomodo ergo adhuc incredulus manere audes, talibus acceptis ejus virtutis demonstrationibus? cum verbo videas tandiu ante prænuntiata, resque videas accidere verbis consonas, ita ut nihil omnino excidat, quodque hæc non figmenta nostra sint, testificantur ii, qui primi libros acceperunt, et etiamnum conservant,

[1] Jer. xxxi, 34. — [2] Matth. vii, 9, 10. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Malach. iii, 2.

inimici nostri, abnepotesque eorum qui Dominum crucifixerunt; qui libros, inquam, apud se retinent et conservant. Et qui fieri possit, dicet quispiam, ut libros habentes non credant? Quia tunc etiam, cum eum mirabilia operantem viderent, non crediderunt, sed hoc non est crimen ejus cui non creditur, sèd eorum magis, qui in meridie cæcutiunt. Nam et hunc mundum in medio proposuit, instrumentum omni concinnitate elaboratum, vocem undique emittens, et creatorem prædicans, et tamen quidam homines sunt, qui vel automata esse dicunt, vel horum creationem atque providentiam hominibus ascribunt; alii vero fortunæ, fato, genesi, vel stellarum conversionibus. Verum hoc crimen non in opificem cadit, sed in eos, qui inter tot remedia adhuc extremis laborant morbis. Quemadmodum enim bene affectus animus quid facto opus sit videt, nec multis ad hoc eget adjumentis; sic impudens ac stupidus, etiamsi innumeros habeat magistros, affectibus præoccupatus, in cæcitate perseverat. Hoc igitur semper videas, non in hac re solum, sed in aliis quoque. Quot enim sunt, qui cum nullam audissent legem, honeste ac legitime vixerunt? Alii vero a puericia ad extremam usque senectutem in legibus educati, eas violandi nunquam finem fecerunt. Hæc et apud veteres contigerunt, nam Judæi innumeris signis et miraculis non meliores effecti sunt; Ninivitæ vero, una solum audita voce, resipuerunt, et a peccatis liberati sunt. Hoc etiam videre est non in nobilibus tantum viris, sed etiam in obscuro loco natis. Quanta doctrina non imbutus erat Judas? et tamen proditor factus est. Quam admonitionem habuit latro? attamen in cruce Christum confessus est, et regnum ejus prædicavit. Ne igitur a corruptorum hominum mente, rerum judicium facias; sed ab ipsa rerum veritate congruentem calculum ponas, de iis, qui recta consilia sunt amplexi. Non crediderunt Judæi, crediderunt Gentiles. Quod ipsum non silentio prætermis-

sum est. Sed David quidem dicit : « Filii alieni mentiti »sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a »semitis suis [1]. » Hesaïas vero : « Domine, quis credidit »auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum »est [2]» et rursum : « Inventus sum ab iis qui me non »quærebant, conspicuus factus sum iis, qui me non inter»rogabant [3]. » Atque in ipso ejus adventu Chananæa et Samaritana mulier crediderunt. Sacerdotes autem et principes bellum insidiasque parabant, aliosque abigebant, et ex Synagoga pellebant eos, qui in ipsum crederent. Ne igitur te ista conturbent; multis hujusmodi exemplis plena vita nostra est, tum nostro tum præterito tempore. Alioquin vero, si non omnes, multi certe ex judæis, et tunc, et nostro tempore crediderunt. Quod si non omnes, nihil sane novum aut mirabile, talis quippe est ingratus animus; talis mens ratione vacua; talis anima malis affectibus occupata. Cæterum quia prophetias de Christo tantis ante temporibus a Prophetis enuntiatas protulimus, age in medium afferamus eas, quæ de illo, cum terram circuiret, et cum hominibus conversaretur, editæ sunt; ut hinc etiam ejus potentiam ediscas. Cum advenisset igitur, et salutis hominum negotium ageret, tum eorum, qui tunc in vivis, tum etiam eorum, qui post futuri erant, variis illam modis procurabat. Vide, quæso, quid faciat. Miracula edit, et quædam prædicit longis postea temporibus eventura. Ac per ea, quæ tunc fiebant, iis, quæ diu postea futura erant, auditoribus præsentibus fidem faciens; futuris quoque ex eventu prædictionum credibilia reddens miracula illo tempore edita : atque ex hac duplici demonstratione fidem faciens iis, quæ ad regnum pertinebant.

XII. Nam duplicis erant ejus prædictiones, et hæ quidem in præsenti vita eventuræ erant, illæ vero post ipsam consummationem, aliæque aliarum veritatem luculenter

[1] Psal. xvii, 49. — [2] Isaï. liii, 1. — [3] Id. lxv, 1.

commonstrabant. Exempli causa, nam obscurum dictum planum facere satagam, duodecim ipsum Discipuli sequebantur; Ecclesiam vero nemo vel re vel nomine tantum noverat; nam Synagoga florebat adhuc. Quid igitur dixit, et orbe fere toto in impietate detento prædixit? « Super »hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi »non prævalebunt adversus eam [1]. » Examina hoc dictum ut libet, et veritatem ejus refulgentem videbis. Non enim illud solum mirabile, quod eam in universo orbe ædificaverit, sed quod invictam fecerit, et tot agitatam bellis invictam. Illud enim, « Portæ inferi non prævalebunt adver»sus eam, » pericula sunt quæ in infernum deducunt. Vidisti ne prædictionis veritatem? Vidisti-ne eventus robur? Vidisti-ne verba rebus ipsis lucentia, et vim insuperabilem omnia nullo negotio facientem? Etsi enim breve dictum sit illud. « Ædificabo Ecclesiam meam, » ne simpliciter prætereas, sed in mente revolve, et cogita quantum sit totum orbem tam brevi tempore Ecclesiis replevisse, tantas convertisse gentes, populis persuasisse, ut paternis solutis legibus, radicatam consuetudinem evellerent, voluptatis tyrannidem, nequitiæ vim, ceu pulverem ejicerent, aras, templa, idola, mysteria, profanas solemnitates, impurumque nidorem, quasi fumum quemdam delerent; ubique altaria excitarent, in regione Romanorum, Persarum, Scytharum, Maurorum, Indorum, quid dico? vel extra orbem nostrum. Nam et Britannicæ insulæ, quæ extra hoc mare sitæ sunt et in ipso Oceano, vim verbi senserunt; illic enim Ecclesiæ et altaria erecta fuere. Verbum illud, quod tunc ille protulit, in omnium animis plantatum est, per omnium ora fertur, et terra, ut ita dicam, universa, spinis repleta emundata est, ager purus effectus est, pietatisque semina suscepit. Magna sane res est, magna, inquam, imo summæ magnitudinis et divinæ virtutis argumentum: nemine tur-

[1] Matth. xvi, 18.

bas movente, pace summa, licet multi conturbarent et nemo reluctaretur, potuisse tantum orbem confestim a prava tanti temporis consuetudine liberari, in aliam vero consuetudinem longe difficiliorem traduci. Neque tantum consuetudo adversabatur, sed etiam voluptas detinebat; duo tyrannici obices, nam quæ a multorum annorum curriculo a patribus, avis, abavis, majoribus, philosophis et rhetoribus acceperant, ea respuere; quæ res admodum difficilis erat, docebantur, et novam accipere consuetudinem, eamque, quod gravius erat, valde duram et molestam. Abduxit a voluptate, et induxit in jejunium; abduxit ab amore pecuniarum, et induxit in paupertatem; abduxit a lascivia, et induxit in temperantiam; abduxit ab ira, et induxit in mansuetudinem; abduxit ab invidia, et induxit in benignitatem; abduxit a via lata et spatiosa, et induxit in angustam, arctam et præruptam, induxit, inquam, assuetos viæ latæ. Non enim alios assumpsit homines extra mundum et hanc consuetudinem viventes, sed eos ipsos qui jam in ea computruerant, et luto molliores erant, hos jussit in angusta, aspera, et arcta incedere via, et id persuasit eis. Quot hominibus id persuasit? non uni, vel decem, vel viginti, vel centum hominibus, sed omnibus ferme sub sole habitantibus. Quorum opera id persuasit? undecim opera hominum, illitteratorum, idiotarum, ineloquentium, ignobilium, pauperum, patria, opum facultatibus, robore corporis, gloriæ præcellenti, generis splendore, vi verborum, rhetorices gravitate, scientiæ commendatione carentium; sed piscatorum, tabernaculorum opificum, qui diversæ linguæ erant. Neque eadem illi qua auditores lingua instructi erant, sed peregrina atque ab aliis omnibus diversa lingua utebantur, nimirum hebraïca. Per hos hanc Ecclesiam ædificavit, quæ a finibus usque ad fines terræ extenditur.

XIII. Neque hoc solum mirabile est; sed quod idiotæ,

pauperes, pauci, ignobiles, illiterati ac viles, alterius linguæ, despicabilesque homines, quibus totius orbis emendatio commissa fuerat jussumque fuerat ad difficiliora ipsum traducere, non illud in pace fecerint, sed innumeris undique bellis exagitati. Per singulas quippe gentes et urbes, et quid dico, per singulas gentes et urbes? per singulas etiam domos bella contra ipsos movebantur. Ingressa namque doctrina filiumque a patre sæpe dividens, nurum a socru, fratrem a fratre, servum a domino, subditum a principe, virum ab uxore, uxorem a viro, patrem a filiis; non enim simul omnes credebant; quotidianas inimicitias, bella frequentia, mille mortes ipsis inducebat, efficiebatque ut sese mutuo quasi communes hostes aversarentur. Etenim eos pellebant universi, reges, principes, idiotæ, liberi, servi, populi, civitates. Neque illos tantum; sed quod gravius erat, neophytos in fide, quos illi instituebant. Commune namque bellum et doctoribus et discipulis excitabantur, quippe cum doctrina illa et regiis sanctionibus et consuetudini, et paternis moribus adversari videretur. Siquidem hortabantur ut ab idolis absisterent, aras despicerent, quas et patres et majores eorum coluerant, ab impuris dogmatibus resilirent, riderent solemnitates, initiationes respuerent; quæ ipsis maxime tremenda et formidabilia videbantur, pro quibus animam dare maluissent, quam eorum dicta admittere, et in natum ex Maria credere, qui ad præsidis tribunal ductus, sputis dehonestatus, innumeraque passus, execranda morte affectus, sepultusque resurrexisset. Quodque stupendum erat, cruciatus omnibus noti erant, flagella nempe, colaphi, contumeliæ oris sputo dehonestati, plagæ, crux, cachinni multi, comœdia omnibus oblata, sepultura quasi gratiæ nomine impetrata; sed quæ ad resurrectionem spectabant non item; illis enim solis post resurrectionem apparuit. Attamen hæc dicendo

persuadebant, et sic Ecclesiam ædificabant. Quo pacto et qua ratione? Virtute jubentis; ipse namque viam parabat, ipse omnia difficilia facilia reddebat. Nisi enim divina quædam virtus hæc perpetrasset, ne vel principium quidem aut exordium hæc habuissent. Quo enim id modo fieri potuisset? Verum is, qui dixerat : « Fiat cœlum », et opus exhibuit, et, « Fundetur terra, » ejus substantiam produxit; et, « Luceat sol, » et astrum ostendit; quique omnia verbo operatus est, ille etiam has Ecclesias plantavit. Et verbum illud, « Ædificabo Ecclesiam meam, » hæc omnia operatum est. Talia quippe sunt verba Dei, opera exhibent; opera mirabilia atque stupenda. Nam quemadmodum dixit : « Germinet terra herbam fœni [1], » et omnia mox hortus fuere, omnia pratum, terraque mandatum excipiens infinitis ornabatur plantis; sic et nunc ubi dixit : « Ædificabo Ecclesiam meam », id nullo negotio factum est, atque tyrannis adversus eam bellum excitantibus, militibus arma moventibus, populis instar ignis furentibus, adversante consuetudine, etiamque rhetoribus, sophistis, divitibus, idiotis, principibus, igne tamen vehementius verbum spinas consumpsit, agros purgavit, prædicationis doctrinam seminavit; ac dum ex iis, qui crediderant, alii in carcere habitarent, alii in exilium abducti essent, aliis pecuniis mulctati, alii occisi, et in frusta concisi, alii igne consumpti, alii demersi essent, alii omne genus supplicii subirent, ignominia effecti, pulsi, quasi communes hostes undique ejecti; alii numero plures accesserunt, nec modo ex aliorum cruciatibus nihilo segniores evaserunt ad fidem amplectendam, sed multo alacriores fuerunt, et in pulchram hanc capturam insilierunt; sicque a piscatoribus capiebantur, non coacti, sed accurrentes, gratiamque habentes iis, qui se in hanc rem deducerent, ac cum sanguinum torrentes ex jam credenti-

[1] Gen. 1, 11.

bus erumpentes cernerent, ferventiores fidentioresque circa fidem erant. Cumque non tantum discipuli, sed etiam magistri, alii vincti, alii pulsi, alii verberati essent, alii demum innumera paterentur mala, discipuli tamen et plures et ferventiores fiebant. Certe Paulus clamat : « Ita ut » plures fratrum in Domino, confidentes vinculis meis, » abundantius auderent sine timore verbum loqui [1] : » et alibi rursum : « Vos enim imitatores facti estis Ecclesiarum » Dei, quæ sunt in Judæa, quia eadem passi estis et vos a » contribulibus vestris, quemadmodum et ipsi a Judæis, » qui Dominum crucifixerunt, et nos impediunt loqui gen- » tibus, ut salventur [2]. » Aliis rursum scribens sic loquitur : « Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati, mul- » tum certamen sustinuistis passionum, scientes vobis me- » liorem substantiam in cœlis, et manentem [3]. » Vides-ne præstantiam virtutis ejus qui talia operatus est? Nam qui tanta patiebantur, non solum non ægre ferebant vel deficiebant, sed et gaudebant, gestiebant, exultabant. Et de discipulis quidem dicit ille, quod facultatum publicationem cum voluptate acceperint; de magistris vero Lucas in libro Actuum Apostolorum, ait eos reversos esse gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti fuerant pro nomine Christi contumeliam pati [4]. De se ipso rursum Paulus : « Gaudeo, ait, in passionibus meis, et adimpleo quæ de- » sunt tribulationibus Christi in carne mea [5]. » Ecquid miraris, quod in passionibus gauderet, quando mortem subiturus, non modo gaudebat, sed etiam discipulos in gaudii consortium vocabat, quod erat animi supra modum lætantis : « Gaudeo, inquit, et congratulor omnibus vobis : iti- » dem et vos gaudete, et congratulamini mihi. » Et quid factum est, dic mihi, quod tanto gaudio repletus es?

[1] Philip. I, 14. — [2] 1 Thess. II, 14-16. — [3] Hebr. X, 32 et 34. — Act. V, 41. — [5] Coloss. I, 24.

« Ego, inquit, jam delibor, et tempus resolutionis meæ » instat [1]. »

XV. Sic igitur per universum orbem Ecclesiam ædificabant. Atqui ne parietem quidem unum quisquam possit extruere lapidibus et calce utens, si expellatur et impediatur : hi vero tot Ecclesias ubique terrarum ædificarunt, percussi, vincti, pulsi, fugati, facultatibus mulctati, flagellati, jugulati, combusti, demersi una cum discipulis. Et ædificabant, non lapidibus, sed animabus et institutis, quod plane difficilius est, quam lapidibus construere. Non enim par est murum construere, et animam tanto tempore a dæmonibus agitatam ad resipiscendum persuadere, ut ab insania illa desistat, et ad tantam perveniat temperantiam. Attamen hoc potuerunt nudi et calceis carentes, una induti tunica per universum orbem circumeuntes : habebant enim commilitantem ejus virtutem, qui dixit : « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ » inferi non prævalebunt adversus eam [2]. » Numera quod tyranni ab illo tempore adversus illam instruxerunt aciem, quot gravissimas persecutiones excitarunt quo in statu fides fuerit toto illo, quod præteriit, tempore ; quando recens plantata erat, quando teneriores erant hominum mentes. Gentiles erant imperatores, Augustus, Tiberius, Caïus, Nero, Vespasianus, Titus, et post illum omnes usque ad tempus beati Constantini imperatoris ; omnesque illi, alii minus, alii vehementius Ecclesiam oppugnabant ; oppugnabant tamen omnes. Quod si qui eorum visi sunt mitius agere, hoc ipsum tamen quod imperatores palam in impietate viverent, materia bellorum erat, cum alii, qui ipsis adulabantur, gratiam illorum captantes Ecclesiæ bellum inferrent. Attamen omnes hujusmodi insidiæ atque incursus, facilius quam araneæ tela dissipati

[1] 2 Tim. IV, 6. — [2] Matth. XVI, 18.

sunt, citius quam fumus soluti sunt, velocius quam pulvis transierunt. Nam cum insidiis suis majorem Martyrum chorum effecerint, immortalesque illos Ecclesiæ thesauros reliquerint, columnas atque turres : illi non viventes modo, sed etiam mortui, posteris magnæ utilitatis materia facti sunt. Vides-ne vim prædictionis? « Et portæ inferi non » prævalebunt adversus eam. » Ab his et de futuris crede nullum fore qui obsistat. Si enim cum ex paucis constaret, cum nova res esse videretur, cum nuper plantata doctrina esset, cum tot bella instarent, tot undique commissa prælia nihil potuerunt, neque prævaluerunt; quanto magis nunc cum universam terram occupat, omnemque locum, montes, saltus, colles; etenim et maria et gentes sub sole positas omnes apprehendit; cum impietas apud paucos jam obtineat; atque aræ, templa, idola omnia sublata fuerint, festa item, initiationes, fumus, nidor et profanæ conciones. Quomodo igitur talis tantaque res, tot oblatis impedimentis tam conspicuum finem habuerit, et exitum veritati fidem facientem; nisi divina quædam et invicta virtus esset ejus, qui hæc prædixit et perfecit? Nemo sane his contradixerit, nisi admodum insaniat, ac mente captus sit. Neque hæc tantum sed etiam alia vaticinia ejus invictam virtutem prænuntiant. Nam cum omni veritate futura prædixit, et ad finem deduxit, neque fieri potest ut quidpiam ex dictis ejus excidat. Imo citius peribit cœlum et terra, quam aliquod verborum aut prædictionum ejus falsi arguatur. Quod ipsum ille ante rerum eventum ènuntians, sic clare de verbis suis loquitur : « Cœlum et terra » transibunt, verba autem mea non transibunt [1]. » Idque jure merito : non enim verba tantum sunt, sed Dei verba, per quæ res conduntur. Sic cœlum fecit, sic terram, mare, solem, sic Angelorum choros, sic alias invisibiles Virtutes,

[1] Matth. xxiv, 35.

quod declarans Propheta dicebat : « Ipse dixit, et facta »sunt; ipse mandavit, et creata sunt [1] : » de omni simul creatura, tum superna, tum infra posita, tum sensibili, tum intellectuali, tum corporea, tum incorporea, ea pronuntians. Illud igitur de Ecclesia vaticinium ostendit, ut supra dixi, veritatis, providentiæ, bonitatis curæque ejus magnitudinem et excellentiam.

XVI. Age ergo et aliam prædictionem tractemus, quæ sole sit clarior, radiisque ejus splendidior, quæque ante omnium oculos sita, ad omnes futuras generationes extendatur, sicut et prior. Talia enim sunt pleraque ejus vaticinia, non brevi tempore terminantur, neque in una generatione complentur; sed omnibus hominibus tum viventibus, tum mox futuris, tum sequentibus, et qui usque ad consummationem erunt, veritatis suæ notitiam præbent, quemadmodum et prius vaticinium. Nam a qua die dictum est usque ad consummationem sæculi firma immotaque mansit, florens, fulgens, in dies crescens, plus roboris sumens, et omnibus, qui ab illo die usque ad Domini adventum futuri sunt præstans, ut maximos inde fructus, et ineffabilem utilitatem capiant. Nam qui ante nos, et qui ante illos, et qui longe superius fuere, ejus virtutem cognoverunt, bella videntes in eam ingruentia, pericula, tumultus, strepitus, fluctus, tempestates : ipsam vero neque sic submergi, vinci, superari, aut extingui; sed florere, crescere, ad majorem sublimitatem erigi. Et hoc vaticinium, quod nunc dicturus sum, idoneum est ad dictorum vim et veritatem commonstrandam. Quodnam est illud vaticinium? Cum ingressus aliquando esset in templum judaicum, tunc florens, auro fulgens, necnon pulchritudine magnitudineque ædificiorum, alia quoque instructum omni artificii materiæque varietate, mirantibus

[1] Psal. CXLVIII, 5.

Discipulis, qui dixit? « Nonne videtis hæc omnia? Amen » dico vobis, non manebit lapis super lapidem [1]. » Ejus destructionem futuram declarans, desolationem, vastitatem, ruinam, quæ nunc Jerosolymis est : omnia enim ædificia illa præclara conspicuaque diruta sunt. Vides in utroque magnam et ineffabilem ejus potentiam; in eo quod se colentes ædificaverit et auxerit; et in eo quod inimicos suos humiliaverit, destruxerit, radicitusque sustulerit? Nusquam enim huic simile templum erat, tam celebre, tanto cultu insigne. Nam quotquot ubique per orbem erant Judæi, etiam in finibus terræ positi, istuc olim proficiscebantur, dona, hostias, oblationes, primitias, et multa alia ferentes, orbisque divitiis templum decorantes, omnesque eo undique confluebant Judæi advenæ. Multum erat loci nomen, et usque ad extrema orbis pervenerat. Sed unum Christi verbum illa omnia delevit et perdidit, ac tanquam pulverem de medio sustulit. Ac quo ne Judæis quidem omnibus, imo nec sacerdotibus, sed soli summo sacerdoti ingredi licebat, idque semel in anno tantum cum stola, coronis et mitra, alioque sacro vestimento; nunc et scortis, et mollibus et effœminatis et mœchis patet aditus, nemine prohibente. Nam ut verbum illud advenit, omnia delevit et sustulit : tantumque de templo superest, quantum satis est ut ostendatur ubinam templum olim esset. Cogita ergo quantæ et hoc sit virtutis. Etenim qui olim tam potentes erant, qui gentes et reges superabant, qui absque sanguine plerumque vincebant, tropæaque innumera nova et admirabilia erigebant; hi templum unum ab illo usque ad hoc tempus ædificare non potuerunt. Quamvis tot reges fuerint qui illis opem ferrent, tantaque multitudo per orbem diffusa, totque pecuniarum opes adessent, Vides-ne quomodo quæ ille ædificavit, nemo destruxit; et

[1] Matth. XXIV, 2.

quæ ille destruxit, nemo ædificavit? Ædificavit Ecclesiam, et nemo ipsam destruere possit; destruxit templum, et nemo ipsum restaurare valet; idque tam diuturno tempore : quamvis illam destruere tentaverint, non potuere tamen; quamvis hoc denuo excitare conati sint, id frustra moliti sunt. Id vero permissum fuit ne quis diceret, si id tentatum esset, fieri potuisse : ecce tentaverunt, et non potuerunt. Nam ætate nostra imperator, qui omnes impietate superabat, et facultatem tunc dedit, et cooperatus est : opus incœpere, ac ne vel minimum ultra progredi potuere; sed ignis a fundamentis exiliens, omnes fugavit. Quod autem voluerint, hoc indicium est quod hactenus fundamenta nudata appareant, ut videas ipsos quidem fodere cœpisse, sed ædificare non potuisse, obsistente Christi sententia. Quamvis autem jam olim destructum fuisset hoc templum, at iis, post annos septuaginta reversis, statim excitatum est, et priore splendidius fuit. Quod sane Prophetæ dixerant, et antequam fieret prænuntiarant. Nunc autem plus quam quadringentesimus annus est, et nulla cogitatio, nulla exspectatio vel spes est, illud ultra instaurandum fore. Atqui, si non divina virtus obluctaretur, quid obstaret? Annon magna vis pecuniarum penes illos est? Annon ab omnibus undique tributa colligens Patriarcha (9), immensos possidet thesauros? Annon audax illa natio est? Annon impudens, contentiosa, temeraria, seditiosa? Annon multi sunt in Palæstina? Annon multi in Phœnicia? Annon multi ubique? Quomodo ergo non potuerunt unum denuo construere templum, præsertim videntes cultum suum hinc ubique impediri, judaïcos ritus aboleri, sacrificia, oblationes, cæteraque hujusmodi legalia de medio tolli, omninoque cessare? Neque enim illis vel aram excitare, vel sacrificium offerre, vel libare, vel ovem imponere, aut suffitum, vel legem recitare, vel festum

celebrare, vel quidpiam simile facere licebat extra illa limina.

XVII. Sane cum Babylone essent, et ab hostibus cogerentur, ut psallerent, non obtemperarunt, neque morem gesserunt, tametsi captivi et servi erant, dominisque se vexantibus suberant. Sed etiamsi a patria et a libertate excidissent, et de ipsa vita periclitarentur, et quasi laqueo manu hostium detinerentur, jussi Canticum organis canere, sic dicebant : « Super flumina Babylonis, illic sedimus » et flevimus, Quia interrogaverunt nos, qui captivos » duxerunt nos verba cantionum. Quomodo cantabimus » canticum Domini in terra aliena [1] ? » Nec potest quisquam dicere ipsos ob organorum penuriam non cecinisse : causam enim illi protulerunt dicentes : « Quomodo cantabi- » mus Canticum Domini in terra aliena? » Organa vero penes se habebant : « In salicibus, aiunt, in medio eorum, » suspendimus organa nostra. » Sed neque jejunare licebat illis. Quod declarans Propheta dicebat : « Numquid jeju- » nium jejunastis mihi annis septuaginta, dicit Dominus [2] ? » Quod autem illis nec sacrificare nec libare fas esset, audi tres pueros dicentes : « Non est princeps, neque Propheta, » neque dux, neque locus ad sacrificandum coram te, et » inveniendum misericordiam [3]. » Non dixerunt : « Non est sacerdos ; » aderant enim sacerdotes : sed ut discas de loco tantum agi, totamque legem ea in re obstrictam esse, dicebant : « Non est locus. » Et quid de sacrificio et de libatione loquor? ne quidem recitare legem licebat ipsis : quod exprobrans alius Propheta dicebat : « Et legerunt » foris legem, et advocaverunt confessionem [4]. » Non Pascha, non Pentecosten, non Scenopegiam, non aliud quid simile celebrare poterant. Attamen etsi noverint se prop-

[1] Psal. cxxxvi, 1 et seqq. — [2] Zach. vii, 5. — [3] Dan. iii, 38. — [4] Amos iv, 5.

ter loci desolationem ab his omnibus excludi, et se, si quid eorum aggrediantur, legem transgredi pœnasque daturos esse, non potuere locum, in quo licebat hæc omnia legitime facere, erigere et restaurare. Nam virtus Christi, quæ Ecclesiam ædificavit, eadem et templum destruxit. Propheta certe prædixit, et venturum Christum, et hæc operaturum, etiamsi is post captivitatem fuerit; audi quid dicat : « Et in vobis concludentur januæ, et non accende» tur altare meum gratis. Non est mihi voluntas in vobis, » quia ab Oriente solis usque ad Occidentem nomen meum » glorificatum est in gentibus, et in omni loco incensum » mihi offertur, et sacrificium purum [1]. » Vides quomodo manifeste et judaïsmum ejecit, et christianismum effulgentem monstravit, et ubique terrarum diffusum? Cultus vero rationem alius significavit his verbis : « Et adorabunt » eum unusquisque ex loco suo, et servient ei sub jugo » uno [2] : » Et alius iterum : « Virgo Israël lapsa est, non re» surget amplius [3]. » Daniel autem hæc omnia aperte narrat. Universa nempe tollenda esse, hostiam, libamen, unctionem, judicium. Verum hæc quando adversus Judæos sermonem instituemus, clarius fusiusque explicabimus. Interim vero, in destinata pergamus via, Gentiliumque contentionem retundamus. Non tibi dixi mortuos suscitatos, vel leprosos mundatos; ne diceres hæc mendacia esse, fastum, et fabulas. Quis vidit? quis audivit? Iidem ipsi qui narrarunt crucifixum et colaphis cæsum, illi etiam hæc dixerunt. Cur ergo fide dignos in illis putas, in istis vero dicta reprehendis quasi hæc gesta non sint? Atqui si ad magistri gratiam hæc scripserunt, ac temere frustraque jactitarunt, ea tacuissent, quæ tristia ignominiosaque apud multos habebantur. Jamvero illi horum veritatem declarantes, in illis maxime immorati sunt, omniaque di-

[1] Malach. I, 10-12. — [2] Soph. III, 10. — [3] Amos V, 2.

ligenter copioseque tractarunt, nec parvo nec magno quopiam prætermisso; sed in signis et miraculis plurima tacuerunt; in cruciatibus autem et iis, quæ ignominiosa videbantur, plurimum immorantes, omnia omnes accurate narrarunt. Verum ego nihil horum apud te commemorans; signa, inquam, et miracula, ut ex abundanti omnem impudentis linguæ furorem compescam; ea quæ nunc videntur, quæ præ omnium oculis posita sunt, quæ sole clariora, quæ ubique in toto orbe dispersa, quæ universum occupant mundum, totamque naturam excedunt; gesta, quæ unius Dei sunt, ea, inquam, in medium adduxi. Quid dicis? non suscitavit mortuos? Num illud etiam dicere potes Ecclesias in orbe non esse? An dicas insidiis non appetitas esse, non superasse, nec victoriam reportare? At quemadmodum dici non potest solem non esse, sic neque hæc dici possunt. Quid ergo? annon vides judaïci templi ruinam in totius orbis conspectu positam? Cur non tecum hoc reputas: « Nisi Deus esset, Deusque fortis, quomodo cultores ejus vexati et exagitati ita creverunt, qui autem illum crucifixerunt, et læserunt, ita dejecti sunt, ut tota republica sua exciderent, et vagi, errones profugi circumeant, nec quantumvis diuturno tempore alterutrum eorum solutum mutatumque est? » Atqui adversus romanum imperium hi, Judæi, inquam, bellum susceperunt, arma moverunt, multoque tempore illud oppugnarunt, imo aliquando vicerunt, nec parva negotia fecerunt Augustis illius temporis, tanta erant potentia instructi. Attamen qui cum tot imperatoribus bella gesserunt, qui tanta pecuniarum, armorum, militum vi pollebant, qui duces innumeros repulerunt, unum excitare templum non potuerunt; sed synagogas quidem per urbes extruxere multas; locum vero illum qui reipublicæ suæ præbet auctoritatem, ubi omnem cultum persolvere consueverant, at-

que unde judaïsmus constituitur, hunc, inquam, solum instaurare non potuerunt.

HOMILIA [1].

Constantinopoli habita contra Anomœos de incomprehensibili Dei natura, et quod Novum Testamentum Veteri consonet, atque in eos, qui divinis non intersunt conventibus.

I. Unum apud vos diem disserui, et inde tantum vos dilexi, quantum si ab initio vobiscum essem educatus; ita sum vobis charitatis vinculis conjunctus ac si plurimo tempore fructus dulcissimæ consuetudinis a vobis percepissem. Quod fit non quia ego admodum ad amicitiam et charitatem sim idoneus, sed quia vos desiderabiles, omniumque maxime amabiles. Quis enim non admiraretur igneum zelum, charitatem absque simulatione, benevolentiam in præceptores, concordiam inter vos, quæ sane omnia satis essent ut vel lapideam animam vobis conciliarent? Propterea non minus vos amamus, quam Ecclesiam illam, in qua nati, educati, et eruditi sumus. Soror enim illius hæc est, vosque cognationem illam opere declarastis. Quamvis autem illa tempore sit antiquior, hæc tamen fide fervention est, et illic major conventus est ac celebrius theatrum, sed hic major patientia, majorisque fortitudinis indicium. Nam video undequaque hic lupos obambulare, ovile autem non imminui. Circumdant sanctam hanc navim continuo tempestas et hyems, procellarumque vis; non submerguntur tamen, qui in ea navigant. Undecumque invadunt hæreticæ flammæ, et qui in medio sunt camino, rore spirituali per-

[1] Secunda Concio Constantinopoli habita anno 398.

fruuntur. Est et hoc admirabile, quod videmus in hac parte civitatis Ecclesiam hanc plantatam, et nihilominus quasi in medio camino oleam germinantem, foliisque comantem, et fructu gravem. Igitur cum vos tam cordati sitis, tamque multis bonis digni, age prompto studio promissionem nuper vobis factam reddamus. Tunc enim de armis David et Goliath apud vos philosophabamur, ostendentes hunc quidem omnigena gravique armatura undique munitum, illum autem armis nudum, fide munitissimum; et hunc quidem extrinsecus fulgidum thorace et scuto, illum autem intus spiritu et gratia radiantem, atque hanc ob causam a puero certamine victum juvenem, a nudo superatum armatum, a pastore prostratum militem, a pastoralis lapidis natura, bellici æris naturam contritam et labefactatam [1]. Proinde et nos lapidem illum in manus accipiamus, angularem illum et spiritualem inquam. Si enim Paulo philosophari licuit de petra in solitudine, neque nobis quis succensebit [2], si lapidem illum eodem modo accipiamus. Nam sicut non natura petræ visibilis apud Judæos, sed virtus spiritualis petræ emittebat illarum aquarum flumina; ita utique apud David non sensibilis, sed spiritualis lapis barbaricum illud caput dejecit. Sic quoque pollicebamur vobis nihil ex ratiociniis dicturos. « Nostra » enim arma, non carnalia, sed spiritualia destruentia » rationes, et omnem sublimitatem, quæ super terram sese » extollit contra scientiam Dei [3]. » Præceptum nobis est, ut eas demoliamur, non extruamus; imperatum nobis est, ut eas dissolvamus, non armemus : « Ratiocinia enim mor- » talium timida sunt. » Quid illud est, « Timida? » Timidus, etiamsi securo loco ambulet, non audet, sed formidat ac trepidat; ita quod ratiociniis demonstratum est, etiamsi verum sit, nondum tamen satis certa argumenta, dignam-

[1] 1 Reg. xvii. — [2] 1 Cor. x, 4. — [3] 2 Cor. x, 7.

que fidem animæ affert. Proinde quia tanta rationum infirmitas est, age Scripturis contra adversarios pugnemus. Unde igitur sermonis exordium sumendum? Unde vobis placebit, sive ex nova, sive ex veteri. Non enim solum in Evangeliis, et apostolicis verbis, sed et in Prophetis et in tota veteri lege fulgentem abunde Unigeniti gloriam videre licet. Unde, mea sententia, etiam inde adversus illos corripienda sunt tela. Ita enim non illos tantum, sed et multos alios hæreticos simul prosternere poterimus, videlicet Marcionem, Manichæum, Valentinum, Judæorumque cœtus omnes. Nam sicut cum a Davide prostratus est Goliath, in fugam simul versus est omnis Allophylorum exercitus [1]; et mors quidem unius corporis, et percussio unius capitis erat, fuga autem communis, et timor totius exercitus : ita et si nos unam hæresim dejecerimus, communis erit enumeratorum omnium profligatio. Manichæi enim et qui illorum morbo laborant, videntur accipere Christum qui prædicatur; Prophetas autem et Patriarchas, qui illum prædicant, contemnunt; contra Judæi eos, qui Christum prædicant, accipere videntur, Prophetas, inquam, et legislatorem suum; Christum autem, qui ab illis prædicatur, contemnunt. Igitur si, favente gratia Dei, demonstraverimus magnam Unigeniti gloriam in veteri prædictam, omnia illa Deo adversa ora, linguasque blasphemas confundemus et compescemus. Nam si liqueat Christum in Veteri Testamento prædicari, qua se defensione tutabuntur Manichæi, et cæteri, qui cum illis Scripturam contemnunt, quæ prædicat illum communem omnium Dominum? Quod item effugium erit Judæis? quam veniam merebuntur, qui a Prophetis prænuntiatum non suscipiunt?

II. Itaque cum abunde de eis triumphare possimus,

[1] 1 Reg. xvii, 4.

sermonem ad libros vetustiores vertamus, et ad ipsum qui aliis omnibus vetustior est, ad Genesim, inquam, et ad caput Geneseos conscendamus. Quod enim de Christo multa dixerit Moyses, audi loquentem Christum : « Si cre- » deritis Moysi, crederitis utique et mihi, nam de me scrip- » sit [1] ; » Ubinam de illo scripsit? id nunc declarare tentabimus. Posteaquam igitur perfecta omnis creatura, cœlumque vario siderum choro coronatum, et terra omnigenis floribus ornata est, plenaque cum essent montium cacumina, pleni campi et valles, et in summa, omnis terræ facies plantis et arboribus et herbis, lascivirentque greges et armenta; aërem autem impleret chorus avium cantillantium nativa, et singulari musica; maria quoque marinis animalibus plena; similiter et stagna, et fontes, et fluvii, omnibus quæ in eis nascuntur; nihilque esset imperfectum, sed perfecta omnia: tunc quærebat corpus caput, civitas principem, creatura regem, hominem inquam. Formaturus igitur ipsum Deus, inquit: « Faciamus hominem » secundum imaginem et similitudinem nostram [2]. » Ad quem dicit? Manifestum, quod ad Unigenitum suum. Non dixit, « Fac, » ut ne servile aliquid suspiceris præceptum dari; sed dicit, « Faciamus, » ut forma consultandi, æqualis detegeretur honor. Nam Deus interdum consiliarium habere, interdum non habere dicitur; nec sibi ipsi repugnat Scriptura, sed per hæc ambo aperiuntur nobis abscondita dogmata. Quando enim significare vult Deum nullius egere, dicit eum non habere consiliarium; quando autem docet æqualem Unigeniti gloriam, consiliarium vocat Filium Dei. Et ut hæc ambo discas, quod Prophetæ Filium vocent consiliarium, non quod Pater opus ejus consilio habeat, sed ut Unigeniti gloriam doceant; et quod non opus habeat consiliario, audi Paulum dicentem : « O altitudo divitia-

[1] Joan. v, 46. — [2] Gen. i, 26.

» rum, sapientiæ et scientiæ Dei ! quam inscrutabilia judicia » ejus, et ininvestigabiles viæ ejus ! Quis enim novit sen- » sum Domini? vel quis consiliarius ejus fuit [1] ? » Hic itaque eum nullius indigere declaravit. Hesaïas vero iterum de Unigenito Dei loquens, sic inquit : « Et cupient si fiant » igne combusti. Quia puer natus est nobis, et filius datus » est nobis, et vocabitur nomen ejus magni consilii An- » gelus, admirabilis consiliarius [2]. » Et si admirabilis con- siliarius; quomodo Paulus dicit : « Quis enim sensus novit » Domini, vel quis consiliarius ejus fuit? » nisi quod Paulus, sicut dixi, indicare voluit Patrem nullo indigere; Propheta autem æqualem Filii gloriam docere voluit. Idcirco etiam hic non dixit, « Fac; » sed, « Faciamus. » Illud enim, « Fac, » præceptum esset servo datum; quod discere inde poteris. Accessit aliquando Centurio ad Jesum, et dixit : « Domine, » puer meus jacet in domo paralyticus, et graviter torque- » tur [3]. » Quid igitur Christus? « Ego veniam, et curabo » eum [4]. » Centurio autem non audebat medicum in domum trahere, at misericors ille sponte sua pollicebatur se illuc iturum, ut causam et occasionem illi daret, qua virtutem suam nobis declararet. Præscius enim quid ille dicturus erat, pollicitus est se affuturum, ut viri pietatem disceres. Quid enim ait Centurio? « Domine non sum dignus, ut » intres sub tectum meum [5]. » Neque morbi necessitas eum a pietate avertere valebat, ne excellentiam Domini testa- retur, etiam in tanta calamitate. Eapropter dicit : « Dic » tantum verbo, et sanabitur puer meus. Nam et ego homo » sum, habeus sub me milites, et dico huic : Vade, et vadit; » et alteri : Veni, et venit; et servo meo : Fac hoc, et facit [6]. » Vides verbum, « Fac, » esse Domini ad servum loquentis? At « Faciamus, » verbum est ejus, cui æqualis honor.

[1] Rom. xi, 33. — [2] Isaï. ix, 5. — [3] Matth. viii, 6. — [4] Ibid. 7. — [5] Ibid. 8. — [6] Ibid. 9.

Quando enim servo dominus loquitur, dicit, « Fac ; » quando autem Pater Filio, dicit, « Faciamus. » Quid, inquit (hæreticus) si Centurio ita suspicabatur; res autem non sic se habebat? Num Apostolus est Centurio? num discipulus, ut ipsius verbis credamus? Verisimile est eum errasse. Bene, non est Apostolus. Quid ergo? Videamus quod sequitur. Num correxit ipsum Christus? num increpavit ut lapsum, et prava dogmata ingerentem? num dixit ad ipsum : « Cur hoc facis, homo? Majorem de me habes opinionem, quam par est; plura mihi tribuis, quam mihi debentur. Ex auctoritate putas me imperare, cum non sit mihi auctoritas. » Num dixit tale quid? Minime, sed stabilivit illius sententiam, et sequentibus dixit : « Amen dico vobis, neque in » Israël tantam fidem inveni [1]. » Igitur Dominus laudando confirmat Centurionis verba. Jam enim non sunt Centurionis verba, sed Domini sententia. Quod enim ipse laudat, et calculo suo tanquam bene dictum approbat, pro divino oraculo habendum est; auctoritatem enim superne a Christi responsione sumit.

III. Vides ut Novum Veteri consonet Testamentum, et utrumque auctoritatem Christi indicet? Quid igitur? faciebat quidem hominem, sed ut minister faciebat? sed audi verba quæ sequuntur, et desiste ab intempestiva contentione. Enimvero ut dixit : « Faciamus hominem: » non dixit : « Secundum imaginem tuam minorem, neque secundum imaginem meam majorem, » sed, « Secundum ima» ginem nostram [2], » nempe indicans Patris et Filii imaginem unam esse. Non enim dixit imagines, sed « Imaginem nos» tram; » non enim duæ sunt inæquales, sed una et eadem æqualis Patris Filiique imago. Unde et a dextris jubet sedere, ut æqualem honorem, et potestatem non inferiorem discas. Minister enim non sedet, sed astat. Nam quod

[1] Matth. VIII, 10. — [2] Gen. I, 26.

sedere dominicæ potestatis sit, stare servilis et subjectæ conditionis, audi quomodo Daniel dicat : « Aspiciebam » donec positi sunt throni, et Antiquus dierum sedit, decies » mille myriades ministrabant ei, et mille millia assiste- » bant ei [1]. » Et iterum Hesaïas : « Videbam Dominum » sedentem super thronum excelsum, et elevatum, et » Seraphim stabant in circuitu ejus [2]. » Michæas autem : « Vidi Dominum Deum Israël sedentem super thronum » suum, et omnis exercitus cœli stabat a dextris ejus et a » sinistris ejus [3]. » Vides ubique supernas Virtutes assistentes, ipsum autem sedentem? Cum igitur videris et Filium sedem a dextris habentem, non ministrantis dignitatem quamdam putes, sed habentis auctoritatem dominicam. Idcirco et Paulus cum utraque sciret quod astare ministrantium sit, sedere autem imperantium et præsidentium; vide quomodo hæc distinguat, dicens : « Angelis » quidem suis inquit : Qui facit Angelos suos spiritus, et » ministros suos flammam ignis. Filio autem : Thronus » tuus Deus in sæculum sæculi [4], » per thronum regiam potestatem designans. Itaque cum sermo noster omnino probarit Filii dignitatem non servilem, sed herilem esse, adoremus ipsum ut dominum et Patri honore coæqualem : sic enim et ipse præcepit cum dixit : « Ut omnes honorent » Filium, sicut honorant Patrem [5]. » Conjungamus item sinceritati dogmatum diligentiam vitæ et operum, ut ne dimidiatim, quæ ad nostram salutem spectant, curentur. Jam vitæ diligentiam et puritatem nihil sic efficit et corrigit, ut frequens hic conventus, et alacre ad audiendum verbum Dei studium. Quod enim corpori est cibus, hoc animæ divinorum eloquiorum doctrina. « Non enim in solo » pane vivit homo, sed et in omni verbo, quod procedit de

[1] Dan. VII, 9. — [2] Isaï. VI, 1. — [3] 3 Reg. XXII, 19. — [4] Hebr. I, 7. — [5] Joan. V, 23.

» ore Dei [1]. » Hinc et fames induci solet, si huic mensæ non communicetur. Audi itaque hac de re interminantem, et famem hanc in ordine suppliciorum et pœnarum intentantem. « Dabo enim eis, inquit, non famem panis neque » sitim aquæ, sed famem audiendi sermonem Domini [2]. » Quomodo igitur non absurdum pro corporali fame repellenda facere et attentare omnia, animæ autem famem sponte quærere; quamvis multo gravior sit, quanto scilicet gravius est et damnum? Oro et supplico, ne tam male nobis consulamus, sed præferatur hic conventus occupationibus et curis omnibus. Quid enim tantum lucrari potes, quantum damni facis et tibi ipsi, et toti domui, si conventum et synaxim relinquis? Quamvis enim integrum thesaurum auro infertum invenias, et propter illum absis; majus tamen detrimentum quam lucrum facies, et tanto majus, quanto sensibilibus spiritualia sunt meliora. Nam licet illa multa sint et undequaque affluant, non tamen hinc tecum commigrabunt ad vitam futuram, neque simul nobiscum in cœlos transferentur, neque astabunt apud terribile tribunal; imo sæpe et ante mortem dilabuntur; quod si ad finem usque manserint, necessario tamen sub ipsum finem tolluntur. Spiritualis autem thesaurus possessio est, quæ auferri nequit, et ubique comes est, sequiturque peregre euntes, multum fiduciæ apud tribunal Christi nobis tribuens.

IV. Quod si ex aliis conventibus tantum lucri consequimur, certe ab iis, qui hic celebrantur, duplex lucrum expectare licet. Non enim hunc fructum solum capimus, quod animam divinis eloquiis rigemus, sed et quod hostes ingenti pudore afficiamus, fratresque nostros multa consolatione repleamus. Hoc enim in aciei lucrum cedit, si ad partem prælii afflictam et periclitantem properemus. Prop-

[1] Deut. VIII, 3, et Matth. IV, 4.— [2] Amos VIII, 11.

terea omnes huc confluere oportebat, et hostes qui nos adoriuntur, repellere. Esto, nequeas longum sermonem producere, nec habeas docendi gratiam; adsis solum, et totum perfecisti. Nam corporis præsentia numerum gregis adauget, ac multam fratribus tuis affert consolationem, et hostibus pudorem. Etenim si quis hæc sacra ingressus vestibula, paucos videat, alacritatem suam remittit, torpescit, factusque segnior, hinc recedit, sicque paulatim omnis multitudo ignavior et dissolutior evadit. Sin viderit concurrere undequaque magnoque studio; etiamsi valde ignavus sit, alacrior redditur. Nam si lapis sæpe ad lapidem concussus scintillas exilire facit, tametsi nihil sit frigidius lapide, nihilque igne calidius; attamen concussio, victa natura, ignem elicit. Quod si id in lapillis contingit, multo magis idem fit et in animabus quæ mutuo atteruntur, et igne spiritus concalescunt. Non audistis apud majores nostros tantum centum et viginti fuisse totum fidelium numerum[1]; imo ante illos centum et viginti, duodecim tantum erant, et neque hi manserunt omnes, sed unus ex eis Judas periit? et erant undecim omnes, attamen ex undecim illis facti sunt centum et viginti; ex centum et viginti tria millia, deinde quinque millia, denique totum orbem terrarum impleverunt cognitione Dei; ejus vero rei causa hæc est, nunquam conventum deserebant, sed simul in templo conversabantur, precibus et lectionibus intenti; propterea magnum incendium excitarunt, propterea nunquam diffluxerunt, sed totum attraxerunt orbem. Hos et nos quoque imitemur. Quomodo enim non absurdum, non tantam curam Ecclesiæ haberi, quantam vicinis suis mulieres exhibent? Illæ cum viderint virginem aliquam pauperem, et omni destitutam præsidio, officiose sua afferunt, propinquorum vices obeuntes, et magnam

[1] Act. 1, 15.

quis ibi videt frequentiam, dum virgo desponsatur; et aliæ quidem offerunt pecunias, aliæ corpore præsentes sunt, quod etiam ipsum non parum est; earum quippe studium tenuitatis ipsius velamen est, earumque alacritate paupertas obtegitur. Hoc et vos in hac Ecclesia facite, concurramus omnes undique, et ejus contegamus inopiam, imo solvamus ejus paupertatem, hic frequenter adventantes. « Caput » mulieris vir est [1], » mulier viri adjutrix. Ne igitur caput absque corpore viam ad hæc sancta limina arripiat, neque corpus absque capite, sed integer huc ingrediatur homo pueris comitantibus. Nam si jucundum est videre arborem cum nova planta e radice ejus exurgente; multo magis jucundum est videre hominem omni olea amœniorem, a radice sua filium habere astantem, quasi novam plantam. Non jucundum autem solum, sed et utile. Etenim, ut ante dixi, congregatis majus lucrum erit. Enimvero et agricolam tunc maxime admiramur, non cum agrum colit antea bene cultum, sed cum loca non seminata et inarata, summa cura excolit. Sic et Paulus faciebat majore studio evangelizans, ubi Christus nondum erat nominatus. Illum et nos ad incrementum Ecclesiæ, utilitatemque nostram imitemur, quotidie ad hanc congregationem confluentes. Nam si concupiscentia flagras, tantum hac visa domo, poteris eam facile restinguere; et si irascaris, illam facile feram domabis; et si alia quapiam affectione impeteris, tempestatem eam facile sedabis, reddesque pacem et serenitatem animæ tuæ. Qua nos omnes frui contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et sancto Spiritui sit gloria, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Ephes. v, 23.

SERMO I.

Ad eos qui conventum Ecclesiæ deseruerunt, et quod non oporteat sacrarum Scripturarum titulos prætermittere, et in inscriptionem altaris, et in nuper illuminatos.

Quid hoc sibi vult? quo nobis festa ulterius progredientur, eo minores collectæ fiunt [1]. » Ne tamen idcirco desides simus nos, qui adsumus : siquidem minores fiunt, si multitudinem spectes; sin alacritatem animi, non fiunt minores : numero fiunt minores, non affectu. Porro idcirco minuuntur, ut qui in vobis probati sunt, manifesti fiant, et quinam ex consuetudine, quinam divinorum eloquiorum cupiditate, quinam lectionis spiritualis desiderio ducti ad annuam ventitent solemnitatem, sciamus. Præcedenti dominica civitas hic aderat universa; plena erant septa et multitudo recedentes fluctus atque redeuntes imitabatur : sed mihi fluctibus illis optatior et gratior est tranquillitas vestra, pluris ego facio quietem vestram, quam tumultum et turbas illas. Tum præsentia dinumerare corpora licebat, nunc affectus plenos pietatis. Si quis hanc paucorum hominum collectam, et ex panperibus majori ex parte constantem, et illam multorum hominum et divitibus majore ex parte conflatam, si quis utrasque collectas istas tanquam in trutina et statera ponderare voluerit, hanc comperiet præponderare. Quanquam enim, si numeri ratio habeatur, minores estis : si tamen cupiditatem affectumque spectemus, pluris faciendi estis. Ita fit in rebus, quæ ponderantur : si quis decem au-

[1] Vide D. Guillon, tom. XII, pag. 526-537.

reos stateras sumat, et in una lance deponat, ac deinde in altera centum æreos nummos; trutinam quidem centum ærei nummi deorsum ad se trahunt, attamen aurei decem illi cum habita ratione materiæ graviores sint ac pretiosiores, naturæ suæ dignitate præponderant. Itaque fieri potest, ut qui pauci sunt numero, pluris faciendi sint et utiliores habeantur illis qui numero multi sint. Sed quid ego vobis exempla profero a rebus consuetis repetita, cum ipsam a Deo prolatam sententiam oporteat in medium afferri? Quid igitur illa dicit? « Melior est unus faciens voluntatem Domini, quam » innumeri prævaricatores [1]. » Est enim, est sæpe unus homo innumeris æquiparandus. Quid dico unum hominem solum æquiparandum innumeris? imo toto orbe terrarum utilior et pretiosior censetur. Atque hujus rei testimonium ex Pauli verbis mutuabor. Cum enim hominum pauperum, vexatorum, exagitatorum, afflictorum mentionem fecisset, adjecit : « Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, » egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mun- » dus [2]. » Quid ais? hominibus egentibus, afflictis patrias sedes non habentibus dignus non erat mundus? Non vides quam paucos multis opposueris? Video, inquit, et ideo dixi mundum illis non fuisse dignum. Nota quippe mihi est numismatum istorum natura. Si terram posuero, mare, reges, præfectos, et totam omnino naturam humanam, et duos tresve pauperes his opposuero, confidenter asseram fore, ut pauperes isti præponderent. Quod si illi e patriis sedibus expellebantur, tamen patriam supernam Jerusalem habebant : in paupertate vitam agebant, at pietate divites erant : hominibus erant odiosi, at Deo grati. Quinam illi porro sunt? Helias, Elisæus, et illius temporis omnes. Neque vero id spectes, quod ne alimenta quidem illi necessaria suppetebant : at quod os Heliæ cœlum clauserit, et

[1] Eccli. xvi, 3. — [2] Heb. xi, 37.

aperuerit, ejusque melote Jordanem retro flexerit. Atque hæc cum mihi veniunt in mentem, gaudeo et doleo : gaudeo quidem propter vos, qui adestis : doleo vero propter eos qui absunt : doleo valde, molesteque fero et corde conteror. Quis enim est adeo sensus doloris expers, ut non doleat, cum in ea quæ ad diabolum pertinent, plus studii conferri cernat? Atqui nulla spes veniæ nobis vel excusationis reliqua esset, si vel æquale studium conferretur : cum autem etiam longe superet, quis nobis defensionis locus relinquitur? Quotidie nos invitant spectacula, nec ullus pigritatur, nullus est qui cunctetur; nullus est qui negotiorum occupationes obtendat, sed tanquam expediti et omni cura soluti accurrunt omnes : non canitiem senex reveretur, non ardorem naturæ ac libidinis juvenis suspectum habet, neque dignitatem suam probro se afficere censet opulentus : at siquidem ad Ecclesiam veniendum sit, quasi ex aliquo sublimi gradu et honore desiliendum sit, ita pigritatur et torpet, et inflatur deinde, quasi quidpiam fuerit Deo largitus : cum vero properat ad theatrum, ubi sunt, lasciva spectacula et acroamata, non existimat se probro se ipsum afficere, non divitias suas nec nobilitatem. Scire cuperem, ubi nunc sint, qui tum illo die nos interturbabant : siquidem interturbatio quædam erat ipsorum præsentia : scire cuperem quid nunc agant, quid utilius his, quæ nobis sunt præ manibus, illos occupet : imo nulla occupatio illos detinet, sed solus fastus. Quo quid insanius videri potest? Cur enim, quæso, magnifice ac superbe de te sentis, mi homo? teque nobis gratificari censes, si cum huc veneris attendas, et quæ ad salutem animæ tuæ pertinent audias? quam ob causam, quæso, et cujus rei gratia gloriaris? an ob divitias? an ob vestes sericas? cur non potius cogitas illas vermium esse stamina et barbarorum hominum inventa? meretrices illis ac molles, et sepulcrorum

perfossores, ac latrones uti? Divitias agnosce legitimas, et ab illo sublimi vanoque fastu aliquando delabere, naturæ vilitatem considera. Terra es et pulvis, cinis et favilla, fumus et umbra, fœnum et flos fœni. Tali-ne, quæso, natura gloriaris? Quid vero esse potest magis ridiculum? Atqui multis hominibus imperas? Quid hoc tibi prodest, quod hominibus imperes, cum perturbationum tuarum servus et captivus sis? Quemadmodum si quis domi quidem a famulis verberibus ac vulneribus concidatur, foris autem in forum veniens, quod aliis imperet, glorietur : ita cum te verberet inanis gloriæ cupiditas, cum tibi vulnera infligat luxuria, cum omnium perturbationum servus sis, gloriaris quod gentilibus tuis imperes? Atque utinam illis imperares! utinam æquiparandus illis esses!

II. Non ut divites accusem hæc dico, sed eos qui divitiis perperam utuntur. Neque enim malum sunt divitiæ, si eis ut oportet uti voluerimus, sed superbia et arrogantia. Si malum essent divitiæ, nequaquam ad sinum Abrahæ pervenire optaremus omnes, qui vernaculos habuit trecentos et octodecim famulos. Non sunt igitur malum divitiæ, sed illegitimus earum usus est malum : et sicut nuper de ebrietate verba faciens non vinum accusabam; quippe cum omnis creatura Dei bona, nihilque rejiciendum sit, quod cum gratiarum actione percipitur [1] : ita nunc quoque non divites accuso, neque pecunias in invidiam adduco, sed malum usum pecuniarum, et qui in libidines impenditur. Propterea χρήματα pecuniæ dicuntur, ut nos illis utamur, et non illæ nobis : propterea possessiones dicuntur, ut nos illas possideamus, et non illæ nos. Cur igitur servum habes dominum! cur invertisti ordinem? At enim scire percuperem, quid illi nunc agant qui collectam deseruerunt

[1] 1 Tim. IV, 4.

et quibus occupentur : nimirum aut alea ludunt, aut omnino rebus sæcularibus, quæ tumultu redundant, distinentur : hic si adesses, mi homo, in tranquillitate atque in portu esses : non ingressus dispensator interturbaret, non procurator interpellaret, non famulus ob sæcularia negotia molestiam afferret, non alius ullus irritaret, sed in quiete vivens divinis lectionibus interesses. Nusquam hic fluctus : nusquam tumultus, sed benedictio et preces, sermo spiritualis, et in cœlum commigratio, et jam ex hoc loco, accepto pignore regni cœlorum, discederes. Quam ob causam opulentam hanc mensam et opiparam deserens, ad aliam multo molestiorem te transtulisti, et derelicto portu cum turbis tranquillitatem commutasti? Est illud quidem grave, quod non intersint pauperes, qui tum aderant : sed non ita tamen grave, ut quod divites non intersint. Quid ita? quod pauperes necessariis occupationibus detineantur, quotidiani opificii sollicitudine, manibus suis victum sibi comparantes : educandorum liberorum curam gerunt, uxorem tuentur, ac nisi laborent, vivere nequeunt. Hæc a me dicuntur, non ut defensionem illis componam, sed ut divites majori accusatione esse dignos ostendam : quanto majori securitate fruuntur, tanto magis damnabuntur, quod nullis ejusmodi rebus occupentur. Nonne Judæos videtis Deo rebelles, qui Spiritui sancto resistunt, duros illos cervice? his omnino pejores sunt, qui non venerunt. Illis si dixerint sacerdotes septem diebus ab operibus cessandum, vel decem, vel viginti, vel triginta, non contradicunt : tametsi quid illa vacatione molestius fieri potest? fores occludunt, nec ignem accendunt, nec aquam ferunt, neque aliud quidquam ad ejusmodi usum aggredi illis permittitur : sed otio tanquam catena vinciuntur, et ne tum quidem contradicunt. At ego nihil tale dico, non impero ut septem decemve diebus ab operibus abstineas, sed duas mihi diei

horas ut commodes, reliquas ipse tibi habeas, et me hanc quidem mihi mensuram contribuis. Imovero mihi ne commodes duas horas, sed tibi ipsi, ut ex oratione Patrum aliquam consolationem percipias, ut benedictionibus plenus recedas, ut omni ex parte securus abeas, ut, spiritualibus acceptis armis, invictus diabolo et inexpugnabilis fias. Quid jucundius, quæso, quam hic versari? si enim totos dies hic transigere necesse esset, quid præclarius? quid tutius, ubi tot sunt fratres, ubi Spiritus sanctus, ubi medius Jesus, et Pater ejus? qualem aliam talem congregationem quæris? qualem alium senatum? qualem conventum? Tot bonis referta est mensa, tot lectio Scripturæ, tot benedictiones, tot preces, tot ipsi congressus, et tu aliam conversationem et colloquia spectas? quanam autem venia dignus censebere? Hæc a me dicta sunt non ut vos audiatis; neque enim vos medicamentis ejusmodi indigetis, qui ipsis operibus sanos vos esse comprobastis, qui obeditis, qui tanto studio vestrum amorem ostendistis : sed ad vos hæc dicta sunt a me, ut ex vobis audiant, qui non adsunt. Nolite dicere solum a me accusatos eos esse qui non venerunt, sed totam a principio illis orationem narrate : revocate illis in memoriam Judæos, revocate in memoriam negotia sæcularia : dicite quanto præstantior sit iste conventus : dicite quantum erga res mundanas studium exhibeant; dicite quanta merces illos maneat, qui hic congregantur. Si enim tantum dixeritis accusatos illos a me fuisse, iram excitabitis, et vulnus infligetis, non medicinam admovebitis : sin autem illos docueritis me non tanquam inimicum accusasse, verum tanquam amicum indoluisse, atque illis persuaseritis fideliora esse vulnera amicorum, quam spontanea oscula inimicorum [1], accusationem multa cum voluptate suscipient : non enim ad verba, sed ad sententiam dicentis attendent. Ita

[1] Prov. xxvii, 6.

fratres vestros curate. Nobis salutis omnium vestrum, qui adestis, est ratio reddenda, vobis, eorum qui absunt. Non possumus ipsi per nos cum illis in colloquium venire, per vos cum illis in colloquium veniamus, et per vestram eruditionem : sit nobis instar pontis cujusdam erga illos charitas vestra : efficite ut per linguam vestram nostri sermones ad illorum aures trajiciantur. Sufficient fortasse quæ diximus de illis, qui collectæ non intersunt, neque quidquam est addendum. Nam plura quidem dicere potuissemus, sed ne totum tempus in ejusmodi accusationes impendamus, et ad vos ipsos, qui adestis, hinc utilitas nulla dimanet, age, vobis etiam insolitum ac novum quoddam opsonium apponamus. Insolitum autem ac novum dico, non habita ratione mensæ spiritualis, sed aurium vestrarum habita ratione.

III. Superioribus apud vos diebus de apostolicis verbis, deque evangelicis disseruimus, cum de Juda verba faceremus: disseruimus et de propheticis ; hodierno die volumus de Apostolorum Actis verba facere. Propterea insolutum dixi opsonium et non insolitum. Non insolitum quidem, quod ad seriem sacrarum pertineat Scripturarum : insolitum autem, quod aures fortasse vestræ minime sint narrationi ejusmodi assuetæ. Multis quidem certe nec notus est liber iste : a multis rursus cum clarus et apertus videatur, tamen contemnitur : et his quidem cognitio, illis autem ignorantia occasionem affert negligentiæ. Ut igitur et qui non noverunt, et qui clare se intelligere arbitrantur, multas in eo profundas et abstrusas esse sententias discant, operæ pretium fuerit amborum negligentiam hodierno die corrigere. Prius sciamus opus est, quis librum scripserit : hic enim optimus indagationis est ordo, ut de auctore videamus, an homo sit, an vero Deus : ac si homo quidem sit, rejiciamus : « Nolite enim, inquit, vocare magistrum

» super terram [1] : » sin autem Deus, admittamus : cœlestis enim est et superna schola nostra, siquidem talis est dignitas hujus theatri, ut ab hominibus nihil, sed per homines a Deo discamus. Disquirendum nobis est, quis scripserit, et quando scripserit, et de quibus, et qua de causa præceptum sit, ut ille in hac solemnitate legeretur. Nam toto fortassis anno legi librum non auditis. Enimvero hoc quoque nosse prodest : ac deinde quærendum est, qua de causa hunc titulum præ se ferat : « Acta Apostolorum. » Neque enim temere prætercundi sunt tituli neque confestim initium libri attingendum est : sed prius libri nomen videndum. Nam quemadmodum in nobis ex capite reliquum corpus fit notius, et superne imminens illi facies manifestum illud reddit : sic a superiori parte impositus textui titulus in fronte reliquam scripturam efficit notiorem. Nonne hoc videtis in regiis etiam imaginibus, ut sursum quidem posita sit imago, quæ regis nomen inscriptum habet, inferius in basi triumphos regis, victorias et præclara facinora inscripta habet? Idem in Scripturis licet cernere. Sursum quidem depicta est imago regia; inferius autem victoria inscripta est et tropæa et res omnes præclare gestæ. Ita facimus etiam, cum epistolam acceperimus : non continuo vinculum solvimus, neque continuo, quæ intus latent, legimus : sed exterius positam inscriptionem prius percurrimus, et ex illa discimus, et qui miserit, et a quo recipi debeat. Annon igitur absurdum est, ut in rebus quidem sæcularibus tantum studii adhibeamus, neque commoveamur, aut perturbemur, sed ordine singula percurramus : hoc vero loco ægre feramus, et confestim initium aggrediamur? Vultis intelligere quanta sit vis tituli, quanta sit virtus, quantus in Scripturarum initiis reconditus sit thesaurus? auscultate, ne sacrorum Librorum titulos contem-

[1] Matth. xxiii, 8.

natis. Athenas aliquando Paulus ingressus est : hæc historia scripta est in hoc ipso libro; reperit in urbe non librum sacrum, sed idolorum altare : inscriptionem reperit, quæ sic habuit, IGNOTO DEO [1] : neque præteriit, sed hujus inscriptionis altaris opera ipsum altare subvertit. Paulus ille sanctus, qui spiritus gratiam habebat, altaris inscriptionem non præteriit, et tu Scripturarum titulos præteris? Ille quod Athenienses idololatræ scripserant, non omisit, et tu quæ Spiritus sanctus scripsit; necessaria esse non censes? qua tandem venia dignus eris? Verumenimvero quantam pepererit utilitatem hæc inscriptio videamus. Cum ergo altari insculptam inscriptionem tantam videris suppeditasse virtutem, multo magis a Scripturarum inscriptionibus id perfici posse intelliges. Ingressus est urbem Paulus, invenit altare, cui erat inscriptum : « Ignoto Deo. » Quid fuit opus facto? Gentiles erant omnes, impii omnes : quid igitur faciendum fuit? De Evangeliis verba facere? at subsannassent : num de Prophetarum libris, vel de legis mandatis? at non credidissent. Quid ergo fecit? accurrit ad altare, et suis ipsorum armis hostes subegit. Atque hoc illud est quod dicebat : « Factus sum omnibus omnia, Ju» dæis tanquam Judæus, iis, qui sine lege erant, tanquam » sine lege essem [2]. » Vidit altare, vidit inscriptionem, insurrexit Spiritu. Talis enim est Spiritus gratia, efficit ut qui eam receperint, undique lucrum colligant : talia sunt arma nostra spiritualia. « In captivitatem enim, inquit, re» digentes omnem intellectum in obsequium Christi [3]. » Vidit ergo altare, nec reformidavit, sed ad se ipsum altare traduxit : vel potius, omissis litteris, ejus sensum transmutavit : et quemadmodum in bello dux exercitus si generosum militem in hostili acie viderit, et coma prehensum ad aciem militem illum transtulerit, atque ut pro se pug-

[1] Act. xvii, 23. — [2] 1 Cor. ix, 21. — [3] 2 Cor. x, 5.

net, effecerit : ita quoque Paulus egit, cum tanquam in hostium acie inscriptionem altari insculptam offendisset, ad suam aciem transtulit, ut adversus Athenienses cum Paulo pugnaret, non cum Atheniensibus Paulum percuteret. Gladius enim erat Atheniensium, ensis erat hostium illa inscriptio : sed hic ensis hostium caput amputavit. Non ita mirabile fuisset, si suis ipsius armis eos devicisset : hoc enim merito accidit : verum illud novum est et insolens, cum hostium arma tanquam machinas hostibus admovemus, cum gladius, quem in nos gestant, hic illis letale vulnus infligit.

IV. Talis quippe virtus est Spiritus. Ita quondam egit etiam David : exivit armis nudus, ut nuda gratia Dei appareret. Nihil enim, inquit, humanum sit, quando pro nobis pugnat Deus. Exivit ergo nudus armis, et turrim illam dejecit. Deinde cum armis destitutus esset, currens gladium Goliathi rapuit, atque ita barbari caput amputavit [1] : ita quoque Paulus in hac inscriptione fecit. Atque ut manifestior fiat victoriæ modus, virtutem vobis inscriptionis declarabo. Altare igitur Athenis Paulus invenit, cui inscriptum erat : « Ignoto Deo. » Quis autem ille erat ignotus, nisi Christus? Vides quo pacto inscriptionem captivitate liberarit, non ut damno afficeret eos, qui scripserunt, sed ut eos salvos faceret, eisque prodesset? Quid igitur? an propter Christum, dicet aliquis, istud scripserant Athenienses? Si propter Christum hæc Athenienses scripsissent, res adeo mirabilis non fuisset : verum hoc est mirabile, quod illi quidem aliter scripserint, hic autem aliter illud potuerit immutare. Operæ-pretium est prius dicamus, qua de causa scripserint Athenienses, « Ignoto Deo. » Quamnam igitur ob causam scripserunt? Multos illi deos habebant, vel potius multos dæmones, « Omnes quippe dii gentium

[1] 1 Reg. XXII, 10.

» dæmonia [1] : » habebant et patrios et peregrinos : videtis quanta irrisio. Si enim Deus est, non est peregrinus : siquidem universi terrarum orbis est Dominus. Quosdam igitur istorum alios a patribus suis acceptos habebant, alios a finitimis nationibus, utpote a Scythis, a Thracibus, ab Ægyptiis : quod si profanæ periti essetis eruditionis, has etiam vobis omnes historias recitarem. Quoniam igitur omnes ab initio non susceperant, sed illis invecti paulatim fuerant, alii quidem patrum ætate, alii vero ipsorum tempore, convenientes dixerunt ad invicem : « Quemadmodum istos ignorabamus, quandoquidem ipsos deinceps accepimus et agnovimus; ita fieri potest, ut sit aliquis alius ignotus, qui verus sit Deus, sed a nobis minime cognitus, qui a nobis insciis propterea negligatur et non colatur. » Quid igitur fecerunt? Aram erexerunt, et inscripserunt, « Ignoto Deo, » ut per inscriptionem hoc significarent : « Si forte quispiam sit alius Deus, qui nondum nobis innotuerit, hunc etiam colemus. » Vide immodicam superstitionem. Propterea dixit a principio Paulus : « Per omnia » quasi superstitiosiores vos video [2]. » Non enim vobis notos solummodo colitis deos, sed eos etiam, qui vobis nondum innotuerint. Inscripserant illi quidem, sed Paulus interpretatus est. Nam illi quidem id de aliis dixerant, at illud ipse traduxit ad Christum, et in captivitatem sensum redegit, et in sua secum acie collocavit. « Quem enim ignoran- » tes vos colitis, hunc ego vobis annuntio [3], » inquit. Ignotus enim alius Deus non est, nisi Christus. Ac vide prudentiam spiritualem. Objecturi deinceps illi erant : « Nova quædam dogmata infers auribus nostris, novis rebus studes, Deum invehis, quem non novimus. » Ut igitur illis suspicionem eximeret novitatis, seque novum Deum minime prædicare ostenderet, sed quem ipsi prius cultu honorandum cen-

[1] Psal. xcv, 5. — [2] Act. xvii, 22. — [3] Ibid. 23.

suerant, adjunxit et dixit : «Quem ignorantes vos colitis, eum »ego vobis annuntio : » vos me prævenistis, inquit ; prædicationem meam cultus vester præoccupavit. Ne igitur objiciatis novum a me Deum inferri : hunc enim annuntio, quem vos colitis ignorantes, non digno quidem modo, sed tamen colitis. Non enim tale Christo erigitur altare, sed animatum altare ac spirituale ; verumtamen ab hoc ad illud vos possum perducere. Ita quoque Judæi quondam cultum exhibebant : sed a corporali cultu recesserunt, et ad spiritualem traducti sunt, qui crediderunt omnes. Vides Pauli sapientiam ? vides prudentiam ? vides quo pacto illos devicerit non evangelicis, non propheticis usus dictis, sed inscriptione ? Noli ergo, charissime, divinorum inscriptionem eloquiorum prætermittere : nam si attentus et vigilans fueris, etiam in alienis utile quippiam offendes : sin autem negligens ac remissus, ne ipsæ quidem tibi sacræ Litteræ prodesse poterunt. Nam quemadmodum qui lucra novit colligere, undique lucra colligit : ita et is, qui minime novit, quamvis thesaurum invenerit, inanis recedit. Vultis et alterum simile argumentum in medium afferam, quod alius quidem alio sensu protulit, sed Evangelista vim eorum, quæ dicta fuerant, ad se traduxit ? Itaque diligenter attendite, ut illum quoque discatis intellectum ad obediendum Christo in captivitatem redegisse [1] : ut discatis si aliena possumus in captivitatem redigere, multo magis nos in propriis negotiaturos, quæstumque facturos. Pontifex erat anni illius Caïphas : nam et hoc fuit Judaïcæ improbitatis : quoniam dignitatem sacerdotalem adeo deturpabant, ut venales pontifices redderent. Antea vero non ita fiebat, sed sola morte pontificis sacerdotium terminabatur : tum vero etiam viventes honore se abdicabant. Cum igitur illius anni pontifex esset Caïphas, Judæos adversus Christum arma-

[1] 2 Cor. x, 5.

bat ac dicebat : « Hunc mori oportet : » cum tamen nihil haberet quod ei objiceret, sed invidia solum tabesceret. Ea namque invidiæ est conditio, talem acceptorum beneficiorum mercedem rependit : unde insidiarum causam aperiens dicebat : « Expedit ut unus homo moriatur, et non » tota gens pereat [1]. » Hujus verbi virtus vide quo pacto in nostras partes transierit, ut intelligas verbum quidem fuisse sacerdotis, at sensum spiritualem fieri potuisse. « Expedit » ut unus homo moriatur, et non tota gens pereat. Hoc » autem a semetipso non dicebat, inquit, sed cum esset » pontifex anni illius, prophetavit [2], » quod mori Christum oportet non modo pro Judæis, sed et pro tota gente : propterea dicebat : « Expedit ut unus moriatur homo, et non » tota gens pereat. » Vides potentiam Dei, quo pacto linguam cogat inimicorum pro veritate verba facere?

V. Ut igitur Scripturæ sacræ titulos non prætermittamus, sufficienter hæc dicta sint, si forte recordemini : cuperem autem etiam dicere quis sit auctor libri, et quando, quaque de causa illum scripserit : sed hæc interim mente teneamus; illa vero crastino die, si Deus voluerit, restituemus : statui namque, quod reliquum est, sermonem ad nuper illuminatos convertere. Nuper autem illuminatos appello non eos, qui ante duos et tres, neque qui ante decem dies illuminati sunt tantum, sed eos etiam qui ante annum, atque adeo multo ante tempore : quandoquidem hos quoque sic appellari oportet. Si enim in excolenda anima nostra multum studii exhibuerimus, possumus et post decem annos nuper illuminati esse, si nobis ingenitam a baptismate juventutem conservaverimus. Neque enim nuper illuminatum efficit tempus, sed vita munda, cum fieri possit, ut post duos etiam dies, qui sibi non caveat, appellationis hujus dignitatem amittat. Atque hujus rei

[1] Joan. XI, 50. — [2] Ibid. 51.

vobis exemplum proferam, quo pacto qui nuper illuminatus erat, statim post duos dies, et gratiam et honorem nuper illuminati amiserit. Hoc autem exemplum idcirco a me profertur, ut cum lapsum istum videritis, salutem vestram in tuto constituatis. Non enim tantum eorum exemplo vobis proposito qui steterunt, sed eorum etiam, qui supplantati sunt, corrigendi estis et sanandi. Simon magus conversus erat, inquit, et baptizatus adhærebat Philippo videns signa : sed post paucos dies statim ad propriam reversus est nequitiam, et suam salutem emere pecunia volebat. Quid ergo nuper illuminato dixit Petrus? « In felle amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse : quocirca Deum roga, si forte remittatur tibi hæc nequitia [1] : » nondum ingressus est certamina, et statim indigno venia casu prolapsus est. Ut igitur post duos dies cadere possumus, et nuper illuminati appellationem et gratiam perdere : ita quoque post decem ac viginti annos, et ad finem usque vitæ possumus præclarum hoc atque venerandum nomen ac rem conservare. Atque hoc Paulus testatur apostolus, qui in senectute maxime illustris fuit. Nam quoniam a natura non est hæc juventus, sed utriusque propositi compotes sumus; ut vel senescamus, vel juvenes maneamus, a nostro pendet arbitrio. In corpore quidem licet omne studium quis adhibeat, licet omnem lapidem moveat, licet illud minime vexet, licet domi contineat, licet laboribus illud et continuis operibus non affligat : tamen ex lege naturæ sic quoque plane senectus illud invadet. In anima vero non ita fit : sed si illam minime vexes, neque sæcularibus eam laboribus curisque mundanis excrucies, juventutem suam perpetuo retinet, illæsamque conservat. Nonne videtis has in cœlo fixas stellas? jam per annos sexies mille nobis lucent, nec ipsarum ulla facta est obscurior. Quod si ubi naturæ

[1] Act. VIII, 23.

res est, ita recens et vividum lumen remansit : ubi voluntatis res est, nonne multo magis tale permanebit, quale ab initio refulsit? Imovero si velimus, non tale tantum permanebit, sed splendidius etiam erit, sic ut ipsos etiam solis radios æmuletur. Vis-ne tu intelligere quo pacto possumus etiam post longum tempus esse nuper illuminati? audi quibus verbis Paulus homines multo ante tempore illuminatos alloquatur. « Inter quos lucetis sicut luminaria in » mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam meam [1]. » Veterem laceramque vestem exuistis, spirituali unguento delibuti estis, liberi omnes facti estis : nemo deinceps ad priorem redeat servitutem. Bellum quoddam ac certamen sunt res istæ : nemo certat, qui servus sit : nemo militat, qui sit famulus : sed si servus deprehendatur, ex albo militum cum supplicio ejicitur. Neque vero in hac tantum militia, sed et in olympicis certaminibus idem iste mos obtinet. Post triginta enim dies hic transactos, in suburbium illos eductos circumvehunt, et toto sedente theatro clamat præco : « Num quis hunc accusat? » ita ut omni servilis conditionis suspicione depulsa, in certamina pedem inferat. Quod si diabolus in agones suos servos non admittit, quo pacto tu, cum peccati servus evaseris, in Christi certamen ingredi audes? Illic quidem ait præco : « Num quis hujus sit accusator? » hic vero Christus non ita dicit, sed quamvis omnes ante baptismum illum accusent, dicit : « Ego illum admittam et servitute liberabo, atque in libertatem vindicatum in certamina introducam. » Vides agonothetæ benignitatem? non ea quærit quæ præcesserint; sed eorum, quæ consequuntur, exigit rationem. Cum servus esses, mille accusatores habebas, conscientiam, peccata, dæmones omnes. « Nullus me, inquit, illorum adversum te commovit, neque te meis certa-

[1] Philip. II, 15.

minibus indignum censui, sed ad luctas admisi, non ob tuam dignitatem, sed ob meam benignitatem : » mane igitur ac decerta, sive currendum sit, sive pugilatu, sive pancratio certandum sit, ne occulte, ne temere, nec in vanum decertes. Audi quid egerit Paulus : confestim ubi de lavacro ascendit, statim post baptismum decertabat, prædicabat, quoniam hic est Filius Dei [1], et Judæos jam inde a primo die confundebat. At tu prædicare non potes, neque verbum doctrinæ habes? igitur operibus et conversatione actionumque splendore doce. « Luceat enim, inquit, lux » vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et » glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est [2]. » Non potes Judæos voce confundere? fac ut tua conversatione confundantur, fac ut commoveantur tua mutatione Gentiles. Cum enim viderint eum, qui lascivus, pravus, ac negligens et corruptus erat, subito fuisse mutatum, et post mutationem ex gratia, mutationem ex conversatione exhibuisse, nonne confundentur, et dicent id quod de cæco Judæi quondam dicebant : « Hic est : Non est ille : Imo ipse » est [3] ? » Sunt enim hæc verba hominum confusorum, de nomine sibi noto dubitare, inter se dissidere, propriæ conscientiæ minime credere, ac ne suis quidem oculis. Ille cæcitatem corporalem abjecit, tu spiritualem cæcitatem abjecisti. Ille in solem hunc respexit, tu in justitiæ Solem respice. Agnovisti dominum ; fac igitur ea quæ hac agnitione sint digna, ut et cœlorum regnum assequaris gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, honor, imperium, una cum sancto ac vivifico Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Act. IX, 22. — [2] Matth. V, 16. — [3] Joan. IX, 9.

SERMO III.

Cum in veteri Ecclesia (10) *longo intervallo celebrata collecta esset, sermo habitus in inscriptionem Actorum Apostolorum : et vitam cum virtute actam utiliorem esse signis ac miraculis : et quatenus differat a signis conversatio.*

I. Rursus ad matrem nostram longo intervallo reversi sumus, ad desideratam et charam omnibus hanc Ecclesiam, ad nostram et omnium Ecclesiarum matrem. Nam mater quidem est, non quod antiquior tantum sit tempore : sed quod Apostolorum manibus sit fundata : quam ob causam multoties propter Christi nomen eversa, Christi virtute rursus est erecta. Neque enim apostolicæ tantum manus illam fundarunt, sed et ipsius Apostolorum Domini decretum illam novo et inusitato munitionis genere munivit. Non enim coagmentatis lignis et lapidibus septa construxit, neque fossa exterius ducta circumdedit aut palis defixis, aut turribus exædificatis illam munivit : sed duo nuda solum verba protulit, et hæc illi fuerunt instar muri, et turris et fossæ et cujusvis loco munimenti. Et quæ tandem illa sunt verba, quæ tantam vim obtinent ? « Super hanc pe» tram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non præ» valebunt adversus eam [1]. » Hoc murus est, hoc septum, hoc munimentum, hoc portus et refugium. Tu vero quam inexpugnabilis sit hic murus, inde perpende. Neque enim hominum tantum insidias adversus eam dixit non prævalituras, sed nec ipsas inferni machinas. « Porte enim, inquit,

[1] Matth. xvi, 18.

» inferi non prævalebunt adversus eam. » Non dixit : « In illam non irruent, » sed, « Adversus eam non prævalebunt » : nam irruent illæ quidem, sed illam non superabunt. Sed quid illud est, « Portæ inferi ? » forte namque obscurum est dictum. Discamus quid sit porta urbis, et tunc sciemus quid sit porta inferi. Porta urbis est aditus in urbem : itaque porta inferi est periculum, quod ad inferos tendit. Quod igitur ait, est ejusmodi : « Licet irruant et impetum faciant tanta pericula, ut ad ipsum nos præcipites agant infernum, Ecclesia manet immota. » Poterat ille quidem non permittere, ut ulla mala experiremur : cur ergo permisit ? Quod multo majus sit, quam tentationes prohibere, si dum advenire tentationes sinit, nihil tamen ex earum incursu mali nos ferre permittat; idcirco omnes accidere tentationes sivit, ut probatiorem illam redderet : siquidem « Tribulatio pa-» tientiam operatur, patientia vero probationem [1]. » Atque ut majori cum excessu virtutem suam ostendat, ex ipsis eam portis eripit mortis : propterea tempestatem sivit excitari, et mergi cymbam minime sivit. Sic gubernatorem quoque laudamus, non cum secundis ventis navigans, neque cum a puppi flantibus auris incolumem navim servat : sed cum mari procellis agitato ac fluctibus effervescentibus, ac tempestate commota suam artem adversus impetum ventorum opponit, et navigium ex mediis procellis salvum educit. Ita fecit et Christus : dum tanquam navigium in mari Ecclesiam rursus in mundo ferri permisit; neque fluctus sedavit, sed ex fluctibus eripuit : non mare compescuit, sed navim communivit, et cum surgerent undique populi tanquam sævi fluctus, et maligni spiritus tanquam adversi quidam venti in eam irruerent, excitata undique tempestate, multam attulit Ecclesiæ tranquillitatem : quodque permirum sane fuit, non modo navim procella

[1] Rom. v, 3.

non obruit, sed et procellam cymba sedavit. Nam continuæ persecutiones non modo Ecclesiam non submerserunt, sed ab Ecclesia sunt sedatæ. Quo tandem pacto, et quorum opera? Hujus sententiæ nimirum ita pronuntiatæ, « Portæ inferi non prævalebunt adversus eam [1]. » Quam multa Græci moliti sunt ut verbum hoc tollerent, ut sententiam irritam redderent, neque potuerunt dissolvere? Dei quippe sententia erat : et quemadmodum turrim ex adamantinis structam lapidibus, ferro firmiter junctam hostes undique si verberent, neque structuram laxant, neque coagmentationem dissolvunt, sed illæsa turri manente, nec ullis incommodis affecta, suisque viribus exhaustis discedunt : sic nimirum et verbum hoc tanquam altam quamdam turrim in medio orbis terrarum firmiter communitam, cum Græci undique verberassent, cum illam firmam reddiderunt, tum, suis viribus fractis, mortem obierunt. Quid enim adversus hanc sententiam non machinati sunt? exercituum delectus habebatur, arma movebantur, reges armabantur, populi commovebantur, urbes insurgebant, judices excandescebant, omne supplicii genus excogitabatur, nullus pœnæ modus omittebatur, ignis, ferrum, dentes ferarum, præcipitia, submersiones, barathrum, equuleus, crux et fornax, et omnia, quæ unquam visa sunt, tormenta, in medium proferebantur : ingens minarum agmen, honorum pollicitationes innumeræ, ut illa quidem ratione terrerent, hac vero mollirent, et allicerent. Nullum igitur fraudis, nullum violentiæ genus prætermittebatur : nam et patres filios prodebant, et filii patres non agnoscebant, matres suorum partuum obliviscebantur, et naturæ leges evertebantur. Verumtamen ne sic quidem Ecclesiæ fundamenta concussa sunt, et quamvis ab ejus propinquis bellum indictum esset, non tamen ad muros usque ipsius per-

[1] Matth. xvi, 18.

venit, propter illud verbum, quod sic habuit : « Portæ inferi » non prævalebunt adversus eam. » Noli enim id spectare, quod verbum erat, sed, verbum Dei : siquidem cœlum verbo firmavit Deus [1], et terram verbo super aquas fundavit [2], et effecit, ut hæc densa gravisque natura ab illa levi fluxaque sustentaretur, et mare, cujus vis indomita, quod tot fluctibus ac procellis se extollit imbecilli vallo arenæ undique per verbum suum vallavit. Ergo qui cœlum verbo firmavit, qui terram fundavit, qui mare circumvallavit, quid miraris, si Ecclesiam cœlo, terra, marique pretiosiorem rursus hoc verbo munivit?

II. Quando igitur adeo stabile est et inconcussum ædificium, adeo inexpugnabile munimentum, qua ratione Apostoli jecerint fundamenta, videamus, quam profundam fossam duxerint, ut inconcussum fieret ædificium. Non profundam fossam duxerunt, neque tanto labore indiguerunt : quid ita? vetus invenere fundamentum, quod a Prophetis jactum erat. Ut igitur homo, qui maximam domum ædificaturus sit, post quam vetus et firmum ac stabile fundamentum offendit, non vectibus fundamenta subvertit, non lapides loco movet, sed immotum sinens, novum ædificium imponit : sic et Apostoli cum magnum istud extructuri essent ædificium, Ecclesiam, quæ ubique terrarum erigitur, non profundam fossam duxerunt, sed invento veteri fundamento Prophetarum, illum minime subverterunt, nec ædificium et doctrinam immutarunt : sed illa intacta suam deinde imposuere doctrinam, hanc scilicet novam Ecclesiæ fidem. Atque ut intelligas vetus illos fundamentum loco non movisse, sed super illud ædificasse, sapientem ipsum architectum Paulum audi, nobis exactam ædificationis diligentiam declarantem : siquidem ipse sapiens est architectus, « Ut sapiens enim architectus, inquit, funda-

[1] Psal. xxxii, 6. — [2] Id. cm, 5.

» mentum posui [1]. » Sed videamus qua ratione fundamentum ipsum posuerit; super aliud, inquit, fundamentum vetus Prophetarum. Unde id constat? « Jam non estis hospites, inquit, sed cives sanctorum, superædificati super » fundamentum Apostolorum et Prophetarum [2]. » Vides fundamentum, et fundamentum, alterum Prophetarum, alterum Apostolorum, quod supra positum est. Et quod sane mirum est, non statim post Prophetas venerunt Apostoli, sed multum interea tempus elapsum est. Quid ita? quod ita faciant optimi quique architecti: ubi jecerint fundamentum, non confestim ædificium superimponunt, ne forte dum mollis ac recens est fundamenti structura, grave parietum pondus minime ferre possit. Propterea cum longo tempore firmari lapides siverint, ubi recte coagmentatos illos viderint et compactos, tunc et parietum molem imponunt. Ita quoque fecit Christus, cum Prophetarum fundamentum in auditorum mentibus defigi, ac firmam fieri doctrinam sivisset, quando immobile vidit ac stabile ædificium esse, quando defixa dogmata sacra, sic ut possent novam etiam hanc philosophiam ferre, tunc Apostolos misit, qui supra fundamentum Prophetarum Ecclesiæ parietes excitarent. Idcirco non dixit: « Ædificati super fundamentum Prophetarum,» sed, «Superædificati, supra scilicet ædificati. » Sed quo pacto fuerint ædificati videamus. Unde vero id cognoscemus? Unde quæso aliunde, quam ex Actorum libro, de quo et superioribus diebus disseruimus? Fortasse namque debitum inde vobis exiguum aliquod debemus, quod hodierno die necesse est persolvamus. Quodnam igitur illud est debitum? ipsum titulum libri interpretari studeamus. Non enim facilis est et apertus, sicut plurimi arbitrantur, sed inquisitione multa indiget. Quisnam igitur est libri titulus? « Acta Apostolorum. » Nonne dilucida res

[1] 1 Cor. III, 10. — [2] Ephes. II, 19.

videtur esse? nonne clara omnibus, atque manifesta? Sed si velitis assequi ea quæ dicuntur, quanta tituli hujus profunditas sit, videbitis. Cur enim non dixit, « Miracula Apostolorum? » cur non inscripsit, « Signa Apostolorum, aut virtutes ac prodigia Apostolorum, » sed tantum « Acta Apostolorum? » Non enim idem sunt Acta et signa, non idem Acta et Miracula : non idem sunt Acta et prodigia et virtutes : sed multum inter utraque discrimen est. Est enim actum opus propriæ cujusque diligentiæ, miraculum vero divini muneris est beneficium. Vides quanta sit inter actum et miraculum differentia? Actum est humanorum sudorum effectus, miraculum divinæ liberalitatis est specimen : Actum a nostra voluntate ducit initium, miraculum a gratia divina trahit originem, et hoc cœlestis est auxilii, illud humani est arbitrii. Actum ex utroque contexitur, ex nostra diligentia et ex gratia divina : miraculum solam exhibet cœlestem gratiam, neque sudoribus nostris indiget. Actum est probis moribus esse, castum, modestum, iræ imperare, cupiditates subigere, largiri eleemosynas, benignitatem exhibere, omnem virtutem exercere. Hoc est actio et labor et sudor noster. Miraculum est dæmones abigere, excæcatos oculos aperire, leprosorum corpora mundare, resoluta membra compingere, mortuos suscitare, alia ejusmodi mira opera patrare. Vides quantum sit inter acta et miracula discrimen, inter conversationem et signa, inter diligentiam nostram et gratiam Dei?

III. Vis et alterum tibi discrimen ostendam? vestra enim causa hodierno die institutus est hic a me sermo, ut quid sit miraculum signumque discatis. Majus quidem est miraculum, ac formidabilius, ac naturam nostram exuperat : actio vero et conversatio res quidem est signis minor, sed utilior et fructuosior. Est quippe laborum præmium et diligentiæ merces. Atque ut intelligas fructuosiorem esse at-

que utiliorem signo actionem, actio quidem bona etiam sine signis eos, a quibus peracta fuerit, introducit in cœlum : miraculum autem et signum absque conversatione deducere ad vestibula illa non possunt. Quo vero pacto id fiat, ostendam : vos autem animadvertite, qua ratione priorem locum obtineant actiones, cum de remuneratione mercedis agitur : qua ratione signa quidem, si sola sint, eos, qui illa patrarint, salvos non faciant : actio vero seorsim sumpta nulla re indigeat alia ad eos salvandos, qui eam possident. « Multi dicent mihi, inquit Christus, in illa » die; Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus [1] ? » hoc signum est et miraculum; « Nonne in nomine tuo dæmonia multa ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus [2] ? » Vides ubique signa et miracula : videamus quid dicat Deus. Quia nuda erant miracula, nec uspiam conversatio, « Discedite, inquit, a me, nescio vos, » qui operamini iniquitatem [3]. » Si non nosti eos, unde tibi innotuit eos iniquitatem operari ? ut intelligas illud, « Nescio vos, » non ignorantiæ, sed odii et aversionis esse. « Nescio vos : » quam ob causam quæso ? « Nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus ? » Propterea vos odio prosequor, et aversor, inquit, quia ne donis quidem acceptis meliores evasistis, quod tanto honore cumulati, in eadem malitia perstitistis. « Discedite a me, nescio vos. » Quid igitur ? olim dona dabantur indignis, et qui vita erant et moribus depravatis edebant miracula, et divinis ditabantur donis, licet optimam conversationem non curarent ? Ditabantur illi quidem ob eximiam Dei benignitatem, non ob suam dignitatem. Erat enim religionis verbum ubique spargendum, quandoquidem initium et origo erat fidei. Ut igitur optimus agricola in novellam arborem, quam non ita pridem terræ sinui commendavit, dum adhuc tenera est,

[1] Matth. VII, 22. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 23.

multam curam impendit, undique illam circumvallat, et lapidibus munit et spinis, ut ne a ventis evellatur, ne a pecoribus labefactetur, neve alio quodam incommodo lædatur : post quam autem radices egisse, et in sublime crevisse illam viderit, tum amovet munimenta : sufficit enim sibi ipsi arbor ad injurias tales repellendas; ita quoque in fide accidit. Quando nuper erat plantata, quando tenera erat, quando nuper in humanis animis fundata, omni ex parte multa in eam cura impendebatur : post quam autem coaluit, et radices egit, et in sublimitatem ascendit, post quam universum terrarum orbem complevit, munimenta removit Christus, et de cætero tutamina sustulit. Propterea initio quidem indignis dabantur dona; quoniam hoc auxilio fidei fovendæ causa indigebat antiquitas : nunc autem neque dignis conceduntur; fidei quippe robur et firmitas hoc subsidio non eget. Atque ut intelligas nequaquam illos imposuisse, sed vere miracula edidisse, atque indignis hominibus dona fuisse concessa; utque præter ea, quæ dicta sunt, quiddam etiam aliud perficeretur, Deique munus illi reveriti nequitiam abjicerent, Judam unum ex duodecim omnes fatentur signa fecisse, dæmones ejecisse, mortuos suscitasse, leprosos mundasse : et tamen excidit a regno cœlorum. Non illum salvum facere signa potuerunt, quia latro, fur, et proditor fuit Domini. Ac signa quidem sine optima conversatione, vitaque pura et exacta salvum facere minime posse demonstratum ex istis est : conversationem autem hoc signorum solatio destitutam, neque illo stipatam præsidio, sed quamvis sola compareat, posse cum fiducia in regnum cœlorum introire, Christo docente condisces : « Venite benedicti patris mei, possidete paratum » vobis regnum a constitutione mundi [1]. » Quam ob causam? quia mortuos suscitarunt? quia leprosos mundarunt? quia

[1] Matth. xxv, 34.

dæmones expulerunt? nequaquam : sed qua de causa? « Esu-» rientem me vidistis, inquit, et aluistis : sitientem, et dedis-» tis mihi potum : nudum, et cooperuistis me : hospitem, et » collegistis : » nusquam miracula, sed ubique conversatio. Ut igitur illic ubique miracula, et statim supplicium, quoniam conversatione destituta erant miracula : sic et hoc loco ubique conversatio, nec usquam miracula, et statim salus : propterea quod per se sola possessores suos salvos facere potest optima conversatio. Idcirco etiam beatus hic et generosus ac mirabilis Lucas ita librum inscripsit, « Acta » Apostolorum, » non miracula Apostolorum : tametsi fecerant et ipsi miracula. Verum illa quidem certo tempore facta sunt, et præterierunt : hæc autem quovis tempore ab illis exhiberi opus est, qui salutem sunt adepturi. Quando igitur non miracula, sed acta nobis æmulanda proponuntur Apostolorum, propterea librum sic inscripsit. Ut enim non diceres, vel potius ne dicerent desides, si quando illos ad imitationem Apostolorum cohortamur, ac dicimus : « Imitare Petrum, æmulare Paulum, similis esto Joanni, Jacobum sequere, » ne dicerent : « Non possumus, nec valemus : illi enim mortuos suscitabant, leprosos mundabant, » hanc impudentem nostram excusationem reprimens : « Tace, inquit, obmutesce, non miraculum, sed conversatio in regnum cœlorum introducit. » Imitare igitur conversationem Apostolorum, et nihil minus quam Apostoli obtinebis. Neque enim signa fecerunt Apostolos, sed vita munda. Atque hoc apostolicæ imaginis indicium esse, ac figuræ Discipulorum, audi quo pacto Christus hoc signo demonstret. Cum enim imagines Discipulorum effingeret, et quodnam apostolatus insigne sit declararet, ita dixit : « In hoc cognoscent omnes, quod Discipuli mei estis [1]. » In hoc, in quo? in miraculis faciendis, in mortuis susci-

[1] Joan. XIII, 35.

tandis? Nequaquam, inquit : sed in quo tandem? « In hoc » cognoscent omnes, quia Discipuli mei estis, si vos invicem » diligatis. » Atqui dilectio non miraculorum est, sed conversationis. « Plenitudo enim legis est dilectio [1]. » Vides Discipulorum indicium? vides imaginem apostolatus? vides formam? vides figuram? nihil amplius quære : quippe Dominus pronuntiavit charitatem Discipulos exprimere. Si ergo charitatem habeas, Apostolus es, et Apostolorum primus.

IV. Vis aliunde hoc discere? cum Christus Petrum alloqueretur: « Petre, diligis me plus his [2]? » ait. Nihil porro æque valet ad regnum cœlorum obtinendum, ac si constet nos ita Christum diligere, ut a nobis diligendus est. Atque ita designavit indicium : quodnam illud ergo est? et quid nos agere oportet, ut plus quam Apostoli diligamus? an mortui suscitandi? an alia quæpiam edenda miracula? Nullo modo : sed quid agendum est? ex ipso Christo, qui diligendus est, id audiamus. « Si enim amas me, inquit, plus his, pasce » oves meas [3]. » Ecce his quoque conversatio laudem meretur. Nam curam gerere, compati solere, subsidio esse, quæ sua sunt minime quærere, cætera omnia, quæ pastorem oportet habere, conversationis hæc sunt omnia, non miraculorum aut signorum. At illi, dicet aliquis, propter miracula tales evaserunt. Non propter miracula, sed propter conversationem, et ob eam maxime celebres et illustres fuerunt. Propterea dicebat illis : « Luceat lux vestra coram » hominibus, ut videant homines, non miracula, sed opera » vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis » est [4]. » Vides ubique conversationem, ac vitam virtute præditam collaudari? Vis ostendam tibi et Petrum ipsum, hunc principem Apostolorum, qui et eximiam conversationem præ se tulit, et miracula edidit quæ naturam huma-

[1] Rom. XIII, 10. — [2] Joan. XXI, 17. — [3] Ibid. — [4] Matth. V, 16.

nam excedebant, et utraque inter se comparata, et miraculum, et conversationem, atque illum potius ob vitæ conversationem quam ob signa fuisse honore cumulatum? hanc historiam audi : « Petrus et Joannes ascendebant in » templum ad horam orationis nonam [1]. » Ne oscitanter hanc narrationem prætereas, sed in proœmio statim insistas, et quanta charitas esset, discas, quanta concordia, quantusque consensus, et qua ratione cuncta isti sibi invicem communicabant, et amicitiæ secundum Deum vinculo colligati cuncta faciebant, et in mensa, et in oratione, et in incessu, et in reliquis omnibus juncti apparebant. Quod si illi, qui columnæ ac turres erant, qui multam apud Deum fiduciam habebant, mutuo indigebant auxilio, mutuoque subsidio corrigebantur, quanto magis nos imbecilles ac miseri, nulliusque pretii homines mutuo auxilio indigemus? « Frater » enim qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma: » et rursus [2]: « Ecce quid bonum, et quid pulchrum, nisi habitare fratres » in unum [3]? » Petrus et Joannes erant, et Jesum in medio habebant. « Ubi enim fuerint duo vel tres congregati, in- » quit, in nomine meo, ibi sum in medio eorum [4]. » Vides quantum sit in unum versari? neque vero quovis modo in unum erant : nam et nunc in unum sumus omnes : sed in unum esse oportet vinculo charitatis, et voluntatis affectu : et quemadmodum corpora nostra sibi propinqua nunc sunt invicem ac sese in unum constringunt, sic etiam oportet corda constringi. « Petrus et Joannes ascendebant in tem- » plum. » Scissum est velum, desolata sunt Sancta sanctorum, sublata est uni addicta loco adoratio. Clamat Paulus, ac dicit : « In omni loco puras manus levate [5] : » Cur igitur isti currunt ad templum, ut orent? rursus ad judaïcam infirmitatem devoluti sunt? absit. Sed imbecillioribus sese

[1] Act. III, 1. — [2] Prov. XVIII, 19. — [3] Psal. CXXXII, 1. — [4] Matth. XVIII, 20. — [5] 1 Tim. II, 8.

attemperant, illudque Pauli dictum implent, quod ait : « Factus sum Judæis tanquam Judæus [1]. » Imbecillibus se attemperant, ne illi maneant imbecilles. Alioquin autem illic quoque tota civitas congregabatur. Ut igitur optimi piscatores eos sinus in fluminibus sectantur, ubi pisces omnes conveniunt, ut facilius præda potiantur : ita nimirum et isti Apostoli spirituales piscatores, ad illud sinum festinabant, in quo tota civitas conveniebat, ut illic expanso Evangelii reti facile præda potirentur. Hoc autem cum agerent, magistrum imitabantur. Nam ait Christus : « Quotidie apud vos eram in templo [2]. » Quare in templo? ut qui in templo versabantur, caperet. Ita quoque ista tanquam oraturi quidem pergebant, sed doctrinam illic erant sparsuri. « In templum, » ut orarent « Circa horam orationis » nonam. » Neque ipsam horam sine causa observarunt. Sæpe namque de hac hora dixi vobis, in ipsa paradisum fuisse reseratum, et latronem ingressum : in ipsa sublatum est maledictum, in ipsa terrarum orbis victima est oblata : in ipsa dissipatæ sunt tenebræ, in ipsa lux affulsit cum sensibilis, tum spiritualis. « Circa horam nonam. » Quando cæteri post prandium et ebrietatem alto sopiti somno dormiunt, tum illi sobrii atque vigilantes, ac multo amore succensi, ad orationem properabant. Quod si oratione illi indigebant, oratione tam assidua, tam exacta, qui tantam fiduciam habebant, qui nullius sibi criminis erant conscii, quid nos faciemus, qui vulneribus scatemus innumeris, nec illis orationis remedium adhibemus? Ingens telum est oratio. Vis nosse quam ingens sit telum oratio? Curam pauperum omittebant Apostoli, ut plus illis otii ad vacandum orationi suppeteret. « Constituite namque, inquit, ex vobis » viros boni testimonii septem : nos vero orationi et minis» terio verbi instantes erimus [3]. »

[1] 1 Cor. IX, 20. — [2] Matth. XXVI, 55. — [3] Act. VI, 3.

V. Sed quod dicebam : non enim digrediendum est ab argumento sermonis, ut constet Petrum et actionem exhibuisse, et miraculum edidisse, et ob actionem potius esse laudatum; ascendit ergo in templum ut oraret : et ecce claudus ex utero matris suæ bajulabatur illic ad portam templi [1]. Ab ipso matris utero natura mutilata erat, et artem medicinæ vincebat ægritudo, ut Dei gratia magis appareret. Hic ergo claudus ad portam templi jacebat, et cum introeuntes illos vidisset, intendebat in eos, quærens eleemosynam ab ipsis accipere. Quid igitur Petrus? « Respice » in nos, inquit [2]. » Ex aspectu solo constare potest quam pauper sit : non verbis opus est, non demonstratione, nec responsione, nec doctrina. Vestitus ipse tibi pauperem indicat. Hoc ergo totum opus et recte factum est apostolatus, ut hæc ad pauperem dicas, ut remedium non tantum adhibeas egestati, ut dicas : « Majores divitias videbis. « Argen- » tum, inquit, et aurum non habeo : quod autem habeo, hoc » tibi do; in nomine Jesu Christi surge, et ambula [3]. » Vides egestatem et divitias? egestatem quidem pecuniarum, sed divitias charismatum ac donorum. Non sustulit egestatem pecuniarum, sed egestatem naturæ correxit. Vide modestiam Petri : « Respice in nos. » Non contumeliis affecit, non conviciis lacessivit ut fieri a nobis sæpenumero solet in eos, qui nobis supplices occurrunt, dum crimen illis objicimus, quod sint otio dediti. Num enim hoc tibi mandatum est, mi homo? non tibi imperavit, ut desidiam illi objiceres, sed ut ipsius egestati remedium adhiberes. Non te improbitatis accusatorem creavit, sed medicum calamitatis constituit : non ut segnitiem exprobrares, sed ut jacentibus manum porrigeres : non ut mores vituperares, sed ut famem sedares. At nos contrarium facimus, non dignamur ad nos accedentes pecuniæ largitione solari, sed et illorum

[1] Act. III, 2. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 6.

vulnera criminum insuper exprobratione vellicamus. Quinetiam apud pauperem se excusat, ac modeste illum alloquitur. « Inclina enim, inquit, pauperi sine tristitia aurem » tuam, et responde illi pacifica in mansuetudine [1]. Argen- » tum et aurum non habeo : quod autem habeo, hoc tibi » do : in nomine Jesu Christi surge, et ambula. » Duo sunt hoc loco, conversatio, et miraculum : conversatio : « Ar- » gentum et aurum non est mihi. » Conversationis enim et actionis est terrenas res despicere, facultates suas abjicere, præsentem spernere vanitatem : miraculum vero est claudum excitare, ac membra mutilata sanare. Ecce tibi ergo conversationem et miraculum. Videamus autem unde Petrus glorietur. Quid dixit? an se miracula edidisse? tametsi fuerant tum edita ab ipso miracula : sed hoc non dixit; quid ergo? « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus » te [2]. » Vides conversationem et miraculum, et conversationi palmam tribui? Quid ergo Christus? commendavit eum, laudavit. « Dico enim vobis, inquit, quod vos qui reli- » quistis domos [3], » et quæ sequuntur. Non dixit : « Qui mortuos suscitastis, sed vos qui reliquistis bona vestra, sedebitis super sedes duodecim : et omnis, qui reliquerit omnia bona sua, honorem istum consequetur. » Non potes claudum erigere, sicut Petrus? at potes dicere, ut ille; « Ar- » gentum et aurum non est mihi. » Quod si hoc dixeris, factus es propinquus Petro : imovero non si dixeris, sed si feceris. Non potes aridam manum sanare? sed potes manum tuam, quam inhumanitas aridam reddidit, per humanitatem extendere. « Non sit enim, inquit, porrecta manus » tua ad accipiendum, et ad dandum collecta [4]. » Vides non ariditatem, sed inhumanitatem quoque manum contrahere? Extende igitur illam per humanitatem et eleemosynam.

[1] Eccli. IV, 8. — [2] Matth. XIX, 27. — [3] Ibid. 29. — [4] Eccli. IV, 36.

Non potes dæmonem ejicere? sed peccatum ejice, majoremque mercedem accipies. Vides quo pacto conversatio et bona opera majorem quam miracula mercedem, et majus præmium merentur? ac si velis, aliunde quoque id ostendemus. « Accesserunt ad eum, inquit, septuaginta » Discipuli, et gaudebant, dicebantque : Domine, in no» mine tuo etiam dæmonia obediunt nobis. Et ait illis : » Nolite gaudere, quia dæmonia vobis obediunt, sed gau» dete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis[1]. » Vides ubique conversationem laudari?

VI. Age ergo retractemus quæ a nobis ante sunt dicta. « In hoc cognoscent omnes, quia Discipuli mei estis, si vos » invicem dilexeritis[2]. » Ecce non ex miraculis, sed ex conversatione dignosci Discipulos demonstratum est. « Petre, » diligis me plus his? pasce oves meas[3]. » Ecce alterum indicium, et hoc rursus a conversatione sumptum. Tertium rursus indicium : « Nolite gaudere, quia dæmonia vobis » obediunt, sed gaudete, quia nomina vestra scripta sunt » in cœlis. » Et hoc rursus conversationis est recte factum. Vis etiam quartam hujus rei demonstrationem cognoscere? « Luceat, inquit, lux vestra coram hominibus, ut videant » opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in » cœlis est[4]. » Ecce hic quoque opera occurrunt. Et cum rursus ait : « Quisquis reliquerit domum vel fratres, vel so» rores propter me, centuplum accipiet, et vitam æternam » possidebit[5], » conversationem laudat, et vitam exactam. Vides Discipulos ex eo fuisse designatos, quod mutuo se diligerent, eum vero qui Christum supra Apostolos diligebat ex eo innotuisse, quod fratres pasceret : eos porro, qui gaudere debuerunt, non ex eo quod ejicerent dæmones, sed ex eo quod eorum nomina scripta in cœlis essent gau-

Luc. x, 17-20. — [2] Joan. xiii, 35. — [3] Id. xxi, 17. — [4] Matth. v, 15. — [5] Id. xix, 29.

dere jussos esse, atque illos qui Deum glorificarent, ab operum splendore fuisse designatos; eos vero, qui vitam assequerentur, et centuplum acciperent, idcirco ejusmodi munere donari, quod præsentia cuncta contempserint. Hos omnes imitare, et Discipulus esse poteris, atque inter amicos Dei numerari, Deum glorificare, ac vita æterna potiri : nec impedimento ullo tibi esse poterit, quominus bona assequaris omnia, quod signa non facias, si conversationem mundam et exactam præ te feras. Nam et ipse Petrus hoc nomen non propter miracula vel signa recepit, sed propter zelum, amoremque sincerum. Neque enim quia mortuos suscitarat, aut quia claudum erexerat, sic appellatus est : sed quia fidem cum confessione sinceram exhibuerat, hoc nomen obtinuit. « Tu es Petrus, et super » hanc petram ædificabo Ecclesiam meam [1]. » Quam ob causam? Non quia fecit miracula, sed quia dixit : « Tu es » Christus Filius Dei vivi [2]. » Vides ipsam etiam Petri appellationem non a miraculis, sed ab ardenti zelo initium duxisse? Verum quando Petri fidei mentionem, subiit animum meum alterius Petri recordatio, communis patris et doctoris, qui cum illi in virtute successisset, etiam illius cathedram est adeptus. Hæc enim est una etiam nostræ civitatis prærogativa dignitatis, quod principem Apostolorum ab initio doctorem acceperit. Æquum enim erat, ut ea, quæ nomine Christianorum ante universum orbem terrarum ornata fuit, primum Apostolorum pastorem acciperet. Sed cum eum doctorem accepissemus, non in perpetuum retinuimus, sed regiæ civitati Romæ illum concessimus : imovero in perpetuum ipsum retinuimus. Nam corpus quidem Petri non retinemus, sed Petri fidem tanquam Petrum retinemus : porro dum Petri fidem retinemus, ipsum Petrum habemus. Ita cum imitatorem illius

[1] Matth. xvi, 18. — [2] Ibid. 16.

cernamus, ipsum cernere videmur : siquidem Joannem Christus Heliam appellavit, non quod Helias esset Joannes, sed quod in spiritu Heliæ ac virtute venisset. Sicut igitur Joannes, quoniam in spiritu Heliæ ac virtute venerat, Helias dicebatur : ita hic quoque, quoniam in confessione ac fide Petri advenit, merito illius etiam appellatione donabitur. Nam conversationis cognatio, nominum etiam communionem parit. Oremus autem omnes, ut ad senectutem etiam Petri perveniat : siquidem Apostolus jam senex vitam finivit. « Cum enim senueris, inquit, tunc cingent te, »et ducent quo tu non vis [1]. » Precemur autem et huic longam vitæ conversationem : si enim producatur ejus senectus, efficiet, ut magis vegeta sit et vivida spiritualis juventus nostra : quam utinam ætate florentem ac vividam nos perpetuo conservare contingat cum illius precibus, et hujus Petri, tum gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium una cum Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

Quod utilis sit lectio sacrarum Scripturarum, et quod servitute et incommodis omnibus inexpugnabilem reddat eum, qui fuerit eis intentus : et quod Apostolorum nomen multarum dignitatum sit nomen, et quod externis magistratibus, ipsisque adeo regibus multo majorem habeant potestatem et auctoritatem Apostoli : et in fine, ad nuper baptizatos.

1. Cum egestatem mentis meæ considero, torpeo et refugio, ad habendum coram tanto populo sermonem invita-

[1] Joan. XXI, 18.

tus : cum autem animi vestri alacritatem respicio, sic ut nullum vos capiat unquam audiendi fastidium, fiduciam resumo et excitor, ac prompto animo ad doctrinæ stadium me accingo. Possetis enim vos, si vel in animam incurrissetis lapideam, hac vestra audiendi cupiditate ac studio penna quavis leviorem illam reddere. Et quemadmodum quæ in latibulis animalia delitescunt ac media hyeme se intra rupes abscondunt, ubi æstatem viderint apparere, latibula deserunt, et cum reliquis animantibus congregantur ac simul nobiscum exultant : sic et animus noster, qui tanquam in latibulum quoddam imbecillitatis conscientiæ se abdebat, cum vestræ charitatis desiderium intuetur, latibulum deserit, et vobiscum congregatur, et in hoc spirituali divinoque prato, in paradiso Scripturæ præclaris Scripturarum saltibus simul vobiscum exultat. Est enim spirituale pratum, ac diliciarum paradisus sacrarum lectio Scripturarum, et paradisus deliciarum multo illo melior paradiso. Hunc paradisum non in terra, sed in fidelium animabus plantavit Deus : hunc paradisum non in Edem, nec ad Orientem uno circumscriptum loco posuit, sed ubique terrarum expandit, et in fines orbis terrarum extendit. Atque ut intelligas in universum orbem terrarum expansas esse Scripturas, audi Prophetam dicentem : « In omnem terram » exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum [1]. » Sive ad Indos te conferas, quos oriens primos sol respicit ; sive ad Oceanum te conferas, sive ad Britannicas illas insulas, sive in Euxinum Pontum naviges ; sive ad Australes partes abeas, omnes ubique audies de iis quæ in Scriptura sunt philosophantes, alia quidem voce, sed non alia fide ; ac lingua quidem diversa, sed mente consona. Nam linguæ quidem sono differunt, religionis autem modo non differunt : et lingua quidem barbare loquuntur, sed animi sensu

[1] Psal. xviii, 5, et Rom. x, 18.

philosophantur : solœcismos faciunt sono, sed pietatem moribus colunt. Vides amplitudinem paradisi ad fines orbis terrarum extensi? Hic serpens non est, locus est a feris immunis, ac Spiritus sancti gratia munitur. Habet et fontem hic paradisus, quemadmodum ille, fontem ex quo innumera nascuntur flumina, non quatuor tantum. Non enim Tigrim, nec Euphratem, nec Ægyptium Nilum, nec Indum Gangem, sed innumeros fons iste fluvios effundit. Quis hoc dicit? Deus ipse, qui fluvios nobis istos largitus est : « Qui enim credit in me, inquit, sicut dixit Scriptura, » flumina de ventre ejus fluent aquæ [1]. » Vides ut non quatuor flumina, sed infinita ab illo fonte profluant? Neque vero multitudine tantum, sed etiam natura fons est mirabilis. Neque enim aquæ fluenta sunt, sed spiritus dona. Fons iste in singulas fidelium mentes dividitur, et non minuitur : dividitur, et non consumitur : dispertitur, et minor non fit : apud omnes integer, et in singulis integer. Talia namque sunt Spiritus dona. Vis tu fluentorum istorum ubertatem cognoscere? vis aquarum naturam cognoscere? quo pacto his non similes, sed his meliores sunt et mirabiliores? audi rursus Christum ipsum Samaritanæ dicentem, ut ubertatem fontis agnoscas : « Aqua, quam ego dabo, inquit, » fideli, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam [2]. » Non dixit; « Exeuntis, » non dixit, « Effusæ, » sed, « Salien- » tis, » per saltus abundantiam nobis exprimens. Illæ fontanæ solent aquæ prosilire, atque undique erumpere, quas continere sinu fontes nequeunt, sed fluctus frequentia victi undique illas scaturientes effundunt. Cum igitur laticum copiam vellet indicare, salientis dixit, non exeuntis. Vis etiam naturam ejus cognoscere? ex usu cognosce. Non enim ad vitam præsentem, sed ad vitam æternam est utilis. In hoc igitur paradiso versemur : assideamus fonti, ne nobis accidat id

[1] Joan. VII, 39. — [2] Id. IV, 14.

quod Adamo accidit, et paradiso excidamus : ne perniciosum consilium admittamus, ne diaboli fraudem suscipiamus : maneamus intus : quippe multa inde securitas : in lectione Scripturæ istius permaneamus. Ut enim ii, qui fonti assident, et aura illa fruuntur, et æstu ingruente faciem frequenter immergunt laticibus, æstivum calorem depellunt, et sitis, qua vexantur, malo medentur, dum illis de propinquo fonte remedium suppetit : sic qui sacrarum fonti Scripturarum assidet, licet nefariæ libidinis cruciari se sentiat, cum animam laticibus illis perfuderit, facile flammam repellit : sive fervida infestet iracundia, quæ tanquam succensum lebetem cor inflammat, si modicum aquæ instillet, confestim iræ importunitatem compescet : et ex omnibus pravis cogitationibus animam tanquam ex media flamma eripiet sacrarum lectio Scripturarum.

II. Quam ob causam etiam magnus ille propheta David, cum probe sciret, quanta ex lectione Scripturæ manet utilitas eum, qui Scripturis perpetuo sit intentus, et earum colloquio fruatur, cum planta comparat quæ semper floreat, juxta rivos aquarum sita, dum ita loquitur : « Beatus vir, qui » non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non » stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit : sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte : » et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decur» sus aquarum [1]. » Ut enim lignum illud secus aquarum decursus plantatum, et juxta rivos situm, dum perenni aquarum copia irrigatur, nulla intemperie aëris lædi potest, et neque solis radios acrius incalescentes reformidat, neque graviori æstu sævientem aërem pertimescit ; cum enim inclusum in se sufficientem humorem habeat, omnem radii solaris exterius ingruentem ardorem statim depellit ac discutit : sic etiam anima, quæ juxta sacrarum rivos Scriptu-

[1] Psal. 1, 1-3.

rarum sedet, ac perpetuo rigatur, dum latices illos, roremque Spiritus in semetipsa colligit, omnibus rerum humanarum incommodis resistet invicta ; sive morbus, sive contumelia, sive calumnia, sive vituperia, sive scommata, sive pigritia quævis, sive cuncta mundi mala in ejusmodi animam impetum faciant, facile perturbationum incendium propulsabit, cum sufficienti lectionis Scripturæ solatio roboretur. Nam neque gloriæ magnitudo, neque potentiæ majestas, nec amicorum præsentia, nec aliud quidquam ex rebus humanis animum adeo tristitia confectum solari poterit, ac sacrarum lectio Scripturarum. Quid ita ? quod illa quidem caduca sint, et interitui obnoxia, quam ob causam et obnoxium interitui est ipsorum solatium : at lectio Scripturæ colloquium est cum Deo. Quando igitur eum, qui tristitia sit affectus, consolatur Deus, quid ex rebus creatis ipsum in mœrorem potest conjicere ? Lectioni ergo simus intenti, non duas tantum has horas ; non enim ad securitatem sufficit hæc auditio nuda ; sed perpetuo : quisque domum reversus libros sacros in manus sumat, et eorum quæ dicta sunt sensus percurrat, siquidem perpetuam et sufficientem utilitatem percipere cupiat ex Scriptura. Nam et lignum illud juxta rivos situm non ad duas et tres horas cum aquis versatur, sed omni die omnique nocte. Propterea foliis vernat, propterea fructu gravatur lignum illud, licet nullus ex hominibus illud irriget : quoniam juxta rivos est consitum, radicibus humorem attrahit, et quasi per meatus quosdam in totum corpus utilitatem transfundit : sic et is qui Scripturas sacras assidue legit, et juxta rivos illarum residet, licet neminem habeat, qui interpretetur, frequenti lectione quasi radicibus quibusdam utilitatem haurit. Idcirco nos, quibus sollicitudines vestræ sunt notæ, occupationes, ac negotia multa, sensim ac paulatim vos ad Scripturæ sensa deducimus, ac lentitudine ex-

positionis efficimus, ut eorum, quæ dicta sunt, memoria tenacius adhærescat. Nam et imber si vehemens irrumpat, superficiem terræ inundat, et profundo nihil prodest : sin autem sensim et pedetentim in morem olei in terræ faciem se insinuet, quasi per venas quasdam per meatus ejus ad profundum delabitur, ejusque viscera humore complens ad fruges ubertim pariendas fœcundissimam illam reddit. Propterea nos quoque spiritualem hunc imbrem animabus vestris paulatim immittimus : siquidem Scripturæ spiritualibus sunt nubibus similes, at voces et sensus imbri similes sunt longe isto præstantiori : atque idcirco spiritualem hunc imbrem sensim vobis infundimus, ut ad fundum ipsum verba permeent. Eo fit, ut cum ad quartum jam diem expositionem produxerimus, necdum tamen unam inscriptionem potuerimus præterire, sed adhuc circa illam versemur. Satius enim est, ut exiguo perfosso agro, cum ad fundum descenderimus, multum illic rerum necessariarum thesaurum offendamus, quam si cum arva multa superficie tenus percurrerimus, frustra, temere, et incassum nos affligamus. At scio equidem multos hanc tarditatem ægre ferre, sed illorum ego reprehensionem nihil curo, sola mihi vestra curæ est utilitas. Qui celerius possunt incedere, tardiores fratres expectent. Nam isti quidem expectare illos possunt, at infirmiores illos assequi minime possunt. Idcirco etiam Paulus non debere nos ait imbecilliores ante tempus urgere [1], cum ad robustorum perfectionem se ipsos minime possint extendere : sed debere nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere. Nos de vestra sumus utilitate solliciti, non ut nos temere ostentemus : atque idcirco sensibus immoramur.

III. Itaque primo die non esse temere prætereundas inscriptiones dicebam, quo tempore titulum vobis altaris legi, ac Pauli sapientiam ostendi, qui militem alienum, quique in

[1] 1 Cor. VIII, 7.

adversariorum acie stabat, ad cohortes suas transtulit. In hoc desiit priori die tota doctrina : post illam secundo die, qui libri esset illius auctor, quæsivimus, et invenimus Dei gratia Lucam evangelistam, multisque vobis demonstrationibus rem in quæstione positam probavimus, quarum aliæ clariores, abstrusiores aliæ fuerunt. Scio namque multos ex auditoribus ea, quæ postremo loco dicta sunt, assecutos non esse : nec tamen idcirco subtiliores sensus confidenter persequi desistemus. Itaque ea, quæ clariora sunt, simplicioribus ; profundiora vero proderunt his, qui acutius intuentur. Variam quippe mensam esse oportet ac differentem, quandoquidem et differens est eorum, qui invitati sunt, appetitus. Primo igitur die de inscriptione, secunda vero die de eo, qui librum scripsit, tertia die heri disseruimus apud eos, qui advenerant, de initio Scripturæ, et ostendimus, sicut illi norunt qui audierunt, quid sit actum, quid sit miraculum, et quid sit conversatio, quid signum et prodigium ac virtus, et quantum inter utraque sit discrimen : qua ratione alterum majus sit, utilius alterum, et qua ratione alterum solum per se regnum acquirit, alterum nisi operum subsidium assumat, extra vestibulum illud ejicitur. Hodie reliquum inscriptionis operæ pretium est dicamus, et quid significet Apostoli nomen ostendamus. Neque enim nudum est nomen hoc, sed magistratus est appellatio, maximi magistratus, magistratus maxime spiritualis, magistratus cœlestis. Sed attendite diligenter : nam quemadmodum in rebus sæcularibus magistratus sunt multi, non tamen ejusdem omnes dignitatis, sed alii majores, alii minores : exempli causa, ut ab inferiori enumerationem ordiamur, est defensor civitatis, est illo sublimior gentis præses; est alius post illum magistratus major : est rursus magister militum : est præfectus; est sublimior istis magistratus dignitas consulum, et omnes quidem hi sunt magistratus, sed non ejusdem omnes dignitatis; ita multi sunt

spirituales magistratus non æquales dignitate : porro major omnibus est dignitas apostolatus. A sensibilibus enim rebus ad spiritualia quasi manu ducendi estis. Ita fecit et Christus, de Spiritu disserens aquæ meminit. « Qui enim bibit ex aqua » hac, sitiet iterum, inquit ; qui autem biberit ex aqua, quam » ego dabo ei, non sitiet in æternum [1]. » Vides eum a sensilibus ad spiritualia mulierculam illam deducere ? sic nos etiam agimus, et ab inferioribus ad superiora conscendimus, ut magis perspicua fiat oratio. Propterea cum de magistratu loqueremur, non spiritualis tantum mentionem fecimus, sed sensibilis magistratus, ut ab hoc vos ad illum manu duceremus. Audistis quot sæculares magistratus enumeravimus, et quo pacto alii quidem majores, alii vero sint minores, et quo pacto consulum magistratus quasi culmen et caput præ reliquis cunctis emineat : videamus spirituales etiam magistratus. Spiritualis est magistratus, prophetiæ magistratus : est alter Evangelistæ, est Pastoris, est doctoris, est donorum, est curationum, est interpretationis linguarum. Hæc omnia nomina quidem sunt donorum, res autem magistratuum ac potestatum. Propheta magistratus est : apud nos is, qui dæmones ejicit, magistratus est : apud nos pastor et doctor spiritualis est magistratus : verum his omnibus major est apostolicus magistratus. Unde vero id constat ? quod omnes istos præcedat Apostolus. Et quemadmodum inter sensibiles magistratus consul, sic inter spirituales Apostolus honoris gaudet prærogativa. Audiamus ipsum Paulum enumerantem dignitates, et in sublimiori loco apostolicam collocantem. Quid igitur ait ille ? « Quos- » dam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, » secundo Prophetas, tertio doctores, et pastores, exinde gra- » tias curationum [2]. » Vides fastigium dignitatum ? vides Apostolum sublimem sedere, nec ullum ipsum præcedere, aut sublimiorem illo esse ? primum enim Apostolos dicit, secundo

[1] Joan. IV, 14. — [2] 1 Cor. XII, 28.

Prophetas, tertio doctores et pastores, deinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum. Neque vero tantum principatus est cæterarum dignitatum apostolatus, sed etiam radix ac fundamentum. Et quemadmodum caput in sublimiori loco situm non modo principatus est atque dominatus, sed etiam radix : siquidem nervi, qui corpus regunt, oriuntur ex illo, et ex ejus cerebro nati, ac spiritus largitione ditati, deinde totum animal moderantur; sic et apostolatus non modo tanquam principatus ac dominatus præ cæteris donis eminet, sed omnium quoque radices comprehensas apud se retinet. Ac Propheta quidem Apostolus esse non potest et Propheta : sed Apostolus est etiam omnino Propheta, et gratias habet curationum, et genera linguarum, et interpretationes linguarum : propterea principatus et radix est gratiarum.

IV. Porro ut hæc ita se habere constet, testem vobis adduco Paulum. Prius tamen dicere convenit, quid illud tandem sit genera linguarum. Quid igitur est genera linguarum? Olim is, qui baptizatus fuerat, et crediderat, statim ad spiritus manifestationem diversis linguis loquebatur. Nam quoniam adhuc imbecilliores erant homines illius ævi, et spiritualia dona non poterant oculis carneis contueri, sensibile donum dabatur, ut innotesceret spirituale, quique baptizatus fuerat, statim lingua nostra et persica, et indica et scythica loquebatur; sic ut eum Spiritu sancto donatum esse intelligerent infideles. Ac signum quidem sensibus subjectum erat, talis, inquam, vox : siquidem corporis sensu illam audiebant : spiritualem autem, et quæ minime cernebatur, Spiritus gratiam subjectum sensibus signum istud omnibus manifestam reddebat. Et hoc signum genera linguarum appellabatur. Qui enim unicam a natura linguam habebat, beneficio gratiæ variis ac differentibus linguis loquebatur : ac videre erat hominem numero quidem unum, varium autem donis, ac diversa

possidentem ora, linguasque diversas. Videamus itaque quo pacto Apostolus hoc quoque donum haberet, et alia omnia. De hoc quidem ita loquitur : « Magis quam vos omnes lin- » guis loquor [1]. » Vides ut genera linguarum habeat, nec solum habeat, sed majori cum ubertate quam cæteri omnes fideles? Non enim dixit modo : « Linguis loqui possum, sed magis quam omnes vos linguis loquor. » Prophetiam autem qua præditus erat, illis verbis indicabat, cum diceret : « Spiritus autem manifeste dicit, quod in novissimis » temporibus instabunt tempora periculosa [2] : » porro quæ novissimis temporibus evenient dicere, prophetiam esse nemo ignorat. Et rursus, « Hoc scitote, quod in novissi- » mis temporibus instabunt tempora periculosa [3] : » et rursus, « Dico enim vobis in verbo Domini, quoniam in ad- » ventu ejus nos qui vivimus, qui residui sumus, non » præveniemus eos, qui dormierunt [4]. » Hoc quoque prophetia est. Vides illum et genera linguarum et prophetias habuisse? Vis etiam discere, quo pacto gratias curationum habuerit? Sed hoc fortasse verborum demonstrationem non indiget, cum non Apostolos tantum, sed ipsorum etiam vestes gratiis curationum præditas fuisse videamus. Doctorem autem gentium se fuisse multis in locis testatur, ac se toti terrarum orbi subvenisse, et Ecclesias gubernasse. Cum igitur audieris, primum Apostolos, deinde Prophetas, tertio pastores ac doctores, gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, disce reliquarum gratiarum copiam omnem tanquam in capite in apostolatu residere. Numquid nudum esse nomen Apostolorum antea censebatis? ecce, quanta profunditas sensuum hoc ex nomine comprehensa, novistis. Hæc autem a nobis dicta sunt, non ut nostram virtutem ostentaremus :

[1] 1 Cor. XIV, 18. — [2] 2 Tim. III, 2. — [3] 1 Thess. IV, 25. — [4] Ibid. 14.

neque enim nostra sunt, quæ dicuntur, sed gratiæ Spiritus quæ negligentiorum segnitiem excitat, ut nihil temere prætermittat. Merito igitur spiritualem consulatum appellavimus apostolatum. Sunt enim a Deo designati magistratus Apostoli; magistratus, quibus non gentes urbesque variæ tribuuntur, sed quorum omnium fidei simul totus orbis terrarum committitur. Porro magistratus illos esse spirituales demonstrare conabor, ut ex demonstratione intelligatis tanto meliores sæcularibus magistratibus esse Apostolos, quanto ipsi magistratus sæculares ludentibus pueris antecellunt. Multo quippe magistratus iste præstantior est illo, magisque vitam nostram continet, eoque sublato, omnia pessumdantur et pereunt. Quodnam igitur est magistratus insigne, et quænam sunt, quæ habere debet hic magistratus? potestatem in carcerem, sic ut alios vincire compedibus, alios solvere, alios educere, alios possit conjicere : rursus pecuniarum debita dimittere, atque alios qui obnoxii erant absolvere, aliis ut restituant imperare ex ipsius pendet arbitrio : ad mortem rursus abducere, atque a morte revocare : vel potius hoc magistratus non est, sed imperatoris solius : vel potius ne imperatoris quidem est integrum donum. Neque enim revocat a morte defunctum, sed eum tantum, qui abducitur, ac sententiam quidem potest rescindere, sed non potest a morte revocare; atque illud quidem habet quod deterius est, eo vero destitutus est, quod est præstantius. Rursus magistratum ex cingulo æstimamus, ex voce præconis, ex satellitibus, ex curru, ex gladio. Hæc enim omnia magistratus sunt insignia. Videamus igitur num Apostolorum etiam magistratus hæc habeat insignia : habet ille quidem, sed non talia, verum multo præstantiora. Atque ut intelligas hæc quidem rerum esse nomina, illa vero rerum veritatem: ut quod sit discrimen intelligas inter pueros, qui ma-

gistratus ludunt, et eos qui magistratus gerunt, ac, si placet, a carcere initium enumerationis ducemus. Diximus enim in potestate situm esse magistratus, ut vinciat et solvat : vide rursus hoc imperium esse penes Apostolos. « Quoscumque enim ligaveritis super terram, inquit, erunt » ligati in cœlis : et quoscumque solveritis super terram, » erunt soluti in cœlis [1]. » Vides carceris, et carceris potestatem, et nomen quidem idem : rem autem minime eamdem. Vincula et vincula ; sed alia in terra, in cœlo alia. Cœlum quippe carcer illis est. Cognosce igitur amplitudinem magistratus. In terris sedentes sententiam ferunt, et ad cœlos usque penetrat virtus sententiæ. Et quemadmodum imperatores in una quidem civitate residentes sententiam ferunt, ac leges sanciunt, ac sententiarum legumque vis universum orbem terrarum permeat : sic etiam tum temporis Apostoli quidem uno in loco residentes hæc sanciebant : porro legum virtus et vinculorum istorum non solum orbem terrarum pervadebat, sed ad ipsum cœlorum fastigium ascendebat. Vides carcerem et carcerem, alterum in terris, alterum in cœlis, alterum corporum, alterum animarum : imovero et animarum, et corporum : neque enim corpora tantum, sed etiam animas vinciebant.

V. Vis intellegere, quo pacto in potestate illorum esset et debita dimittere? siquidem hic quoque multum discriminis offendes. Neque enim pecuniarum debita, sed peccatorum debita remittebant. « Quorum enim, inquit, remise- » ritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, » retenta sunt [2]. » Quid post hæc opus est ostendere eos ad mortem transmisisse, ac rursus a morte revocasse : non post sententiam tantum latam, et jam abductos ad supplicium liberantes, sed reipsa defunctos et jam extinctos a

[1] Matth. xviii, 18. — [2] Joan. xx, 23.

mortuis excitantes? Ubi ergo condemnarunt? ubi a morte vindicarunt? Ananias et Sapphira sacrilegii convicti jam fuerant : tametsi enim suas pecunias furati erant, fuit tamen crimen sacrilegii : quandoquidem post promissionem jam non erant illorum pecuniæ : quid igitur Apostolus? audi qua ratione tanquam in judicio considens sacrilegum ad judicium sistat, et interrogationem tanquam judex adhibeat, ac sententiam deinde pronuntiet. Neque enim ante quam sciscitetur, fert sententiam : quanquam enim manifestum erat delictum, tamen ut nobis qui foris astamus persuaderet justam a se ferri sententiam, propterea interrogationem adhibet his verbis utens : « Cur implevit Sa» tanas cor tuum, ut mentireris Spiritui sancto, et fraudares » de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, et venum» datum in tua erat potestate? non es mentitus hominibus, » sed Deo [1]. » Quid igitur audiens ille sermones istos? cecidit et expiravit. Vides ut gladium etiam habeant Apostoli? Cum dicentem Paulum audiveris : « In omnibus » gladium Spiritus, quod est verbum Dei [2], » recordare sententiæ istius, quod nusquam gladius sit, et solo verbo sacrilegus percussus ceciderit. Vidisti gladium exacutum ac nudatum? nusquam ferrum, nusquam capulus, nusquam manus : sed loco manus lingua, verba proferens loco gladii confestim illum occidit. Post hunc introivit uxor, et occasionem illi excusationis, ansam veniæ præbere voluit : propterea rursus interrogat, « Dic mihi, si tanti agrum ven» didistis [1]; » tametsi non tanti venditum sciebat : sed ut ipsam per interrogationem ad pœnitentiam invitaret, ac peccati se condemnaret, et illi veniam impertiret, idcirco eam interrogat : illa tamen in impudentia perseverabat, propterea in consortium supplicii mariti venit. Vides carceris potestatem? vides ut possint ad mortem mittere?

[1] Act. v, 3, 4. — [2] Ephes. vi, 16. — [3] Act. v, 8.

videamus id quod melius est, quo pacto rursus a morte revocent. Tabitha discipula mortua est, quæ multis eleemosynis celebris erat, et ad Apostolos statim curritur. Sciebant enim illos mortis ac vitæ potestatem habere : sciebant cœlestem principatum delapsum in terras. Quid ergo Petrus? « Tabitha surge [1], » inquit. Nullo alio illi opus fuit, non ministris, non famulis ; sed ad resurrectionem verba suffecerunt : vocem igitur audivit mors, et retinere mortuam non potuit. Vides quales sint judicum istorum voces? siquidem externorum judicum voces imbecillæ sunt : licet enim imperet ex illis quispiam, si famulus non obtemperet, res imperata interrumpitur; hic autem non est opus famulis, tantum dixit, et continuo factum est. Vides eorum carcerem, quod magistratus est insigne : vides quo pacto peccata dimittant, quo pacto mortem discutiant, quo pacto in vitam revocent. Vis cingulum etiam illorum cognoscere? siquidem cinctos illos misit Christus non corio, sed veritate, hoc cingulum sanctum et spirituale; propterea dicit : « Succincti lumbos vestros » in veritate. » Spiritualis enim est magistratus, quocirca nihil sensibile quærendum; « Omnis quippe gloria filiæ » Regis ab intus [2]. » Sed quid vis? num carnifices etiam videre? carnifices sunt, qui reos virgis cædunt, qui in ligno suspendunt, et latera deradunt, qui castigant, qui puniunt. Vis-ne igitur istos videre? Non homines habent, sed ipsum diabolum et dæmones : qui corpore sunt et carne circumdati, ministras habebant incorporeas virtutes. Audi sane quo pacto cum auctoritate Paulus illis imperaret: siquidem de eo, qui fornicatus erat, scribens dicebat : « Tradite hujusmodi » Satanæ in interitum carnis [3]. » Rursus cum alii blasphemarent, hoc ipsum fecit. « Tradidi enim illos, inquit, Satanæ, » ut discant non blasphemare [4]. » Quid restat ostendendum?

[1] Act. IX, 40. — [2] Psal. XLIV, 14. — [3] 1 Cor. V, 5. — [4] 1 Tim. I, 20.

num currus etiam illos habere? sed ne hæc quidem nobis demonstratio deerit : siquidem Philippum, post quam Eunuchum baptizavit, et sacris mysteriis initiavit, cum revertendum illi esset, rapuit ipsum Spiritus, et a deserto translatus Azoti repertus est [1]. Vides currum alatum? vides celerius vento vehiculum? Rursus in paradisum pergere Apostolum oportuit, tanta itineris longinquitate, tam immenso dissitum intervallo : tum ille subito raptus illuc nullo negotio et in brevi momento temporis transferebatur [2]. Tales igitur currus sunt; vox autem præconis est, et ipsa rursus magistratu digna. Non enim antecedebat illos homo vocem mittens, verum Spiritus gratia, et per miracula demonstratio quavis tuba clariorem vocem mittebat, atque ita viam illis ubique faciebat. Et quemadmodum in multa dignitate ac magnificentia constituti sunt magistratus, nec audent privati passim cum illis misceri : sic in Apostolis accidebat : « Cæterorum enim, inquit, nemo au» debat se conjungere illis : sed magnificabat eos popu» lus [3]. » Vides carceris potestatem, et remittendi debita facultatem, et gladios illos habuisse, cinguloque fuisse præcinctos, curru vectos, vocem præcedere quavis tuba clariorem, et in multa pompa illos fuisse ac splendore decoratos?

VI. Jam operæ-pretium fuerit, et omnes illorum res præclare gestas indicare, et quæ illorum in orbem terrarum extent beneficia. Nam et hoc magistratuum est, ut non honore tantum fruantur, sed et multam sollicitudinem et curam erga subditos præ se ferant. Sed jam plura dicta sunt, quam oportebat; quocirca ad alium differens ista tractatum, ad eorum cohortationem, qui nuper illuminati sunt, traducere sermonem conabor. Nemo autem consilium existimet intempestivum : jam enim dixi non modo

[1] Act. VIII, 40. — [2] 2 Cor. XII, 2. — [3] Act. V, 13.

post decem et viginti dies, sed et post decem et viginti annos posse nuper illuminatos vocari eos, qui mysteriis initiati sunt, si vigiles et sobrii fuerint. Qua igitur optima ad illos cohortatione utemur? si nimirum iis modum nativitatis in memoriam revocemus, et priorem, et posteriorem, naturalem ac spiritualem, et quodnam sit inter utramque nativitatem discrimen, ostendamus. Imovero necesse non est, ut ex nobis illi ista discant : ipse tonitrui Filius de his ipsos admonebit, dilectus Christi Joannes. Quid igitur ille dicit? « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis »potestatem filios Dei fieri [1] : » deinde priorem illis nativitatem in memoriam revocans, et ex comparatione sanctitatem ac dignitatem præsentis gratiæ declarans, sic ait : « Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, sed ex »Deo nati sunt [2]. » Uno verbo nobilitatem illorum expressit. O munda natalia! o spirituales partus! o nova puerperia! sine utero conceptio, sine ventre nativitas, sine carne partus, partus spiritualis, partus ex gratia et benignitate Dei, partus lætitiæ plenus et gaudii. At ille prior talis minime fuit, sed a lamentis initium duxit : siquidem ubi prodiit infans ex utero, et ex alvo dejectus est, primam cum lacrymis vocem mittit, prout dixit quispiam : « Pri»mam vocem similem omnibus æque plorans [3]. » Per lamenta siquidem ingressus in vitam, per lacrymas exordia, dum futuras molestias natura prænuntiat. Cur plorat infans cum exit in lucem? hac de causa. Ante peccatum quidem dicebat Deus : « Crescite, et multiplicamini [4], » quod erat benedictionis : illud autem, « In dolore paries »filios [5], » post peccatum dictum est, quod erat pœnæ. Neque vero lacrymæ in nativitate tantum, sed et fasciæ, et vincula : lacrymæ in nativitate, lacrymæ in morte :

[1] Joan. I, 12. — [2] Ibid. 13. — [3] Sap. VII, 3. — [4] Gen. I, 28. — [5] Id. III, 16.

fasciæ in nativitate, fasciæ in morte : ut intelligas vitam hanc in mortem desinere, et illo fine terminari. Sed talis non est hæc nativitas : nusquam lacrymæ et fasciæ, sed solutus est, qui nascitur, et ad certamen paratus : propterea sunt etiam liberi pedes, et manus, ut et currat et pugnet : nusquam lamenta, nusquam lacrymæ hic, sed salutationes et oscula, et amplexus fratrum qui suum membrum agnoscunt, et tanquam ex longinqua reversum peregrinatione recipiunt. Nam quoniam ante baptismum inimicus erat, post baptismum autem amicus est factus communis omnium nostrum Domini, propterea gratulamur omnes : idcirco etiam osculum pax vocatur; ut discamus a Deo finitum esse bellum, et nos in amicitiam ejus receptos esse. Hanc igitur perpetuo conservemus, hanc pacem foveamus, hanc amicitiam augeamus, ut æterna quoque tabernacula consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, honor, imperium, una cum sancto ac vivifico Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

Periculo non carere, si auditores ea taceant, quæ in Ecclesia dicuntur, et cujus rei gratia legantur Acta Apostolorum in Pentecoste, et cur se ipsum non omnibus Christus ostenderit, cum surrexisset a mortuis, eumque multo clariorem ipso conspectu demonstrationem exhibuisse resurrectionis per miracula, quæ sunt ab Apostolis edita.

I. Majorem debiti partem, quod ex occasione inscrip-

tionis Actorum Apostolorum contraximus, superioribus vobis diebus exolvimus : sed quoniam modicum adhuc reliquiarum quippiam restat, hoc quoque vobis hodierno die numeraturus exurgo. An vero diligenter ea, quæ dicta sunt, conservetis, et studiose memoria teneatis, vos scitis qui pecunias accepistis, et a quibus istarum pecuniarum rationem in illo die exiget Dominus, cum illi, quorum fidei talenta commissa sunt, vocabuntur, et rationem reddent : cum Christus adveniet, et a nummulariis hanc pecuniam exiget cum usuris. « Oportuit enim, inquit, te committere » pecuniam meam nummulariis, et veniens ego cum usura » exegissem illam[1]. » O magnam et ineffabilem Domini benignitatem ! Qui hominibus prohibet, usuras ne exigant, ipse exigit usuras. Quid ita? quoniam damnanda est usura illa et accusationi obnoxia; hæc autem laudabilis et commendatione digna. Itaque usura illa, pecuniarum, inquam, et eum qui accipit, et eum qui solvit, damno afficit : siquidemet ejus, qui accipit, animam perdit, et ejus, qui solvit, egestatem affligit. Quid enim crudelius fieri potest, quam cum ex proximi egestate quispiam quæstum facit, et in fratrum calamitatibus lucra sectatur? cum quis benignitatis larvam gestans, inhumanitatem omnem exercet, et qui porrigere manum debuerat, eum in barathrum propellit, qui subsidio indigebat? Quid facis, mi homo? non idcirco ad tuas appulit fores pauper, ut ipsius augeas paupertatem, sed ut ipsum liberes paupertate : at tu perinde agis, atque illi qui venena miscent : quandoquidem ipsi dum illa consuetis cibis admiscent, occultas ita parant insidias : isti quoque dum benignitatis specie perniciosam usuram occultant, damni sui sensum capere non sinunt eos, qui letiferum illud sunt venenum hausturi. Quamobrem id quod de peccato dictum est, opportune poterit et de illis qui

[1] Matth. xxv, 27.

fœnori dant, et mutuum accipiunt, efferri. Quid porro dictum est de peccato? « Ad tempus, inquit, mulcet fauces » tuas : postea vero amarius illud felle invenies, et magis » acutum, quam gladium ancipitem [1]. » Hoc igitur et in iis accidit, qui fœnore acoipiunt : siquidem cum pecunias accipit, qui eis indiget, exiguo quopiam solatio ad tempus fruitur : postea vero ubi fœnus accrevit, et majus viribus factum est onus, dulce illud quod fauces impinguaverat, felle amarius sentiet factum esse, atque acutius gladio ancipiti, statimque bonis omnibus paternis cedere cogetur.

II Verum enimvero a sensilibus ad ea, quæ spiritualia sunt orationem traducamus. « Oportuit, inquit, te commit- » tere pecuniam meam nummulariis [2], » illius pecuniæ nummularios vos appellans verborum istorum auditores. Quam vero ob causam nummularios vos Deus appellavit? ut omnes doceat ad examinanda ea, quæ dicuntur, idem studium conferre, quod illi adhibent, cum exploranda vel inferenda sunt numismata. Nam ut nummularii adulterinum et perperam signatum numisma repudiant, probum et integrum admittunt, et adulteratum a genuino distinguunt : ita fac tu quoque, neque sermonem quemvis admitte, sed adulterinum quidem, corruptumque abs te rejice, integrum autem et salutarem in tuam mentem admitte. Sunt enim, sunt etiam tibi stateræ ac trutinæ, non ex ære ferroque conflatæ, sed ex morum castimonia et fide compositæ, atque his omnem sermonem examina. Propterea namque dixit : « Estote probi trapezitæ, » non ut in foro stantes pecunias numeretis, sed ut omni adhibito studio sermones examinetis : propterea Paulus quoque dixit Apostolus : « Omnia probate, quod autem bonum est, tenete solum [3]. » Neque vero propter explorationem tantum trapezitas appellavit, sed et propter eorum, quæ commissa sunt, distri-

[1] Prov. v, 3. — [2] Matth. xxv, 27. — [3] 1 Thess. v, 21.

butionem. Nam et trapezitæ si pecunias acceptas tantum domi recludant, neque in alios illas distribuant, totus illis quæstus peribit; atque idem accidit auditoribus. Si enim acceptam doctrinam apud te concludas, nec in alios diffundas, tota tibi in nihilum recidet negotiatio. Propterea in illis quotidie videmus officinis homines ultro citroque commeare. Hoc igitur et in doctrina servetur: siquidem apud nummularios illos, alios videmus pecunias committere, alios accipere statim, et abire, idque toto die fieri quivis potest cernere. Hinc fit, ut quamvis propriæ minime sint illis pecuniæ, quia tamen ad ea, quæ necessaria sunt, illis utuntur, multum ex alienis lucrum colligatur. Ita fac tu quoque: non sunt tua hæc eloquia, sed Spiritus sancti: si tamen illis probe uti noveris, multum tibi spirituale lucrum congeres: idcirco et Deus vos nummularios appellavit. Cur autem sermonem pecuniam appellavit? Quod nimirum quemadmodum pecunia perfecta regis effigie insignita est: nisi enim eam expressam habeat, proba pecunia non est, sed dicitur adulterina; sic et doctrinam fidei figuram ac notam sermonis oportet perfectam habere. Rursus pecuniarum usus vitam omnem nostram continet, et contractuum omnium occasionem præbet, et seu sit emendum quidpiam, seu vendendum, per has cuncta peragimus. Hoc idem fit in doctrina, siquidem spiritualium occasio contractuum et radix est spiritualis hæc pecunia: quo fit, ut si quid a Deo coëmere voluerimus, numerato prius precum sermone, tum demum illud accipiamus, quod postulamus. Quod si negligentem fratrem videamus, atque pereuntem, si tanquam pecuniam doctrinæ sermonem numeraverimus, salutem ipsius lucrabimur, et vitam ememus. Quam ob causam omni ope conatuque curandum est, ut omnia conservemus, ac memoria teneamus, ut in alios illa distribuamus, siquidem a nobis quoque usuræ pecuniarum

istarum exiguntur. Attendamus igitur, dum eas recepimus, ut et in alios distribuere pecunias possimus; quandoquidem si velit, unusquisque nostrum docendi est præditus facultate. Non potes tantam Ecclesiam corrigere; at potes uxorem tuam monere : non potes tantam alloqui multitudinem; at filium tuum potes ad saniorem mentem reducere : non potes ad tantum populum doctrinæ sermonem dirigere : at potes servum tuum ad meliorem frugem revocare. Non excedit vires tuas Discipulorum cœtus ille : non excedit sapientiam tuam modus ille doctrinæ : sed et facilius quam nos ipsi, vos illos omnes potestis emendare. Ego enim semel aut plerumque in hebdomada vobiscum iterum versor, at tu perpetuo Discipulos intra privatos parietes habes, et uxorem, et liberos, et servos, et vesperi, et in mensa, et toto die potes illos corrigere. Aliunde quoque facilior fit ista curatio, siquidem ego, dum tantam alloquor multitudinem, quinam morbus animam vestram divexet, ignoro; quapropter singulis in collectis omnia cogor medicamenta proponere : vos vero non ita facere necesse est : sed minori vobis cum labore licet amplioris fructum correctionis decerpere. Vobis quippe probe nota sunt eorum peccata, qui sub eodem tecto vobiscum degunt : quocirca et celerius potestis medicinam adhibere.

III. Ne igitur, dilectissimi, contubernalium nostrorum curam omittamus, siquidem maxima pœna, suppliciumque paratum est immensum illis, qui domesticos suos neglexerint. « Si quis enim, inquit Paulus, suorum, et maxime do» mesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infi» deli deterior [1]. » Vides quo pacto Paulus eos feriat, qui » domesticorum curam negligunt? et quidem merito. « Qui » enim domesticos suos negligit, inquit, quomodo alienos » curabit [2]? » Scio me hac apud vos cohortatione frequenter

[1] 1 Tim. v, 8. — [2] Id. III, 5.

usum esse, nec unquam uti desinam, tametsi deinceps innocens ego sum ab aliorum negligentia : « Oportuit enim, » inquit, te pecuniam meam committere nummulariis, » nec amplius quidquam requirit. Ego vero et pecuniam commisi, neque rationi ulli reddendæ sum obnoxius : verumtamen quantumvis innoxius sim, et a supplicio huic crimini proposito liberatus, tanquam pœnæ supplicioque obnoxius, ita salutis vestræ causa metuo et contremisco. Nemo igitur temere ac perfunctorie spirituales sermones auscultet, neque enim frustra et sine causa prolixa præmittuntur a me exordia : sed ut exactior eorum, quæ committuntur, fiat custodia. Ne ubi temere aut incassum applauseritis, ac tumultuati fueritis, domum recedatis : nihil enim ego vestras laudes curo, sed de vestra salute sum sollicitus. Nam illi quidem, qui in theatro certant, hujus rei mercedem a populo laudem accipiunt : nos vero hac de causa in hanc arenam non descendimus, sed ut propositam huic rei mercedem a Domino recipiamus. Propterea vos ad hoc frequenter adhortamur, ut ea, quæ dicuntur, in vestris mentibus alte defigantur. Ut enim plantæ, quæ profundas radices egerint, nullis ventorum incursibus concuti possunt : ita Scripturæ sententiæ quo altius fuerint in mente defixæ, minus facile negotiorum incursibus evelluntur. Dic enim, quæso, charissime, si filium fame confectum videres, an eum posses contemnere, neque omnia potius ferenda censeres, ut ejus posses famem mitigare? Ergo-ne panis fame divexatum non despiceres, divinæ autem doctrinæ fame pereuntem potes contemnere? Quo pacto igitur dignus fueris, ut pater voceris? siquidem multo gravior illa est hæc fames, quanto funestiorem in mortem desinit, unde majus in hoc studium conferendum est. « Educate enim, inquit, » filios vestros in disciplina et correptione Domini [1]. » Hæc

[1] Ephes. VI, 4.

est patrum cura pulcherrima, hæc germana parentum sollicitudo : hinc ego naturæ cognationem agnosco, si plus in spiritualia studii conferant. Sed satis indultum sit proœmiis, jam necesse est ad exolutionem debiti veniamus : hac enim de causa prolixum hunc et copiosum texuimus vobis sermonem, ut ea, quæ numerantur cum summa cautione suscipiatis. Quodnam ergo debitum fuit, quo contracto nuper discessimus? an vero illius forsan obliti estis? itaque vobis in memoriam a nobis necesse est revocari, priusque syngraphum legi, cujus opera prior solutio est peracta, et quænam fuerint a nobis numerata, dicendum est, ut ex iis, quæ numerata sunt, quæ sint reliqua videamus. Quænam igitur prius a nobis numerata sunt? Dixi tum temporis a quo scriptus fuerit liber Actorum, et quis operis istius auctor fuerit : imovero non quis auctor operis, sed quis minister. Non enim ille quæ dicta sunt produxit, sed iis, quæ dicta sunt ministravit. Dixi de Actis ipsis, et quid tandem sibi velit nomen illud Actorum, dixi etiam de Apostolorum appellatione jam necesse est dicamus, qua de causa statuerint patres nostri, ut liber Actorum in Pentecoste legeretur. Fortasse namque meministis hoc quoque tum pollicitos nos esse dicturos. Neque enim temere et sine causa nobis hæc tempora patres observarunt, sed prudenti aliqua ratione ducti id egerunt : non ut libertatem nostram temporum necessitati subjicerent, sed ut dum se imbecilliorum attemperant egestati, ad cognitionis opes illos proveherent. Atque ut intelligas eos idcirco tempora observare, non ut se observationis subjiciant necessitati, sed quod imbecillioribus sese accommodare conentur, audi quid dicat Paulus : « Dies observatis et menses, et tempora, » et annos? Timeo ne forte sine causa laboraverim in vobis[1].» Tu autem nonne observas dies et tempora et annos? Jam-

[1] Gal. IV, 10.

vero si videamus eum, qui dies, et menses, et tempora, et annos observari vetat, hæc observare, quid quæso dicemus? num eum sibi repugnare secumque contendere? absit; sed eum quod vellet eorum tollere imbecillitatem, a quibus tempora observabantur, illis sese per observationem istam attemperare. Ita quoque faciunt medici, porrectos ægris cibos prius degustant, quamvis ipsi minime cibis indigeant, sed illorum studeant infirmitati mederi. Ita quoque Paulus egit, cum observatione temporum nihil indigeret, tempora observavit, ut eos, qui observabant, illa observandi imbecillitate liberaret. Ubi vero tandem tempora Paulus observavit? Attendite, quæso, diligenter. « Sequenti autem die, » inquit, appulimus Miletum [1]. » Proposuerat enim Paulus præternavigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes ageret Jerosolymis. Vides, ut ille qui dicebat : « Ne obser- » vetis dies, et menses, et tempora, » diem Pentecostes observare?

IV. Neque vero diem tantum observabat, sed etiam locum; non enim solum Pentecostes diem ut ageret festinabat, sed etiam ut eam Jerosolymis celebraret. Quid facis, beate Paule? Destructa sunt Jerosolyma, desolata sunt Sancta sanctorum sententia divina, prior religio sublata est. Nonne ad Galatas clamas et dicis : « Qui in lege justificari ex- » pectatis, a gratia excidistis [2]? » et cur nos iterum sub legis servitutem redigis? Non est exigui momenti res, de qua agitur, ut discamus, num secum ipse Paulus pugnet. Neque enim dies observat tantummodo Paulus, sed et alia legis præcepta custodit, et clamat ad Galatas dicens : « Ecce » ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Chris- » tus vobis nihil proderit [3]. » Hic igitur Paulus qui dicit : « Quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil prode-

[1] Act. xx, 16. — [2] Gal. v, 4. — [3] Ibid. 2.

»rit,» ipse Timotheum circumcidisse comperitur. «Cum »enim invenisset, inquit Scriptura, Paulus Lystris ado»lescentem quemdam filium mulieris Judææ fidelis, patris »autem gentilis, eum circumcidit[1].» Nolebat enim præputium habentem doctorem mittere. Quid facis, beate Paule? verbis circumcisionem tollis, et rursus factis illam confirmas? Non confirmo, inquit, sed tollo factis : siquidem mulieris Judææ fidelis filius erat Timotheus, patris autem Gentilis et ex genere præputium habente. Quando igitur eum præmissurus erat Judæis doctorem Paulus, nolebat sane præputium habentem mittere, ne statim a principio verbo fores occluderet. Ut igitur ad tollendam circumcisionem viam sterneret, et doctrinæ Timothei aditum reseraret, circumcisionem illi apposuit, ut tolleret circumcisionem. Propterea dixit : «Factus sum Judæis tanquam Ju»dæus[2] : » non ut Judæus fieret hoc dixit Paulus, sed ut iis, qui Judæi manebant, persuaderet, ut non amplius essent Judæi : propterea hunc etiam circumcidit, ut circumcisionem tolleret. Itaque circumcisione adversus circumcisionem est usus. Accepit enim et Timotheus circumcisionem, ut a Judæis posset admitti, et ingressus illos sensim ab hac observatione abduceret. Vides qua de causa et Pentecosten et circumcisionem Paulus observaret? Vultis et alia legitima vobis ostendam ab eo fuisse servata? diligenter attendite. Ascendit aliquando Jerosolymam, et cum eum vidissent Apostoli, dicebant ei : « Vides, frater Paule, »quot millia sunt in Judæis, qui convenerunt, et omnes »audierunt de te, quia discessionem doceas a lege. Quid »ergo? fac quod tibi dicimus : sunt apud nos viri votum »habentes super se : his assumptis sanctifica te cum illis, »et caput rade cum illis, ut reipsa fides illis fiat, quia quæ »audierunt de te falsa sunt, sed et ipse Moysis legem servas[3].»

[1] Act. xvi, 1. — [2] 1 Cor. ix, 20. — [3] Act. xxi, 20-24.

Videtis condescensionem admirabilem? observat tempora, ut observationem temporum tollat : circumcisionem adhibet, ut circumcisioni finem imponat : sacrificium offert, ut observationem auferat sacrificiorum. Hoc autem illum idcirco fecisse ut intelligas, audi ipsum hoc dicentem : « Factus sum iis, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, » ut eos qui sub lege erant, lucrifacerem : et cum liber » essem ab omnibus, omnium me servum feci [1]. » Hæc autem Paulus agebat, ut suum Dominum imitaretur. Nam ut ille « Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est » esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam » servi accipiens [2], » et cum liber esset, factus est servus : sic et iste cum liber esset ex omnibus, omnium se servum fecit, ut omnes lucrifaceret. Naturam nostram assumens dominus factus est servus, ut liberos redderet servos : « In- » clinavit cœlos, et descendit [3], » ut eos qui inferius manebantin cœlum eveheret. « Inclinavit cœlos : » non dixit : « Dereliquit cœlos et descendit, » sed, « Inclinavit, » ut faciliorem tibi efficeret ascensum in cœlos : hunc quoque pro viribus imitatus est Paulus, quocirca dicebat : « Imitatores mei » estote, sicut et ego Christi [4]. » Et quomodo tu, beate Paule, Christi imitator es factus? Quomodo? quia nullibi quod mihi est utile quæro, sed quod multis, ut salvi fiant, et cum liber essem ex omnibus, omnium servum me feci. Nihil ergo melius est hac servitute, quippe quæ libertatem cæteris pariat. Spiritualis erat piscator Paulus; « Faciam » enim, inquit, vos piscatores hominum [5], » quam ob causam et ista præstabat. Nam et piscatores cum piscem viderint hamum deglutire, non statim retrahunt, sed recentes ad multum spatium sequuntur, et expectant ut hamus recte defigatur, atque ita prædam tutius extrahant. sic et Apos-

[1] 1 Cor. IX, 20-22.— [2] Philip. II, 6.— [3] Psal. XVII, 10.— [4] 1 Cor. IV, 16.— [5] Matth. IV, 19.

toli tum agebant : hamum doctrinæ verbi judaïcæ animæ injiciebant : at illi retrahebant temere, atque retinebant, et se ipsos ad circumcisionem traducebant, ad festa et temporum observationes, ad sacrificia, ad capita radenda, et cætera talia peragenda : verum Apostoli sequebantur illos ubique, nec retrahebant. Itaque sive circumcisionem quæras, inquit, non resisto, sed sequor : sive sacrificium requiras, sacrifico : sive radi velis me, qui a tua religione defeceram, adsum, et quod jusseris facio : sive Pentecosten observare præcipias, ne hic quidem reluctor, sed quocumque circumduxeris sequor, et cedo expectans, ut hamus verbi defigatur, sic ut tuto possim totam nationem vestram a veteri cultu ac religione revocare. Propterea namque Epheso Jerosolymam veni. Vides quantum obsequeretur Paulus piscaturæ piscium verbo cedens? vides rursus temporum observationem, et circumcisionis indulgentiam ac sacrificiorum communionem initam idcirco esse, non ut ipsi ad veterem religionem redirent, sed ut illos qui figuris adhærebant, ad veritatem provecherent? Qui enim in sublimi loco sedet, si perpetuo maneat in sublimi, nunquam poterit eum, qui deorsum jacet, evehere, sed illum prius se demittere oportet, ac deinde istum exaltari. Propterea ex sublimitate religionis evangelicæ descenderunt Apostoli, ut a religionis judaïcæ humilitate ad sublimitatem illam Judæos provecherent.

V. Sed temporum quidem observationem ac reliqua omnia utiliter et commode facta esse constat ex istis; reliquum est autem ut videamus qua de causa in Pentecoste liber Actorum legatur. Hac enim de causa hæc omnia proposuimus, ut cum temporum observationem instare videritis, ne existimetis Apostolos judaïcis ritibus velle se obstringere. Verum attendite diligenter, quæso ; neque enim mediocrem quæstionem complectitur id quod dicturi

sumus. In die crucis omnia legimus quæ ad crucem pertinent; in magno sabbato rursus, traditum esse Dominum nostrum, crucifixum esse, mortuum esse secundum carnem et sepulcro conditum; cur igitur non etiam Apostolorum Acta legimus post Pentecosten; quando et evenerunt, et initium duxerunt? Ac scio equidem hoc ignotum esse multis, quam ob causam ex ipso Actorum libro demonstremus istud necesse est, ut non a Pentecoste, sed a tempore, quod Pentecosten secutum est, Apostolorum Acta initium duxisse intelligatis. Quocirca merito quæret aliquis, quam tandem ob causam statutum sit, ut historiam crucis in die crucis et passionis legamus; Apostolorum autem Acta non ipsis illis diebus aut illo tempore, quo patrata sunt, legamus, sed tempus prævenjamus? Neque enim confestim, ubi Christus resurrexit, edita sunt miracula ab Apostolis, sed quadraginta diebus cum ipsis vescebatur in terris. Cur autem diebus quadraginta fuerit cum illis versatus in terris, alio tempore declarabimus. Nunc ad propositum revertamur, et ostendamus Christum non statim post resurrectionem in cœlos ascendisse, verum in terris commoratum esse diebus quadraginta cum Discipulis, neque simpliciter commoratum, sed et vescentem cum ipsis, et in mensa cum illis recumbentem familiariter cum illis versatum esse; ac post dies tandem quadraginta in cœlos ad Patrem ascendisse, ac ne tum quidem miracula illos edidisse, sed alios decem dies elapsos esse, cumque compleretur Pentecoste, missum ad eos Spiritum sanctum fuisse, tumque linguis demum igneis acceptis edere cœpisse miracula. Hæc autem omnia, dilectissimi, ex Scripturis demonstrabimus; exempli causa, quadraginta diebus cum ipsis versatum eum esse, Spiritum sanctum post Pentecosten descendisse, tumque linguas illos igneas accepisse, atque ab eo tempore miracula edi ab illis cœpisse. Quis

igitur omnia ista commemorat? Discipulus Pauli venerandus et magnus Lucas, dum ita incipit, et his verbis utitur : « Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, » quæ cœpit Jesus facere, et docere usque in diem, qua » præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, » assumptus est. Quibus et præbuit se ipsum vivum post » passionem suam in multis argumentis, per dies quadra- » ginta apparens eis, et loquens de regno Dei. Et convescens » præcepit eis, ab Jerosolymis ne discederent [1]. » Vides quadraginta diebus in terris Dominum versatum esse post resurrectionem, de regno Dei loquentem et cum Apostolis vescentem? Vides etiam cibum cum illis sumpsisse? « Et » præcepit eis, inquit, ab Jerosolymis ne discederent, sed » expectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, » ex me; quia Joannes baptizavit aqua, vos autem baptiza- » bimini Spiritu sancto non post multos hos dies [2]. » Hæc autem in diebus illis quadraginta a Salvatore sunt dicta. « Igitur qui convenerant, interrogabant eum dicentes; » Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël? Dixit » autem eis : Non est vestrum nosse tempora vel momenta, » quæ Pater posuit in sua potestate; sed accipietis virtutem » supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes » in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad » ultimum terræ. Et cum hæc dixisset, videntibus illis, » elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum [3]. » Vides quo pacto et cum ipsis quadraginta diebus versatus fuerit Christus in terris, et post quadraginta demum dies assumptus in cœlos fuerit; sed videamus an in Pentecoste missus fuerit Spiritus sanctus. « Et cum compleretur, » inquit, dies Pentecostes, factus est repente de cœlo sonus » tanquam advenientis spiritus vehementis et apparuerunt » illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra sin-

[1] Act. 1, 1-4. — [2] Ibid. 4, 5. — [3] Ibid. 6-9.

» gulos eorum [1]. » Videtis exactam demonstrationem allatam, ut constet quadraginta diebus in terris Christum esse versatum, nec ullum ab Apostolis miraculum esse patratum? Quomodo enim miracula patrare potuissent, cum necdum sancti ac vivifici Spiritus gratiam accepissent? Videtis post quadraginta dies Jesum assumptum in cœlos fuisse? Videtis rursus post decem dies ab Apostolis edita esse miracula? Cum enim compleretur dies Pentecostes, demissus est Spiritus sanctus; hoc igitur quærendum restat, qua de causa in Pentecoste Acta legantur Apostolorum. Si enim tum signa facere cœperunt Apostoli, hoc est, post Domini resurrectionem, tum etiam hunc legi librum oportebat. Nam quemadmodum ea, quæ ad crucem pertinent, in die legimus crucis, et in resurrectione item, et in singulis festis, quæ in singulis acciderunt, iterum legimus; sic et miracula oportuit apostolica in apostolicorum miraculorum diebus legi.

VI. Cur igitur non illa tum legamus, sed statim post crucem, et resurrectionem, causam omnem diligenter attendite. Statim post crucem, resurrectionem Christi annuntiamus; porro demonstratio resurrectionis miracula sunt apostolica; atqui nihil aliud est liber iste, quam apostolicorum schola miraculorum. Quod igitur dominicæ resurrectionis maxime fidem facit, hoc statim post crucem et vitæ largitricem resurrectionem patres legi statuerunt. Hanc igitur ob causam, dilectissimi, statim post crucem ac resurrectionem miracula legimus Apostolorum, ut manifestam et indubitatam resurrectionis probationem habeamus. Excitatum illum a mortuis corporeis oculis non vidisti; sed oculis fidei cernis illum a mortuis excitatum. Non vidisti illum his oculis a mortuis excitatum, at per illa miracula excitatum illum a mortuis intuebere. Ad

[1] Act. II, 1-3.

illum enim fidei conspectum signorum exhibitio te deducit. Itaque multo major et evidentior illa fuit demonstratio, quod in ejus nomine signa fierent, quam quod excitatus ille a mortuis appareret. Vis-ne intelligere, quo pacto majorem resurrectionis istud fidem faciat, quam si omnium hominum oculis sese intuendum obtulisset? Prudenter attendite; siquidem multi quærunt, et dicunt : « Quam ob causam, cum resurrexisset, non statim Judæis apparuit? » verum supervacaneus et vanus est iste sermo. Si enim ad fidem illos pellecturus fuisset, post resurrectionem omnibus apparere non recusasset; cæterum nequaquam eos se pellecturum fuisse, si post resurrectionem illis apparuisset, per Lazarum indicavit. Cum enim hunc quatriduanum mortuum, fœtentem, et corruptum suscitasset, et effecisset ut ligatus institis in conspectum omnium prodiret, non solum illos ad fidem non attraxit, sed etiam irritavit. Venientes enim ipsum etiam interficere hac de causa voluerunt [1]. Si ergo cum alterum a mortuis excitasset, non tamen crediderunt; si se ipsum ostendisset a semetipso suscitatum, nonne in ipsum furore exarcissent? Tametsi nihil ad effectum perducturi fuissent; tamen irrito conatu suam impietatem exercuissent. Ut igitur eos superfluo furore liberaret, se ipsum occultavit; majori enim illos supplicio obnoxios redidisset, si post crucem apparuisset; quocirca ut illis parceret, se ipsum quidem ab oculis eorum subtraxit, sed editis tamen miraculis se ipum ostendit. Non enim minus erat, quam si excitatum a mortuis eum cernerent, quod Petrum dicentem audirent : « In nomine Jesu » Christi surge et ambula [2]. » Atque hoc quidem plurimum valuisse ad resurrectionem astruendam, atque ad fidem faciendam proclivius quam illud prius, faciliusque mentibus hominum persuadere potuisse miracula, quæ in ejus

[1] Joan. XII, 10. — [2] Act. III, 6.

nomine facta cernebantur, quam si a mortuis excitatum illum vidissent, inde constabit. Resurrexit, et se ipsum Discipulis Christus ostendit; sed inventus est tamen aliquis et inter illos incredulus Thomas, qui dicitur Didymus, et opus illi fuit, ut in figuram clavorum manus inferret; opus fuit, ut et latus ejus palparet. Quod si Discipulus ille, qui tres cum illo annos exegerat, qui dominicæ particeps mensæ fuerat, qui signa conspexerat et prodigia maxima, qui loquentem illum audiverat, etiam cum illum a mortuis excitatum videret, non prius credidit, quam figuram clavorum et lanceæ vulnera conspexit; quomodo, quæso, totus orbis terrarum crediturus erat, si excitatum illum a mortuis conspexisset? Quis hoc unquam dicere audeat? Neque vero inde tantum, sed etiam aliunde constabit plus ad persuadendum signa valuisse, quam si resurgentem oculis se spectandum præbuisset. Cum enim Petrum audiissent turbæ claudo dicere : « In nomine Jesu » Christi surge et ambula [1], » tria millia et quinque millia virorum Christo crediderunt; at Discipulus cum suscitatum vidisset, incredulus fuit. Vides aptius ad fidem faciendam resurrectionis hoc fuisse? Nam illud quidem cum proprius Discipulus ejus vidisset, incredulus fuit; at hæc cum etiam inimici spectassent, crediderunt. Ita majus hoc illo fuit et evidentius, plusque ad illos alliciendos valuit atque flectendos, ut resurrectioni fidem haberent. Quid dico Thomam? siquidem ut scias ne cæteros quidem Discipulos primo intuitu credidisse, prudenter attende. Noli tamen illos condemnare, dilectissime. Si enim illos Christus non damnavit, neque tu illos damnes; videbant enim rem miram et inusitatam Discipuli, Primogenitum ipsum a mortuis excitatum; cæterum maxima ejusmodi miracula primo conspectu terrere consueverunt, quousque

[1] Act. III, 6.

in fidelium mentibus progressu temporis stabilitatem aliquam acquisiverint, quod etiam tunc Discipulis evenit. Post quam enim Christus, qui a mortuis resurrexerat, dixit illis : « Pax vobis, conturbati, inquit, et conterriti existi» mabant se spiritum videre, et dixit illis Jesus : Quid » turbati estis [1] ? » Post hæc cum ostendisset eis manus et pedes, non credentibus illis præ gaudio et mirantibus dixit : « Habetis hic aliquid, quod manducetur [2] ? » quod hac ratione vellet illis fidem facere resurrectionis. Non persuadet tibi latus, inquit, neque vulnera? saltem mensa persuadeat.

VII. Ut autem accurate cognoscas idcirco illum dixisse : « Habetis hic aliquid, quod manducetur; » ne forte simulacrum esse vel spiritum, aut phantasma putarent, sed veram ac subsistentem resurrectionem, audi quo pacto Petrus his comprobet resurrectionem. Cum enim dixisset : « Deus illum suscitavit, ac dedit manifestum eum fieri » nobis testibus præordinatis, » deinde resurrectionis demonstrationem afferens adjecit : « Qui manducavimus et » bibimus cum eo. » Propterea quoque alibi Christus cum mortuam suscitasset, ut fidem faceret resurrectionis, ait : « Date illi quod manducet [3]. » Cum igitur audis eum præbuisse se ipsum vivum per dies quadraginta illis apparentem, et cum illis vescentem, causam manducationis cognosce, non quod cibo nimirum indigeret, illum manducasse, sed quod Discipulorum mederi vellet imbecillitati, unde prodigia et signa Apostolorum liquet maximam resurrectionis demonstrationem extitisse. Quapropter ait ipse quoque : « Amen amen dico vobis, Qui credit in me, » quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet [4]. » Nam quoniam crux cum intervenisset, plurimos scandali-

[1] Luc. XXIV, 37, 38. — [2] Ibid. 41. — [3] Marc. V, 43. — [4] Joan. XIV, 12.

zaverat, idcirco pluribus illi miraculis opus fuit. Alioqui enim si, cum obiisset Christus, morte præpeditus mansisset, et sepultus, neque resurrexisset, ut aiunt Judæi, neque in cœlum ascendisset, non solum majora postea fieri miracula post crucem non oportuisset, verumetiam ea, quæ prius facta fuerant, opus fuisset extingui. Hic mihi diligenter attendite; indubitatæ quippe resurrectionis demonstrationem continent hæc quæ dicimus; quamobrem eadem rursus eloquar. Signa fecit antea Christus, mortuos suscitavit, leprosos mundavit, dæmones ejecit, crucifixus est deinde, atque ut dicunt scelesti Judæi, non resurrexit a mortuis. Quid igitur illis dicemus? Hoc nimirum, « Si non resurrexit, quomodo postea in nomine ipsius majora facta sunt signa? Nullus enim ex vivis cum obiisset, majora post obitum signa fecit; at hic majora et modo et natura fuerunt, quæ consecuta sunt, miracula. Siquidem natura fuere majora, cum Christi umbra nunquam mortuos suscitarit; at Apostolorum umbra talia multa perfecit. Modo vero majora fuere signa, quod tum quidem ipse imperans miracula ederet; post passionem autem servi ejus augusto et sancto ejus nomine adhibito majora et sublimiora peragerent, ut amplius et gloriosius virtus ipsius effulgeret. Multo quippe majus fuit alterum nomen ipsius usurpantem talia miracula patrare, quam ipsum imperantem. Vides et natura et modo majora fuisse Apostolorum signa, dilectissime, quæ Christi resurrectionem secuta sunt? Itaque resurrectionis indubitata est demonstratio. Nam ut ante dixi, et iterum dicam, si mortem obiisset Christus, et non resurrexisset, signa etiam interire oportuisset ac deleri; jamvero non modo deleta non sunt, sed et illustriora, deinde atque celebriora sunt facta. Si enim Christus non resurrexisset, nunquam alii ejus in nomine talia signa fecissent. Eadem quippe virtus et ante passionem et post passionem

edebat miracula; ac primum quidem per se, deinde vero per Discipulos; ut autem evidentior et gloriosior fieret resurrectionis probatio, majora post crucem fiebant, et sublimiora prodigia. Unde vero constat, dicet infidelis, edita tum fuisse signa? Unde quæso crucifixum Christum fuisse constat? Ex sacris Litteris, inquam. Nam et signa tum fuisse facta, et crucifixum fuisse Christum ex sacris literis constat. Illæ enim et hæc et illa narrant. Quod si tu noster adversarius dicas Apostolos signa non fecisse, majorem ipsorum ostendis virtutem, et gratiam divinam, quod absque signis tantum orbem terrarum potuerint ad pietatem traducere. Hoc enim maximum est et inusitatum miraculum, cum pauperes atque mendici, abjecti, illitterati, imperiti, viles. et numero duodecim tot urbes, gentes, populos, reges, tyrannos, philosophos, oratores, et totam propemodum terram absque signis potuerint ad se pertrahere. An vero cupis etiam nunc fieri signa cernere? tibi ego illa et majora prioribus ostendam, non unum mortuum suscitatum, non visum uni cæco restitutum, sed discussas erroris tenebras, quæ totam terram occupaverant; non leprosum unum mundatum, sed tot gentes, quæ peccati lepram absterserunt, ac per lavacrum regenerationis mundatæ sunt. Quod signum majus his quæris, mi homo, cum tantam et tam repente factam mutationem conspicias?

VIII. Vis-ne tu intelligere, quo tandem pacto visum universo terrarum orbi restituerit Christus? Antea lignum et lapidem non existimabant homines lignum et lapidem esse, verum res sensus expertes deos vocabant, adeo excæcati erant; jamvero quid lignum sit, quidve lapis noverunt; quid sit Deus crediderunt. Sola quippe fide immortalis ac beata illa natura spectatur. Vis-ne aliud quoque resurrectionis signum intueri? ex ipsa Discipulorum mente sump-

tum illud quoque majus videbis post resurrectionem affulsisse. Siquidem in confesso est apud omnes eum, qui erga viventem hominem benevole sit affectus, ipso mortuo fortasse ne quidem ejus meminisse; qui vero male affectus sit erga illum, dum viveret, et superstitem deseruerit, multo magis immemorem defuncti futurum. Quo fit, ut nemo qui amicum magistrumve superstitem reliquerit ac deseruerit, vita functum plurimi faciat, ac tum præcipue, cum propter exhibitam in eum benevolentiam mille pericula sibi viderit imminere. Ecce tamen illud quod nulli accidit, in Christo et Discipulis evenit, et qui viventem illum negaverant ac deseruerant, et comprehensum reliquerant, et aufugerant, post innumera illa opprobria, et crucem, tanti cum fecerunt, ut pro ipsius confessione ac fide animas etiam suas exponerent. Enimvero si mortuus fuisset Christus, neque resurrexisset, quî fieri potuisset, ut qui, dum superstes esset, ob periculum imminens fugerant, eo jam vita functo, propter illum mille periculis se ipsos objicerent? Ac cæteri quidem omnes fugerunt, Petrus vero etiam cum juramento ter illum negavit; et qui ter illum cum juramento negaverat, et vilis ancillulæ fuerat timore perculsus, posteaquam obierat, nobis rebus ipsis volens fidem facere se suscitatum illum a mortuis vidisse, sic repente mutatus est, ut integrum populum aspernaretur, et in medium Judæorum theatrum prosiliret, diceretque illum qui crucifixus fuerat ac sepultus, a mortuis die tertia surrexisse, atque in cœlos ascendisse, neque se mali quidquam reformidare. Unde igitur factum erat, ut adeo confidens esset? Non aliunde sane, quam ex eo quod de resurrectione certior factus esset. Cum enim illum vidisset, atque allocutus esset, deque rebus futuris verba facientem audiisset, hac de causa tanquam in gratiam hominis jam viventis periculum adiret, ita se malis omnibus objiciebat, utpote

qui majori virtute corroboratus esset confidentiaque majori; sic ut pro ipso mortem oppeteret, et cruci capite in terram verso affigeretur. Cum ergo majora fieri signa videris, et Discipulos majori eum benevolentia esse complexos, qui prius eum deseruerant, et majorem fiduciam præ se ferre, omni ex parte illustriorem rerum factam esse mutationem, omniaque tutiori ac jucundiori esse in statu collocata, tum ipso rerum experimento cognosce res Christi non esse mortis finibus circumclusas, sed resurrectionem illi successisse, ac vivere, superstitemque perpetuo crucifixum manere Deum immutabilem et immortalem. Neque enim Discipuli, nisi resurrexisset, ac viveret, majora postea miracula patrassent, quam quæ crucem præcesserant. Nam tum temporis etiam Discipuli reliquerunt eum; jamvero totus ad illum orbis terrarum accurrit, neque Petrus solum, sed et mille alii, ac multo plures post Petrum, ex illis qui illum minime viderunt, animas pro illo suas exposuerunt, capite truncati sunt, et innumera sunt mala perpessi, ut integra et illæsa ipsius confessione possent ex hac vita discedere. Quomodo ergo is qui mortuus erat et sepulcro conclusus, ut tu dicis, o Judæe, in omnibus qui secuti sunt illos tantam vim exhibuit tantamque virtutem, ut eis persuaderet, solum illum ut adorarent, omniaque sustinere ac perpeti mallent, quam suam in illum fidem amittere? Vides in omnibus certam resurrectionis comprobationem elucere, cum ex signis quæ tum facta sunt, quæque nunc fiunt, tum ex Discipulorum benevolentia, qui tum vivebant, et qui nunc vivunt, tum ex periculis in quibus semper fideles versabantur? Vis-ne etiamnum hostes cernere potentiam ac virtutem ejus pertimescere, ac multo amplius post crucem æstuare? audi sane prudenter, quid de his scriptum sit. Cum enim viderent, inquit Scriptura, Judæi Petri in loquendo liber-

tatem [1], et Joannis, atque animadverterent homines illos litterarum rudes et imperitos esse, mirabantur, et metuebant non quod litteras nescirent, sed cum illitterati essent omnes sapientes vincerent, cumque hominem cernerent, qui sanatus erat, nihil poterant contradicere, tametsi antea contradicebant cum signa fieri viderent. Cur igitur tum minime contradicebant? Cohibebat illorum linguam virtus invisibilis crucifixi; ille os eorum obturabat, ille libertatem in dicendo compescebat; propterea stabant, neque poterant contradicere. Cum autem verba etiam protulerunt, vide quo pacto metum suum fateantur. « Vultis, inquiunt, » inducere super nos sanguinem hominis istius [2]? » At enim si nudus homo est, cur ejus sanguinem pertimescis? quam multos Prophetas occidisti, quam multos justos jugulasti, Judæe, nec ullius illorum sanguinem reformidasti? cur igitur hic reformidas? vere conscientiam terrebat illorum crucifixus, suamque formidinem cum occultare non possent, vel etiam inviti suam coram inimicis imbecillitatem fatentur. Ac dum illum quidem crucifigerent, clamabant dicentes : « Sanguis ejus super nos, et super filios nos- » tros [3], » adeo sanguinem ejus spernebant; post passionem autem cum effulgentem illius virtutem intuentur, pertimescunt et æstuant, dicuntque : « Vultis inducere sangui- » nem hominis istius super nos? » At enim si seductor erat, et adversarius Dei, prout dicitis scelesti Judæi, quam ob causam sanguinem ipsius timetis! Etenim si talis erat, illius etiam fuerat cæde gloriandum; sed quoniam talis non erat, idcirco tremunt.

IX. Vides undique et inimicos æstuare ac timere? vides illorum anxietatem? crucifixi quoque benignitatem cognosce. Siquidem illi quidem dicebant : « Sanguis ejus su- » per nos, et super filios nostros : » Christus autem non ita

[1] Act. IV, 13. — [2] Id. V, 28. — [3] Matth. XXVII, 25.

fecit; verum supplicans Patri ait : « Pater, dimitte illis : »non enim sciunt, quid faciunt. » Si enim super illos sanguis fuisset, et super filios illorum, nequaquam ex illorum filiis delecti essent Apostoli : nequaquam ter mille simul credidissent, neque quinquies mille. Vides ut illi quidem crudeles ac sævi cum in suos liberos essent, ipsam etiam naturam abnegarint : Deus autem patres omnes superaverit benignitate, ac filios majori quam matres fuerit amore complexus? Sanguis enim ejus super illos et super illorum filios fuit; super filios vero non omnes, sed super illos tantum, qui paternam impietatem et iniquitatem imitati sunt, et quotquot illis filii fuerunt non secundum naturæ successionem, sed secundum voluntatis insaniam, hi soli malis facti sunt obnoxii. Tu vero mihi bonitatem ac benignitatem Dei aliunde quoque considera. Non enim statim illis supplicium ac pœnam intulit, sed quadraginta et plures elabi post passionem annos sivit. Siquidem Salvator ipse, Tiberio imperante, cruci affixus est : at illorum civitas, imperantibus Vespasiano ac Tito, capta est. Cur igitur consequens tempus omisit? Voluit illis spatium ad pœnitentiam agendam præbere, ut peccata deponerent, ut crimina a se depellerent. Postquam autem temporis spatium ad pœnitentiam præstitutum habentes immedicabili se laborare morbo præ se tulerunt, tum demum supplicium illis ac pœnam intulit, et eversa illorum urbe per universum orbem terrarum eductos illos dispersit. Atque hoc benignitatis ejus opus fuit. Siquidem illos dispersit, ut Christum, quem cruci affixerant, ubique terrarum cernerent adorari, ut cum ab omnibus adoratum illum cernerent, ejusque virtutem perciperent, summam suam impietatem agnoscerent, eaque cognita ad veritatem redirent; atque ipsa captivitas illis deinde doctrinæ, ac supplicium admonitionis occasionem afferebat. Si enim in regione Judææ remansissent, vera-

ces fuisse Prophetas non agnovissent. Quid enim Prophetæ dicebant? « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem » tuam, et possessionem tuam terminos terræ [1]. » Itaque illos egredi oportuit ad terræ terminos ut propriis oculis cernerent a Christo terræ terminos possideri. Rursus alius Propheta dicit : « Et adorabunt eum singuli e loco suo [2]. » Ergo illos per omnia terræ loca dispergi oportuit, ut unumquemque adorare illum propriis oculis cernerent. Rursus alius dixit : « Replebitur terra, ut cognoscat Dominum, si- » cut aqua multa ad operiendum maria [3]. » In omnem igitur terram abire illos oportuit, ut repletam illam cognitione Domini viderent, et maria, hoc est, spirituales istas Ecclesias, pietate redundantia. Propterea ubique terrarum dispersit illos Deus : si enim in Judæa resedissent, hæc ignorassent : jamvero Prophetas veraces esse, atque ipsum virtute pollere suorum oculorum experimento vult ipsos cognoscere, ut siquidem probi gratique fuerint, ad veritatem per ista deducantur : sin autem in impietate perseverent, nullam habeant in tremenda die judicii excusationem. Propterea per universum orbem terrarum illos dispersit, ut et nos quidpiam inde lucri decerpamus, hoc est, dum prolatas illas de illorum dispersione prædictiones, deque Jerosolymorum eversione cernimus, quas et Daniel dum abominationis desolationis mentionem facit [4], et Malachias dum ait : « Quia et in vobis claudentur januæ [5], » et David, et Esaïas, et alii Prophetæ multi de his prædixerunt, ut videntes eos qui Dominum tot injuriis affecerant, ita fuisse punitos, patria et libertate privatos, et suis omnibus legibus ac paternis traditionibus, virtutem ejus agnoscamus, quæ illa prædixit atque perfecit, atque inimici quidem ex nostris bonis potentiam illius intelligant, nos autem ex supplicio de illis

[1] Psal. II, 8. — [2] Soph. II, 11. — [3] Habac. I, 4. — [4] Dan. IX. — — [5] Malac. I, 10.

sumpto immensam ejus benignitatem ac potentiam agnoscamus, nec unquam illum glorificare desinamus, ut et sempiterna atque ineffabilia bona consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, una cum sancto et vivifico Spiritu, honor et imperium nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS TOMI OCTOGESIMI.

ANNOTATIONES.

Annot. (1), pag. 69.

Evangelium S. Marci (VII, 25.) sic habet : *Procidit ante pedes ejus.* Hæc dicit de Syrophœnissa, quæ eadem est atque Chananæa.

Annot. (2), pag. 258.

Martyrium, id est, Ecclesia Martyrum nomine consecrata, vel in qua Martyrum ossa deposita sunt. Vox frequens apud scriptores ecclesiasticos. Videre licet quæ de ea re dixerunt Maurini, in volumine sancti Athanasii in Onomastico.

Annot. (3), pag. 365.

Hæc, quæ numero VII feruntur, nec cum præcedentibus, nec cum sequentibus cohærent.

Annot. (4), pag. 366.

Hæc, quæ numeris VIII, IX et X feruntur, vere S. Chrysostomi sunt.

Annot. (5), pag. 398.

Sic omnes habent editi; at hæc verba, nec non et sequentia, non sunt Michææ, sed Malachiæ.

Annot. (6), pag. 433.

Quæ uncinis clauduntur in latinis versionibus, non leguntur in græco textu, neque apud Savilium; sed videntur ad seriem orationis pertinere, atque a veteri interprete lecta sunt.

Annot. (7), pag. 439.

Quæ clauduntur uncinis nusquam habentur in textu græco, nec in editione Savilii leguntur; sed illa vetus interpres legerat.

Annot. (8), pag. 450.

De Ecclesia sanctorum Apostolorum, in cujus porticu sepulti erant imperatores, quamque alii a Constantino, a Constantio alii structam volunt, vide Cangium in sua Constantinopoli.

Annot. (9), pag. 466.

Patriarcham Judæorum multi scriptores ecclesiastici memorant. Origenes in opusculo, quem typis dederunt Maurini post Præliminaria ad hexapla, dicit se cum Patriarcha Judæorum Iullo congressum esse. Patriarcham item Judæorum memorant S. Cyrillus Hierosolymitanus, S. Hieronymus, maximeque Theodoretus (Dialog. I.), ex cujus dictis arguitur Patriarchas Judæorum se ex progenie Davidis esse falso jactitasse. Duo erant Judæorum Patriarchæ, quarum alter in Judæa degebat, alter Babylone. De Patriarchis Judæorum agunt ii qui de Judæorum republica tractavere. Videre præsertim est Petavium in Notis

ad Epiphanium, et Jacobum Gothofredum ad Codicem Theodosianum.

Annot. (10), pag. 496.

Libanius in Antiochico ait Antiochiam in duas fuisse urbes divisam, alteram παλαιὰν, hoc est, antiquam, quæ secundum Orontis fluvii oram longum occupabat terræ spatium : alteram novam, in ejusdem fluvii insula sitam, forma rotunda, quæ quinque pontibus antiquæ jungebatur. In παλαιᾷ seu antiqua extabat vetus ecclesia, ab Apostolis fundata, ut dicit Homiliæ initio Chrysostomus : ideoque Apostolica vocatur a Theodoreto : et in Chronico Alexandrino παλαιὰ item Ecclesia dicitur. Cujus appellationis duplex videtur causa fuisse, et quod in veteri urbe sita, et quod antiquitus ab Apostolis fundata fuisset, quæ licet multoties propter Christi nomen eversa, multoties erecta denuo fuerit, παλαιᾶς tamen, seu veteris nomen non amiserat etiam tempore Auctoris Cronici Alexandrini. παλαιὰν Antiochiæ memorat Athanasius Tomo ad Antiochenos.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
Homilia in parabolam decem millium talentorum, pag. 42.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 176-187.
Homilia in demissionem Chananæ, pag. 63.	Ejusdem fragmenta, tom. XVII, pag. 121-131.
Homilia de petitione matris filiorum Zebedæi, pag. 81.	Ejusdem fragmenta, tom. XVIII, pag. 156-162.
Concio I. De Lazaro mendico, pag. 131.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 227-236.
Concio II. De eodem Lazaro, pag. 161.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 236-245.
Concio III. De eodem Lazaro, pag. 177.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 246-250.
Concio IV. De eodem Lazaro, pag. 201.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 250-257.
Homili I. In crucem et cœmeteria, pag. 257.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 405-410.
Homilia II. In crucem et in confessionem latronis, pag. 279.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 411-425.
Concio in sanctum Pascha, pag. 332.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 473-478.
Homilia in ascensionem Domini, pag. 441.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 488-491.
Homilia II. De sancta Pentecoste, pag. 401.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 492-493.
Homilia de consubstantiali Filio, pag. 411.	Ejusdem fragmenta, tom. XIII, pag. 597-602.
Homilia quod Christus sit Deus, pag. 430.	Ejusdem fragmenta, tom. XIII, pag. 282-326.
Sermo I. In inscriptionem altaris et in principio Actorum, p. 369.	Ejusdem fragmenta, tom. XIII, pag. 526-537.

INDEX

TOMI OCTOGESIMI.

HOMILIÆ IN QUÆDAM LOCA EVANGELIORUM.

Homilia. In paralyticum per tectum demissum, quod non sit ille, de quo apud Joannem agitur; deque Filii cum Patre æqualitate. 3

Homilia. In paralyticum, qui per triginta-octo annos decubuerat in infirmitate sua, et in illud : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* 27

Homilia. In parabolam decem millium talentorum debitoris, et centum denarios exigentis, et quod omni peccato deterior sit injuriarum recordatio. 42

Homilia. In demissionem Chananææ. Habita autem est post ejus reditum ab exilio. 63

Homilia. In reliqua adversus hæreticos, et de judicio, atque eleemosyna, et petitionem matris filiorum Zebedæi. 81

Homilia I. In proditionem Judæ, et in Pascha, inque traditionem mysteriorum, ac quod non oporteat injuriarum meminisse. Habita in sancta et magna feria quinta. 96

Homilia II. In divinam et mysticam cœnam Salvatoris, et de proditione Judæ : et in Pascha item, et in dispensationem divinorum mysteriorum, et de oblivione injuriarum. Habita in sancta et magna feria quinta. 111

Homilia III. In proditionem Judæ. 127

Concio I. Postridiæ kalendas Antiochiæ habita de iis, qui inebriantur, deque iis, qui commeant ad cauponas, quique choreas

ducunt per civitatem; præterea quod non oporteat desperare de discipulis, etiamsi in præsens non obtemperent; postremo de Lazaro mendico, ac de divite. 131

Concio II. De Lazaro; et quod animæ morte violenta decedentium, non fiunt dæmones; deque judicio et eleemosyna. 161

Concio III. De Lazaro et quare non dixerit: *Cepisti bona tua in vita tua;* sed, *Recepisti*; et quamobrem justi sæpenumero incidunt in pericula, cum ea peccatores effugiant. 177

Concio IV. De divite et Lazaro, quodque conscientia solet nos commonefacere veterum delictorum, item de Joseph. 201

Homilia. In quatriduanum Lazarum, et de Christi precibus. 218

Homilia. In illud: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*; et contra Marcionistas, et Manichæos, et quod ingerere se periculis non oporteat, sed omni voluntati Dei voluntatem anteferre. 242

Homilia. In cœmeterii appellationem, et in crucem Domini et Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. 257

Homilia I. In crucem et in latronem; item de secundo Christi adventu et quod frequenter sit orandum pro inimicis. 266

Homilia II. In crucem et in confessionem latronis, recitata in sancta et magna parasceve, et quod oporteat pro inimicis orare. 279

Homilia I. De resurrectione mortuorum. 296

Homilia II. Adversus ebriosos et de resurrectione sermo habitus in sancta et magna dominica Paschæ. 318

Concio. In sanctum Pascha. 332

Homilia. In Ascensionem Domini nostri Jesu Christi sermo recitatus in Martyrio Romanesiæ, ubi Martyrum corpora sub pavimento prope cadavera hæreticorum condita, ablata fuerunt, et editiore loco separatim sepulta. 341

Homilia. In ascensionem Domini nostri Jesu Christi et in principium Actorum Apostolorum. 357

Homilia I. De sancta Pentecoste, et cur jam non fiant miracula, quodque ea, quæ geruntur, ac dicuntur a nobis, prescribantur. 384

Homilia II. De sancta Pentecoste. 401

Homilia. In eos, qui ad synaxim non occurrerunt, et quod Filius Patri sit consubstantialis demonstratio, quodque ea, quæ humiliter ab eo dicta sunt et facta, non propter imbecillitatem potentiæ, vel ut minor censeatur, facta sint, et dicta, sed propter diversas dispensationis rationes; ex disputatione de incomprehensibili et consequenter. 411

Homilia. Adversus Judæos et gentiles demonstratio, quod Christus sit Deus, ex iis, quæ multis in locis de illo dicta sunt apud Prophetas. 430

Homilia. Constantinopoli habita contra Anomœos de incomprehensibili Dei natura, et quod Novum Testamentum Veteri consonet, atque in eos, qui divinis non intersunt conventibus. 470

Sermo I. Ad eos qui conventum Ecclesiæ deseruerunt, et quod non oporteat sacrarum Scripturarum titulos prætermittere, et in inscriptionem altaris et in nuper illuminatos. 480

Sermo II. Cum in veteri Ecclesia longo intervallo celebrata collecta esset, sermo habitus in inscriptionem Actorum Apostolorum; et vitam cum virtute actam utiliorem esse signis ac miraculis; et quatenus differat a signis conversatio. 49

Sermo III. Quod utilis sit lectio sacrarum Scripturarum, et quod servitute et incommodis omnibus inexpugnabilem reddat eum, qui fuerit eis intentus: et quod Apostolorum nomen multarum dignitatum sit nomen, et quod externis magistratibus, ipsisque a Deo regibus multo majorem habeant potestatem et auctoritatem Apostoli; et in fine, ad nuper baptizatos. 512

Sermo IV. Periculo non carere, si auditores ea taceant, quæ in Ecclesia dicuntur, et cujus rei gratia legantur Acta Apostolorum in Pentecoste, et cur se ipsum non omnibus Christus ostenderit, cum surrexisset a mortuis, eumque multo clariorem ipso conspectu demonstrationem exhibuisse resurrectionis per miracula, quæ sunt ab Apostolis edita. 528

Annotationes. 541

Concordantia. 547

EXPLICIT INDEX.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM

LXXVI.

PATRES QUINTI ECCLESIÆ SÆCULI.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS.

XII.

POISSY. — E TYPOGRAPHEO ARBIEU.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

EPISCOPO MAROCHIENSI, IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE :

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS DUODECIMUS.

PARISIIS,

APUD MELLIER PÈRE EDITOREM,

17, RUE PAVÉE SAINT-ANDRÉ.

M DCCC. XXXV.

S. P. N. JOANNIS

CHRYSOSTOMI

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,

OPERUM

PARS I.

HOMILIÆ IN SCRIPTURAM.

CLASSIS II.

HOMILIÆ IN NOVUM TESTAMENTUM.

COMMENTARIUS IN ACTA APOSTOLORUM.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

COMMENTARIUS IN ACTA APOSTOLORUM.

HOMILIA I.

CAPUT I.

Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere. Usque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est[1].

I. Multi perinde ignorant an hic liber extet, et quis sit ejus auctor: quæ mihi potissimum causa fuit ut hoc opus aggrederer, quo hujus rei ignaros instituerem, nec tantum thesaurum latere sinerem. Non minus enim nobis, quam ipsa Evangelia, utilis esse poterit: tanta nimirum plenus est philosophia, tanta dogmatum sinceritate, miraculorumque copia, eorum maxime, quæ a Spiritu sancto patrata sunt. Ne itaque deinceps hunc librum prætercurramus; sed cum magna accuratione exploremus. Etenim ea, quæ Christus in Evangeliis prædixit, hic opere completa videre est: veritatem ex rebus ipsis splendentem, Discipulosque post acceptum Spiritum sanctum in melius longe commu-

[1] Act. 1, 1, 2.

tatos. Nam quæ a Christo audierant dicente : « Omnis qui » crediderit in me, signa, quæ ego facio, et ipse faciet, et » his majora faciet[1] ; » et ea quæ prædixit Discipulis, quod ante præsides et reges ducendi essent[2], quod in synagogis flagellandi, quod intolerabilia passuri, et his omnibus superiores futuri essent, quod item Evangelium prædicandum foret in universo mundo; hæc, inquam, omnia accuratissime completa in hoc libro cernere est; necnon his plura, quæ cum Discipulis versans Dominus dixerat. Videbisque hic Apostolos ceu volucres per terram et maria discurrentes : illosque olim timidos et rudes, in alios homines repente mutatos, divitiarum contemptores, gloria, ira, concupiscentia cæterisque omnibus superiores effectos : multam videbis inter ipsos concordiam ; nullam invidiam, ut olim, nullam ob primatus desiderium contentionem : sed omnem in illis virtutem diligenter cultam, charitatemque eximie fulgentem : de qua multa ipsis præceperat dicens : « In hoc cognoscent omnes quod Discipuli mei sitis, » si dilexeritis invicem[3]. » Quin et dogmata quædam in hoc libro reperire licet, quæ nisi scriptus ille fuisset, nulli ita perspicua et plana fuissent: imo etiam id quod est salutis nostræ caput, tam secundum vitam et mores, quam secundum dogmata, occultum obscurumque esset. Maxima pars autem libri, Pauli gesta sunt, qui plus omnibus laboravit : cujus rei causa est, quod is, qui hunc librum scripsit beatus Lucas, ejus esset Discipulus : cujus virtutem tum ex aliis multis cernere est, tum maxime quod doctori suo indesinenter hæserit. Itaque cum Demas et Hermogenes ipsum reliquissent, alterque in Galatiam, alter in Dalmatiam abiisset, audi quid de illo dicat : « Lucas solus me- » cum est[4] ; » et Corinthiis scribens de illo ait : « Cujus laus

[1] Joan. XIV, 12. — [2] Matth. X, 18. — [3] Joan. XIII, 35. — [4] 2 Tim. IV, 11.

» est in Evangelio per omnes Ecclesias[1]; » et cum dixit : « Visus est Cephæ, deinde duodecim; » cum ait vero, « Se- » cundum Evangelium quod accepistis[2], » de Lucæ Evangelio loquitur; ita ut non aberraverit, si quis ipsi hoc opus ascripserit : cum ipsi dico, Christo dico. Quod si quis dixerit : « Cur non omnia scripsit qui usque ad finem cum ipso semper fuerit? » Respondebimus hæc satis fuisse iis, qui animum adhibere vellent : illosque iis semper incubuisse, quæ magis urgerent, neque illis tantum fuisse scribendi studium; multas quippe non scriptas traditiones dederunt. Omnia itaque hoc in libro admiratione digna sunt; maxime vero illa verborum demissio, qua, suggerente Spiritu sancto, de œconomia loquentes usi sunt Apostoli. Ideo cum tot tantaque de Christo narrent; pauca de Divinitate ejus dixerunt; longe plura vero de humanitate, de passione, de resurrectione, de ascensione. Nam hoc interim quærebatur, ut crederetur ipsum resurrexisse et ascendisse in cœlos. Quemadmodum igitur ipse Christus imprimis ostendere curabat se a Patre venisse; ita et hic narrat ipsum resurrexisse, assumptum fuisse, et ad illum rediisse, a quo venerat. Nisi enim hoc prius creditum fuisset; multoque magis post quam accesserunt resurrectio et assumptio, totum dogma Judæis incredibile visum fuisset. Quapropter sensim et paulatim eos ad sublimiora ducit. Athenis vero hominem eum simpliciter vocat Paulus[3], nihil amplius addens : et jure quidem. Etenim si ipsum Christum, de sua cum Patre æqualitate loquentem[4], sæpe lapidare tentarunt, ipsumque blasphemum ideo vocarunt, vix illum sermonem a piscatoribus accepissent, cum maxime crux præcessisset.

II. Et quid de Judæis loquar, quando ipsi quoque Dis-

[1] 2 Cor. VIII, 18. — [2] Id. XV, 1 et 5. — [3] Act. XVII, 31. — [4] Joan. VIII, 59.

cipuli, cum sublimiora audirent dogmata, sæpe turbati et offensi sunt? Ideo dicebat: «Multa habeo vobis dicere, sed »non potestis portare modo[1]. » Si illi non poterant qui tanto tempore cum ipso erant, qui tot arcanorum consortes erant, et tot viderant miracula, quomodo homines recens avulsi ab aris, ab idolis, a sacrificiis, a felibus, a crocodilis; hic enim erat gentilium cultus; qui a cæteris malis tunc primum abducti fuerant, sublimia statim dogmatum verba accepissent? quomodo etiam Judæi, qui quotidie discebant et instituebantur a lege : «Audi Israël, Dominus »Deus tuus, Dominus unus est, et præter eum non est »alius[2], » qui ipsum viderant cruci affixum; imo qui crucifixerant et sepelierant, neque ipsum resuscitatum viderant, audientes eumdem ipsum esse Deum et Patri æqualem, non omnino resiliissent, ac recessissent? Ideoque paulatim et sensim illos ad majora ducunt, et sese multum ipsis attemperant. Uberiore vero Spiritus gratia fruuntur, et majora, quam Christus fecit, in ipsius nomine faciunt; ut utrinque ipsos humi jacentes erigant, et ut resurrectioni fidem habeant. Hic quippe liber imprimis est resurrectionis demonstratio : qua credita, cætera facile succedunt. Argumentum ergo et scopus hujus libri, ut summatim dicam, hic potissimum est. Audiamus demum ipsa proœmia. «Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theo»phile, quæ cœpit Jesus facere et docere[3]. » Cur illi Evangelium in memoriam revocat? Ut accurationem suam ostendat. Nam initio illius operis dixit : «Visum est et mihi »assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi »scribere[4]. » Neque suo contentus testimonio, totum refert ad Apostolos dicens: «Sicut tradiderunt nobis, qui ab ini»tio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis[5]. » Idcirco

[1] Joan. XVI, 12. — [2] Deut. VI, 4. — [3] Act. I, 1. — [4] Luc. I, 3. — [5] Ibid, 2.

postquam sermoni fidem ibi conciliavit, hic alia confirmatione opus non habet; cum Theophilus jam persuasus, ac per illud opus de accurata rei veritate institutus esset. Etenim cui habita fides est scribenti quæ audierat, multo magis credendus est, cum ea scribit, non quæ ab aliis accepit, sed quæ vidit et audivit. Nam si ea, quæ de Christo dicta sunt, inquit, accepta habuisti, multo magis accipies ea, quæ de Apostolis dicturus sum. Quid igitur? An historia tantum hoc opus et Spiritu vacuum est? Nequaquam. Quo pacto? quoniam ea, quæ ipsi tradiderunt ii, qui viderant et ministri sermonis fuerant, ex Spiritu erant. Et cur non dixit: « Sicut tradiderunt nobis, qui Spiritu sancto dignati erant, » sed, « Qui ab initio viderunt? » Quia hoc maxime fidem facit, cum ab iis ipsis qui viderunt narratur; illud vero arrogantiam et fastum præ se tulisset apud insipientes. Ideo Joannes dicebat: « Ego vidi et testimonium perhibui, » quia hic est Filius Dei[1]. » Christus vero sic alloquitur Nicodemum adhuc rudiorem: « Quod scimus loquimur, et quod » vidimus testamur, et testimonium nostrum nemo acci- » pit[2]. » Ac rursum ostendens multa ex oculorum testimonio dici, Discipulis dicebat: « Et vos testificamini de me, » quia ab initio mecum estis[3]. » Apostoli quoque sæpe ita loquuntur: « Testes nos et Spiritus sanctus, quem dedit Deus » credentibus in se[4]. » Postea vero Petrus, ut resurrectioni fidem faciat, dicit: « Qui manducavimus et bibimus cum » illo[5]. » Facilius enim eorum testimonium admittebant, qui versati fuerant cum illo, quod adhuc longe abessent a notitia Spiritus. Quamobrem Joannes in Evangelio dicebat se vidisse[6], de sanguine et aqua loquens, oculatum testimonium ut maximum ponens; etiamsi oculis certiora sint ea quæ a Spiritu proficiscuntur; sed non apud incredulos.

[1] Joan. I, 34. — [2] Id. III, 11. — [3] Id. XV, 27. — [4] Act. II, 32. — [5] Id. X, 41. — [6] Joan. XIX, 35.

Quod vero Spiritus particeps Lucas fuerit, ex multis perspicuum est; tum ex signis, quæ tunc fiebant, tum quod illo tempore quilibet Spiritus essent participes; tum ex Pauli testimonio : « Cujus laus est in Evangelio[1], » inquit; tum ex ordinationis calculo; post illud enim addit : « Sed et ordi- » natus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ in hanc » gratiam, quæ ministratur a nobis[2]. »

III. Et vide quam sit a fastu alienus. Non enim dicit : « Primum Evangelium, quod evangelizavi; » sed, « Primum » sermonem feci, » se majorem esse putans Evangelii appellationem : etiamsi illum inde Apostolus celebret dicens : « Cujus laus est in Evangelio. » Sed ille modeste sic loquitur : « Primum quidem sermonem feci de omnibus, o » Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere; » non simpliciter de omnibus, sed a principio ad finem usque : « Usque ad diem, inquit, quo assumptus est. » Atqui Joannes declarat non posse omnia scribi : ut enim hoc ostendat, postquam dixerat : « Quæ si scribantur singula, nec ipsum » arbitror mundum posse capere, » adjicit : « Eos, qui scri- » bendi sunt, libros[3]. » Quomodo igitur, inquies, hic de omnibus loquitur? At non dixit : « Omnia, » sed, « De » omnibus : » ac si quis dicat summatim et in genere; aut de omnibus, quæ competunt et urgent. Deinde ostendit quæ sint illa omnia, quæ cœpit Jesus facere et docere; miracula nempe et doctrinam subindicans. Neque hoc tantum, sed quod etiam faciendo doceret. Vide autem illius benignum apostolicumque animum. Vel unius hominis causa hanc suscepit accuratam operam, ut totum Evangelium scriberet. « Ut habeas, inquit, eorum, de quibus » eruditus es, sermonum veritatem[4]. » Audierat enim Christum dicentem : « Non est voluntas Patris mei ut pereat

[1] 2 Cor. VIII, 18. — [2] Ibid. 19. — [3] Joan. XXI, 35. — [4] Luc. I, 4.

» unus ex his pusillis[1]. » Et cur non unum librum fecit uni Theophilo mittendum; sed in duo partitus est argumenta? Perspicuitatis causa, et ut intermissionem daret auditori. Alioquin vero distincta sunt amborum argumenta; consideres autem velim quomodo Christus per opera dictis suis fidem conciliarit. Ad mansuetudinem hortabatur, dicens : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde[2]. » Docebat paupertatem, et illam per opera exhibebat : nam « Filius » hominis non habet ubi caput suum reclinet[3], » inquit, jubebat rursum inimicos diligere : hoc in cruce docuit cum pro crucifigentibus precatus est. Dicebat : « Volenti » tecum in judicio contendere et tunicam tuam tollere, » dimitte ei et pallium[4] : » ipse vero non solum vestimenta, sed etiam sanguinem suum dedit. Sic etiam Discipulos suos facere jussit. Quapropter dicebat Paulus : « Sicut habetis » formam nostram[5]. » Nihil enim frigidius doctore, qui verbis tantum philosophatur : neque enim hoc doctoris est, sed hypocritæ. Idcirco Apostoli primum exemplo, hinc verbis docebant; imo non verbis opus habebant, operibus ipsis clamantibus. Neque aberraverit si quis passionem ejus actionem vocaverit : patiendo namque magnum illud mirabileque opus edidit, quo mortem solvit, ac reliqua omnia peregit. « Usque in diem, qua præcipiens Apos- » tolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est[6]. » Per Spiritum præcipiens, id est, spiritualia apud ipsos loquens præcepta, nihilque humanum. Vel hoc ergo dicendum; vel quod per Spiritum ipsis præceperit. Vides quomodo adhuc de Christo humiliter loquatur, ut et ipse de se ipso loquebatur dicens : « Si autem ego in Spiritu Dei ejicio » dæmonia[7]? » Etenim Spiritus sanctus in illo templo operabatur. Quid autem præcepit? « Euntes docete omnes

[1] Matth. XVIII, 14. — [2] Id. XI, 29. — [3] Id. VII, 20. — [4] Id. V, 40. — [5] Philip. III, 17. — [6] Act. I, 2. — [7] Matth. XII, 28, 19.

» gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spi- » ritus sancti; docentes eos servare omnia quæcumque man- » davi vobis[1]. » Magna laus Apostolorum, cum talia ipsis commissa sint, nimirum totius orbis salus; cum etiam verba Spiritu plena essent : id quod subindicans dicebat, « Per Spiritum sanctum; » id est, verba, quæ locutus sum vobis, Spiritus sunt. Hoc porro dicit ut auditorem ad concupiscentiam trahat discendi præcepta : Apostolisque fidem conciliat : siquidem ea, quæ sunt Spiritus, locuturi sunt, necnon præcepta Christi. Cum præcepisset, inquit, « As- » sumptus est. » Non dixit : « Ascendit; » quia de illo ut de homine adhuc loquitur. Post resurrectionem quoque fortasse Discipulos docuit. Sed hoc totum tempus nemo nobis accurate explicavit. Verum huic rei magis immoratur Joannes, quam cæteri, ut hic quoque : sed nullus omnia clare recensuit : ad aliud quippe festinabant. Hæc porro didicimus per Apostolos, qui ea quæ audierant retulerunt. « Quibus et præbuit se ipsum vivum[2]. » Locutus ante de assumptione, jam de resurrectione agit. Quia enim dixerat, « Assumptus est, » ne putares illum ab aliis assumptum fuisse, subjunxit, « Quibus et præbuit se ipsum vivum. » Nam si in majori re se ipsum exhibuit, multo magis in minori.

IV. Vides-ne quomodo clanculum hæc magna dissemi- net dogmata? « Per dies quadraginta apparens eis[3]. » Neque enim, ut ante resurrectionem, semper cum illis erat. Observa autem non dixisse illum, « Quadraginta » diebus, » sed, « Per dies quadraginta. » Adveniebat enim, et avolabat rursum. Quare? Animos illorum ad altiora ducebat, nec sinebat illo perinde erga se affici atque antea. Nec sine causa hoc agebat; sed utrumque diligenter præparans, ut resurrectio crederetur, et ut major ipse pu-

[1] Matth. xxviii, 19. — [2] Act. i, 3. — [3] Ibid.

taretur esse, quam homo. Atqui hæc erant inter se contraria : ut enim resurrectio crederetur, humana multa fieri oportebat ; ut alterum vero firmaretur, non item. Attamen utrumque opportuno tempore factum est. Cur autem non omnibus, sed Apostolis tantum apparuit? Quia multis id phantasma visum fuisset, qui arcanum mysterii non noverant. Si enim ipsi Discipuli non credebant initio et turbabantur, tactuque manus opus habebant, necnon mensa communi, quomodo vulgus affectum fuisset? Quapropter ex miraculis indubitatam reddit resurrectionem ; ita ut non illis tantum tunc temporis hominibus, sed omnibus postea certa foret resurrectio. Quod enim in illis effecerunt conspecta signa, hoc in posteris omnibus per fidem futurum erat. Ideo hinc incredulos argumentis impetimus. Si non resurrexit, sed mortuus manet, quomodo in nomine ejus Apostoli signa fecerunt? At non fecere miracula? quomodo ergo gens nostra constitit? Non enim huic veritati obsistent, neque pugnabunt contra ea, quæ sub conspectum cadunt. Itaque quando dicunt non facta fuisse miracula, tunc magis sese confundunt. Hoc enim maximum esset miraculum, si sine miraculis totus orbis accurrisset, a duodecim pauperibus et illitteratis hominibus captus. Neque enim pecuniis, non verborum sapientia, non alio simili modo piscatores vicerunt ; ut vel inviti confiteantur divinam in illis esse virtutem : neque enim humanæ vires talia unquam facere potuerint. Ideo ille quadraginta diebus mansit post resurrectionem ; tam longo conspectus sui spatio rei veritatem comprobans, ne id quod videbatur, phantasma esse putarent. Neque his contentus, mensam etiam addidit, id quod etiam postea dicit. «Et convescens cum illis[1]. » Hoc autem ipsi Apostoli semper in resurrectionis argumentum sumpserunt dicentes ;

[1] Act. I, 4.

» Qui manducavimus et bibimus cum illo [1]. » Quid autem apparens fecerit, per sequentia ostendit dicens : « Apparens » illis, et loquens de regno Dei. » Quia vero dejecti animis erant et turbati ob ea, quæ facta fuerant, atque ad magna deinceps exituri erant certamina, sermone circa futura habito recreans illos, « Præcepit ab Jerosolymis ne discede- » rent, sed expectarent promissionem Patris [2]. » Primo Galilæam deduxerat eos adhuc formidantes et trementes, ut cum libertate dicta audirent. Deinde cum audissent, et in his quadraginta dies essent versati, « Præcepit eis ab Jeroso- » lymis ne discederent. » Quare? sicut milites in agmina irrupturos nemo sinit exire, donec armati fuerint; neque equos ex carcere exilire, prius quam aurigam nacti sint; sic neque illos ante adventum Spiritus sancti in acie comparere permisit, ne facile a multis caperentur : neque propterea tantum; sed quia multi erant illic crediturі. Ad hæc vero, ne quidam dicerent ipsos, missis notis et contribulibus suis, ad extraneos ostentationis causa migrasse; idcirco apud eos ipsos, qui Jesum occiderant, signa præbent resurrectionis, apud eos, inquam, qui crucifixerant, qui sepelierant, in ipsa urbe ubi facinus impium patratum fuerat; ita ut extranei omnes hinc obmutescere cogerentur. Cum enim ii, qui crucifixerant, inter credentes comparerent; hinc certe et crucis et tam iniqui facinoris certum indicium, et resurrectionis magnum ducebatur argumentum. Deinde ne dicerent : « Quomodo ergo poterimus inter tam multos homines nefarios et homicidas degere, nos qui ita pauci et viles sumus; » vide quomodo hanc angustiam expediat et solvat dicens : « Sed expectarent promissio- » nem Patris : quam audistis a me. » Et quandonam, inquies, audierunt? Cum diceret : « Expedit vobis ut ego » vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad

[1] Act. x, 4. — [2] Id. i, 4.

» vos[1] ; » et rursum, « Ego rogabo Patrem, et alium Para-» cletum mittet vobis, ut maneat vobiscum[2]. »

V. Et cur non Christo præsente, vel non statim post ejus discessum, advenit Spiritus; sed Christus quadragesima die ascendit; Spiritus vero advenit cum complerentur dies Pentecostes? Ac, si nondum advenerat ille, quomodo Christus dicebat: « Accipite Spiritum sanctum[3]? » Ut illos capaces redderet atque idoneos accipiendo Spiritui. Si enim Angelum visurus Daniel[4], dissolvebatur, multo magis hi id passuri erant, tantam accepturi gratiam. Vel hoc dicendum est; vel quod rem futuram ut jam factam diceret; ut cum ait : « Calcate supra serpentes et scorpiones, et » supra omnem virtutem inimici[5]. » Cur autem non tunc statim advenit? Oportebat eos rei desiderio teneri, atque ita gratiam accipere. Ideo postquam ille discesserat, Spiritus advenit. Si illo præsente venisset, non in tanta expectatione fuissent : idcirco neque statim post ascensionem ejus advenit, sed post octo vel novem dies. Ita et nos tum maxime excitamur erga Deum, cum in necessitate constituti sumus. Ideoque Joannes tunc mittit Discipulos suos ad Christum, quando illo opus habituri erant, Joanne in carcere degente. Alioquin vero oportebat in cœlo comparere naturam nostram, et perfectam reconciliationem fieri, ac tum venire Spiritum, puramque percipi voluptatem. Nam si, Spiritu præsente, Dominus abiisset, ille vero mansisset, non tanta fuisset consolatio; Christo enim admodum hærentes, ab illo ægre divulsi fuissent. Unde et consolans illos dicebat : « Expedit vobis ut ego vadam[6]. » Ideo missionem Spiritus per aliquot dies differt, ut aliquandiu mœsti, et, ut dixi, in necessitate constituti, plena et pura fruerentur voluptate. Si vero minor esset

[1] Joan. XVI, 7. — [2] Id. XIV, 16. — [3] Id. XX, 22. — [4] Dan. VIII, 17. — [5] Luc. X, 19. — [6] Joan. XVI, 7.

Filio Spiritus, non fuisset sufficiens consolatio; quomodo enim dixisset: « Expedit vobis? » Ideo major illi doctrina reservata est, ne illum minorem putarent. Considerare velim quantam illis necessitatem imposuerit manendi Jerosolymis, cum promisisset se illic Spiritum præbiturum esse. Nam ne rursum post assumptionem ipsius fugerent, hac expectatione, ceu vinculo, illos omnes ibi retinet. Postquam autem dixit: « Ut expectarent promissionem » Patris, quam audistis a me, » subdit: « Quia Joannes » quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini in Spi- » ritu sancto non post multos hos dies[1]. » Ostendit demum quantum intersit Joannem inter et ipsum; jam non adumbrate ut antea; nam obscure admodum locutus fuerat, quando dixit: « Qui autem minor est in regno cœlorum, » major est illo[2]: » sed nunc manifestius: « Joannes, in- » quit, baptizavit aqua, vos autem baptizabimini in Spi- » ritu sancto. » Non jam utitur testimonio; sed personam tantum memorat, in memoriam revocans ea, quæ prius dixerat, significatque ipsos jam majores esse Joanne: siquidem in Spiritu et ipsi baptizaturi erant. Non dixit: « Vos ergo baptizo in Spiritu sancto; » sed, « Baptizabimini, » docens nos humilitatem. Nam ex testimonio Joannis, palam erat ipsum baptizaturum esse; dixit enim: « Ille vos bap- » tizabit in Spiritu sancto et igne[3]: » ideoque illum unum memoravit. Evangelia igitur historia sunt eorum, quæ Christus fecit et dixit; Acta vero, eorum, quæ alius Paracletus dixit et fecit. Ille namque jam olim multa operabatur, sicut etiam Christus nunc operatur, et olim quoque operabatur; sed tunc per templum, nunc per Apostolos. Et tunc quidem in virgineum uterum venit, et templum formavit; nunc autem in animas venit apostolicas: tunc in specie columbæ, nunc in specie ignis. Quare? Illic man-

[1] Act. I, 5. — [2] Matth. XI, 11. — [3] Luc. III, 16.

suetudinem exhibebat, hic vero ultionis severitatem. Judicium autem opportune commemorat. Cum enim peccata condonanda erant, multa opus erat mansuetudine. Quia vero donum consecuti sumus, jam tempus est judicii et examinis. Quomodo autem dicit, « Baptizabimini, » cum aqua non esset in cœnaculo ? Quia Spiritus est, per quem aqua operatur : quemadmodum Christus unctus fuisse dicitur, licet nunquam oleo unctus fuerit, sed Spiritum acceperit. Alioquin vero ipsos aqua baptizatos fuisse reperire est, et in diversis temporibus. Apud nos enim utrumque uno eodemque fit tempore, tunc autem diversis temporibus. Initio namque a Joanne baptizati sunt, nec mirum est. Nam si meretrices et publicani ad illud baptisma venerunt; multo magis ii, qui postea a Spiritu baptizandi erant. Deinde, ne dicerent rem in promissis semper esse ; nam multa hac de re dicta fuerant ; neve putarent operationem esse sine re aliqua, illos ab hac suspicione abducens, ait : « Non post multos hos dies : » neque indicavit quando, ut semper vigilarent ; sed brevi futurum dixit, ne animo deficerent; nec addidit quando, ut semper vigiles essent. Neque hoc tantum modo illos ad credendum inducit scilicet per brevitatem temporis ; sed etiam cum dicit : « Promissionem quam audistis a me ; » id est : « Non nunc vobis tantum dixi, sed jam promisi, quæ omnino facturus sum. » Quid ergo miraris si diem consummationis non dicat, qui hunc vicinum diem noluit indicare ? Idque jure merito, ut nimirum expectando vigilarent ac solliciti essent.

VI. Non potest enim, non potest, inquam, gratia frui qui non vigilat. Annon vides quod dicat Elias discipulo : « Si videris me, cum assumar, erit tibi sic[1] ; » id est, continget tibi hoc quod postulas ? Christus quoque solebat

[1] 4 Reg. II, 10.

accedentibus dicere : « Credis? » Etenim nisi rei datæ admodum hæserimus, beneficium non valde sentiemus. Sic et Paulo non statim data est gratia ; sed triduum intercessit quo cæcus erat, atque interim metu purgabatur et præparabatur. Quemadmodum enim qui purpuram tingunt, prius quibusdam aliis præparant id quod tincturam accepturum est, ne flos evanidus sit ; ita hic quoque Deus prius sollicitam animam præparat, et tunc gratiam infundit. Idcirco non statim Spiritum misit, sed in Pentecoste. Quod si quis dixerit : « Cur nos non hoc tempore baptizamus ? » respondebimus gratiam eamdem tunc fuisse quæ nunc est : sed mentem sublimiorem nunc esse, quod jejunio præparetur. Pentecostes vero tempus habet aliquam rationem non ineptam. Quænam illa est? existimaverunt patres nostri baptisma esse frenum idoneum malæ concupiscentiæ, magnamque doctrinam continere, ut vel tempore deliciarum temperantes simus. Ac si ergo cum Christo epulemur, mensæ ejus consortes, ne quid temere faciamus ; sed in jejuniis, precibus et temperantia multa degamus. Nam si is, qui sæcularem quamdam præfecturam aditurus est, sibi parat quidquid ad vitam pertinet ; et ut dignitatem quamdam assequatur, pecunias impendit, tempus consumit, et sexcentos subit labores ; quo nos digni fuerimus supplicio, qui cum tanta socordia regnum cœlorum adimus, neque antequam assequamur solliciti, et post acceptum ignavi? Ideo enim postquam accepimus, segnes sumus, quia antequam acciperemus non vigilavimus. Idcirco multi postquam acceperunt, protinus ad priorem vomitum redierunt, pejores sunt effecti, et gravius sibi supplicium attraxerunt, a prioribus liberati peccatis : hincque magis judicem ad iram concitarunt, quod a tanto soluti morbo, ne sic quidem resipuerint ; sed illud passi sint quod paralytico comminatus est

Christus dicens : « Ecce sanus factus es, noli amplius pec-» care, ne quid tibi deterius contingat [1] : » Quod de Judæis prædixit, ostendens ipsos ingrati animi causa intolerabilia passuros esse ; « Si non venissem et locutus fuissem eis, » peccatum non haberent [2]. » Itaque posthac dupla et quadrupla sunt peccata. Quo pacto ? Quia post collatum honorem ingrati sumus et improbi. Quapropter nihil nobis proficit lavacrum, ut mitius puniamur. Animadverte porro, in gravia peccata quis incidit ? vel cædem, vel adulterium, vel aliud quidpiam deterius admisit ? hæc per lavacrum remissa sunt ; nullum quippe est, nullum est certe peccatum, nulla impietas, quæ huic dono non cedat : divina quippe est gratia. Rursum mœchatus est quis et occidit ? primum quidem adulterium solutum est, et cædes condonata, neque revocatur : dona quippe Dei et vocatio ejus sunt sine pœnitentia [3]. Sed pro iis, quæ post baptismum perpetrata sunt, tantas damus pœnas, quantas si illa revocata non fuissent, imo longe majores. Non enim jam simplex est peccatum, sed duplex et triplex. Quod autem horum major sit ultio, audi quid dicat Paulus : « Irritam quis faciens legem Moysis, sine ulla misericordia » duobus vel tribus testibus moritur : quanto magis pu-» tatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculca-» verit, et sanguinem Testamenti pollutum duxerit, et » Spiritui gratiæ contumeliam fecerit [4] ? » Fortasse multos avertimus ne nunc accipiant baptisma : verum non hæc illa de causa diximus ; sed ut qui jam acceperunt, in multa maneant temperantia et modestia. At metuo, dicet aliquis. Si metueres, accepisse utique, et servasses. Verum, inquies, ea ipsa de causa non accipio, quod metuam. An non metuis sic ex hac vita decedere ? Clemens, inquit, est

[1] Joan. v, 14. — [2] Id. xv, 22. — [3] Rom. xi, 29. — [4] Hebr. x, 28, 29.

Deus. Igitur accipe baptisma : clemens enim est, et opitulatur. Tu vero ubi oporteret studiose rem agere, illam non prætendis clementiam ; ubi vero differre optas, tunc illam clementiam memoras. Atqui tunc tempus esset utendi illa clementia, atque illam tum magis assequemur, cum ea, quæ penes nos sunt, afferemus. Etenim is, qui omnia in Deum rejicit, et post baptisma peccat, utpote homo, per pœnitentiam venia donabitur. Qui vero de Dei clementia quasi argute agit : si gratiæ expers hinc decedat, inevitabili supplicio plectetur. Cur autem hæc adversus salutem tuam prætendis ? Impossibile enim est, impossibile, ut puto, est eum, qui tali spe fultus differt, strenuum quid aut bonum operari. Tu vero cur tantum metum suscipis, et incertum futurum prætendis ? Cur non metum illum in laborem et diligentiam mutas, ut sis magnus et mirabilis ? Utrum melius est timere an laborare ? Si quis te collocaret otiosum in domo ruinæ proxima, diceretque : « Expecta donec contignatio jam putris in caput tuum cadat ; nam forte cadet, forte non cadet ; sin non placet, operare, et in tutissimo habita thalamo ; » utrum potius eligeres ? otium-ne illud timore plenum, an laborem spe fultum ? Ita et nunc facito. Nam incertum illud futurum, est quasi domus in ruinam vergens ; illa vero operatio, etsi laboriosa, securitatem spondet.

VII. Absit ergo ut in tantam necessitatem incidamus, ut post lavacrum peccemus. Attamen si quid simile accidat, ne sic quidem desperemus. Clemens enim est Dominus ; multasque nobis dedit remissionis postea impetrandæ vias. Cæterum sicut ii, qui post lavacrum peccant, gravius puniuntur, quam catechumeni ; sic qui sciunt pœnitentiæ esse remedia, nec iis uti volunt, graviora patientur. Quanto enim major est Dei clementia, tanto magis supplicium augetur, si non illa, ut oportet, utamur. Quid dicis, o

homo ? Tantis plenus malis ac deploratus, amicus repente factus es, et ad culmen honoris evectus : non ex propriis laboribus, sed ex dono Dei, et rursus ad pristinam reversus es turpitudinem, etiamsi hinc graviter cruciandus sis ? Ille vero neque sic aversus est ; sed mille salutis ansas Deus dedit, per quas amicus efficiaris : tu vero ne sic quidem vis laborem suscipere, et qua tandem venia dignus eris ? Quomodo non te jure gentiles derideant, ceu fucum quempiam temere frustraque viventem. Nam si valet, inquiunt, philosophia vestra, quid sibi vult illa non initiatorum multitudo ? Præclara certe atque expetenda mysteria. Sed nullus expectet ut animam agens lavacrum accipiat : non enim mysteriorum tempus illud est, sed testamentorum. Mysteriorum autem tempus est, sanitas mentium, et animæ temperantia. Dic enim mihi : Si testamenta non vult quis sic affectus edere ; sed etsi ediderit, ansam dat postea litigandi ; ideoque qui testantur hæc addunt verba : « Ego vivens, et mente valens mea dispono ; quomodo is, qui sui compos non est, poterit accurate mysteriis initiari ? Si enim de sæcularibus rebus non sinunt externæ leges testari eum, qui omnino mente non valeat, cum tamen de suis facultatibus præscripturus sit, quomodo de regno cœlorum deque arcanis illis bonis institutus poteris clare omnia discere, cum sæpe ob morbum mente captus sis ? Quandonam verba illa Christo dices, consepultus cum illo, cum jam migraturus sis ? Nam et operibus et verbis benevolentia illi exhibenda est. Tu vero perinde facis, ac si quis postulet ascribi militiæ, cum jam bellum est solvendum ; aut si athleta tum vestes exuat, cum spectatores surgunt. Nam ideo arma sumis, non ut protinus aufugias ; sed ut illis instructus, contra hostem trophæum erigas. Nemo putet intempestivum hunc sermonem esse, quia non in Quadragesima nunc sumus. Ideo namque discrucior,

quod in talibus rebus tempus observetis. Etenim eunuchus ille et barbarus iter agens, media in via cum esset, tempus non exquisivit [1] : nec custos carceris ille, inter vinctos, cum magistrum videret flagellis cæsum et vinctum, et in carcere mansurum [2]. Hic autem plerique, non in carcere, non in via constituti, differunt, idque ad extremum usque vitæ halitum.

VIII. Quod si adhuc ambigis num Christus sit Deus : foris stato, nec divina verba audias, neque inter catechumenos te annumeres. Sin confidis, et hoc probe cognoscis, quid cunctaris? Cur refugis et segnis es? Vereor, inquies, ne peccem; quod vero deterius est non vereris, ne cum tantis sarcinis illo abeas? Non enim par culpa est propositam gratiam non assequi, et rem aggressum, frustra conatum esse. Dic mihi, si redarguaris, cur non accesseris; cur non recte rem perfeceris, quid dices? Illic enim forte allegare posses onus præceptorum et virtutis : hic vero nihil simile. Gratia enim est gratis dans libertatem. Verum times ne pecces? Hoc post baptisma dicito. Tunc time, ut serves libertatem, quam accepisti; non ut tantum donum gratis non accipias. Nunc autem ante baptisma pius es; post baptisma, segnis. Sed tempus Quadragesimæ expectas? Qua de causa? Num amplius quid habet illud tempus? Apostoli namque non in Paschate gratia dignati sunt, sed alio tempore : illa tria et quinque millia non in Paschate baptizata sunt, ut neque Cornelius, Eunuchus et alii plurimi. Ne itaque tempus expectemus; ut ne cunctantes et differentes, vacui et expertes tantorum bonorum abeamus. Quantum putatis me discruciari, cum audio quempiam non initiatum obiisse, et cogito intolerabilia illa supplicia inevitabilemque cruciatum? Rursus quam angor, cum alios video ad extremum halitum deductos,

[1] Act. VIII, 27. — [2] Id. XVI, 29.

non tamen resipiscere? Ideo multa fiunt hoc tanto dono indigna. At cum oporteret gaudere, choreas agere, lætari, coronari, cum quispiam initiatur; quando ægroti uxor audit id a medico statutum fuisse, quasi in magno infortunio plangit, et lamentatur : hinc gemitus et ejulatus per totam domum (1), ac si damnatus quispiam ad necem duceretur. Ille quoque tunc magis dolet, et si a morbo convalescat, gravius cruciatur, ac si magno affectus esset damno. Quia enim non erat ad virtutem præparatus, segniter agit deinceps, et certamina refugit. Vides-ne quantas machinas diabolus apparet, quantum risum, quantum ludibrium? Ab hoc itaque ludibrio nos subducamus, vivamus ut præcepit Christus. Ideo baptisma dedit, non ut statim abscedamus; sed ut post baptismum viventes fructus proferamus. Quomodo abeunti, et exciso dices : « Fructifica? » Non audisti quod fructus Spiritus sit, « Charitas, » gaudium, pax [2] ? » Quomodo igitur contraria eveniunt? Etenim uxor astat lugens, cum gaudere oporteret; liberi plorant, cum gratulari par esset : is ipse, qui jacet obtenebratus, tumultu ac perturbatione plenus est, cum oporteret festum agere; in mœrore totus, quod filios orbos relinquat, uxorem viduam, domum desertam. Num sic, quæso, acceditur ad mysteria? Num sic aditur sacra mensa? Hæccine ferenda? Si imperator, missis litteris, vinctos in carcere solvat, gaudium est ac lætitia : Deus autem mittit Spiritum de cœlis, non pecuniæ reliquias, sed universa peccata condonans, omnesque fugetis et ingemiscitis? Quæ est hæc inæqualitas? Nondum enim dico, quod mortuis infusa sit aqua, et quod sancta projecta sint in terram : non enim nos in causa sumus; sed ingrati quidam. Proinde rogo ut, omnibus omissis, nosmetipsos convertamus, et cum omni alacritate ad baptismum acce-

[1] Galat. v, 22.

damus; ut cum in præsenti vita magnam exhibuerimus diligentiam, futuram consequamur fiduciam, quam nos omnes assequi contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

CAPUT I.

Igitur qui convenerant, interrogabant eum dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël [1]?

I. Discipuli interrogaturi simul adeunt, ut multitudinis reverentia responsionem obtineant. Sciebant id quod nuper dixerat Jesus: «Nemo novit diem [2],» repellentis fuisse, neque ignorantis, sed differentis responsionem. Unde rursus accedunt, et interrogant. Non autem interrogassent, nisi id vere persuasum habuissent. Quia enim audierant se Spiritum sanctum accepturos esse, ut jam digni id volebant ediscere, jam parati ad libertatem obtinendam. Non enim volebant se in pericula conjicere, sed potius respirare, eo quod non exigua essent quæ illis contigerant, sed de extremis periclitati essent. Nihil igitur de Spiritu locuti, sic interrogant: «Domine, si in tempore hoc restitues regnum »Israël.» Non dixerunt: «Quando?» sed, «An nunc?» adeo desiderabant diem cognoscere. Ideo multo cum honore adeunt. Puto autem illos non clare novisse quodnam esset illud regnum. Nondum enim Spiritus illos docuerat. Nec dixerunt: «Quando hæc erunt?» sed quid? «Si in tem-

[1] Act. I, 6. — [2] Matth. XXIV, 36.

» pore hoc restitues regnum Israël? » Utpote quod jam exciderat. Hæc ita sciscitantur, quia erga sensibilia adhuc affecti erant, etsi non quantum antea. Nondum enim meliores facti erant. Sic demum hi majora de illo imaginabantur. Quia igitur ad altiora provecti erant, et ipse sublimius eos alloquitur. Non jam enim ita dicit illis : « Neque Filius diem novit [1]. » Sed quid? « Non est ves- » trum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua » potestate [2]. Majora, inquit, postulatis. » Atqui longe majora, inquies, jam didicerant. Ut autem hoc accurate discas, perpende quam multa recenseam. Quid, quæso, majus iis quæ didicerant? ipsi nempe esse Filium Dei; esse Patri honore parem didicerant; resurrectionem fore; ipsum ascendentem sessurum ad dexteram Patris : rem item magis stupendam didicerant, quod caro superne sedeat, et adoretur ab Angelis; quod iterum venturus sit judicare mundum universum : didicerant, quod ipsi quoque tunc sessuri essent judices duodecim tribuum Israël : didicerant Judæos ejiciendos esse, atque eorum loco ingressuras gentes. Discere hæc futura esse, magnum est; dicere vero aliquem esse regnaturum, et quando id accidet, non ita magnum est. Didicit Paulus quæ non licebat homini loqui, omnia quæ mundum hunc præcesserant. Utrum discere difficilius est, principium, an finem? Liquet prius esse difficilius. Atqui id Moyses didicit, et quando et quanto ante tempore declarat, cum annos enumerat. Hoc et Salomon sciebat. Ideo ait : « Commemorabo ea quæ » fuerunt a sæculo [3]. » Quod porro Dominus prope sit, hi postea noverunt, ut et Paulus qui dicit : « Dominus prope » est, nihil solliciti sitis [4]. » Sed tunc non noverant, tametsi signa jam acceperant. Christus autem dixit : « Non » post multos hos dies, » volens illos vigiles esse, nec evi-

[1] Marc. XIII, 32. — [2] Act. I, 7. — [3] Eccli. XLI, 11. — [4] Philip. IV, 5.

denter rem declaravit; ita et nunc facit. Illi autem hic non de consummatione, sed de regno interrogant; ideoque dicebant : « Si in tempore hoc restitues regnum Israël. » Ille vero non id eis revelavit. De fine autem antehac interrogabant. Sed non quemadmodum illis severius respondit : abducens illos ne putarent liberationem esse vicinam et conjecit illos in pericula; ita et hic facit, sed mansuetius. Ne putarent enim sibi contumeliam inferri, neve crederent hæc obtentus esse, audi quomodo statim illis polliceatur si aliquid daturum, de quo gauderent. Subjecit igitur : « Sed accipietis virtutem supervenientis in vos » Spiritus sancti, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in » omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ[1]. » Deinde ne rursus ipsum interrogarent, statim assumptus est. Quemadmodum igitur illic metu ipsos obtenebravit, cum dixit se nescire; sic et hoc loco, statim assumptus, ut dicitur : multo namque rei desiderio tenebantur; neque destitissent; ac necesse admodum erat nescirent id, quod scire cupiebant. Dic enim mihi, quid minus credunt gentiles, an futuram consummationem, an quod Deus homo factus sit, et ex Virginis utero prodierit, atque cum carne ab hominibus visus sit? Annon hoc postremum? ita certe dicturus es. Verum pudet me hac de re sæpe loqui, quasi de negotio quopiam indifferente. Rursus ne dicerent : « Cur rem suspendis? » ait, « Quæ Pater posuit in sua potestate. » Atqui una est Patris et Filii potestas, ut cum dicit : « Si- » cut enim Pater mortuos suscitat et vivificat, ita et Filius » quos vult vivificat[2]. » Si cum operari oportet cum eadem agit potestate, annon cum scire quidpiam oportet, cum eadem sciat potestate? Attamen longe majus est mortuos suscitare, quam scire illam diem. Quod si id quod majus

[1] Act. I, 8. — [2] Joan. V, 21.

est cum potestate facit, annon multo magis faciet et alterum?

II. Verum ut rem discatis, exemplo vobis illam declarabo. Sicut cum infantem videmus plorantem, ac sæpe quidpiam a nobis petentem sibi non necessarium, id occultamus, vacuasque illi manus ostendimus, dicentes: « Ecce non habemus; » ita et ipse Apostolis fecit. Verum ut infans ille, si nihil ostendamus, instat plorando, se delusum videns, nosque discedimus dicentes: « Vocat me quispiam, » et ejus quod petebat loco, aliud quidpiam illi damus, ut eum a tali desiderio avocemus, et laudantes id quod damus præ re quæsita, statim nos subducimus: sic fecit Christus. Illi accipere quærebant, hic se habere negavit. Attamen primo deterruit; at quia rursus quærebant, iterum dixit se non habere. Verum jam non territat, sed postquam ostendit id quod fecerat, affert probabilem causam, « Pater, inquit, posuit in sua potestate. » Quid ergo? An tu nescis ea quæ Patris sunt? An ipsum nosti, et quæ ejus sunt ignoras? Dixisti: « Nemo novit Patrem nisi Filius[1]; » et Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei[2]; » et tu ne hoc quidem nosti? Absit. Non ut hoc suspicemur, ita locutus est. Sed se nescire simulat, ut illos ab intempestiva quæstione abducat. Non ausi sunt ergo iterum interrogare, ne audirent: « Et vos insipientes estis. » Multo enim magis illum nunc metuebant, quam antea. « Sed accipie- » tis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos. » Quemadmodum enim illic non ad interrogata respondit: doctoris enim est, non quod vult discipulus, sed quod ipsi expedit docere; ita et nunc, quæ discere opus erat prædicit, ne turbentur. Fortasse quia infirmi erant, ut fiduciam indat, ipsorum animos erigit, et onerosa texit. Quia enim paulo post illos relicturus erat, nihil ipsis asperum simpli-

[1] Luc. x, 22. — [2] 1 Cor. II, 10.

citer loquitur. Sed quid? Cum admixta laude molesta mitigat; ac si diceret : « Ne timeatis; nam « Accipietis vir- » tutem supervenientis Spiritus sancti in vos; et eritis mihi » testes in Jerusalem et in omni Judæa et Samaria. » Quia enim dixerat; « In viam gentium ne abieritis, et in civita- » tem Samaritanorum ne intraveritis [1]; » nunc vero vult eos prædicare in omni Judæa et Samaria; quæ tunc non dixerat, hic addit, « Et usque ad ultimum terræ. » Et, quod omnium terribilissimum erat locutus, ne rursus illum interrogarent : « Videntibus illis elevatus est, et nubes » suscepit eum ab oculis eorum [2]. » Vides-ne eos prædicasse et implevisse Evangelium? Vere rem magnam dedit illis. Ubi timuistis, inquit, nempe Jerosolymæ, ibi primo prædicate, et postea usque ad ultimum terræ. Deinde ad fidem faciendam iis quæ dixerat : « Videntibus illis eleva- » tus est, » inquit. Non illis videntibus resurrexit, sed illis videntibus elevatus est; quia neque aspectus hic omnia potuit. Nam resurrectionis finem viderunt, initium non item; assumptionis vero initium viderunt, non vero finem. Inutile namque fuisset in resurrectione initium videre, ipse præsente qui hæc loqueretur, et sepulcro testificante ipsum ibi jam non esse. Sed quæ assumptionem secuta sunt verbo discere oportebat. Quia enim non poterant oculi ad tantam pertingere celsitudinem, nec docere an in cœlum, an quasi in cœlum ascenderit, vide quid factum sit. Quod ipse Jesus esset sciebant ex iis, quæ ad ipsos locutus fuerat; procul vero positum non poterant oculis cognoscere; quod autem in cœlum susceptus sit, ipsi postea docuerunt Angeli. Vide quomodo provisum sit ut non Spiritu omnia, sed quædam oculis cernerentur. Cur autem nubes suscepit eum? Hoc quoque signum erat ipsum ascendisse in cœlum. Non iguis, ut Eliam, neque currus

[1] Matth. x, 5. — [2] Act. i, 9.

igneus, sed nubes suscepit eum ; quod erat cœli symbolum, ut ait Propheta, « Qui posuit in nube ascensum suum [1] : » quanquam hoc de Patre dictum est. Ideo dicit : « In nube, » declarans id esse in symbolo divinæ potentiæ : neque enim alia virtus ulla in nube conspicitur. Audi rursus quod Propheta dicat : « Dominus sedet super nubem levem [2]. »

III. Cum ergo de re, quam necessariam putabant, interrogarent. cumque dictis admodum intenti essent, et concitati nec dormitantes, hoc accidit. In monte quoque nubes propter ipsum erat, quando Moyses ingressus est in caliginem [3] ; sed non propter illum nubes erat. Ille vero non simpliciter dixit : « Vado, » ne rursum dolerent ; sed dixit : « Spiritum mitto. » Quod autem in cœlum abiret, ipsis oculis didicerunt. Papæ, quanto spectaculo dignati sunt ! « Cumque intuerentur, inquit, in cœlum euntem » illum, ecce duo viri astiterunt illis in veste alba, qui et » dixerunt : Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum [4] ? » Demonstrantium more loquuntur : hic « Qui assumptus » est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis » eum euntem in cœlum [5]. » Iterum læta species est. Angeli enim quidam hominum specie astantes dixerunt : « Viri Galilæi. » Fide digni certe videbantur cum dicerent, « Viri Galilæi. » Ad quid enim patriam memorassent, nisi ut fidem facerent? Ex specie quoque illos ad se convertebant, declarantes se de cœlis esse profectos. Cur non ipse Christus hæc ipsis loquitur, sed Angeli ? Prius illis omnia dixerat, jamvero per Angelos illis in memoriam revocat ea quæ audierant. Nec dixit : « Quem vidistis assumptum, » sed, « Euntem in cœlum ; » ut ostendatur assumptionem illam, ascensionem fuisse. Carnis autem est assumi. Ideo dicit : « Qui assumptus est a vobis, sic veniet : » non mit-

[1] Psal. CIII, 4. — [2] Isaï. XIX, 10. — [3] Exod. XXXIII, 9. — [4] Act. I, 10, 11. — [5] Ibid.

tetur, sed veniet. Qua in re ergo minor est Filius? « Nubes suscepit eum. » Recte ; ipse enim ascendit in nubem : quoniam « Qui ascendit, ipse est qui descendit[1]. » Animadverte, quomodo alia secundum Discipulorum mentem dicantur, alia secundum dignitatem Dei. Sublimiorque demum facta est mens videntium, ac secundi adventus non parvam illis dedit notitiam ; illud enim, « Sic veniet, » hoc significat ; cum corpore, inquit : illud enim audire optabant ; et quod iterum nube vectus ad judicium venturus sit. « Et ecce, inquit, duo viri astiterunt. » Cur dixit, « Viri. » Quia perfectam virorum formam repræsentabant, ne illi obstupescerent. « Qui et dixerunt : Quid » statis aspicientes in cœlum? » simul blandientium verba erant, et non tamen sinentium cito expectare reditum ejus. Illi quod majus est dicunt ; quod vero minus non item : ipsum sic venturum, et ex cœlo expectandum esse dicunt. Quandonam vero : id tacent. Ab illo autem spectaculo evocatos, dictis suis attentos reddunt, ut ne quoniam Dominum jam videre non poterant, putarent ipsum non ascendisse ; utque illos verbis suis præmunirent. Nam si prius dicebant ; « Quo vadis[2] ? » multo magis nunc dixissent : « Num in tempore hoc restitues regnum Israël? » Ita illius mansuetudinem noverant, ut post passionem interrogarent illum, « Num restitues? » Atqui prius dixerat illis, « Audituri estis bella et opiniones bellorum : sed » nondum finis[3], » neque Jerosolyma tunc capietur. Nunc autem de regno interrogant, non de consummatione. Alioquin vero post resurrectionem non longos cum illis sermones habet. Igitur illi sic interrogant ac si celebres futuri sint. Si hoc eveniat : ipse vero non declarat an restiturus sit, necne. Quæ necessitas enim ut illi hoc discerent? Ideo hoc metuentes illi non ultra dicunt : « Quod signum

[1] Ephes. IV, 10. — [2] Joan. XIII, 36. — [3] Matth. XXIV, 7.

» adventus tui, et consummationis sæculi[1] ?» sed, « Num » restitues regnum Israël ? » Existimabant enim id jam adesse. Ipse vero in parabolis ostenderat id non prope esse : et jam ubi interrogarunt, respondet : « Accipietis virtu- » tem supervenientis Spiritus sancti in vos. » Animadverte quod dixerit, « Supervenientis, » non, missi, ut parem honorem ostenderet. Quomodo ergo, Spiritus sancti inimice, audes illum dicere creaturam ? « Et eritis mihi tes- » tes. » Assumptionem subindicavit, imo potius id quod jam audierant in mentem revocat. Jam ostensum est ipsum in cœlos ascendisse. « Nubes et caligo sub pedibus ejus[2], » inquit, quo significatur illud : « Nubes suscepit eum, » nempe cœlorum Dominum : regem namque declarat currus regius. Sic illi missus est currus regius, ut ne quid triste loqueretur, neve id illis accideret, quod Elisæo, qui assumpto magistro, tunicam discidit[3]. Quid vero dicunt Angeli ? « Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, » sic veniet. Et ecce duo viri astiterunt illis, » jure quidem ; « Nam in ore duorum testium stabit omne verbum[4], » et hi eadem ipsa loquuntur. « In veste, inquit, alba. » Quemadmodum jam ante ad monumentum Angelum viderant in vestibus fulgidis, qui prædixit illis quid in animo versarent; sic et assumptionis ejus præco Angelus est. Quod etiam Prophetæ sæpe prædixerant, ut et ea quæ resurrectionem spectabant.

IV. Ubique Angeli nuntii sunt; sic in natali; sic ad Mariam; sic in resurrectione, perindeque in assumptione : imo etiam in secundo adventu Angeli præcurrentes videbuntur. Cum dixissent autem : « Hic Jesus qui assumptus » est a vobis, » ne consternarent illos, adjiciunt, « Sic » veniet. » Paululum respirarunt audientes ipsum rediturum esse, et sic rediturum, nec inaccessum fore. Illud vero,

[1] Matth. XXIV, 3. — [2] Psal. XCVI, 2. — [3] 4 Reg. II, 12. — [4] Deut. VII, 6.

« A vobis, » non sine causa additur ; sed ejus erga illos amorem declarat, et electionem ipsorum, innuitque non relicturum esse eos quos elegit. Resurrectionis ergo suæ ipse testis fuit ; imo eorum, quæ ante partum, atque etiam post partum contigerunt, illud maxime mirandum, quod se ipsum suscitaverit. Nam ait : « Solvite templum hoc, et » in tribus diebus excitabo illud[1]. » Futurum autem adventum Angeli ita indicant, « Sic veniet. » Si quis ergo Christum videre cupit ; si quis dolet quod illum non viderit, his auditis, admirandam vitam exhibeat, et sic videbit, nec aberrabit a scopo. Nam cum majore venturus est gloria : sed sic cum nube, sic cum corpore : ac longe mirabilius erit sic ipsum videre de cœlo descendentem, quam a terra ascendentem. Venturum igitur dixerunt ; qua de causa venturus sit, non addiderunt. Hoc resurrectionem confirmat. Si enim cum corpore assumptus est ; multo magis cum corpore resurrexit. Ubinam sunt ii qui resurrectioni non credunt? Qui sunt illi, dic mihi, Gentiles an Christiani ? Id certe nescio, imo potius probe novi. Gentiles quippe sunt, qui creationi non credunt. Eorumdem enim est non concedere Deum posse aliquid ex nihilo creare, et negare ipsum posse ea suscitare quæ sepulta sunt. Deinde pudore affecti quod non cognoscant virtutem Dei, ne ideo incusentur, dicunt : Non ideo hoc dicimus, sed quod corpore non sit opus. Apposite dicatur ; « Stultus stulta loquetur[2]. » Non vos pudet Deo potestatem auferre aliquid ex nihilo creandi ? Si ex præexistentibus creat, in quo ergo differt ab hominibus ? Sed unde, inquiunt, mala ? An quia ignoras unde, aliud debes inducere malum in cognitione malorum ? Duo enim hinc absurda sequuntur ; alterum quod sic loqui audeas : nam si negas Deum ex nihilo creare, multo magis ignorabis unde

[1] Joan. VI, 19. — [2] Isaï. XXXII, 6.

mala sint : alterum vero, quod sic ingenitam malitiam dicas (2). Cogita quam operosum sit fontem malorum reperire, hunc ignorare, et alterum huic addere. Quære unde male veniant, nec blasphemes contra Deum. Quomodo blasphemo, inquies. Quid dicis ? Non blasphemas quando malum inducis ingenitum ? Cum illi potestatem tribuis divinæ parem, virtutem malorum æqualem ? Ingenitum malum ? Vide quid Paulus dicat : « Invisibilia » enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt in» tellecta conspiciuntur[1]. » Certe diabolus utraque dicit esse ex materia, ut nulla ex re Deum cognoscamus. Quid enim, quæso, difficilius est, id quod natura sit malum facere bonum ; si tamen ullum est, (loquor enim secundum vestram opinionem : natura quippe nihil potest fieri malum, quod bonis sit adjumento,) an creare ex non extantibus ? Quid est facilius ? (de qualitate loquor) an qualitatem quæ non sit inducere, aut quæ sit in contrarium mutare ? Quid facilius, domum quæ non sit struere, an desertam restaurare ? Planum est illud esse facilius. Ergo hoc impossibile est ; sicut autem hoc fieri nequit, ita et illud impossibile est, nempe in contrarium operari.

V. Dic mihi, quid difficilius est, unguentum conficere, aut luto vim inferre, ut ea quæ unguentum operetur ? Utrum, quæso, eorum facilius est ? quandoquidem Deum ratiociniis nostris subjicimus ; at non nos, absit ; sed vos id facitis. Oculos formare, an facere ut cæcus manens cæcus videat, et acutius vidente, cæcitate ad visum utatur, surditate ad auditum ? Videtur mihi prius illud facilius. Quod ergo difficilius est Deo concedis, quod facilius non item ? Sed quid in his insisto ? Etiam animas dicunt ex substantia Dei esse. At vide quanta impia et stulta proferant. Dum probare nituntur mala ex Deo esse, aliud ma-

[1] Rom. I, 20.

gis impium inducunt; nam illa ipsi contemporanea, nec Deum illis antiquiorem esse statuunt, tantam illis prærogativam dare non veriti. Secundo etiam malitiam statuunt immortalem. Quod enim ingenitum est, nunquam interit. Videtis blasphemiam? Itaque necesse est, aut nihil a Deo esse; aut, si hæc non sunt, ne Deum quidem esse. Tertio, ut jam dixi, hinc illi secum pugnant, et majorem Dei in se indignationem provocant. Quarto, quod huic non subsistenti materiæ tantam vim tribuant. Quinto, quod malitiam bonitatis Dei causam fuisse dicant, quodque sine hac, aiunt, bonus ille non esset bonus. Sexto, quod viam nobis præcludant perveniendi ad cognitionem Dei. Septimo, quod Deum ad homines deducant, imo ad plantas et ligna. Etenim si anima nostra ex Dei substantia est; eademque anima demigrat in varia corpora, in cucumeres, in peponas, in cepas; ergo Dei pariter substantia in cucumeres abit. Jam si dixerimus Spiritum sanctum efformasse templum in Virgine, nos illi derident: si dicamus habitasse in spirituali templo, rursus irrident. Nec pudet illos Dei substantiam in cucumeres, in peponas, in muscas, bruchos et asinos deducere, nova idololatriæ specie reperta. At non cepa, inquit, in Deo est; sed Deus in cepa: neque enim cepa Deus fuerit. Cur refugis Dei demigrationem in corpora? Turpis res est, inquit. Multo certe turpius hoc est. At non turpis res est. Quomodo? Quandoquidem si in nobis fiat vere turpe est. Videtis-ne fæcem impietatis? Sed cur nolunt corpus resurgere? Quid hic dicent? Quia corpus mala res est. Et quomodo, quæso, Deum nosti? unde rerum notitiam habes? Quo pacto philosophus est philosophus, si nihil efficit corpus? destrue sensus, et disce aliquid eorum quæ scire est opus. Quid autem insipientius esset anima, si ab initio sensus haberet vitiatos? Nam si una corporis parte vitiata, nempe cerebro, tota ipsa lædi-

tur; si cætera quoque vitientur, in quo utilis erit? Ostende mihi animam sine corpore. Annon audis medicos dicentes : « Morbus vehementer obscurat animam? » Quousque vos strangulare differetis? Num, quæso, corpus ex materia est? Recte quidem. Ergo ipsum odisse oportuit? Cur ergo ipsum alis? cur foves? Ergo te ipsum interficere debuisti? Ergo te ab hoc carcere liberare oportuit? Alioquin vero Deus non potest vincere materiam, nisi cum illa misceatur. Non potest enim illi præcipere donec cum illa fueris, ac per totam pervadat. O imbecillitatem! Rex imperando facit omnia; Deus vero malis non imperat? In summa nisi materia boni cujuspiam esset particeps, subsistere non posset. Malitia enim subsistere nequit, nisi virtuti admisceatur : proinde nisi fuisset admixta virtuti, jamdiu periisset : nam hæc est malorum conditio. Sit quispiam lascivus, qui sui impotens omnino sit, an vivet decem dies? Sit latro quispiam, qui nulla retinente conscientia in omnes, etiamque in consceleratos grassetur, num vixerit omnino? Sit aliquis fur impudens, qui sine rubore palam furetur, num diu superstes erit? Malorum natura talis est, ut nisi boni quidpiam habeant, stare non possint; sic illa Deus, ut illi dicunt, constituit. Sit civitas improborum hominum, an stabit unquam? Stent mali non contra bonos, sed contra se ipsos certe stare nequeunt. « Vere » stulti facti sunt, cum dicant se esse sapientes [1]. » Si corpus malum est, frustra facta sunt omnia quæ conspiciuntur, aqua, terra, sol, aër. Nam et aër corpus est, etiamsi non densum et solidum. Opportune ergo dicatur : « Narraverunt mihi iniqui fabulationes [2]. » Verum hæc ne toleremus; sed aures ab illis avertamus. Est enim, est utique corporum resurrectio. Hoc declarat sepulcrum Jerosolymis; necnon lignum cui fuit alligatus ut flagellis

[1] Rom. I, 22. — [2] Psal. CXVIII, 85.

cæderetur. « Comedimus enim, » inquit, « Et bibimus »cum illo [1]. » Credamus ergo resurrectioni, et quæ hac digna sint operemur, ut futura consequamur bona, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

CAPUT I.

Tunc reversi sunt Apostoli Jerosolymam a monte qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, sabbati habens iter [2].

I. « Tunc, inquit, reversi sunt. » Tunc, quandonam? Post quam illa audierant; non enim alio modo id sustinuissent, nisi alter adventus iliis promissus fuisset. Videtur autem mihi hæc in sabbato gesta fuisse; alioqui non spatium itineris sic indicasset, « A monte qui dicitur »Oliveti, qui est juxta Jerusalem, sabbati habens iter; » nisi præscriptum fuisset itineris spatium quod peragi posset in die sabbati. « Et cum introissent, in cœnaculum ascen»derunt, ubi erant permanentes [3]. » Ergo post resurrectionem Jerosolymis manebant. « Petrus, et Jacobus, et »Joannes. » Non jam hic solus cum fratre numeratur; sed et Andreas cum Petro; « Et Andreas, Philippus et Tho»mas, Bartholomæus et Matthæus, Jacobus Alphæi, et Si»mon Zelotes et Judas Jacobi [4]. » Recte Discipulos memoravit. Quia enim alius prodidit, alius negavit, alius non

[1] Act. x, 41. — [2] Id. I, 12. — [3] Ibid. 13. — [4] Ibid.

credidit; declarat omnes, uno excepto proditore, salvos fuisse. « Hi omnes erant perseverantes unanimiter in ora-» tione et deprecatione cum mulieribus [1]. » Recte. Magnum enim oratio telum est in tentationibus, et ad hoc a Magistro suo satis fuerant instituti. Alioquin vero præsens tentatio ad hoc illos ducebat. Ideoque ascendunt in cœnaculum : admodum enim timebant Judæos. « Cum mulie-» ribus; » jam enim dixerat illas Jesum secutas fuisse. Et « Maria matre Jesu, et cum fratribus ejus [2]. » Quomodo autem dictum est Discipulum eam tunc in sua recepisse [3]? Sed cum congregasset illos Christus, cum ipsis iterum illa versabatur. « Cum fratribus ejus. » De iis loquitur, qui prius non credebant in eum. « Et in diebus illis, surgens » Petrus in medio Discipulorum dixit [4]. » Utpote fervens, cui grex a Christo concreditus erat, atque ut primus in choro, primus semper sermonem orditur. « Erat autem » turba hominum simul fere centum viginti. Viri fratres, » oportebat impleri Scripturam hanc, quam prædixit Spi-» ritus sanctus [5]. » Cur non solus a Christo petiit, ut sibi daret aliquem in locum Judæ? Cur item non per se ipsos electionem faciunt? Jam Petrus se ipso melior factus erat. Sic ergo ad priorem quæstionem respondendum. Cur autem non simpliciter, sed ex revelatione choream impleri postularint, duas causas afferemus : prima est, quod aliis rebus incumberent; secunda, quod hoc maximum esset argumentum Christum illis adesse. Ut enim præsens eligebat, ita et absens. Nec parum id ad consolationem conferebat. Vide autem quomodo Petrus omnia ex communi sententia faciat, nihilque cum auctoritate vel cum imperio. Neque simpliciter dixit : « Loco Judæ hunc eligimus. » Sed consolans illos super eo quod acciderat, vide quomodo

[1] Act. I, 14. — [2] Ibid. — [3] Joan. XIX, 26. — [4] Act. I, 15. — [5] Ibid. 16.

sermonem temperet. Neque enim facinus illud parvam illis consternationem attulerat, et ne mireris. Nam si illud hodieque multi versant, quid tunc illis accidisse putandum? « Viri fratres, » inquit. Si Dominus illos fratres appellavit, multo magis hic. Ideo præsentibus omnibus, sic illos affatur. Ecce Ecclesiæ dignitatem et angelicum statum. Nullus erat ibi ab aliis divulsus, non mas, non fœmina. Tales nunc etiam Ecclesias esse volo. Nemo ibi sæculare quidpiam curabat; nullus erat de re domestica sollicitus. Tantum boni afferunt tentationes, tantum ærumnæ lucrum. « Oportebat impleri Scripturam hanc, » quam prædixit Spiritus sanctus. » Semper consolatur eos a prædictione. Sic etiam Christus ubique fabit. Eodemque modo hic ostendit nihil stupendum accidisse, sed quod jam prædictum fuerat. « Oportebat, inquit, impleri » Scripturam hanc, quam prædixit Spiritus sanctus per os » David. » Non ait : « David dixit, » sed, « Spiritus per eum. » Vide statim in exordio libri qua utatur doctrina. Cernis vero me non sine causa in principio operis dixisse hunc librum esse Spiritus sancti institutum? « Quam prædixit, » « inquit, Spiritus sanctus per os David. » Animadverte quomodo Prophetam sibi accommodet, ipsumque in medium adducat; sciens ipsis utile fore quod hæc a Davide, non ab alio Propheta dicta sint. « De Juda, inquit, qui » fuit dux. » Hic perpende viri philosophiam. Non contumeliam dicit, non insultat, nec vocat scelestum aut execrandum. Sed rem simpliciter narrat, nec vocat eum proditorem; sed in alios crimen detorquet quantum potest: ac neque illos vehementer exagitat. « Qui fuit, inquit, dux » eorum qui comprehenderunt Jesum. » Ac prius quam dicat ubi hoc prædixerit David, narrat quæ fecerit Judas, ut ex præsentibus futura indicet, ostendatque ipsum jam pœnas dedisse. « Qui connumeratus erat in nobis, et sor-

» titus est sortem ministerii hujus. Et hic quidem possedit » agrum de mercede iniquitatis [1]. » Moralem reddit sermonem, et latenter subindicat rem esse ad correptionem aptam. Non dicit Judæos, sed ipsum possedisse agrum. Quia enim imbecillorum animi, non ita futura ut præsentia perspiciunt, de præsenti ultione loquitur. « Et suspensus » crepuit medius. » Recte non in peccato, sed in ultione insistit. « Et effusa sunt, inquit, omnia viscera ejus [2]. » Hoc illis consolationem afferebat. « Et notum factum est » omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager » ille lingua eorum Aceldama, hoc est, ager sanguinis [3]. »

II. Judæi ergo hoc nomen agro dedere, non ob agrum ipsum, sed ob Judam. Nam is agro nomen indidit. Et testes affert inimicos; id enim significat, cum dicit ipsos appellavisse, et cum addit, « Lingua eorum. » Deinde post eventum, apposite Prophetam adducit dicens : « Scriptum est » enim in libro Psalmorum : Fiat commoratio eorum de- » serta, et non sit qui inhabitet in ea [4]. » Hoc de agro et de domo dicitur. « Et episcopatum ejus accipiat alter [5] ; » hoc est principatum, sacerdotium. Itaque hæc non meo fiunt, sed ejus, qui hæc prædixit, consilio. Ne videretur enim magnam rem aggredi, et qualem Christus ipse fecisset, Prophetam testem adhibet. « Oportet ergo, inquit, ex his » viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore [6]. » Cur cum illis hoc communicat? ut ne contentio hac de re oriretur, et ne mutuo litigarent. Nam si id ipsis accidit, multo magis illis accidisset (3). Hoc vero semper devitat; ideo in principio dicebat : « Viri fratres, oportet eligere ex » nobis. » Multitudini permittit judicium, simul eos, qui eligebantur, venerandos reddens, seque liberans ab invidia quæ suboriri poterat. Nam hæc magna sæpe solent parere

[1] Act. 1, 17, 18. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 19. — [4] Ibid. 20, et Psal. LXVIII, 26. — [5] Act. 1, 20, et Psal. CVIII, 8. — [6] Act. 1, 21.

mala. Quod igitur sic fieri oporteat, Prophetam adducit testem : ex quibus vero electionem fieri oporteat, interpretatur ipse dicens : « Ex iis, qui nobiscum congregati » sunt in omni tempore. « Si enim dixisset : « Dignos oportet adesse, » cæteros affecisset contumelia. Nunc autem tempori rem commisit; nec dixit simpliciter, « Qui con» gregati sunt, » sed addidit, « In omni tempore quo intra» vit et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptis» mate Joannis, usque in diem, qua assumptus est a nobis, » testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis [1]. » Ad quid illud? Ne chorus numero truncatus esset. Quid ergo, an Petrum ipsum eligere non licebat? Licebat utique : sed ne videretur ad gratiam facere, abstinet. Alioquin vero, nondum Spiritus particeps erat. « Et statuerunt, » inquit, duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cog» nominatus est Justus, et Matthiam [2]. » Non ipse illos statuit, sed omnes. Consilium vero ipse protulit, ostendens non suum esse, sed jam olim in prophetia efferri. Itaque interpres fuit, non præceptor. « Joseph qui vocaba» tur Barsabas, qui cognominatus est Justus. » Forte quod plures cognomines essent, utrumque posuit : nam inter Apostolos quoque complures erant cognomines; Jacobus Zebedæi, Jacobus Alphæi, Simon Petrus, Simon Zelotes, Judas Jacobi, et Judas Iscariotes. Alioquin vero poterat appellatio esse vel ex vitæ mutatione, vel ex ipsius voluntate. « Statuerunt, inquit, Joseph, qui vocabatur Barsabas, » qui cognominatus est Justus, et Matthiam. Et orantes di» xerunt : Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende » quem elegeris ex his duobus unum, accipere sortem mi» nisterii hujus et apostolatus, de quo prævaricatus est Ju» das, ut abiret in locum suum [3]. » Recte memorant illius peccatum, declarantes se testem quærere, non augentes

[1] Act. I, 22. — [2] Ibid. 23. — [3] Ibid. 24, 25.

numerum, sed non imminui sinentes. « Et dederunt sortes » eis. » Nondum enim Spiritus datus erat. « Et cecidit sors » super Matthiam, et annumeratus est cum undecim Apos- » tolis[1]. Tunc, inquit, reversi sunt Jerosolymam a monte, » qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerosolymam, sabbati » habens iter. » Hoc ait ut innueret ipsos non longum iter suscipere, ne quid terroris accideret trementibus adhuc ipsis et metuentibus. « Et cum introissent, ascenderunt in » cœnaculum. » Non enim audebant in civitate comparere. Et recte ascenderunt in cœnaculum, ut non facile esset ipsos comprehendere. « Et erant, inquit, perseverantes » unanimiter in oratione. » Vides-ne quam vigiles essent in oratione perseverantes, idque unanimiter quasi uno eodemque animo? Hæc duo de illis testificatur. Joseph fortasse mortuus erat. Non enim, fratribus credentibus, ipse non credidisset, qui ante omnes crediderat. Certe non videbatur usquam ille Christo ut homini attendere, ut Mater dicebat : « Ego et pater tuus dolentes quærebamus » te[2]. » Itaque ante omnes ille Dominum noverat. Fratribus vero dicebat Christus : « Non potest mundus vos odisse, » me autem odit[3]. » Vide autem Jacobi modestiam. Ille namque Jerosolymorum episcopatum accepit, et tamen hic nihil loquitur. Aliorum quoque Discipulorum summam humilitatem considera, quo pacto illi thronum concedunt, neque jam mutuo disceptant. Illa enim Ecclesia in cœlis posita erat, sæculare nihil habens, non parietibus, non marmoribus, sed eorum, qui convenerant, fervore resplendens. « Erant, inquit, fere centum viginti. » Forte septuaginta quos ipse elegerat, sive alii quoque ex ferventioribus, quales erant Joseph et Matthias : et mulieres multæ, quæ sequebantur illum, simul ubique aderant.

III. Hæc doctoris providentia. Primus hic doctorem

[1] Act. I, 26. — [2] Luc. II, 28. — [3] Joan. VII, 7.

constituit. Non dixit : « Nos ad docendum sufficimus ; » ita procul erat a vana gloria, et ad unum tantum spectabat, quanquam non pari forma apud omnes ejus vigebat auctoritas : sed jure hæc sic gerebantur ob virtutem viri ; et quod nunc prælectura non honor esset, sed providentia erga subditos. Ea res non sinebat electos efferri ; ad pericula enim vocabantur ; neque eos, qui electi non fuerant, ut inhonoratos dolere. At nunc non ita se res habet ; sed contra omnino. Vide namque, centum viginti erant, et unum postulat ab omni multitudine ; et jure quidem. Primus auctoritatem habet in negotio, ut cui omnes commissi fuissent. Huic enim Christus dixerat : « Et tu aliquando » conversus, confirma fratres tuos [1]. » « Quia, inquit, con- » numeratus erat in nobis. » Ideo oportet alium proponere, qui illius loco sit testis. Et vide quomodo doctorem suum imitatur, ubique ex Scripturis disserens ; nec quidquam de Christo loquens, quod nempe id ille sæpe prædixisset. Neque dicit ubi Scriptura proditionem ejus memoret ; nempe, « Os peccatoris et os dolosi super me apertum » est [2] ; » sed ubi tantum illius supplicii meminit : hoc enim interim illos scire juvabat. Illud vero maxime Domini benignitatem declarat. Quoniam, inquit, « Connumeratus » erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus. » Sortem ubique vocat, ostendens totum a gratia Dei et ab ejus electione esse, et vetera ipsis in mentem revocans ; quod nempe Deus ipsi sortem dederit, ut olim Levitis. Et immoratur iis, quæ dicuntur de Juda, nempe quod proditionis merces, vindictæ sit præco. « Possedit, inquit, agrum de » mercede iniquitatis. Vide quomodo hoc ex divina dispensatione factum fuerit. « Iniquitatis, » inquit. Multæ sunt iniquitates ; sed hac nihil iniquius unquam factum est. Itaque iniquitatis erat negotium. Nec præsentibus tantum

[1] Luc. XXII, 32. — [2] Psal. CVIII, 2.

notum fuit; sed etiam posteris omnibus. Ita ut vel inviti et inscii locum nominarent, quemadmodum et Caïphas prophetavit inscius. Deus compulit eos ut hebraïce nomen darent Aceldama. Hinc declarabantur mala Judæos invasura. Atque ostendit hanc prophetiam ex parte completam : « Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille [1]. » De Judæis quoque eadem dicere par est. Etenim si dux plexus fuit, multo magis hi. Sed horum nihil adhuc loquitur. Deinde ostendens de ipso jure dici illud Aceldama, inducit Prophetam dicentem : « Fiat habitatio ejus deserta. » Quid enim desertius sepulcro? Ideo sic jure debuit ager vocari. Qui enim pretium numeravit, etiamsi alii emerint, ille merito censeri debet causa esse tantæ desolationis. Hæc porro desolatio principium est judaïcæ desolationis, si quis diligenter expendat. Nam et ipsi se ipsos fame occiderunt, multosque interemerunt, et urbs ipsa sepulcrum fuit hospitum et militum. Illos vero ne sepeliri quidem sinebant, ut sepultura indignos. « Oportet igitur, inquit, » ex his viris qui nobiscum sunt congregati. » Vide quomodo vult illos testes oculatos fuisse, et iamsi adventurus esset Spiritus : attamen magnam hujus rei curam habebat. « Ex viris, inquit, qui nobiscum sunt congregati, in omni » tempore quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus. » Significat ipsos habitasse cum illo, nec simpliciter fuisse Discipulos. Nimirum a principio multi sequebantur eum. Vide igitur quomodo dicat : « Erat unus ex duobus qui » audierant a Joanne, et secuti sunt Jesum [2]. In omni » tempore, inquit, quo intravit et exivit inter nos Domi- » nus Jesus, incipiens a baptismate Joannis. » Recte : etenim quæ prius gesta fuerant nemo noverat edoctus, sed, a Spiritu didicerunt. « Usque in diem, inquit, qua assumptus » est a nobis testem resurrectionis ejus nobiscum fieri

[1] Matth. xx, 24. — [2] Joan. i, 37.

» unum ex istis. » Non dixit : « Aliorum testem ; » sed, « Testem resurrectionis » tantum. Nam fide dignior erat is qui dicere poterat : « Qui edebat, bibebat et crucifixus est, is ipse resurrexit. » Itaque neque præteriti, neque sequentis temporis, neque signorum testem esse oportebat ; sed resurrectionis tantum. Illa namque manifesta et in confesso erant ; resurrectio autem clam facta fuerat, hisque solum nota erat. Neque dicunt ; « Angeli dixerunt nobis ; » sed, « Nos vidimus. » Undenam id manifestum est ? Ex miraculis quæ facimus. Ideo tunc potissimum illos fide dignos esse oportuit. « Et statuerunt, inquit, duos. Cur non plures ? Ne major fieret animorum perturbatio, neve res in multos extenderetur. Nec sine causa Matthiam adjicit, sed ut ostendat eum, qui apud homines honorabilis est, apud Deum esse inferiorem. Et simul omnes precantur dicentes : « Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende. » Tu, non nos. Opportune cordium cognitorem vocant : ab illo enim electio facienda erat, non ab aliis. Sic confidenter loquebantur, quia oportebat omnino unum eligi. Neque dixerunt : « Elige ; » sed, « Ostende electum, quem » elegeris, » inquit, scientes omnia a Deo prædefinita esse. « Ex his duobus unum, accipere sortem ministerii hujus » et apostolatus. » Erat enim etiam aliud ministerium. « Et » dederunt sortes eis. » Nondum enim se dignos putabant, qui per aliquod signum hoc ediscerent.

IV. Alioquin vero, si ubi nec precatio erat, neque digni viri aderant, tantum valuit sors, eo quod recto animo fieret, nempe super Jona[1] ; multo magis hic ubi chorum explevit, ubi ordinem perfecit. Neque alter doluit ; non enim id tacuissent Apostoli, qui non abstinuerunt a referendis etiam præcipuorum Apostolorum vitiis, quando nempe indignati sunt, non semel, sed bis, et

[1] Jonæ. I, 7.

pluries. Hos itaque et nos imitemur : non omnibus loquor, sed iis, qui principatum affectant. Si credis electionem a Deo esse, ne indigneris : adversus illum enim indignaris et irritaris : ille est qui elegit. Si autem elegit ille, et sic indignari audes, idipsum facis quod Caïn. Cum enim approbare oportuisset, ægre et indigne tulit ille, quod fratris sui victima acceptior esset, quando compungi oportebat. Ego vero non hoc dico; sed quod Deus sciat rem utiliter dispensare. Sæpe namque tu qui moribus es modestioribus, non tamen idoneus es. Rursus est tibi vita inculpata moresque liberales sunt : neque tamen in Ecclesia hæc satis sunt. Alioquin vero alius ad aliud est idoneus. Annon vides quantam harumce rerum rationem habeat divina Scriptura? Sed dicam qua de causa hac de re dissidia oriantur : quia nempe non quasi ad præfecturam et patrocinium fratrum accedimus; sed quasi ad honorem et requiem. Si scires enim episcopum omnium esse, omnium onera ferre oportere; quod aliis irascentibus venia detur, illi vero minime; quod aliis peccantibus excusatio multa, ipsi vero nulla sit; ad hanc dignitatem non accurrisses. Hic enim omnium linguis expositus est, omnium judicio, sapientium et insipientium : quotidianis curis atteritur, imo et nocturnis. Multorum odio, multorum invidiæ patet. Ne mihi enim de illis loquaris, qui omnia ad gratiam faciunt et dormire cupiunt, qui ad hoc negotium quasi ad requiem accedunt. De his non loquor; sed de iis, qui vigilant pro animabus vestris : qui subditorum salutem suæ anteponunt. Dic mihi : si is, qui decem filios habet subditos, secum semper habitantes, sine intermissione curam illorum habere cogitur; is qui tot habet non sub manu positos, non cohabitantes, sed auctoritati suæ obsequentes, qualem esse oportet? Sed, inquies, in honore habetur. In quo honore? Pauperes vilissimi in foro ipsum conviciis la-

cerant. Cur ergo illis non os occludit? Belle sane; sed non opus episcopi narras. Rursus nisi omnibus largiatur, tam otiosis, quam iis qui operantur mille undique criminationibus impetitur. Nemo timet illum accusare et criminari. Nam erga principes metus cohibet, erga hos minime. Apud illos enim timor Dei nihil valet. Quis repræsentare possit curam de verbo et doctrina, difficultatem in ordinationibus? Fortasse vel ego admodum imbecillus sum, miser, et nullius pretii; vel res ita se habet ut dico. Sacerdotis anima nihil differt a navi fluctibus agitata. Undique pungitur, ab amicis, ab inimicis; a suis, ab alienis. An non orbis est imperatori subditus; hic vero unam tantum civitatem regit? At tanto majores sunt hujus sollicitudines, quanto majus est pelagus tumens ac furens aqua fluminis. Quam tandem ob causam? Quia illic multi sunt ministri, omniaque lege et mandato peraguntur, hic vero non item. Neque enim licet ex auctoritate præcipere. Verum si admodum commoveatur, crudelis audit, sin parum, frigidus dicitur. Oportet autem hæc duo contraria concurrere, ita ut nec contemptus, nec odium excitetur. Alioquin vero ipsa negotia præoccupant. Quot homines cogitur offendere, velit nolit? Quot alios invitus aspere agere? Non alio modo loquor, quam ut affectus sum. Non multos puto sacerdotes salvos fieri; sed longe plures perire: non alia de causa, quam quod res magnum postulet animum. Multis enim necessitatibus a propriis pellitur moribus, et innumeris undique opus habet oculis. Non vides quam multa opus sit episcopo adesse? Ut doctrina polleat, ut si patiens, ut fidelem sermonem in doctrina servet[1]. Quantæ hoc difficultatis? Aliorum peccatis ipse obnoxius est. Alia non memoro: sed si vel unus decedat non initiatus, annon id totam ipsius salutem subvertit? Unius enim animæ per-

[1] Tim. III, 3, et Tit. I, 9.

nicies, tantum est damnum, ut nullo possit exprimi sermone. Si enim ejus salus tanti est, ut pro illa Filius Dei homo factus et tanta passus sit, ejus pernicies cogita quantum afferret supplicium. Si is, per quem alius perit, in hac vita morte dignus est, multo magis ille. Ne mihi dixeris : « Peccavit presbyter aut diaconus. Hæc omnia in caput ordinantium referuntur. » Aliud iterum dico. Contingit ut quis successionem excipiat improborum hominum : dubitat ille quid consilii capere oporteat circa præterita peccata. Duo enim sunt præcipitia, atque oportet neque illum dimittere, neque alios offendere. An excindendus est prior? Verum causa non adest ; an dimittendus? etiam inquies : nam ejus est culpa qui ordinavit. Quid ergo? Non oportet ordinare, neque ad alium gradum evehere? Sed hinc omnibus palam erit illum esse improbum. Itaque rursus alio offendit modo. Num ad majorem gradum promovendus est? Hoc multo deterius est.

V. Itaque si quis ad summum sacerdotium accesserit velut ad sollicitudinem, nemo illud facile susceperit. Nunc autem velut externos magistratus illud affectamus. Nam ut gloria et honore apud homines afficiamur, apud Deum perimus. Quod honoris lucrum? quam clare probatur nihil esse? Quando sacerdotium concupiscis, ex adverso pone gehennam; perpende rationes illic reddendas : ex adverso pone vitam a curis liberam : pone supplicii mensuram. Quoniam si privatim pecces, nihil tale passurus es : si vero sacerdos sis, periisti. Cogita quanta passus, quanta philosophia usus sit Moyses, quanta exhibuerit bona, et tamen quod unum peccatum admiserit, acerbe plexus est, ac merito : quoniam id cum aliorum jactura factum est. Itaque graviores pœnas dedit; non quod palam factum sit, sed quod sacerdotis peccatum esset. Non enim pari modo plectimur pro manifestis et pro occultis. Pec-

catum enim idem est, pœna non eadem; imo ne peccatum quidem est idem. Neque enim idem est, occulte peccare, et palam id audere. Episcopo autem non licet clam peccare. Optandum enim illi esset non peccantem a criminationibus liberari, tantum abest ut peccans id possit. Si irascatur, si rideat, si vel per somnum quietem expetat, multi conviciis incessunt, multi offenduntur, multi leges præscribunt; multi priscos repetunt memoria, et præsenti improperant. Hocque faciunt, non quod illos laudare, sed quod hunc mordere velint, coepiscopos et presbyteros memorantes. Dulce, aiunt, bellum inexpertis : hoc et nunc dicere par est; imo etiam dicimus antequam in certamen veniamus. Cum autem eo venimus, non a vulgo cognoscimur. Non est enim jam nobis bellum contra eos qui pauperes opprimunt, neque gregem defendimus; sed ut pastores illi ab Ezechiele memorati[1], mactamus et devoramus. Quis nostrum tantam curam exhibet circa greges Christi, quantam Jacob circa greges Labani[2]? Quis describere possit nocturnum gelu? Ne mihi dixeris pervigilia tantamque exhibitam curam. Totum igitur contrarium est. Consules et præfecti non tanto fruuntur honore, quanto is qui præest Ecclesiæ. Si in regiam ingrediatur, quis primus est? Si apud matronas, si in procerum ædes, nemo illi anteponitur. Omnia perierunt et corrupta sunt. Hæc dico non ut vos pudore suffundam, sed ut vestram cohibeam cupiditatem. Quo uteris conscio si ambias vel per te vel per alium? Quibus oculis respicies eum qui tibi fuit auxilio? Quid poteris ad tui defensionem proferre? Nam qui invitus coactus fuit, aliquam habet excusationem, etiamsi plerumque hic quoque nullam habeat veniam : cæterum aliquam tamen excusationem habet. Cogita quid acciderit Simoni. Quid enim refert si argentum non dede-

[1] Ezech. XXXIV, 2. — [2] Gen. XXXVI, 29.

ris; si argenti loco, aduleris, et machinas adhibeas? « Ar-» gentum tuum tecum sit in perditionem. » Hoc illi dixit; hisque dicet : « Ambitio vestra vobiscum sit in perditionem, quia putastis vos humana circuitione donum Dei possessuros esse. » At nullus talis est? Utinam non sit. Cuperem sane horum nihil ad vos pertinere. Nunc autem ex verborum serie in hos incidimus sermones. Neque enim quando avaritiam insectamur, contra vos loquimur, sed neque contra unum quidem. Utinam vero hæc pharmaca a nobis frustra parentur : hæc sunt medicorum vota, nihil aliud postulantium, quam ut post multum laborem, remedia frustra parata projiciantur. Hæc et nos optamus, ut verba nostra frustra et in aërem abeant, et verba tantum sint. Equidem paratus sum ad omnia sustinenda, ut non sit opus hæc dicere. Quin, si vultis, tacebimus, dum silentium sit sine periculo. Neque enim puto quempiam, quantumvis vanæ gloriæ cupidum, nisi vocet necessitas, velle frustra sese efferre. Concedemus vobis doctrinam. Hæc quippe major doctrina, quæ factis docet. Quandoquidem et optimi medici, etiamsi ægrorum morbi mercedem ipsis pariant, malint tamen amicos suos bene valere. Et nos cupimus omnes bene valere. Non enim cupimus nos probatos esse, vos autem reprobos. Vellem, si fieri posset, meam erga vos charitatem ipsis oculis exhibere. Nullus enim postea me redargueret, etiamsi aspero sermone uterer. Nam « Fide digniora sunt vulnera amici, quam spon-» tanea oscula inimici[1]. » Nihil mihi charius vobis, ne ipsa quidem lux. Optarim enim vel millies excæcari, si sic animas vestras convertere possem. Sic mihi salus vestra ipsa luce dulcior est. Quid enim prosunt mihi solares radii, si dolor propter vos ortus, oculos tenebris offundat? tunc lux bona est, quando cum lætitia prodit : mœrenti quippe

[1] Prov. xxvii, 6.

animæ molesta est. Quod vero non mentiar, utinam nunquam contingat experimento discere. Cæterum si quando contigerit quempiam vestrum peccare, dormienti mihi adeste; peream si non paralyticis aut mente captis similis sim, secundum propheticum dictum, « Et lumen oculo»rum meorum et ipsum non est mecum[1]. » Quæ enim nobis spes, vobis non proficientibus? Quis mœror esse possit vobis præclare agentibus? ceu alis instructus videor, cum boni quidpiam de vobis audio. « Implete gaudium »meum[2]. » Hoc solum in voto habeo, quod desiderem profectum vestrum. In hoc vero cum omnibus decerto, quod vos amem, quod complectar : quia vos mihi omnia estis, et pater, et mater, et fratres et filii. Ne putetis eorum quidpiam, quæ a me dicuntur, ex odio proficisci, sed ad emendationem loquor. Nam « Frater, inquit, qui adjuva»tur a fratre, quasi civitas firma[3].» Ne igitur indignemini : neque enim ego sermonem vestrum contemno ; sed vellem a vobis emendari, vellem discere. Omnes enim fratres sumus, unus est autem magister noster. Inter fratres vero par est ut unus præcipiat, alii obtemperent. Ne igitur indignemini; sed omnia faciamus ad gloriam Dei, quia ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. LVII, 10. — [2] Philip. II, 2. — [3] Prov. XVIII, 19.

HOMILIA IV.

CAPUT II.

Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco : et factus est repente de cœlo sonus [1].

I. Quæ est hæc Pentecoste? cum falx mittenda esset in messem, cum fructus essent colligendi. Vidisti typum? vide jam veritatem. Cum falx sermonis esset immittenda, cum messis colligenda, tunc Spiritus ut acuta falx advolat : audi namque Christum dicentem : « Levate oculos » vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad mes- » sem [2] : » ac rursus, « Messis quidem multa, operarii au- » tem pauci [3]. » Itaque ille prior falcem immisit. Ille enim primitias ad cœlum advexit, nostra assumpta natura : ideoque illud messem appellat. « Cum complerentur, inquit, » dies Pentecostes. » Hoc est, non ante Pentecosten; sed circa ipsam, ut ita dicam, Pentecosten. Oportebat enim hæc rursus festi tempore contingere, ut qui cruci Christi affuerant, hæc quoque viderent. « Et factus est repente de » cœlo sonus. » Cur non id sine sensibilibus signis factum est? Quoniam si re sic gesta dicebant : « Musto pleni sunt, » nisi res sic facta fuisset, quid non dixissent? Neque simpliciter sonus factus est, sed de cœlo : et quia repentinus erat, excitavit illos. « Et replevit totam domum. » Magnam dicit Spiritus vehementiam. Attende. Omnes illuc congregavit, ut et præsentes crederent, ac digni ostenderentur. Neque hoc tantum, sed et aliud longe terribilius adjecit.

[1] Act. II, 1, 2. — [2] Joan. IV. 35. — [3] Luc. X, 2.

« Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis[1], » inquit. Recte additur illud, « Tanquam; » ne quid sensibile de Spiritu existimes. Tanquam ignis, inquit, et tanquam Spiritus. Non erat ergo ventus simpliciter per aërem effusus. Nam cum Joanni Spiritus debuit innotescere, quasi in specie columbæ supra Christi caput venit[2]; nunc vero cum tota multitudo convertenda esset, tanquam ignis venit. « Seditque supra singulos eorum; » id est, mansit, requievit; nam sedere, stare et manere significat. Quid vero? an in duodecim tantum venit, non in cæteros? Nequaquam: sed venit etiam in illos centum viginti. Neque enim sine causa Petrus Prophetæ testimonium protulit dicens: « Et erit in novissimis diebus, dicit Do» minus Deus: Effundam de Spiritu meo super omnem » carnem. Et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ: et » juvenes vestri visiones videbunt, et senes vestri somnia » somniabunt[3]. » Animadverte porro illum, non modo ut percelleret, sed etiam ut gratia repleret, in Spiritu sancto et igni venisse; subjungit enim: « Et repleti sunt omnes » Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout » Spiritus sanctus dabat eloqui illis[4]. » Non aliud signum accipiunt, sed hoc primum. Novum enim erat, nec opus fuit alio signo. « Sedit, inquit, supra singulos eorum. » Ergo etiam supra illum, qui electus non fuerat: ideo non jam dolet quod non electus fuerit ut Matthias. « Et repleti » sunt, inquit, omnes. » Non gratiam Spiritus simpliciter acceperunt, sed illa repleti sunt. « Et cœperunt loqui variis » linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. » Cum Apostoli illic essent, non dixisset, « Omnes, » nisi alii quoque participes fuissent. Alioquin autem cum illos ante nominatim recensuisset, non illos nunc cum aliis jungeret

[1] Act. II, 3. — [2] Marc. I, 10. Luc. III, 22. Joan. I, 32. — [3] Joël. II, 28 — [4] Act. II, 4.

in hoc negotio. Nam si ubi dicendum tantum erat Apostolos affuisse; ipsos nominatim recensuit, multo magis hic illos distinxisset. Animadverte autem quomodo cum perseverant in oratione, cum charitatem servant, tunc Spiritus adveniat. In memoriam illis revocat alteram visionem, cum dicit: « Tanquam ignis. » Tanquam ignis enim apparuit in rubo. « Prout Spiritus sanctus dabat eloqui » illis : » nam eloquia eorum quasi apophegmata erant. « Erant autem in Jerusalem, inquit, habitantes Judæi » viri religiosi[1]. » Hæc habitatio signum religionis erat. Quomodo? Cum e tot nationibus essent, patriam, domos, cognatos reliquerant, et illic habitabant. Nam ait : « Erant » in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi, ex omni » natione, quæ sub cœlo est. Facta autem hac voce con- » venit multitudo, et mente confusa est[2]. » Quia in domo res gesta est, jure qui foris erant accurrebant. Mente confusa est multitudo. Quid significat illud? Turbata, admirata est. Deinde admirationem illam declarans ita pergit : « Quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquen- » tes. Et convenit multitudo, et inter se dicebant : Nonne » ecce isti omnes qui loquuntur Galilæi sunt[3]? » Ad Apostolos statim respiciunt. « Et quomodo nos audimus unus- » quisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi, et » Medi, et Ælamitæ, et qui habitant Mesopotamiam, Ju- » dæam et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam et » Pamphyliam, Ægyptum et partes Libyæ, quæ est circa » Cyrenem, et advenæ Romani. Judæi quoque et proselyti, » Cretes et Arabes, audimus eos loquentes nostris linguis » magnalia Dei. Stupebant autem omnes et mirabantur, » ad invicem dicentes: Quidnam vult hoc esse[4]? » Vides-ne illos ab Oriente in Occidentem accurrentes. « Alii autem, » inquit, irridentes dicebant : Quia musto pleni sunt[5]. »

[1] Act. II, 5. — [2] Ibid. 6. — [3] Ibid. 7. — [4] Ibid. 8-12. — [5] Ibid. 13.

II. O vesaniam! o ingentem nequitiam! Atqui nec tempus erat vindemiæ : erat enim Pentecoste. Quodque gravius est, confitentibus omnibus, Romanis, proselytis, et forte ex iis, qui crucifixerant, illi tam multis signis editis dicunt : « Musto pleni sunt. » Sed quæ supra dicta sunt repetamus. « Replevit, inquit, domum. » Spiritus quasi piscina aquæ fuit. Ignis vero et copiam et vehementiam significat. Nihil tale accidit in Prophetis. Sed nunc sic illis, Prophetis autem alio modo. Capitulum enim libri datum est Ezechieli, et comedit ea quæ dicturus erat : « Factum est autem, inquit, in ore ejus ut mel dulces-» cens[1]. » Et rursum manus Dei tangit linguam alterius Prophetæ[2]. » Hic vero ipse Spiritus sanctus est : sicque par est honore Patri et Filio. Rursusque alibi ait : « Lamen-» tatio et canticum et væ[3]. » Illis ergo jure in libro datum est : nam similitudinibus egebant : remque illi habebant cum una tantum gente sibi propria : hi vero cum universo orbe, et cum iis quos non noverant. Elisæus per melotem gratiam accipit[4] : alius per oleum, ut David[5] : Moyses per ignem rubi vocatur. Sed hic secus; ipse namque ignis insedit. Sed cur ignis non ita apparuit ut impleret domum? Quia exterriti fuissent. Sed ostendit idipsum evenisse : ne attendas enim quod dixerit : « Apparuerunt illis dispertitæ » linguæ, » sed ignem fuisse consideres. Tantus ignis immensam sylvam potest incendere. Ac recte dicit, « Disper-» titæ. » Ex una enim radice erant; ut discas vim operandi esse a Paracleto missam. Perpende autem illos primum dignos declaratos esse, et hinc accepisse Spiritum sanctum, ut in Davide accidit : nam quæ ille in ovilibus fecerat, eadem fecit post victoriam et trophæum, ut palam esset fides ejus. Vide rursum Moysem qui regiam despiciebat[6], »

[1] Ezech. III, 3. — [2] Jerem. I, 9. — [3] Ezech. II, 10. — [4] 4 Reg. 14. — Id. XVII, 15. — [6] Exod. II.

et post quadraginta annos rem publicam administravit; Samuëlem in templo educatum[1]; Elisæum, qui omnia dimisit[2]; Ezechielem item. Quod vero sic evenerit, liquet ex iis quæ secuta sunt: nam ii sua omnia reliquerunt. Ideo tunc Spiritum accipiunt, cum virtutem suam ostendissent. Didicerant humanam infirmitatem per ea quæ passi fuerant: didicerant se non frustra probe rem gessisse. Sic et Saül, cum testimonium accepisset se bonum esse virum, Spiritum accepit; sed eo modo, quo nunc Discipuli, nemo; neque Moyses qui major Prophetis erat. Nam ille, cum oporteret alios spirituales effici, imminutus est. Hic vero non eodem modo. Sed quemadmodum ad ignem quot volet quivis lucernas accendet, nec minuet ignem, sic et Apostolis tunc contigit. Nam per ignem non modò gratiæ ubertas ostendebatur; sed quisque fontem Spiritus accipiebat, ut dixit ille, eos qui in se crederent, accepturos esse fontem aquæ salientis in vitam æternam[3]. Idque jure merito. Neque enim cum Pharaone disputaturi abierant, sed cum diabolo pugnaturi. Quodque mirabilius est, missi non repugnarunt, nec dixerunt se gracili voce et lingua tardos esse[4]: Moyses enim illos ad hoc erudierat. Non dixerunt se juniores esse[5]; nam Jeremias illos instituerat. Atqui multa audierant terribilia, multoque, quam illi, majora: et tamen veriti sunt contradicere. Hinc palam est eos fuisse Angelos lucis, et supernarum rerum ministros. Et illis quidem in terra agentibus nullus de cœlo apparuit. Sed post quam ascendit homo sursum, Spiritus e supernis advenit; « Tanquam supervenientis, inquit, Spiritus vehe» mentis. » Hinc declarat fore, ut nihil possit ipsis obsistere, sed inimicos ab ipsis pulveris instar ventilandos esse. « Et » replevit totam domum. » Domus mundi symbolum erat.

[1] 1 Reg. II, 3. — [2] 3 Reg. 19. — [3] Joan. IV, 14. — [4] Exod. IV, 10. — [5] Jerem. I, 6.

« Seditque supra singulos eorum. Et convenit multitudo, »et mente confusa est. » Vides-ne illorum pietatem, et quomodo nihil statim pronuntient, sed hæsitent. Illi vero improbi pronuntiant dicentes, « Musto pleni sunt. » Quoniam secundum legem licebat illis ter quotannis in templo comparere; ideo illic habitabant ex omnibus nationibus viri religiosi. Hinc perpende quam non aduletur illis qui hæc scripsit. Non enim dicit illos quid pronuntiasse; sed quid? « Facta autem hac voce convenit multitudo et mente »confusa est. » Jure : putabant enim rem finem accepisse per suum contra Christum facinus. Alioquin vero, conscientia illorum animos exagitabat, cum cædes adhuc quasi in manibus esset, et omnia illos terrebant. « Nonne »ecce, inquit, hi omnes, qui loquuntur, Galilæi sunt? » Recte dixit, nam se tales profitebantur. Adeo illos sonitus terrebat : nam magna pars orbis huc confluxerat. Illud vero Apostolos roborabat, quod cum nescirent quid esset partibus loqui, ab illis tunc se ita loqui discebant. Porro gentes memorat iliis inimicas, Cretas, Arabes, Ægyptios, Persas : declarans illos has omnes subacturos esse?

III. Cum autem Judæi tunc in captivitate essent, verisimile erat ibi multos comparere ex gentibus; sive quod jam apud gentes dogmata seminata essent. Ideoque multi jam illic aderant, eorum quæ audierant memores. Testimonium ergo undique tutum erat et sine controversia, a civibus, ab extraneis, a proselytis. « Audivimus eos loquen»tes nostris linguis magnalia Dei[1]. » Non enim vulgaria, sed mirabilia quædam loquebantur. Jure ergo hæsitabant : nihil enim unquam simile acciderat. Vide hominum probitatem. Stupebant et dubitabant dicentes : « Quidnam »vult hoc esse? Alii autem irridentes dicebant : Musto »pleni sunt. » O impudentiam! si ea de causa ridebant, ec-

[1] Act. II, 11.

quid mirum? Quandoquidem ipsum Dominum dæmonas expellentem, dæmonium habere dicebant[1]. Nam petulantia ubicumque adest, unum quærit modo, ut loquatur, non secundum rationem, sed quidquid in buccam venerit. « Musto pleni sunt. » Sane vero : quia homines in tantis periculis, extrema metuentes, in tanto mœrore versantes, talia loqui audent. Perpendas velim quomodo, cum hoc verisimile non esset, ut auditoribus imponant, et ostendant ipsos ebrios esse, agendi et loquendi modo totum ascribant et dicant : « Musto pleni sunt. Stans autem Petrus cum » undecim, levavit vocem suam, et locutus est eis. » Vidisti modo illius providentiam, hic vide fortitudinem. Etenim si admirabantur illi, si stupebant, annon æque mirandum erat hominem illitteratum et idiotam in tanta multitudine posse in verba prorumpere? Nam si quis inter familiares loquens turbatur, multo magis inter inimicos et vociferantes loquens turbabitur. Quod autem ebrii non essent, statim ex ipsa voce declaravit, quodque non more vatum furore correpti essent, neque vi quadam detinerentur. Quid sibi vult illud, « Cum undecim? » Communem emittebant vocem, et ipse os omnium erat. Astant vero undecim, dicta testimonio suo confirmantes. « Levavit vocem suam, » inquit, hoc est, magna cum fiducia loquebatur. Hoc autem facit ut Spiritus gratiam ediscerent. Is enim, qui vilis puellæ interrogationem non tulerat, jam in medio populorum qui omnes vociferabantur, cum tanta disserit fiducia, ut esset illud indubitatum resurrectionis signum. Nam inter ridentes homines et tali modo subsannantes cum libertate loquitur. Quantæ putas petulantiæ, quantæ impietatis, quantæ impudentiæ, stupendum illud linguarum donum ebrietati ascribere? Sed nihil hoc Apostolos turbavit, neque timidiores ex tali risu facti sunt. Nam ex ad-

[1] Joan. VIII, 49.

ventu Spiritus quasi transformati, corporeis omnibus superiores erant. Si quos enim adeat Spiritus, aureos et luteis efficit. Jam mihi Petrum considera, et explora mihi timidum illum, et insipientem; ut ait Christus : « Adhuc et » vos insipientes estis[1], » qui post confessionem illam mirabilem, Satan vocatus fuit. Perpende item Apostolorum concordiam : quomodo Petro cesserint concionandi officio: neque enim oportebat omnes simul loqui. « Et levavit, » inquit, vocem suam, » et magna cum fiducia locutus est eis. Tale quidpiam est esse virum spiritualem, Tantum nos superna gratia dignos constituamus, et omnia erunt facilia. Sicut enim homo igneus in medias stipulas incidens, nihil læditur, sed magis operatur : neque enim ille quidpiam patitur; sed qui illi resistunt se ipsos perdunt; ita nunc quoque factum est. Imo potius ut si quis ignem gestans pugnet cum eo qui fœno onustus est. Sic et Apostoli illos cum magna fortitudine aggressi sunt. Quid enim læsit illos tanta multitudo? Dic enim mihi : annon cum egestate et fame pugnabant? annon cum ignominia et infamia? Nam deceptores esse credebantur. Annon risui et ludibrio præsentium expositi erant? In illos enim utraque incidebant, cum alii irriderent, alii illuderent. Nonne furori et insaniæ integrarum civitatum, nonne seditionibus et insidiis expositi erant? Nonne igni, ferro, feris? Nonne undique ipsis innumera instabant bella? Nonne hæc molesta videntes ita affecti erant, ac si somnia aut picturam vidissent (4)? Quid vero? Nonne illorum furorem consumpserunt? Nonne in ipsos animi angustiam retorserunt? Nonne illi furore et metu omnium maxime tenebantur? Nonne illi anxii erant, timebant tremebantque? Audi illos dicentes : « Vultis indu- » cere super nos sanguinem hominis istius[2]. » Quodquo mirabile est, Apostoli nudi aciem instruebant contra arma

[1] Matth. xv, 16. — [2] Act. v, 28.

tos, contra principes, in se potestatem habentes, imperiti, elingues, idiotæ, contra præstigiatores, deceptores, sophistas multos, rhetoras, philosophos, qui in Academia et apud Peripateticos putrefacti, instabant et pugnabant. Et is qui circa stagna versatus semper fuerat ita illos superavit, ac si contra mutos pisces certamen habuisset : vere enim, ut piscator voce destitutos pisces, illos devicit. Et Plato ille qui tam multa nugatus est, tacuit. Hic vero loquitur, non modo suis, sed etiam Parthis, Medis, Ælamitis, et Indis, ubique terrarum, et usque ad terminos orbis. Ubi nunc Græciæ fastus ille? Ubi Athenarum nomen? Ubi philosophorum deliramenta? Ille Galilæus, ille ex Bethsaïda, ille rusticus, istos omnes superavit. Non erubescitis, quæso, vel de nomine patriæ ejus, qui vos devicit? Si vero nomen ejus audieritis, quod nempe Cephas vocaretur, multo magis vos pudebit. Hoc quippe vos, hoc, inquam, perdidit. quod simplicitatem probrum, eloquentiam laudabilem esse putetis. Non qua via oportuit venistis : sed omissa regali, facili et plana via, asperam, præruptam et difficilem tenuistis : ideoque non pervenistis ad regnum cœlorum.

IV. Quid ergo, inquies, cur non in Platone et in Pythagora operatus est Christus? Quia Petri quam illorum mens multo erat ad philosophiam aptior. Illi namque pueri erant, ubique ad inanem gloriam conversi. Hic autem vir philosophus erat, et gratiæ capax. Quod si his auditis rideas, nihil mirum : quandoquidem et illi tunc ridebant, eosque musto plenos esse dicebant. Sed postea cum dira illa et acerbissima passi sunt, cum expugnatam urbem viderunt, incensum ignem, dejectos muros, illasque calamitates, quæ nemo possit recensere, non ultra ridebant. Ita et vos non ridebitis cum judicii tempus advenerit, cum gehennæ ignis accensus fuerit. Sed cur de futuris loquor? Vis ostendam tibi quis sit Petrus, quis Plato? Illorum mores, si

videtur, expendamus, videamusque quid ambo gesserint. Hic totam consumpsit vitam circa dogmata inutilia et supervacanea. Quid enim prodest scire quod anima philosophi musca fiat? Vere musca fuit. Non in muscam mutata fuit, sed accessit ad animam in Platone habitantem. Quæ nugæ his comparandæ? Unde talia effutire in mentem venit? Ironia plenus vir erat, et adversus omnes zelotypia laborabat. Ut ergo contentiosus erat, nihil utile vel a se vel ab aliis induxit. Sic ab alio metempsychosim, a se rempublicam in medium attulit, ubi multæ turpitudinis leges protulit. Communes, inquit, sunto mulieres, nudæ virgines sub oculis amantium luctantor; communes sunto et parentes et filii. Quam hæc insaniam non superant? Talia sunt ea quæ ad illum spectant. Hic porro non natura communes patres efficit, sed Petri philosophia. Nam illud Platonis hic sustulit. Nihil enim aliud ille efficiebat, nisi ut qui pater erat ignoraretur, et qui non erat induceretur: atque in ebrietatem quamdam et in sterquiliniam conjecit animam. Omnes, inquit, mulieribus audacter utuntor. Ideo poëtarum dogmata non exploro, ne quis dicat me fabulas explorare, sed alias affero fabulas poëticis longe magis ridiculas. Ubinam quid ita prodigiosum invenerunt poëtæ? Sed is qui philosophorum princeps habebatur, arma mulieribus circumponit, cassides, ocreas, nec quidquam dicit hominum genus a canibus differre. Quia enim, inquit, canis fœmina et mas communicant in factis, communicent et mulieres, atque omnia susdeque vertantur. Semper enim per illas hoc egit diabolus, ut ostenderet genus nostrum non pretiosius esse brutis: quandoquidem nonnulli in tam absurdam et vanam venerunt opinionem, ut dicerent bruta animalia rationabilia esse. Et vide quam varie in animabus illorum debacchatus sit. Illorum proceres dixerunt animam nostram in muscas et canes et bruta

mutari. Horum successores hinc pudore affecti in aliam delapsi sunt turpitudinem, rationabilem omnem scientiam brutis communicantes, et ubique monstrantes ea, quæ propter nos facta sunt, nobis esse præstantiora. Neque hoc tantum, sed etiam præscientiam et religionem apud illos esse dicunt. Corvus, inquiunt, novit Deum ut et cornix, ac prophetiæ donum habent, futura prædicunt : apud illos justitia, respublica, leges, invidiamque apud illos canis habet secundum Platonem. Dictis fortasse fidem non habetis? idque merito, utpote sanis educati dogmatibus. Quivis enim hoc cibo educatus, nunquam credet hominem esse qui stercora libenter degustet. Cum ergo dicimus illis hæc fabulas esse et insipientia plena; non intelligitis, inquiunt. Utinam rem tam ridiculam nunquam intelligamus. Et sane non ita profundo sensu opus est, ut discamus quid sibi vult illa tanta impietas et rerum confusio. Num corvorum more loquimini, o insani, ut faciunt pueri? infantes quippe estis ut illi. At Petrus nihil tale dixit, sed vocem emisit, quæ quasi in tenebris lucem magnam emitteret, et caliginem in orbe dissiparet. Verum mores illius quam erant mansueti, quam humani, quam ab omni vana gloria alieni? Quomodo ad cœlum respiciebat sine fastu, licet mortuos suscitaret. Quod si cui insipientium illorum accidisset, ut per phantasiam et speciem tale quidpiam ageret, annon statim aram expetiisset ac templum, ac Deo par haberi postulasset; cum nihil hujusmodi agentes, talia imaginentur? Quid sibi volunt apud illos Minerva, Apollo et Juno? Genera dæmonum sunt apud illos. Estque rex penes illos qui mori optat, ut par diis habeatur. Verum Apostoli non sic, sed contra faciunt. Audi namque illos dicentes, postquam claudus sanatus fuerat: « Viri Israëlitæ, » quid nos intuemini, quasi nostra virtute aut pietate fece- » rimus ipsum ambulare[1]? nos similes vobis passibiles

[1] Act. III, 12.

» homines sumus[1]. » Illic vero multus est fastus, multa arrogantia : omnia enim pro humanis honoribus, nihil philosophiæ gratia agebant. Ubi enim gloriæ causa agitur, omnia vilia manent. Licet enim omnia quis habeat, si hoc non teneat, ab omni philosophia excidit, violentiore ac turpiore morbo detentus. Hujus gloriæ contemptus, ad bona omnia docenda est idoneus, et ad expellendum ex anima omnem perniciosum affectum. Ideo vos hortor ut magno studio morbum radicitus evellatis : nullo quippe alio modo possumus apud Deum esse probati, et insomnis illius oculi benevolentiam nobis attrahere. Itaque curam omnem adhibeamus, ut superna illa fruamur gratia, ut et præsentia mala fugiamus, et futuris dignemur bonis, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA V.

CAPUT II.

Viri Judæi, et qui habitatis Jerusalem universi, hoc vobis notum sit, et auribus percipite verbea mea[2].

I. Quos superius peregrinos dixit, ad illos hic sermonem convertit. Et videtur quidem illos alloqui, sed irrisores emendat. Nam divina dispensatione factum est ut quidam irriderent, quo hinc defensionem ordiretur, hac per illam doceret. Magnæ sibi laudi esse putabant, quod Jerosolymis habitarent. « Hoc vobis, inquit, notum sit, et auribus

[1] Act. XIV, 14. — [2] Id. II, 14.

» percipite verba mea. » Attentiores interim illos reddit, et postea defensionem parat. « Non enim, sicut vos sus- » picamini, hi ebrii sunt [1] : » Vides-ne quam mitis sit defensio ? Licet majorem populi partem secum haberet, mansuetius tamen illos alloquitur : ac primo malam suspicionem tollit, deindeque defensionem statuit. Ideoque non dicit : « Non enim sicut vos subsannatis, vel ridetis, » sed, « Sicut suspicamini : » ostendere volens illos non serio hæc dixisse, ut magis illis ignorantiæ, quam malitiæ crimen offerret. « Non enim, sicut vos suspicamini, hi ebrii sunt, » cum sit hora diei tertia [2]. » Cur hoc dicit ? Annon poterant hora tertia inebriari ? Poterant sane : sed in hoc ille non multum instabat : neque enim ita se gesserant ut irrisores illi dicebant. Hinc ergo discimus in rebus non necessariis non longo utendum esse sermone. Alioquin vero hæc confirmant quæ sequuntur : ac demum ad omnes sermo dirigitur. « Sed hoc est quod dictum est per prophetam » Joël : Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus Deus [3]. » Nondum auditur nomen Christi ; nec promissio illius est, sed Patris. Vide sapientiam. Non statim transiit ad ea, quæ Christum spectabant ; nempe quod ipse hæc promiserit post quam crucifixus fuerat. Alioquin omnia subvertisset hæc dicendo. Atqui poterant, inquies, ejus Divinitatem ostendere : sane quidem, si credita fuissent. Quod autem jam quærebatur, erat ut crederentur ; non credita autem id effecissent, ut illi lapidarentur. « Effundam de Spiritu » meo super omnem carnem [4]. » Dat illis quoque spem bonam, siquidem velint : nec sinit illos majore copia frui, quod livorem peperisset, atque hinc invidiam succidit. « Et prophetabunt, inquit, filii vestri. » Non vestra est hæc res præclara, neque vestra laus ; sed ad filios vestros gratia transiit. Discipulos vocat filios, et illos patres.

[1] Act. II, 15. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 16, et Joël. II, 28. — [4] Act. II, 17.

« Et juvenes vestri visiones videbunt, et seniores vestri »somnia somniabunt. Et quidem super servos meos, et »super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu »meo, et prophetabunt [1]. » Interim ostendit se probatos esse, utpote qui spiritu essent dignati; illos vero minime, utpote qui Christum crucifixissent. Ideo et Christus, ut illorum furorem sedaret, dicebat : « Filii autem vestri in »quo ejiciunt dæmonia [2] ? » Non dixit; « Discipuli mei; » nam sibi adulantem sapuisset. Sic ille non dixit ipsos non ebrios esse, sed ex Spiritu loqui : neque illud simpliciter; sed a Prophetam confugit; et illo fretus fortiter agit. Sic per se quidem illos ab accusatione purgavit, Prophetam vero gratiæ testem inducit. « Effundam de Spiritu meo »super omnem carnem. » Sic dixit, quia aliis per somnia, aliis manifeste gratia effusa est. Nam et per somnia viderunt Prophetæ, et revelationes acceperunt. Deinde progreditur in prophetia, quæ quidpiam terribile habet. « Et »dabo, inquit, prodigia in cœlo sursum, et signa in terra »deorsum [3] : » Ilis et futurum judicium et Jerosolymorum excidium subindicat. « Sanguinem et ignem, et vapo»rem fumi. » Vide quomodo excidium describat. « Sol »convertetur in tenebras et luna in sanguinem [4]. » Ex affectu patientium ita loquitur. Narratur tamen multa similia in cœlo visa fuisse, ut testificatur Josephus. Interim illos quoque perstrinxit, tenebras quæ accidere memorans et futuri expectationem inducens. « Antequam veniat dies »Domini magnus et manifestus [5]. » Ne quia nunc impune peccatis, inquit, ideo confidatis. Hæc proœmia sunt magni cujusdam et gravissimi diei. Vides-ne quomodo animos eorum exagitavit, et risum convertit in excusationem? Si enim hæc sunt proœmia diei illius, necesse est periculum

[1] Act. II, 18. — [2] Matth. XI, 27. — [3] Act. II, 19. — [4] Ibid. 20. — [5] Ibid.

de extremis jam imminere. Quid vero? Num pergit terribilia dicere? Nequaquam. Sed quid? Rursus dat illis respirandi locum, et ait. « Et erit, omnis quicumque invoca»verit nomen Domini, salvus erit [1]. » Hoc de Christo dictum est, ut Paulus ait: hic vero non audet id palam revelare. Dicta vero a principio repetamus. Recte quasi adversus ridentes et subsannantes insurgit, dicens: « No»tum sit omnibus vobis, et auribus percipite verba mea. » Initio autem dicebat, « Viri Judæi. » Judæos mihi dicere videtur eos, qui in Judæa habitabant. Et, si placet, afferamus illa Evangelii verba, ut discas qualis repente factus sit Petrus. « Exiit, inquit, puella dicens: Et tu eras cum »Jesu Nazareno. Ille autem respondit: Nescio hominem. »Et rursus interrogatus cœpit detestari et jurare [2]. »

II. Sed hic vide illius fiduciam magnamque dicendi libertatem. Non laudavit eos, qui dixerant: « Audivimus eos »loquentes nostris linguis magnalia Dei. » Sed illa qua erga alios usus erat gravitate, hos studiosiores reddere volens, et sermonem ab adulatione alienum ostendere: hoc enim ubique observandum est, quomodo indulgenter licet loquatur, sermo tamen ab adulatione simul et a contumelia sit alienus; quod tamen difficile est. Quod autem hæc hora tertia facta sint, non sine causa dispensatum est. Cum enim lucis splendor apparet: tunc non prandii curis homines occupantur: tunc læta dies est; tunc omnes in foro sunt. Vides-ne sermonem libertate plenum? « Et auribus »percipite verba mea. » His dictis ex se nihil addidit, sed hæc subjunxit: « Hoc est quod dictum est per prophetam »Joël: Et erit in novissimis diebus. » Ostendit enim postea consummationem prope affuturam. Sic illud, « In novis»simis diebus, » quamdam habet emphasim. Deinde ne videatur hæc ad solos filios pertinere, subjungit; « Et se-

[1] Act. II, 21, et Rom. X, 13. — [2] Matth. XXVI, 69.

» niores vestri somnia somniabunt. » Vide rei seriem. Primo filii ; sicut et David ait : « Pro patribus tuis nati sunt tibi » filii [1] ; » et rursus Malachias : « Convertens corda patrum » in filios. Et super servos meos, et super ancillas meas [2]. » Et hoc virtutis indicium. Servi enim ejus facti sumus liberati a peccato. Magnum autem est hoc donum, quando in alium quoque sexum transit gratia ; non in unam alteramve sicut olim ; nempe in Deboram et Oldam. Neque dixit esse Spiritum sanctum, neque Prophetæ verba explicavit. Sed solam induxit prophetiam per se ipsam certantem. Nihilque de Juda jam loquitur, quia omnibus palam erat quales dedisset pœnas : sed silet, sciens nihil validius esse, quam ex prophetia loqui illis : hoc enim ipsis etiam operibus fortius est. Nam cum signa faceret Christus, sæpe contradicebant ; cum autem Prophetam induceret illis dicentem : « Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis [3], » ita silebant, ut nemo deinceps posset illi respondere. Ac sæpe ille Scripturas memorat dicens : « Si illos dixit deos, ad quos » sermo Dei factus est. » Imo ubique hoc quis invenerit. Ideo hic ait : « Effundam de Spiritu meo super omnem » carnem ; hoc est, in gentes. Sed nondum revelat, nec interpretatur, neque enim expediebat : quia etiam hoc obscurum erat. « Dabo prodigia in cœlo sursum. » Magis illos hoc terrebat, quod esset obscurum. Si autem hoc interpretatus esset, magis illis obstitisset. Deinde illud præterit quasi manifestum, talem volens dare opinionem. Denique hoc illis interpretatur, cum de resurrectione loquitur, et ad id sermone viam parat. Ideo sponte præterit : quoniam bona ad illos pertrahendos non satis erant. Quanquam hoc nunquam factum est. Nemo enim tunc effugiet. Nunc vero fideles effugerunt sub Vespasiano. Et hoc est quod dicit : « Nisi abbreviati fuissent dies illi, non salvata fuisset

[1] Psal. XLIV, 17. — [2] Malach. IV, 6. — [3] Psal. CIX, 1.

» omnis caro [1]. » Quod molestius erat primo contigit : primo enim accidit ut habitatores caperentur, et urbs subverteretur et succenderetur. Deinde in metaphora insistit, sub oculos auditorum excidium adducens. « Sol converte» tur in tenebras, et lunam in sanguinem. » Quid est lunam mutari in sanguinem ? Videtur mihi hic maximam cædem indicare, sermonemque ita concinnatum esse ut maximo terrore impleat. « Et erit, omnis quicumque invocaverit » nomen Domini salvus erit. » Omnis, inquit, et si sacerdos sit. Sed nondum revelat. Sive servus sit, sive liber : « Non est enim mas, neque fœmina in Christo Jesu ; non » servus, non liber [2]. » Jure quidem : hoc enim discrimen hic est, ubi omnia umbra sunt. Nam si in regia nemo nobilis, nemo ignobilis ; sed sua quemque opera notant, et si in arte opus commendat artificem ; multo magis in illo statu. « Omnis quicumque invocaverit. » Invocaverit, inquam, non quavis ratione : « Non enim, inquit, omnis » qui dicit mihi, Domine, Domine [3] ; » sed qui cum affectu, cum optima vita, cum congruenti fiducia. Interim non moleste loquitur, de fide agens, neque supplicii terrorem abscondens. Quomodo ? ostendit in invocatione salutem esse.

III. Quid, quæso, dicis, salutem memoras post crucem ? Expecta interim : magna est Dei clementia : et hoc non minus ostendit illum esse Deum, quam resurrectio et signa, quod nempe illos advocet. Nam quod admodum bonum, Deo maxime proprium est. Ideo dicit, « Nemo bonus, » nisi unus Deus [4]. » Sed ne bonitatem in desidiæ occasionem arripiamus. Nam punit etiam ut Deus. Hæc ergo fecit is qui dixit : « Omnis quicumque invocaverit nomen Do» mini, salvus erit. » De rebus Jerosolymæ loquor, de in-

[1] Matth. XXIV, 22. — [2] Gal. III, 28. — [3] Matth. VII, 22. — [4] Luc. XVIII, 19.

tolerabilii illa ultione. De qua vobis nunc pauca loquar utilia, tum contra Marcionistas, tum contra alios multos hæreticos. Quia enim dicunt bonum Deum Christum; illum vero malum: videamus quis hæc fecerit. Quis hæc ergo fecit, malus-ne illum ulciscens? minime. Quomodo igitur ab illo alienus? An bonus hoc fecit? Sed demonstratur et Patrem et Filium hoc fecisse. Patrem multis in locis, ut cum dicitur missurum eum esse exercitus suos in vineam; Filium, ut quando dicit: « Inimicos autem meos » adducite, et occidite coram me eos, qui noluerunt me » regnare super eos [1]. » Alioquin vero et ipse narrat futuras tribulationes, quibus nulla unquam crudelior fuit. Et ipse illas annuntiavit. Vis audire quæ facta fuerint? Verubus illos transfixerunt. Quid hoc spectaculo gravius? Sed vis narrem illam mulieris tragœdiam, quæ omnem superat calamitatem? Vis famem et pestem? His graviora prætereo. Ignorabant illi naturam, ignorabant legem, belluas feritate superabant. Hæc porro omnia ex belli violentia contigere, et Deo, et Christo volente. Hæc et contra Marcionistas, et contra eos, qui non credunt esse gehennam (5), apta erunt. Illorum enim impudentiam comprimere valent. Annon hæc babylonicis malis graviora sunt? Annon hæc fames illa crudelior? De his ipse quoque Christus pronuntiavit: « Erit tribulatio, qualis nunquam » fuit, neque erit [2]? » Quomodo ergo dicunt quidam Christum remisisse illis peccatum? Forte vulgaris videtur esse quæstio; sed vos potestis illam solvere. Nemo unquam poterit tale figmentum ostendere quale est id quod revera accidit. Et si quidem Christianus esset qui hæc scripsit, res esset forte suspecta: cum vero Judæus fuerit et judaïcorum studiosus, qui post Evangelium venit, quomodo non omnibus manifesta sint ea, quæ gesta sunt? Videbis namque

[1] Luc. XIX, 27. — [2] Matth. XXIV, 21.

illum ubique res judaïcas extollentem. Est itaque gehenna, et bonus est Deus. Annon exhorruistis hæc audientes? Verum quæ hic fiunt nihil sunt in comparatione illorum. Rursus cogor ingratus videri et molestus. Sed quid faciam? In hoc positus sum : sicut pædagogus asper discipulorum odio expositus est, sic et nos. Quomodo enim absurdum non fuerit, si dum ii, qui a regibus sunt constituti, res quantumvis injucundas perficiunt, nos ne a vobis reprehendamur, officium implere desinamus? Alius alii id habet opus : multorum autem ex vobis hoc officium est, ut misereantur, humani, suaves, mitesque sint iis, quibus beneficia præstant. Nos vero ut subditis prosimus, graves videmur, duri, onerosi, injucundi ; neque enim prosumus per ea quæ placent, sed per ea quæ pungunt. Talis quoque est medicus : verum ille non tam injucundus ; statim quippe arte sua utilitatem præbet : nos autem in futuro. Talis est et judex, invisus morbidis ac seditiosis : talis legislator, molestus sub lege positis. At non is, qui vocat ad delicias, nec qui festa celebritatesque parat, nec qui populum coronat. Hi certe grati habentur, qui civitates sumptuosis spectaculis excipiunt, pecuniæ non parcentes. Ideoque celebrantur a populo bene excepto, cum tapetibus, lucernis, coronis, ramis et splendida veste. Infirmi vero si medicum viderint, mœsti sunt ; et si judicem seditiosi, dejecti fiunt, non effusi, nec exultantes, quod ille ad hoc officium sit constitutus. Videamus ergo quinam maxime civitatibus prosint ; an ii, qui tales celebritates parant, thalias, lautas mensas et delicias ; an ii, qui, his sublatis omnibus, lignum inferunt, flagella, carnifices, milites terribiles, tremendas voces, mandata, mœstitiam, qui virga eos, qui in foro sunt, semovent. Videamus, inquam, utra res in lucrum desinat. Hi namque molesti sunt, illi amabiles. Quid igitur evenit ex iis, qui oblectant? Voluptas

frigida, quæ usque ad vesperam manet et insequenti die effluit, risus incompositus, verba indecora et dissoluta. Quid ex aliis? Timor, temperantia, cogitatio demissior, animi modestia, desidiæ fuga, frenum interiorum affectuum, murus adversus ea, quæ foris ingruunt. Per hos quisque facultates suas possidet; per illa autem festa eas ipsas dilapidamus, non invadentibus latronibus; sed vana gloria et voluptate prædante. Quisque videt latronem auferentem omnia et lætatur. Novus latrocinii modus, qui exutis ut gaudeant, suadet.

IV. Verum illic nihil tale. Sed ab omnibus removit Deus, ut communis pater, tum quæ videntur, tum quæ non videntur; nam ait: « Videte ne eleemosynam vestram faciatis coram » hominibus[1]. » Hinc discit anima injustitiam fugere. Injustitia enim est, non modo pecunias per rapinam parare; sed etiam plus cibi dare ventri, quam satis sit, et lætitiam extra terminos efferre, atque debacchari. Illinc castitatem discit; hinc libidinem. Non solum enim mulieri misceri libido est; sed etiam lascivis oculis respicere. Illinc modestiam discit, hinc fastum. « Omnia, enim, inquit, » mihi licent; sed non omnia expediunt[2]. » Illinc honestatem, hinc turpitudinem: mitto ea quæ in theatris. Quod autem nulla ibi voluptas sit, sed potius mœstitia; ostendite mihi die festum insequente eos, qui sumptus effuderunt, eosque, qui ad spectacula invitati fuerunt: videbimusque omnes mœstitia correptos; maxime vero illum, qui sumptum suppeditavit. Et jure quidem; oblectavit enim die præcedenti popularem hominem, qui lætus admodum erat. Interim namque splendida fruebatur veste: sed cum non ad usum suum esset, se illa exutum videns, dolebat et cruciabatur: qui vero sumptum fecit suam præ illius felicitate parvam putabat. Idcirco sequenti die redduntur vestes,

[1] Matth. VI, 1. — [2] 1 Cor. VI, 12.

majoremque mœrorem qui commodaverat concipit. Quod si in exterioribus læta tantam inferunt molestiam, et molesta utilitatem, multo magis in spiritualibus. Ideo nemo succenset legibus; sed eas communis esse utilitatis censent omnes. Neque enim peregrini vel inimici has leges statuere; sed ipsi cives, patroni, curatores : hocque salutis ac benevolentiæ indicium putant quod leges ponantur. Atqui leges pœnis et ultione plenæ sunt : nec ulla lex invenitur sine pœna. Quomodo ergo non absurdum fuerit eos quidem, qui leges illas exponunt, servatores, beneficos, patronos vocare; nos vero duros et morosos putare, quod leges Dei enarremus? Cum enim de gehenna agimus, leges illas afferimus. Ac quemadmodum illi externi leges de homicidis, de furibus, de nuptiis et similibus; sic et nos leges de suppliciis afferimus : quas non homo posuit; sed ipse Unigenitus Filius Dei. Qui immisericors est, puniatur, inquit; hoc enim sibi vult parabola. Qui memor injuriarum est, extremum luat supplicium; qui irascitur temere, in ignem injiciatur : qui conviciatur, pœnas det in gehenna. Si putatis vero vos novas audire leges, ne turbemini. Nisi enim novas positurus Christus fuisset, cur advenisset? Illa quippe manifesta nobis sunt, quod homicidam et adulterum punire oporteat. Si ergo eadem audituri eramus, cur cœlesti doctore opus erat? Ideo non dicit : « Adulter puniatur; » sed, « Qui lascivis oculis respicit : » et ubi, et quando pœnam daturus sit, addit. Non in tabulis leges descripsit, neque cippos æreos erexit, ut ibi litteras sculperet; sed erectis duodecim Apostolorum animabus, ibi per Spiritum sanctum has scripsit litteras, quas vobis nos merito prælegimus. Nam si Judæis hoc licebat, ne quis ad ignorantiam confugeret; multo magis nobis fas est. Si quis vero dicat : « Non audiam, nec judicium subibo, » ideo maxime punitur. Nam si nemo doceret, posset ad talia confugi. Sed cum adsit

doctor, non licet. Vide ergo quomodo Judæos a venia excludat dicens : « Si non venissem et locutus fuissem eis, » peccatum non haberent[1]. » Iterumque Paulus : « Sed » dico : Numquid non audierunt[2]. Et quidem in omnem » terram exivit sonus eorum[3]. » Tunc enim venia est, quando nullus est qui prædicet. Quando autem speculator sedet, et hoc habet officium, non ultra est venia. Imovero non tantum voluit Christus nos in columnas illas respicere, sed nos quoque vult esse columnas. Quia vero nos talibus scriptis indignos reddidimus, illas saltem columnas respiciamus. Sicut enim columnæ aliis minantur, illæ vero non sunt in culpa, ut neque leges ; sic et beati Apostoli. Et vide : non uno in loco stat hæc columna, sed ubique litteræ scriptæ circumferuntur. Nam si ad Indos migres, illas audies ; si in Hispaniam, itidem, et in omnes fines terræ : nemo est qui non audiat, nisi ob desidiam. Ne ergo ægre feratis, sed dictis attendite, ut possitis virtutis opera suscipere, et æterna consequi bona, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Joan. xv, 22. — [2] Rom. x, 18. — [3] Psal. xviii, 5.

HOMILIA VI.

CAPUT II.

Viri Israëlitæ, audite verba mea hæc [1].

I. Non est hoc per adulationem dictum : sed quia illos acriter perstrinxerat, jam remissior est, et opportune Davidem memorat : et rursus a proœmio incipit, ne turbentur, quia de Jesu mentionem facturus est. Nam superius turbati non sunt Prophetam audientes : nomen vero Jesu statim illos offendisset. Nec dixit : « Obtemperate ; » sed, « Audite, » quod sane molestum non erat. Et animadverte quomodo nihil sublime dicat, sed ab humilioribus incipiat. « Jesum, inquit, Nazarenum. » Patriam statim dicit, quæ vilis esse videbatur : nec quidpiam interim magnum de illo dicit, ne quidem quod de Propheta alius diceret. « Jesum, inquit, Nazarenum, virum approbatum a Deo in » vobis [2]. » Vide quam magnum illud erat, quod dicat illum a Deo missum fuisse. Hoc enim semper et ubique Joannes et Apostoli ostendere curabant. Audi namque Joannem dicentem : « Ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum » descendentem et manentem super eum, hic est [3]. » Hoc præcipue facit ipse Christus, dicens : « A memetipso non » veni, ipse me misit [4]. » Et ubique in Scripturis hoc potissimum agitur. Ideo hic sanctus beati chori princeps, amator Christi, ardens Discipulus, cui commissæ sunt cœlorum claves, qui revelationem spiritualem accepit, postquam illos timore compressit, ostenditque magnis illos donis esse dignatos, atque fide dignos reddidit, tunc de illo

[1] Act. II, 22. — [2] Ibid. — [3] Joan. I, 33. — [4] Id. VII, 28.

disserit. Papæ quomodo ausus est inter homicidas dicere ipsum resurrexisse. Nec dicit statim quod resurrexerit; sed quod a Deo ad ipsos venerit. Hoc autem manifestum est ex iis, quæ fecit. Non jam dicit quod ipse, sed quod Deus per ipsum, ut modestius loquendo ipsos pertraheret, ad quam rem ipsos testes vocat, dicitque : « Virum a Deo demonstratum in vobis virtutibus, prodigiis » et signis, quæ fecit per ipsum Deus in medio vestri, sicut » et ipsi scitis[1]. » Deinde in illorum facinus et scelus incidens, vide quomodo conetur illos a crimine liberare : etsi enim definitum esset, illi tamen homicidæ erant (6). « Hunc, » inquit, definito consilio et præscientia Dei traditum acci- » pientes, per manus iniquorum affigentes interemistis[2]. » Iisdem fere verbis utens, quibus Joseph fratres suos allocutus est : « Nolite timere, quia non vos tradidistis me; » sed Deus me huc misit[3]. » Deinde postquam dixit hoc Dei consilio factum esse; ne dicerent : « Ergo id bene fecimus; » illos coarguit per ea quæ adjicit : « Per manus iniquorum affigentes interemistis. » Hic Judam subindicat, simulque ostendit id non potuisse illos facere, nisi Deus concessisset, tradidissetque illum. Hoc enim sibi vult illud, « Traditum. » Sic totum scelus convertit in caput Judæ, qui tradidit eum : ipse enim illum osculo prodidit. Vel hoc intelligit, cum ait : « Per manus iniquorum. » Vel de militibus loquitur, ac si insinuet : « Non vos interemistis, sed per manus iniquorum. » Et vide quomodo ubique curent passionem primum confiteri. Resurrectionem vero, quia magna res erat, interim subindicat, et quasi in medio ponit. Illa namque, crux nimirum et mors in confesso erant; nondum autem resurrectio : ideo hæc subjungit : « Quem » Deus suscitavit, solutis doloribus mortis; eo quod impos- » sibile erat teneri illum ab ea[4]. » Hic magnum et sublime

[1] Act. II, 22. — [2] Ibid. 23. — [3] Gen. XLV, 5. — [4] Act. II, 24.

quidpiam subindicat. Illud enim, « Impossibile erat, » significat ipsum quoque dedisse potestatem inferno ut se teneret, et mortem illum detinentem doloribus partus affectam gravia passam esse. Dolorem quippe mortis periculum Scriptura solet appellare : et indicat quod sic resurrexerit quasi non ultra moriturus. Vel cum dicit, « Eo quod » impossibile erat teneri illum ab ea, » significat resurrectionem ejus non esse communem cum aliis. Deinde prius quam mens illorum aliquid cogitet, inducit Davidem, omnem humanam cogitationem de medio tollentem. « David » enim dicit in eum [2], » inquit. Et vide quemodo rursus testimonium sit humile; ideo illud supra ex humilioribus accepit, ut ostendat de morte non esse dolendum : « Provi- » debam, inquit, Dominum in conspectu meo semper, » quoniam a dextris est mihi, ne commovear. Quoniam » non derelinques animam meam in inferno [3]. » Deinde testimonio prophetico addit : « Viri fratres. » Cum magnum quidpiam dicturus est, hoc utitur proœmio, ut illos excitet, et alliciat. « Liceat, inquit, audenter dicere vobis » de patriarcha David [3]. » Magna humilitas : ubi nihil est damni, demissius loquitur. Ideoque non dixit hæc de Christo, non de Davide dicta fuisse; idque admodum prudenter, ut illos ex magno erga beatum Davidem honore ad reverentiam deduceret, circa illud quod in confesso erat, et illud quod audacius dictum videbatur, demulcet illos laudes adhibens. Ideo non, « De David, » tantum dixit; sed de « Patriarcha David, quia defunctus est et sepultus. » Non jam dicit : « Et non resurrexit : » sed alio modo recte hoc ipsum declarat ac dicit : « Et sepulcrum illius est apud » nos usque in hodiernam diem [4]. » Deinde, ut quod voluerat apparavit, neque sic venit ad Christum, sed rursus

[1] Act. II, 25. — [2] Ibid. 27, et Psal. XV, 8-10. — [3] Act. II, 29. — [4] Ibid.

Davidem laudat. « Propheta igitur cum esset, et sciret quia » jurejurando jurasset illi Deus[1]. »

II. Hæc porro dicit, ut saltem ob honorem et genus ipsius, verbum de resurrectione susciperent; quasi prophetia læderetur nisi hoc esset, et quasi ipsorum honori derogaretur. « Et sciens, inquit, quia jurejurando jurasset » illi Deus. » Non simpliciter dixit : « Promisit; » sed quod majus erat, « Juramento juravit, de fructu lumbi ejus orituru » rum Christum secundum carnem, ut sederet super thro- » num ipsius[2]. » Vide ut excelsa iterum subindicet. Post quam enim illos verbis placavit, fidenter hoc Prophetæ dictum attulit, et de resurrectione loquitur : « Quia neque » anima ejus derelicta est in inferno, neque caro ejus vidit » corruptionem[3]. » Hoc rursus mirum est : ostendit enim non similem aliis esse resurrectionem. Detinuit enim illum mors, nec sua in eum operata est. Et peccatum quidem sub umbra dixit, pœnam autem non addidit. Sed quod occiderint declaravit. Deinde ad signum Dei venit. Quando autem demonstratum est justum esse eum, qui occisus fuit, et Dei amicum, etiamsi pœnam taceas, is, qui peccavit, sese, magis quam tu faceres, condemnabit. Omnia itaque ad Patrem refert, ut dicta recipiant. Deinde illud, « Impossibile erat, » ex prophetia induxit. Rursus vero priora repetamus. « Jesum, inquit, Nazarenum, virum » approbatum a Deo in vobis. » Id est, de quo nihil dubium est, sed ex operibus probatum. Sic et Nicodemus dicebat : « Signa hæc nemo potest facere quæ tu facis[4]. Virtutibus, » inquit, prodigiis et signis, quæ fecit Deus per ipsum in » medio vestri. » Itaque non clam, si in medio. Primo ab iis quæ nota ipsis erant orditur : et tunc ad occulta venit. Deinde cum ait : « Dei consilio, » ostendit ipsos id facere non potuisse; et illud esse quidpiam sapienter et per œco-

[1] Act. II, 30. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 31. — [4] Joan. III, 2.

nomiam factum; siquidem a Deo ipso erat. Quodque molestum erat cito transcurrit. Ubique illis studium erat ostendere ipsum mortuum fuisse. Licet vos negaveritis, inquit, illi testificabuntur. Qui vero morti negotia facessit, multo magis poterit iis, qui crucifixerunt. At nihil simile dicit, nempe, « Poterat vos de medio tollere, » sed simpliciter subindicavit. Interim vero ex dictis discimus, quid sit illud tenere : nam qui cum dolore aliquid tenet, non illud retinet : neque agit, sed patitur, et illud abjicere festinat. Ac pulchre dicit, « David enim dicit in eum ; » ne dictum illud in Prophetam derivares. Vides-ne quomodo demum prophetiam interpretetur, et nudam exponat, ostendens quomodo sedeat super thronum suum? Regnum enim spirituale in cœlis est. Vide quomodo cum resurrectione regnum declaravit in resurgendo acceptum. Ostendit necessitatem fuisse Prophetæ dicendi : de illo namque erat prophetia. Cur non dixit : « De regno ejus ; » sed, « De resurrectione ejus? » Magnum hoc erat. Quomodo autem in throno sedit? In Judæos regnans. Quod si in Judæos, multo magis in eos, qui crucifixerunt illum. « Non » enim caro ejus, inquit, vidit corruptionem. » Hoc resurrectione, inquit, minus videtur, sed idipsum est. « Hunc Jesum suscitavit Deus. » Vide quomodo non aliter illum appellet. « Cujus nos omnes testes sumus. Dextera igitur » Dei exaltatus[1]. » Rursus ad Patrem confugit; etiamsi satis erat id dixisse prius. Sed scit quanti momenti sit illud. Hic quoque assumptionem subindicavit, ipsumque in cœlis esse; sed hoc non palam dicit. « Et promissione, inquit, » sancti Spiritus accepta. Vide quomodo initio dicat non Christum, sed Patrem illum misisse. Post quam vero signa ejus memoravit, et quæ Judæi in illum fecerant, ac de resurrectione locutus fuit, tunc fidenter de his sermonem

[1] Act. II, 32, 33.

habet, rursus illos testes per utrumque sensum producit : ac resurrectionis quidem frequenter meminit ; illorum vero sceleris semel tantum, ne ipsis oneri esset. « Et accepta, » inquit, Spiritus sancti promissione. » Hoc rursus magnum est. Puto autem ipsum nunc promissionem dicere ante passionem datam. Vide autem quomodo totum jam illi ascribat, rem magnam occulte faciens. Nam si ipse effudit, de illo supra Propheta loquebatur dicens : « In novis- » simis diebus effundam de Spiritu meo super servos meos » et super ancillas meas : et dabo prodigia in cœlo sursum. » Vide qualia occulte interserat. Sed quia magna res erat, rursus illam obumbrat, quasi a Patre acceperit. Dicit bona præstita, signa ; quod sit rex, quod ad ipsos venerit. Dixit quod ipse det Spiritum sanctum. Quæcumque enim quis dixerit, nisi ad utilitatem tendat, temere dicit. Sicut et Joannes facit dicens : « Ipse vos baptizabit in Spiritu » sancto[1]. » Et ostendit crucem non modo ipsum non minuisse, sed etiam splendidiorem reddidisse : siquidem quod illi olim Deus promiserat, tunc dedit. Vel promissionem, inquit, quam nobis promisit : sic futuram præsciebat, et majorem nobis post crucem largitus est, et « Effudit, » inquit. Hic dignitatem declarat, nec simpliciter, sed cum ubertate. Ideo hoc ipsum palam faciens, sequentia inducit. Postea enim fidenter, post Spiritus sancti munus datum, de assumptione in cœlos loquitur : neque simpliciter ; sed testem rursum producens, et illum memorans de quo Christus dixit : « Non enim, inquit, Da- » vid ascendit in cœlum[2]. »

III. Hic jam non demisse loquitur, assumpta ex dictis fiducia : neque dicit, « Liceat dicere, » vel similia ; sed palam : « Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, » donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. »

[1] Matth. III, 11. — [2] Act. II, 34.

Si Davidis Dominus erat, multo magis illorum. « Sede a » dextris meis. » Totum hic posuit. « Donec ponam inimicos » tuos scabellum pedum tuorum[1]. » Hic metum magnum incutit, ut initio monstravit; qualia nempe amicis, qualia inimicis faciat. Ac rursus imperium, ne non credatur, Patri ascribit. Quia itaque magna locutus est, rursus ad humilia sermonem deducit. « Certo igitur sciat, inquit, » omnis domus Israël, » hoc est, ne dubitetis, ne ambigatis. Postea cum imperio : « Quia et Dominum eum et Christum » fecit Deus[2]. » Hoc a Davide et a Psalmo commemoravit. Nam cum videretur dicendum : « Certo igitur sciat omnis domus Israël, quod a dextris sedeat, » id quod magnum erat; eo relicto, aliud inducit multo humilius, cum dicit, « Fecit, » id est, constituit. Itaque nihil hic de substantia, sed totum hac de re dicit. « Hunc Jesum, quem vos cru- » cifixistis[3]. » Bene huc desinit, illorum animum exagitans. Post quam enim ostendit quantum sit facinus, tunc demum ipsum declarat, ut sic majus ostendatur, et timore illos corripiat. Non enim sic homines beneficiis alliciuntur, ut timore castigantur. Admirandi autem viri, pii ac Dei amici, neutro opus habent; qualis erat Paulus, qui nec regni, nec gehennæ rationem habebat. Hoc est amare Christum : hoc est non esse mercenarium, neque quæstum vel negotiationem id existimare; sed virtute vere præditum esse, et ob Dei amorem omnia facere. Quantis igitur lacrymis digni sumus, qui tantam debentes mensuram, ne quidem ut negotiatores regnum cœlorum expetimus? Tanta nobis pollicetur, neque sic audimus cum? Quid huic inimicitiæ par fuerit. Atqui ii, qui insana pecuniæ cupiditate laborant, sive hostes adeant, sive servos, sive inimicissimos sibi, et omnium nequissimos; si tamen sperent se posse per illos pecunias adipisci, nihil non

[1] Act. II, 35, ex Psal. CIX, 1, 2. — [2] Act. II, 36. — [3] Ibid.

agunt, ipsis adulantur, ipsos ut servi colunt, et omnium honestissimos habent, ut ab illis accipiant. Pecuniarum enim spes, non sinit eos horum quidpiam cogitare. Regnum autem non tantum poterit, quantum pecuniæ; imo ne minimum quidem poterit. Quamvis non e vulgo quispiam sit qui illud promittit, sed ipso quoque regno longe major sit. Quando autem id quod promittitur regnum est, illudque dat Deus, magnum certe est et illud et a tali accipere. Nunc autem perinde fit, ac si rex qui hæredes et filio cohæredes vult facere eos, quos mille ante beneficiis affecit, contemnatur; et latronum princeps, qui innumeris et nos et parentes nostros malis affecit, et mille malis ipse plenus est, si unum obolum offerat, adoretur a nobis. Regnum pollicetur Deus, et despicitur; gehennam conciliat diabolus, et honoratur. Hic Deus, ille diabolus. Sed videamus præceptorum discrimen. Si enim nihil horum esset; neque hic Deus, ille diabolus; neque hic regnum, ille gehennam conciliaret; annon vel ipsa præceptorum natura suadere posset ut huic hæreremus? Quid igitur uterque imperat? Ille quæ turpes, hic quæ gloriosos reddunt; ille quæ mille calamitatibus et infamia involvunt; hic quæ magnam pariunt tranquillitatem. Vide namque; ille dicit : « Discite a me quia mitis » sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus » vestris[1]. » Ille ait : « Ferox esto et inhumanus, atque iracundus, et fera magis quam homo. » Videamus quid utilius, quid opportunius. Imo ne hoc tantum; sed cogita illum esse diabolum; illud enim maxime demonstratum est : jam triumphus major erit. Non enim qui facilia imperat, curator est, sed qui utilia. Nam patres onerosa imperant; et heri quoque servis. Sed ideo hi quidem patres sunt, illi vero heri, subigentes et perniciosi; contraria

[1] Matth. xi, 29.

sunt omnia. Verum quod voluptatem habeant hinc palam est. Qua enim conditione putas esse iracundum, qua patientem et mitem? Nonne hujus anima similis est solitudini cuipiam multam quietem habenti; illius vero anima, foro, turbæ, ubi multus clamor sequentium camelos, mulos et asinos, qui occlamant accedentibus ne conculcentur? Nonne illius anima mediis civitatibus similis est, ubi hinc aurificum, inde æreariorum magnus fragor : et alii quidem lædunt, alii vero læduntur? Sed hujus anima similis est vertici montis, leni aura fruenti purisque radiis, limpida fontium fluenta emittenti : ubi multæ florum gratiæ perinde atque in vernis pratis et hortis, quæ plantis, floribus et defluentibus aquis ornantur. Si quis vero sonus audiatur, suavis est, et multam fundit audientibus voluptatem. Nam vel aves sunt summis arborum in ramis cantillantes; vel cicadæ, lusciniæ, hirundines, concordem et unam quamdam efficiunt musicam; vel Zephyrus blande ramos arborum allidit, pinorum stridulos sonos et cycnos plerumque imitatur : vel pratum rosas emittens et lilia, quæ se mutuo collidunt; quasi pelagus item lenibus undis commotum. Imo multas quis invenerit imagines. Nam si quis rosas inspiciat, itidem se videre putabit; si violas, mare undosum; si lilia, cœlum. Neque spectaculo et visu tantum delectatur, sed etiam corpore : ille namque recreatur et respirat; ita ut se in cœlo potius esse putet, quam in terra.

IV. Est et alius sonus; cum aqua ex cacumine defluens per præcipitia sponte fertur, et subjectis silicibus leniter obstrepit, sicque membra nostra voluptate relaxat : ita ut somnum membra solventem conciliet. Narrationem libenter audistis; hincque forte injectus vobis est solitudinis amor. Sed hac solitudine multo suavior est patientis anima. Non enim ut pratum describeremus, neque ut ad

ostentationem verba funderemus, hanc aggressi sumus imaginem; sed ut per hanc descriptionem videretis quanta sit patientium voluptas, et quod multo suavius utiliusque sit cum viro patiente et mansueto versari, quam in hujusmodi locis degere. Hos sequamini. Cum enim neque ventus vehemens a tali anima egrediatur, sed benigni mansuetique sermones Zephyro placido similes, et admonitiones nihil asperum habentes; sed aves illas cantatrices imitantes: quomodo hoc non melius fuerit? Non enim corpori accidit sermonis aura, sed animas reficit. Non tam cito medicus qualibet adhibita cura a febri liberaverit, ut vir patiens iracundum et excandescentem, spiritu verborum suorum refrigerabit. Ecquid de medico loquor? Ne ferrum quidem ignitum in aquam immissum tam cito calorem amittit, ut iracundus in mansuetum incidens. Sicut autem si in forum ingrediantur cantillantes aves, nugæ esse videntur; sic quoque præcepta nostra in animas iracundas immissa. Ergo suavior est mansuetudo ira et temeritate. Neque hoc tantum, sed hoc diabolus, illud Deus præcepit. Videte me non sine causa dixisse, etiamsi nec diabolus nec Deus esset, hæc tamen præcepta satis fore ad nos abducendos. Mitis enim homo et sibi suavis et aliis utilis est; iracundus vero et sibi insuavis, et aliis noxius. Nihil enim ingratius homine iracundo, nihil onerosius, molestius, turpius; ut eo, qui irasci nescit, nihil jucundius. Cum fera habitare melius est, quam cum tali homine; fera namque, quando semel cicuratur, suam servat legem; illum autem quoties placaveris, toties iterum efferatur; sibi enim habitum talem semel constituit; sicut enim dies serenus et lætus, et hyems admodum tristis, contraria sunt; ita iracundi et mansueti animæ. At nondum ea quæ in alios manant incommoda, sed quæ sibi ipsis inferunt videamus. Atqui hoc non parvum est damnum, alium damno affi-

cere. Verum interim illud consideremus. Quis carnifex sic latera dilacerare poterit? quæ verua ignita sic corpus transfigere? Quis furor ita a sana mente excutit, ut ira et furor? Multos novi qui ab iracundia in morbos inciderunt: hæ sunt gravissimæ omnium febres. Quod si corpus ita labefactent, animam cogita. Ne ratiocineris, quia non vides; sed cogita, quod si is, qui malitiam concipit, ita læditur, id quod ille pariet quantum damnum afferet? Multi oculos perdiderunt, multi in gravissimos incidere morbos. Qui vero fortiter tolerat, omnia facile feret. Attamen licet tam onerosa præcipiat, et horum mercedem gehennam proponat, licet ille diabolus sit, et salutis nostræ inimicus, magis illi obtemperamus, quam Christo servatori, benefactori et talia dicenti, quæ et suaviora, et utiliora sunt, nobisque et contubernalibus magna bona conferant. Nihil ira pejus, dilecte, et intempestivo furore: «Non fert longam moram, acutus est morbus.» Sæpe quis verbum ex ira profert, quod ut reparet tota vita opus habet; et aliquid operatur, quod totam ejus vitam subvertat. Quod autem gravissimum est, brevi tempore, uno opere, uno verbo sæpe æternis privamur bonis, innumerosque nobis parimus labores. Quamobrem rogo omnia faciamus, ut hanc feram frenemus. Cæterum hæc de mansuetudine et ira dicta sint. Si quis vero alia sermone tractet, ut avaritiam et despectum pecuniarum, lasciviam et castitatem, invidiam et mansuetudinem, illaque mutuo conferat, alia quoque discrimina sciet. Vidistis quomodo ex præceptis tantum et Deus et diabolus internoscantur? Obtemperemus ergo Deo, neque nos in barathra conjiciamus; sed dum tempus est, abluamus omnia quæ animam fœdant, ut æterna consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen

HOMILIA VII.

CAPUT II.

His autem auditis, compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum et ad reliquos Apostolos : Quid faciemus, viri fratres [1] ?

I. Vides-ne quantum sit mansuetudo bonum? Hæc magis quam vehementia quælibet, corda nostra compungit, et acutiorem infligit plagam. Sicut enim qui obdurata corpora percutit, non tam valide sensum afficit; sed si illa prius emolliat, tunc acrius pungit; ita et hic prius oportet emollire, et tunc pungere. Emollit autem, non ira, non vehemens accusatio, non convicium; sed mansuetudo. Furor enim auget morbum, mansuetudo eliminat. Itaque si velis quempiam, qui te læserit, corripere, illum cum mansuetudine magna aggredere. Vide enim hoc loco quid faciat : mansuete illis facinora sua in mentem revocat, et nihil adjicit : Dei donum enarrat : addit gratiam in rerum gestarum testimonium, et ulterius sermonem producit. Reveriti sunt Petri mansuetudinem, quia iis qui Dominum suum crucifixerant, et contra ipsos clamaverant quasi pater et magister bene affectus loquebatur. Nec simpliciter morem gesserunt, sed etiam se ipsos damnarunt : in sensum venerunt eorum quæ fecerant. Non enim permisit illos furore corripi, et mente obtenebrari; sed per humilitatem, dissipata quadam indignationis nebula, sic facinus illud ipsis repræsentavit. Res enim sic usuvenit : quando

[1] Act. II, 37.

quibusdam dicimus nos læsos fuisse; illi conantur demonstrare se non læsisse; cum vero dicimus nos non læsos fuisse, sed potius læsisse, illi contra nituntur. Itaque si velis eum, qui injuste egit in agonem conjicere, ne accuses illum; sed pro illo decerta, et ille sese accusabit. Contentiosum enim est genus hominum. Hoc Petrus fecit : non illos vehementer accusavit; sed conatus est quantum poterat illos mansuete defendere; idcoque illorum animos perstrinxit. Et undenam liquet illos compunctos fuisse? Ex ipsorum verbis. Quid enim dicunt? « Quid faciemus, » viri fratres? » Quos deceptores vocabant, fratres nunc appellant; non quod se ipsis exæquarent; sed quod illos ad sui amorem et curam pertraherent. Et alioquin, post quam illos sic appellare dignati fuerant, et dixerant : « Quid facie- » mus? » non statim dixerunt : « Ergo pœnitentiam agamus; » sed se illis permiserunt; quemadmodum quis in naufragio vel in morbo gubernatorem vel medicum conspiciens, omnia illi concedit ipsique obtemperat, ita et hi confessi sunt se in extremis positos nullam salutis spem habere. Et vide : non dixerunt : « Quomodo salvi erimus; » sed « Quid » faciemus? » Rursus hic Petrus, cum omnes interrogarentur, ipse respondet. « Pœnitentiam agite, et baptizetur unus- » quisque vestrum in nomine Jesu Christi [1]. » Nondum dicit, «Credite;» sed, «Baptizetur unusquisque vestrum.» Hoc enim in baptismate accipiebant. Deinde lucrum ostendit : « In » remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus » sancti [2]. » Si donum accepturi estis, si remissionem habet baptisma, cur cunctamini? » Deinde probabiliorem reddens sermonem, subjunxit: « Vobis enim est repromissio [3]; » superius etiam promissionem dixerat; et « Filiis vestris, » inquit. Majus et donum, quando bonorum hæredes habent. « Et omnibus qui longe sunt. » Si iis, qui longe, multo

[1] Act. II, 38. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 39.

magis iis qui prope. « Quoscumque advocaverit Dominus »Deus noster. » Vide quando dicat, « Iis qui longe sunt?» Quando vidit illos sibi proprios et sese damnantes. Anima enim, quando se ipsam damnaverit, non ultra poterit invidere. « Aliis etiam verbis plurimis testificatus est, et exhor»tabatur dicens[1]. » Vide illum ubique breviter loquentem, non ambitiosum, non ostentatorem. « Testificatus est, »inquit, et exhortabatur dicens. » Hæc perfecta doctrina est, quæ hinc timorem, inde amorem habet. « Salvamini, »inquit, a generatione ista prava. » Nihil de futuris, sed de præsentibus dicit, quibus maxime moventur homines : ostenditque prædicationem et a præsentibus et a futuris eruere malis. « Qui ergo libenter acceperunt sermonem »ejus, baptizati sunt : et appositæ sunt in die illa animæ »circiter tria millia[1]. » Quam putas hoc, magis quam signum Apostolos recreasse. « Erant autem perseverantes »unanimiter in doctrina Apostolorum, et communica»tione[2]. » Duæ virtutes, et quod perseverarent, et quod unanimiter. « In doctrina Apostolorum, » inquit : rursus enim illos docebant, « Et communicatione et fractione »panis, et oratione. » Omnia communiter, omnia cum perseverantia. « Fiebat autem omni animæ credentium ti»mor. Multa quoque prodigia et signa per Apostolos fie»bant[3]. » Merito. Neque enim ut vulgares homines despiciebant, neque rebus sub aspectum cadentibus attendebant. Incensa ergo erat mens eorum. Quia enim multa superius verba fuderat Petrus, ostenderatque et promissa et futura, jure metu correpti erant, et signa dictis testimonium ferebant. Sicut enim in Christo primum signa, postea doctrina, deinde miracula; ita et nunc. « Omnes »autem, qui credebant, erant pariter, et habebant omnia »communia[5]. » Vide quantus statim profectus. Non enim

[1] Act. II 40. — [2] Ibid. 41. — [3] Ibid. 42. — [4] Ibid. 43. — [5] Ibid. 44.

in orationibus tantum erat communicatio, neque in doctrina solum, sed etiam in vitæ probitate. « Possessiones et » substantias vendebant, et dividebant illas omnibus, prout » cuique opus erat[1]. » Vide quantus timor illis accidit. « Et dividebant eas, » inquit, dispensationem significans, « Prout cuique opus erat. » Non frustra, quemadmodum apud Græcos philosophi, alii terram relinquebant, alii multum auri in mare projiciebant. Quod non pecuniarum contemptus erat, sed stultitia et insipientia. Semper enim studuit diabolus, Dei creaturas ubique calumniari; quasi non posset quis bene uti pecuniis. « Quotidie quoque per- » severantes unanimiter in templo[2]. » Hic modum docet, quo doctrina fruebantur.

II. Et perpende quomodo nihil aliud facerent Judæi, nec parvum, nec magnum; sed in templo assidui essent. Nam utpote ferventiores facti, majore erga locum erant reverentia. Neque enim illos adhuc avellebant Apostoli, ne ipsos læderent. « Et frangentes circa domos panem, » sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis, » collaudantes Deum, et habentes gratiam ad omnem » plebem[3]. » Cum panem dicit, jejunium mihi et austeram vitam significare videtur : cibo enim, non deliciis utebantur. Hinc disce, dilecte, non deliciis, sed cibo nos suaviter frui; et eos, qui deliciis fruuntur, in tristitia esse; qui vero non fruuntur, in gaudio. Vides-ne Petri sermones vitæ temperantiam intulisse? Sic non potest exultatio esse sine simplicitate. Et quomodo, inquies, « Habebant gra- » tiam ad omnem plebem? » Propter ea, quæ faciebant per eleemosynam. Ne enim attendas quod principes sacerdotum ob invidiam et livorem insurgerent in illos; sed quod gratiam haberent ad plebem. « Dominus autem augebat » quotidie eos, qui salvi fierent in Ecclesia. Omnes autem

[1] Act. II, 45. — [2] Ibid. 46. — [3] Ibid. 47.

» credentes simul erant[1]. Sic ubique bona est concordia. » Aliisque sermonibus testificatus est. » Hoc dixit ostendens non satis fuisse illa quæ dicta fuerant : vel illa quidem dixerat ut ad fidem induceret; hæc vero docebant qualem oporteret esse fidelem. Nec dixit : « In cruce ; » sed, « In nomine Jesu Christi baptizetur unusquisque » vestrum. » Neque frequenter illis crucem commemorat, ne exprobrare videatur ; sed simpliciter dicit : « Pœni- » tentiam agite, et baptizetur unusquisque in nomine Jesu » Christi in remissionem peccatorum. » Atqui aliter hic se habent judiciorum leges ; nam in prædicatione cum peccator confitetur, tunc servatur. Vide quomodo Petrus id quod majus est non præterierit ; sed cum de gratia dixisset, illud subjunxerit dicens : « Accipietis donum Spiritus » sancti. » Fide dignus sermo erat ex iis quæ jam acceperant. Interim enim id quod facile est dicit ; et quod magnum habet donum, et tunc ad vitam ducit ; gnarus occasionem ipsis majoris studii fore, quod tanta jam bona degustassent. Quia vero cupiebat auditor discere id quod plurium illorum sermonum caput esset ; illud quoque addit, ostendens donum esse Spiritus sancti. Illi itaque sermonem accipientes, dicta laudaverunt, etsi metum magnum inculerent, et iis assensi, tunc ad baptisma veniunt. Sed quæ dicta sunt repetamus. « Erant, inquit, perseve- » rantes in doctrina. » Hinc palam est eos non uno, vel duobus vel tribus diebus, sed multis edoctos fuisse, utpote qui vitam mutaverint. « Fiebat autem omni animæ » timor. » Si « Omni, » etiam iis qui non crediderant. Verisimile autem est illos sic affectos fuisse, quod tantam viderent mutationem : forte etiam ex signis. Nec dixit : « Simul, » sed, « Unanimiter : » quia fieri potest ut quidam simul sint, nec tamen unanimiter, sed sententia dis-

[1] Act. II, 47.

sidentes. Sermonibus quoque hortabatur. Neque hic doctrinam dicit, compendio loquens. Hinc licet discere Apostolos ipsis quasi puerulis cibum spiritualem dedisse, qui ut Angeli statim facti sunt. « Et dividebant singulis » prout cuique opus erat. » Videbant spiritualia esse communia : nullusque alio plus habebat, et ad hoc statim pervenerunt ut sua omnibus distribuerent. « Omnes autem » qui credebant simul erant. » Quod autem non loco simul essent, palam est ex iis quæ subjunxit? « Et omnia habe- » bant communia. » Omnes dicit : non ille habebat, ille secus. Hæc angelica respublica erat, quod nihil dicerent sibi proprium. Hinc radix malorum excisa est, et ex gestis suis se audivisse demonstrarunt. Hoc ergo erat quod dicebat : « Salvamini a generatione ista prava. Et appositæ » sunt in die illa animæ circiter tria millia. » Quia ter mille erant, educebant illos foras; qui cum fiducia multa quotidie ascendebant in templum, et ibi assidui erant : nam Petrus et Joannes paulopost illud fecerunt. Nihil enim ex judaïcis adhuc movebant. Et honor ille templo exhibitus, transibat ad templi Dominum. Vidisti-ne pietatis augmentum? Pecunias abjiciebant et gaudebant, magnaque erat lætitia. Majora quippe erant bona quæ accipebant. Nemo exprobrabat, nemo invidebat, nullus erat contemptus ; quasi pueri se putabant erudiendos, ut recens nati affecti erant. Et cur quasi in obscura loquor imagine? Si memi nistis quomodo cum Deus concussit civitatem nostram, omnes attoniti erant, sic tunc illi affecti erant. Nullus subdolus erat, nullus malignus. Etenim talis timor est, talis angustia. Non erat frigidum illud verbum, meum et tuum. Ideo exultatio in mensa erat. Nemo ita affectus erat, ac si ex suis; nemo ac si ex alienis ederet : etsi hoc ænigma videatur esse : neque aliena putabant esse bona fratrum, erant enim non propria ut dominorum, sed fratrum.

Neque pauper pudore affectus, neque dives inflatus erat; hoc exultatio est. Ille quasi beneficio affectus, et hi quasi hinc gloria aucti : et valde inter se erant colligati. Quia enim in pecuniarum distributionibus contumeliæ accidunt, arrogantia, molestiæ, ideo dicebat Apostolus, « Non ex tristitia aut ex necessitate [1]. » Vide quanta illis testificetur : sinceram fidem, vitam rectam, perseverantiam in concione audienda, in precibus, in frugalitate, in lætitia.

III. Duo poterant illos in mœrorem conjicere, jejunium, et pecuniarum erogatio. Illi vero ex utroque gaudebant. Quis sic affectos non ut communes patres dilexisset? Nihil mali pariebant alii adversus alios. Totum permittebant gratiæ Dei. Nullus aderat timor in media pericula conjectis. Per simplicitatem ergo, omnem illorum declaravit virtutem, et divitiarum contemptu, et jejunio, et perseverantia in oratione longe majorem. Ita pure Deum laudabant, imo hoc est ipsum pure laudare. Vide autem hic illos statim accipere mercedem. Nam quod haberent gratiam apud populum, hoc probat illos et amabiles et valde dilectos fuisse. Quis enim non obstupescat? quis non miretur videns hominem moribus simplicem? aut quis non devinciatur homini nihil subdolum habenti? Ad quos nisi ad hos salus, ad quos magna bona pertineant? Nonne pastores primi Evangelium acceperunt? Nonne Joseph homo simplex erat; ita ut nec per adulterii suspicionem sic perterreretur, ut aliquid mali patraret? Nonne agrestes homines et simplices Deus elegit? « Anima enim, inquit, » omnis simplex benedicta, » ac rursus, « Qui ambulat sim» pliciter, ambulat confidenter [2]. » Etiam, inquies, sed prudentia est opus. Sed quid aliud est simplicitas, quam prudentia? Cum enim nihil mali suspicaris, nihil mali pa-

[1] 2 Cor. IX, 7. — [2] Prov. X, 6 et 9.

rere potes. Cum nihil fers moleste, non poteris injuriarum recordari. Contumelia te quis affecit, non doluisti; oblocutus est, nihil passus es; invidit tibi, non ægre tulisti. Via quædam est ad philosophiam simplicitas. Nemo tam pulcher animo est, quam vir simplex. Sicut enim in corpore qui mœstus est, demissus et cogitabundus, multum ex pulchritudine detrahit : qui vero lætus est et subridet, formositatem auget : sic in anima evenit. Qui subdolus est, etsi innumera penes se habeat bona opera, disperdit illa; contra vero qui liber est et simplex. Talem hominem quis sibi amicum fidenter paret; etsi inimicus sit, cum illo reconciliabitur. Nulla enim ad hoc opus est custodia, nullis vinculis; sed multa et illi et contubernalibus erit securitas. Quid ergo, inquies, si quis talis est, in malos inciderit viros? Deus, qui simplices esse jubet, manum porriget. Quid Davide simplicius? Quid Saüle iniquius? Uter ergo superavit? Quid in Josepho actum est? Nonne ille simpliciter ad dominam accessit; illa vero subdole? In quo, quæso, læsus est? Quid Abele simplicius erat? quid Caïno sceleratius? Rursusque Joseph, nonne simpliciter cum fratribus egit? Nonne ideo claruit, quia sine suspicione omnia locutus est, hi vero maligne ipsum exceperunt? Semel somnia, iterum somnia dixit, et sine cautione illos adiit cibos afferens, omnia Deo committens. Sed quanto magis illi ut inimicum ipsum habebant, tanto magis ille ut fratres tractabat. Poteratque Deus non permittere ut incideret in illos; sed permisit, ut miraculum appareret, et ostenderetur, quantumvis illi contra tenderent, illum fore superiorem. Et sic quamvis plagam accipiat, non a se, sed ab alio accipit. Malignus vero se ipsum primo percutit, nullumque alium; sicque est sui ipsius inimicus. Hujus anima mœrore semper plena est, dum cogitationes perpetuo colligatæ et perplexæ sunt. Si au-

dire, si dicere quidpiam oporteat, omnia trahit ad crimen, omnia accusat. Procul ab illis amicitia et concordia; apud illos pugnæ, inimicitiæ, molestiæ : tales sibi ipsis sunt suspecti. His neque somnus, neque aliud quidpiam suave est. Si uxores habeant; papæ! omnibus sunt hostes et inimici : zelotypiæ infinitæ, metus perpetuus; malus enim a malo labore sic vocatur. Sic utique Scriptura laborem semper vocat malitiam; ut cum dicit : « Sub lingua eorum labor et fatigatio [1]; » et alibi rursum, « Et amplius eorum labor et dolor [2]. » Si vero miretur qui unde ab initio tales facti sint, et nunc tales non sint; discant causam esse ærumnam, magistram philosophiæ, matrem pietatis. Quando pecuniæ de medio tollebantur, tunc nequitia non erat. Etiam, inquit, sed illud ipsum interrogo; unde nunc tanta malitia? Quomodo illi ter mille et quinquies mille statim virtutem delegerunt, et mox pariter philosophi facti sunt, et nunc vix unus reperitur? Cur tunc ita concordes erant? Quid illos tam agiles et excitatos reddebat? Quid illos ita incendit? Quia cum magna pietate accedebant : quia honores non erant sicut hodie; quia ad futura mentem suam transtulerunt, et nihil præsentium expectabant. Hoc est igneæ animæ, in ærumnis versari. Hoc putabant illi christianismum esse : sed non nos. Nunc enim solutam vitam quærimus; ideo nec illa, cum par erit, assequemur. « Quid faciemus? » interrogabant illi, se ipsos damnantes. Nos vero contra : « Quid faciemus? » dicimus, nos præsentibus venditantes, et altum de nobis sapientes. Illi faciebant quæ facere oportebat; nos vero secus. Damnabant illi se ipsos, desperabant de salute sua; ideo tales facti sunt. Agnoverunt quale receperant donum.

IV. Quomodo vos illis similes eritis, qui contraria omnia

[1] Psal. II, x, 7. — [2] Id. LXXXIX, 10.

facitis? Illi statim atque audierunt, baptizati sunt. Non dixerunt illa frigida verba, quæ nunc nos dicimus, neque moras nexuerunt, etsi non omnes audissent justificationes; sed hoc tantum, « Salvamini a generatione ista. » Non segnes fuerunt, sed hos sermones exceperunt, et quod accepissent, operibus monstrarunt, et qui essent exhibuerunt. Statim in certamen ingressi, exuerunt vestimenta. Nos vero ingressi, cum vestimentis certare volumus. Ideoque antagonista noster labore opus non habet, cum nobis ipsis impliciti, sæpe dejiciamur. Idipsum enim facimus ac si quis athletam pulvere conspersum, nigrum, nudum, videns, ab arena et a sole multum habentem luti, oleo, sudore et cœno delibutum, ipse unguento fragrans, sericis vestibus, aureis calceis, stola usque ad malleolos defluente, aureolas capite gestans, cum illo congrediatur. Qui enim talis est, non impedietur solum, sed curam habens ne vestes fœdentur vel scindantur, in primo congressu cadet, idque patietur quod statim timuit, in præcipuis partibus læsus. Tempus adest certaminis, et tu sericis indueris? Tempus exercitationis, tempus stadii; et tu quasi in pompa te ipsum ornas, et quomodo superabis? Ne ad externa, sed ad interna respicias. His enim curis ceu gravibus vinculis, undique anima constringitur, manum non sinens attollere, nec contra hostem proferre, nos molles ac delicatos reddit. Utinam liberati vincere possimus impuram illam potestatem. Ideo Christus, ac si non satis sit divitias abjicere, vide quid dicat : « Vende omnia quæ habes, et da pauperibus : et » veni, sequere me [1]. » Quod si, depositis opibus, no ndum in tuto sumus, sed alia arte et accuratione nobis est opus; multo magis, si retineamus, nihil magnum operabimur, sed ridiculi et spectatoribus, et ipsi maligno hosti videbi-

[1] Marc. x, 22.

mur. Licet enim diabolus non esset, licet nullus impugnaret, innumeræ undique viæ opum amantem ad gehennam ducunt. Ubi nunc sunt qui dicunt : « Cur diabolus factus est? » Ecce hic diabolus nihil; sed nos totum operamur. Atquihoc dicere oportebat eos, qui in montibus degunt, qui continentiam sectantes et pecuniarum aliarumque rerum contemptum, patrem, domos, agros, uxores et filios, libentissime reliquerunt. At illi non hæc dicunt, hi vero illa proferunt, quæ nunquam dicere oportuisset. Illa vere sunt diaboli certamina : in hæc vero neque descendere dignum est. At, inquies, divitiarum cupiditatem immittit diabolus. Fuge, et ne admittas, o homo. Nunc autem si quem videris a tabulato lutum rejicere, deinde alium videntem contra se jaci, stare, et totum capite excipere, non modo non misereris, sed etiam indignaris, dicisque illum juste passum esse : omnesque illi dicerent : « Ne stultus esto : » nec tam jacientem, quam excipientem criminarentur. Nunc porro scis divitiarum cupiditatem a diabolo proficisci; scis illum innumerorum esse malorum causam : vides illum fœdas turpesque cogitationes quasi lutum apparare, nec intelligis te nudo capite immunditiam illam excipere, cum oporteret tantisper declinando id vitare? Quemadmodum ille, si a loco declinaret, liberaretur, sic et tu tales cogitationes ne excipias, et a peccato fugies : repelle cupiditatem. Et quomodo repellam, inquies? Si gentilis esses, et præsentia tantum admirareris, forte res esset difficilis, etiamsi gentiles hoc fecerint. At tu, qui cœlum et cœlestia expectas, dicis. « Quomodo repellam? » Si contrarium dixissem, tunc dubitare oporteret; si dicerem. « Divitias concupisce, » responderes : « Quomodo concupiscam? » cum talia videres. Dic mihi, si, auro et lapidibus pretiosis propositis, dicerem : « Concupisce plumbum, » an hæsitares? Diceres certe : « Quomodo possum? » Sin

dicerem. « Ne concupiscas; » hoc facilius esset. Non admiror despicientes, sed non despicientes. Hoc est animæ ignavia plenæ, quæ nihil differat a muscis et culicibus, humi repentis, in luto volutatæ, nihil magnum cogitantis. Quid dicis? Vitam æternam hæreditate accepturus es, et ais : « Quomodo præsentem vitam præ illa contemnam? » Num res sunt mutuo-comparabiles? Regiam vestem es accepturus, et dicis : « Quomodo pannos contemnam? » In regiam ingressurus dicis : « Quomodo pauperem hanc casam despiciam? » Vere nos semper nobis causa malorum sumus, qui nolumus paululum excitari. Nam qui voluerunt, recte se gesserunt; idque cum magno fervore et facilitate. Utinam et vos nostra admonitione persuasi, recte agatis, imitatoresque sitis eorum, qui præclare se gesserunt, gratia et benignitate Unigeniti Filii, cum quo Patri, unaque sancto Spiritui, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

CAPUT III.

Simul Petrus et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam [1].

Illi ubique magnam inter se concordiam habere conspiciuntur [2]. Huic innuit Petrus : simul ad sepulcrum ambo veniunt : de Joanne dicit Petrus Christo, « Hic autem » quid? » Alia quidem signa prætermisit hujus libri scriptor; quod vero in stuporem et admirationem omnes con-

[1] Act. III, 1. — [2] Vide D. Guillon, tom. XII, p. 492-495.

jiciebat, illud narravit. Et animadverte illos non consilio huc venisse ; ita ab omni ostentatione vacui erant, doctoremque suum imitabantur. Cur autem ascenderunt in templum ? Num adhuc judaïce vivebant ? Minime ; sed utiliter hoc faciunt. Nam rursus signum editur, quod illos confirmet, aliosque pertrahat. Signum, inquam, quale nondum fecerant. Naturalis erat morbus, arti medicæ non cedens : imo a quadraginta annis claudicabat, ut deinde dicitur, nemo illum in tam longo tempore curaverat. Scitis vero hæc a natalibus mala curatu esse difficiliora. Tantus erat morbus, ut ne quidem necessarium sibi cibum parare posset : insignis vero erat, tum a loco, tum a morbo. Et quomodo audi. « Et quidam vir, inquit, » claudus ex utero matris suæ bajulabatur : quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, » ut peteret eleemosynam ab introëuntibus in templum [1]. » Eleemosynam ergo petebat, et nesciebat quinam viri essent. « Qui cum vidisset Petrum et Joannem incipientes introire » in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet. Intuens » autem in eum Petrus cum Joanne, dixit : Respice in nos [2]. » Hoc audit ; ille vero neque sic erigitur ; sed adhuc manet instans. Talis enim est paupertas, dare negantibus instat et cogit illos. Erubescamus nos, qui a precibus resilimus. Vide autem quam cito Petrus mansuetudinem exhibeat dicens : « Respice in nos. » Sic illorum habitus per se mores indicabat. « At ille intendebat in eos, sperans se aliquid » accepturum ab eis. Petrus autem dixit : Argentum et au» rum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do [3]. » Non dixit : « Rem multo pretiosiorem argento do tibi. » Sed quid ? « In nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula » Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum [4]. » Ita fecit et Christus, sæpe manum porrexit, quando erant in

[1] Act. III, 2. — [2] Ibid. 3, 4. — [3] Ibid. 5, 6. — [4] Ibid. 7.

fide infirmiores, ut ne videretur res ex sponte sua fieri. « Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum. » Hoc manifestam fecit resurrectionem : hæc quippe resurrectionis imago erat : « Et protinus consolidatæ sunt bases » ejus et plantæ, et exiliens stetit, et ambulabat [1]. » Tentans forte seipsum, et majorem experientiam faciebat ; num frustra id factum esset. Infirmi ejus pedes erant, non abscissi. Quidam vero dicunt ipsum incedere nescivisse. « Et intravit cum illis in templum ambulans. » Vere admiratione digna res erat. Non illi ipsum ducunt, sed sequitur, et sequendo benefactores ostendit ; atque etiam quod exiliens laudaret Deum, non illos admirando laudans, sed Deum, qui per illos operatus erat. Ita grato vir animo erat. Sed priora repetamus. « Ascendebant, inquit, ad » horam orationis nonam. » Fortassis illo tempore deportatum claudum deponebant, quando maxime intrabatur in templum. Ne quis vero putaret ob aliam rem deportatum fuisse, et non ut acciperet, vide quomodo id clare significet dicendo : « Ponebant illum ut eleemosynam acciperet ab introëuntibus in templum. Ideo » et loca commemorat in argumentum eorum quæ scribit. Et cur, inquies, illum non Christo adduxerunt ? Forte increduli erant ii, qui templo assidebant, quandoquidem ne Apostolis quidem ipsum obtulerunt, cum viderent illos ingredi, post tot edita miracula. « Rogabat, inquit, ut eleemosynam acciperet. » Ferte ex habitu illos, ut quosdam pios viros existimavit. Idcoque detinuit eos. Vide autem quomodo Joannes ubique sileat ; Petrus vero etiam pro illo rationem reddat. « Argentum et aurum non est mihi, » inquit. Non dixit hic : « Non habeo, » ut nos dicimus, sed prorsus, « Non ha- » beo. » Quid ergo claudus ? Me-ne supplicem despicis ? Non, inquit ; sed de iis quæ habeo accipe. » Vides-ne quo-

[1] Act. III, 8. — [2] Ibid.

modo a fastu alienus sit Petrus, nec se ostentet etiam ei, qui a se beneficium accepturus est? Os itaque et manus totum fecerunt. Tales erant Judæi claudicantes : et cum opus esset sanitatem petere, illi potius pecunias petebant humi jacentes. Qui et ideo templo assidebant, ut ditarentur. Quid igitur Petrus? Non despexit eum : non divitem quæsivit, nec dixit : « Nisi in illo fiat miraculum, nihil magnum erit. » Non honorem expectavit ab illo, neque præsentibus quibusdam curavit illum. Erat enim vir in ingressu, non intus, ubi erat multitudo. At nihil horum quæsivit Petrus, neque ingressus prædicavit. Sed ex solo habitu claudum attraxit ad petendum. Quodque mirum est, ille statim credidit. Nam qui a diutinis morbis liberati sunt, vix credunt etiam ea quæ vident. Et sanatus deinde cum Apostolis erat, gratias agens Deo. « Et intravit, inquit, » cum illis in templum, ambulans, exiliens et laudans » Deum. »

Vide quomodo non quiescat, tum ex gaudio, tum ut Judæis ora obstruat. Ut autem videtur mihi, ne videretur mentita res, ideo ipse saltavit. Hoc enim nullo modo simulari poterat. Qui enim omnino non poterat. Qui enim omnino non poterat incedere, fame etiam cogente; neque enim voluissset cum bajulis eleemosynas partiri, si solus ire potuisset; multo magis tunc. Quomodo autem simulasset in gratiam eorum qui eleemosynam non dederant? Sed grati animi vir erat, etiam adeptus sanitatem. Utrinque ergo fidelis ostenditur, et ex gratiarum actione, et ex eo quod accidit. Sic omnibus notus erat, et agnoscebant illum. « Et vidit eum, inquit, omnis populus ambulantem » et laudantem Deum. Cognoscebantque ipsum esse, qui ad » elemosynam sedebat ad Speciosam portam templi [1]. » Bene dixit, « Cognoscebant : » nam postea non cognosci

[1] Act. III, 9, 10.

cœpit : hac quippe voce utimur circa eos, qui vix agnoscuntur. Credi ergo oportebat nomen Christi peccata dimittere, quod tanta operaretur. « Cum teneret autem is, qui sanatus fuerat, Petrum et Joannem, convenit omnis populus » ad porticum, quæ appellatur Salomonis, stupentes [1]. » Ex benevolentia et amicitia non separabatur ab ipsis claudus, fortasse gratias agens et laudans illos. Et accurrebat, inquit, omnis populus. « Videns autem illos Petrus respon- » dit [2]. » Rursus ipse et operatur et concionatur. Tum quidem illos ad audiendum excitavit linguarum miraculum ; nunc autem hoc signum. Et tunc exordium duxit a crimine, nunc ab opinione. Videamus autem quid ab illa differat hæc concio, et quid commune cum illa habeat. Illa domi fiebat, cum nemo adhuc accessisset, nec quidpiam illi operati fuissent ; hæc vero omnibus mirantibus, illo qui sanatus fuerat prope astante, nullo dubitante, ut tunc quidam dicebant, « Musto pleni sunt [3]. » Et tunc ille cum Apostolis omnibus loquebatur ; nunc cum solo Joanne : jam enim ille et confidentius loquitur et vehementius. Talis quippe res est virtus : initio sumpto progreditur, et nunquam gradum sistit. Vide autem quomodo provisum sit ut in templo signum fieret, ut et alii confiderent. Neque enim in angulo vel clam illud operantur ; at neque intra templum, ubi magna erat multitudo. Quomodo autem, inquies, id creditum fuit? Quia is ipse, qui sanatus fuerat, beneficium prædicabat. Neque enim mentitus fuisset ; neque ad alios quosdam venisset. Igitur ubi latum spatium erat, ibi signum operati sunt ; quasi locus semotus esset. Et vide quid factum sit. Ad aliam rem ascendunt, et aliud operantur. Sic et Cornelius, alia jejunans precabatur et alia videt. Hactenus ubique Christum Nazarenum appellant. « In nomine Jesu Christi Nazareni, inquit, surge et

[1] Act. III, 11. — [2] Ibid. 12. — [3] Id. II, 13.

» ambula. » Interim enim illud quærebatur, ut ipsi crederetur. Sed ne, quæso, initio orationis fatiscamus; sed etiamsi quis post enarratum facinus desinat, initium repetamus. Si bene affecti simus, cito ad finem perveniemus, cito culmen attingemus. Studium enim, inquit, studium generat, ignavia ignaviam. Qui modicum quidpiam recte patravit, majus quidpiam fidenter aggreditur, et ulterius tendit. Ac quemadmodum ignis quanto plura ligna corripit, tanto vehementior efficitur; sic et animi fervor quanto plures excitat pias cogitationes, tanto fortius armatur adversus alia. Exempli causa: stant in nobis ceu spinæ, perjurium, mendacium, simulatio, dolus, nequitia, convicium, scommata, risus, turpiloquia, scurrilitates: rursus ex altera parte, avaritia, rapina, injustitia, sycophantia, insidiæ; iterumque concupiscentia mala, immunditia, lascivia, fornicatio, adulterium, ac rursum, invidia, zelotypia, ira, furor, injuriarum recordatio, vindicta, blasphemia, et innumera talia. Si priora recte egerimus; non illa solum, sed etiam posteriora exequemur. Fortior enim evadit animus ad cætera evertenda. Verbi gratia: qui multum juravit, si hunc satanicum morem de medio tollat, non hoc solum recte peregit; sed et alia pietas inducta erit. Nullus enim non jurantium facile volet aliud malum operari; sed quam assecutus est virtutem reverebitur. Quemadmodum enim qui pulchra veste induitur, erubescit se in luto volutare: sic et ille. Hinc autem eo veniet ut non irascatur, neque percutiat, neque contumeliam inferat. Si namque semel parva operatus fuerit, totum perfectum est. Sæpe tamen contrarium accidit, ut qui semel bene operati sint, ex ignavia in eadem recidant, ita ut deinde emendari fere nequeat. Exempli causa, legem nobis posuimus non jurandi (7), ad tres quatuorve dies id observavimus; post hæc, re quapiam urgente, totum collectum lucrum

dispersimus, atque demum in segnitiem et desperationem incidimus, ita ut eadem deinde aggredi nolimus; et jure quidem. Nam qui aliquid ædificavit sibi, si collapsum videat ædificium, jam segnior est ad rursus ædificandum. At ne tunc quidem oportet segniter agere, sed id rursus studiose aggredi.

III. Ponamus itaque nobis quotidianas leges et a facilibus incipiamus. Juramentorum frequentiam abscindamus, frenum imponamus linguæ : nemo per Deum juret. Nullus hic sumptus est, labor nullus, non diuturna meditatio; sufficit velle, et totum perfectum est. Nam consuetudinis res est. Etiam oro et obsecro, talem curam adhibeamus. Dic, quæso, mihi, si pecunias inferre juberem, annon singuli pro viribus alacriter conferretis. Si me in extremis periculis videretis, annon de carne vestra excisam partem, si fieri posset, daretis. In magno nunc sum periculo; ita ut si in carcere essem, si mille plagas excepissem, si in metallis agerem, non magis dolerem. Manum ergo porrigite. Cogitate quantum sit periculum, quod ne vel hoc minimum; minimum vero dico, quantum ad laborem, possitis perficere. Quid dicam tunc accusatus? Cur non hortatus es? Cur non præcepisti? Cur non legem posuisti? Cur non obtemperantes non cohibuisti? Non satis erit mihi dixisse, « Admonui. » At, inquiet, vehementiore opus erat increpatione; nam Eli quoque admonebat. Verum absit ut vos cum filiis ejus comparem. Ille admonebat et dicebat: « Ne, filii, sic facitote. Malum rumorem ego audio de vo» bis[1]. » Sed pergens Scriptura dicit ipsum non admonuisse filios suos : hoc vero dicit, quia non acriter, non cum increpatione monebat. Quomodo enim absurdum non fuerit, in Synagogis Judæorum ita severas leges esse, etsi qui docet imperet omnia fieri; hic vero nos ita despectos et ab-

[1] 1 Reg. II, 24.

jectos esse? Non gloriam meam curo : gloria quippe mea, est vestra probata vita ; sed salutem vestram quæro. Quotidie clamamus, insonamus in aures vestras : et nemo est qui audiat, etsi nihil vehementius proferamus. Timeo ne intempestivæ et nimiæ indulgentiæ in futuro illo die rationem reddamus. Ideo magna et clara voce omnibus prædico et testificor; ut qui sic prævaricantur, quique ea, quæ maligni sunt, loquuntur : hoc enim juramentum, ne limina ecclesiastica ascendant. Præstitutum vero tempus sit vobis hic mensis, ut corrigamini. Ne mihi dixeris : «Me negotiorum urget necessitas, quia fides non habetur mihi. » Interim illa ex consuetudine juramenta remove. Scio quosdam esse, qui nos irridebunt ; at melius est nos nunc irrideri, quam tunc uri. Ridebunt autem insani. Quis enim, quæso, sanæ mentis de servato præcepto ridebit? Quod si irrideant, non nos, sed Christum irridebunt. Inhorruistis ad tale dictum? hoc bene novi. Si ego hanc legem induxissem, me risus ille spectaret. Si autem alius legislator est, ad illum transit irrisio. Ipse Christus aliquando conputus est, atque in maxillam percussus, et alapis cæsus. Hæc etiam nunc fert, et nihil dissimile. Ideo gehenna paratur ; ideo vermis ille immortalis. Ecce rursus dico et testificor ; rideat et subsannet qui voluerit. In hoc positi sumus, ut rideamur, subsannemur omniaque patiamur. « Purgamenta mundi sumus [1], » secundum beatum Paulum. Si quis noluerit hoc præceptum perficere, hunc verbo quasi tuba prohibeo, ne limina ecclesiastica pertranseat, sive princeps sit ; sive ille ipse qui diademate cingitur. Aut me ab hoc principatu dejicite, aut manentem ne in pericula conjicite. In hunc thronum ascendere non audeo, nisi quid magni præstitero. Nam si perficere non possim, melius est infra stare. Nihil enim miserabi-

[1] Cor. IV, 13.

lius præside, subditis nihil utilitatis afferente. Vos ergo convertite, quæso, et attendite; contendamus simul, et quædam erit accessio. Jejunate, Deum precamini, et nos vobiscum, ut hanc perniciosam consuetudinem ejiciamus. Nihil majus est quam esse doctores orbis. Nec parum fuerit, si ubique audiatur in hac civitate neminem esse qui juret. Si hoc fiat, non operum vestrorum modo mercedem accipietis, sed etiam curæ, quam de fratribus habueritis : nam quod nunc vobis ego sum, id vos orbi eritis. Vos omnino alii æmulabuntur : omnino eritis lucerna super candelabrum posita. Est-ne hoc, inquies, totum? Non est hoc totum, sed principium aliorum. Qui non jurat, ad aliam pietatis partem veniet, velit nolit, seu pudore, seu timore adductus. Sed multi, inquies, id non ferentes resilient. « At melior est unus, qui facit voluntatem Domini, quam mille iniqui[1]. » Hinc omnia subversa sunt, omnia susdeque facta sunt; quia, sicut in theatris, multitudinem desideramus, non multitudinem probatam. Quid, quæso, turba prodesse poterit. Vis discere quod sancti turbam faciant, non vero multitudo vulgi? Educite ad bellum centum myriadas, et sanctum unum : videamus quis plura operetur. Exiit Jesus Nave ad bellum, et solus omnia perfecit, et alii nihil profuerunt. Multitudo, dilecte, quando voluntatem Dei non facit, nihil differt ab iis qui non sunt. Precor itaque et opto, imo libenter me discindi paterer, ut multitudine ornaretur Ecclesia, sed multitudine probata. Si autem hoc fieri nequeat, ut saltem pauci probati sint. Annon videtis melius esse unum lapidem pretiosum habere, quam innumeros obolos? Annon videtis melius esse oculum sanum habere, quam, hoc excæcato, pinguedine carnis onerari? Annon videtis melius esse ovem unam sanam habere, iquam millenas scabie plenas? Annon vide-

[1] Eccli. xvi, 3.

tis melius esse paucos habere bonos filios, quam multos improbos? An nescitis paucos in regno fore, multos in gehenna? Quid mihi cum multitudine? Quæ ex ea utilitas? Nulla : imo potius aliis est pernicies. Idem ipsum est ac si cui liceat decem sanos habere, vel mille infirmos, et ille istis decem innumeros illos adjiciat. Illi sane multi nihil bene operantes, nihil aliud nobis conferent, quam supplicium, et in præsenti tempore, ignominiam. Nemo enim quod multi simus dicet, sed quod inutiles simus redarguet. Hoc itaque nobis semper objiciunt, quando dicimus: «Multi sumus : sed mali, inquiunt.» Ecce iterum denuntio et clara voce clamo, nemo jocum esse putet. Excludam et arcebo non obtemperantes. Et donec in hoc throno sedebo, nihil illius justificationibus præferam. Si quis me dejecerit, jam non obnoxius ero; donec vero obnoxius sum, non possum negligere, non tam metu supplicii, quam propter vestram salutem, quam admodum cupio : pro illa crucior et doleo. Sed obtemperate, et et hic et in futuro multam accipiatis mercedem, et simul bonis fruamur æternis, gratia et benignitate unigeniti Filii, cum quo Patri, unaque Spiritui sancto, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IX.

CAPUT III.

Videns autem Petrus, respondit ad populum : Viri Israëlitæ, quid miramini in hoc, aut quid nos intuemini, quasi nostra virtute aut pietate fecerimus hunc ambulare[1] ?

I. Majore fiducia plena est hæc oratio[2] : non quod in priore timeret; sed quia id homines illi irrisores non tulissent. Quare in illius exordio statim illos attentos reddit, dicens : « Hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba » mea. » Hic autem non habet tali apparatu opus. Non enim segnes erant : signum quippe illos attentos fecerat ; unde et stupore et metu pleni erant : quare non opus fuit ut inde exordium duceret; sed aliunde, quo illos magis sibi conciliaret, gloriam ab se depellendo. Nihil enim tam prodest auditori, quam si orator nihil magni de se dicat; sed omnem superbiæ suspicionem tollat. Gloriam vero despicientes sic majorem sibi gloriam parabant, ostendebantque non humanum, sed divinum illud esse opus, et par esse ut illi etiam cum aliis admirarentur, non in admiratione haberentur. Vides quam ab ambitione purus, gloriam sibi oblatam depellat? Sic et veteres faciebant, ut Daniel qui dicebat : « Ego autem non in sapientia quæ in me sit[3] ; » et Joseph : « Nonne per Deum manifestatio eorum[4]. » Et David, « Venientem leonem et ursum in nomine Domini

[1] Act. III, 12. — [2] Vide D. Guillon, tom. XII, p. 495-503. — [3] Dan. II, 30. — [4] Gen. XL, 8.

» manibus discerpebam [1]. » Hic quoque nunc : « Quid nos » intuemini quasi propria virtute aut pietate fecerimus hunc » ambulare ? » Non hoc nostrum est, inquit, neque enim quod digni essemus, gratiam Dei attraximus. « Deus Abra- » ham, Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus Patrum nostro- » rum [2]. » Vide quomodo se frequenter ad progenitores convertat ; ne videretur novum quoddam dogma inducere : et illic patriarcham Davidem memoravit ; et hic Abrahamum et sequentes. « Glorificavit filium suum Jesum. » Rursus humiliter sicut in proœmio. Deinde in illorum facinore insistit, illudque extollit, nec sub umbra loquitur ut prius. Illud autem facit ut illos magis reducat : quanto enim magis scelus declarabat, tanto attentiores reddebat. « Glorificavit, inquit, filium suum Jesum, quem vos tradi- » distis, et negastis ante faciem Pilati, judicante illo di- » mitti [3]. » Duo sunt crimina, et quod Pilatus vellet dimittere, et quod illo volente vos nolueritis. « Vos autem sanctum et » justum negastis, et petistis virum homicidam donari vo- » bis. Auctorem vero vitæ interfecistis : quem Deus suscita- » vit a mortuis, cujus nos testes sumus [4]. » Ac si diceret ; « Pro illo latronem petistis : » Rem admodum gravem declarat. Quia illos sub manu tenebat, vehementer præstringit. « Auctorem vero vitæ, » inquit. Hic resurrectionis fidem apparat. « Quem Deus suscitavit a mortuis. » Ne quis diceret ; « Undenam hoc liquet ? » non jam ad Prophetas confugit ; sed ad se ipsum, quia jam fide dignus habebatur. Tunc enim cum dixisset illum resurrexisse, Davidem testem induxit ; nunc vero hoc ipsum dicens, chorum apostolicum. « Cujus nos testes sumus, inquit. Et in fide » nominis ejus, hunc, quem vos videtis et nostis, confirma- » vit, nomen ejus, et fides, quæ per eum est, dedit ei in-

[1] 2 Reg. XVII, 34. — [2] Act. III, 13. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 14, 15.

» tegram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum[1]. » Quærens causam dicere, statim signum adjicit dicens : « In conspectu omnium vestrum. » Quia valde illos perstrinxerat, et ostenderat crucifixum resurrexisse, rursus sermonem mitigat, dans illis pœnitentiæ facultatem dicens : « Et » nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et » principes vestri [2]. Per ignorantiam fecistis ; » hæc una excusatio est ; altera, « Sicut et principes vestri. » Quemadmodum Joseph fratribus dicebat : « Deus me misit ante » vos [3]. » Imo quod carptim illic dixerat, « Definito consilio, et præscientia Dei traditum accipientes [4] » idipsum hic extendit. « Deus autem quæ prænuntiavit per os omnium » Prophetarum pati Christum suum, sic implevit[5]. » Simul ostendit non illorum esse si hoc demonstratum sit ; sed per voluntatem Dei factum esse. Cum vero dicit, « Quæ » prænuntiavit, » verba quibus crucifixo exprobrabant, subindicat : « Si vult eum, salvet illum, dicentes ; dixit enim : » Filius Dei sum. Confidit in illum. Descendat nunc de » cruce[6]. » An nugæ sunt hæc, o stulti? Absit. Sed sic oportebat fieri : et testificantur Prophetæ. Itaque non ob infirmitatem non descendit, sed ob suam virtutem. Et hoc ponit in excusationem Judæorum, ut etiam accipiant. « Sic » implevit, inquit. » Vides-ne quomodo totum illuc referat. « Pœnitemini igitur, inquit et convertimini. » Nec dicit, « A peccatis vestris ; » sed, « Ut deleantur peccata vestra [7], » idipsum significans. Deinde lucrum apponit. « Ut cum ve- » nerint tempora refrigerii a conspectu Domini [8]. » Hic exhibet illos in miseriam delapsos, multisque affectos calamitatibus : ideoque sic loquitur, gnarus hæc verba patienti et consolationem quærenti congruere.

II. Et vide quomodo procedat. In prima concione sen-

[1] Act. III, 16. — [2] Ibid. 17. — [3] Gen. XLV, 5. — [4] Act. II, 23. — [5] Id. III, 18. — [6] Matth. XXVII, 40. — [7] Act. III, 19. — [8] Ibid. 20.

sim resurrectionem et sessionem in cœlo subindicavit; hic vero clare adventum effert. « Et miserit eum, qui ante præ- » dicatus est, Jesum Christum : Quem oportet quidem » cœlum suscipere; » id est, necesse est, « Usque ad tempora » restitutionis omnium[1]. » Quare nunc non veniat, causa manifesta est. « Quæ locutus est Deus per os Sanctorum » suorum a sæculo Prophetarum. Moyses quidem patribus » dixit : Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester » de fratribus vestris tanquam me[2] : ipsum audietis juxta » omnia quæcumque locutus fuerit vobis[3]. » Illic Davidem, hic Moysem memoravit. « Omnium, inquit, quæ locutus » est Deus : » non dicit, « Quæ locutus est Christus; » sed, « Quæ locutus est Deus; » sic sub umbra paulatim illos ad fidem adducens. Postea ad rem fide dignam confugit dicens : « Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus ex fra- » tribus vestris tanquam me : ipsum audietis juxta omnia. » Deinde ultio magna sequitur. « Erit autem, inquit, omnis » anima quæ non audierit Prophetam illum, exterminabi- » tur de plebe. Et omnes Prophetæ a Samuël et deinceps, » qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos[4]. » Hic recte exitium posuit. Quando enim magnum quidpiam dicit, ad priores confugit, et testimonium reperit utraque complectens; ut illic dixit : « Donec ponam inimicos sub pedes » tuos[5]. » Quodque mirum est, hæc duo simul, subjectio, prævaricatio et pœna. « Tanquam me, inquit. » Quid ergo miramini? « Vos estis filii Prophetarum. » Itaque vobis dicebam propter vos omnia facta esse. Quia enim propter scelus putabant se abalienatos esse; etenim rationi consentaneum non est eumdem modo crucifigi, mox suos curare; et hoc et illud factum per prophetiam ostendit. « Vos estis, inquit, filii Prophetarum et Testamenti, quod

[1] Act. III, 21. — [2] Deut. XII, 15. — [3] Act. III, 21, 22. — [4] Ibid. 23, 24. — [5] Psal. CIX, 2.

» disposuit Deus ad patres vestros, dicens ad Abraham : Et » in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ[1]. Vobis » primum, inquit, Deus suscitans Filium suum, misit[2]. » Utique et aliis, sed vobis primum, qui crucifixistis : « Be- » nedicentem vobis ; ut convertat se unusquisque a nequitia » sua[3]. » Quæ lecta sunt accuratius repetamus. Suadere conatur, non ipsos miraculum fecisse, cum dicit, « Quid » miramini ? » nec permittit ut dicto fides non habeatur. Atque ut illud fide dignius redderet, illorum judicium prævertit dicens : « Quid nos intuemini quasi propria vir- » tute vel pietate fecerimus ? » Si hoc vos terret et turbat ; discite quis fecerit, et ne obstupescite. Et hoc ubique perpende : ubi ad Deum confugit, dixitque ipsum fecisse omnia ; tunc illos sine metu perstringit. Ideo superius dicebat : « Virum approbatum a Deo in vobis. » Et ubique illis hoc facinus commemorat, ut miraculum ostendatur, et resurrectio firmetur. Hic autem aliud addidit. Non enim jam illum Nazarenum dicit. « Sed quid ? Deus, inquit, pa- » trum nostrorum glorificavit filium suum Jesum. » Vide quam alienus sit a fastu. Non accusavit, neque mox dixit : « Et nunc credite : ecce homo, cum per quadraginta annos » claudus fuisset, in nomine Jesu Christi surrexit. » Non ita dixit ; nam contentiosiores illos reddidisset ; sed interim laudat illos quod rem admirarentur. Et iterum a progenitore vocat. Nec dicit : « Jesus illum curavit, » licet ipsum vere curasset. Sed ne dicerent : « Ecqua hæc ratione nituntur, si prævaricatorem glorificat ? » Ideo in mentem illis revocat judicium apud Pilatum : ostendens, si attendere velint, non esse illum prævaricatorem : neque enim Pilatus voluisset eum dimittere. Nec dicit : « Volente ; » sed, « Judi- » cante illo dimitti ; » declarans vos eum, qui alios occidebat, dimitti petiisse ; cum vero, qui occisos ad vita m reduce-

[1] Gen. XII, 3. — [2] Act. III, 25, 26. — [3] Ibid.

bat, noluisse. Ne vero iterum dicerent : « Quomodo nunc » glorificat, qui tunc non adjuvit? » adducunt Prophetas testificantes sic oportuisse fieri. Deinde ne putarent Dei œconomiam ipsorum excusationem esse, prius illos perstringit. Et quod in conspectu Pilati negassent, leve non erat, cum ipse vellet dimittere : quodque id negare non possent, arguebat is quem pro illo petierant. Ita hoc quoque ex magna dispensatione factum. Hic impudentiam petulantiamque illorum ostendit ; eo quod gentilis, qui tunc primum illum vidit, ipsum liberare voluerit, licet nihil magni audivisset; illi vero inter signa enutriti contra fecerint. Quod vero ille juste judicaret dimittendum esse, nec ad gratiam id faceret, audi ipsum alibi dicentem : « Est consuetudo vobis dimittere unum quemdam : vultis » ergo hunc dimittam vobis? Vos autem sanctum et jus- » tum negastis [1]. » Non dixit : « Tradidistis; » sed ubique, « Negastis. » Jure. Sic enim dicebant : « Non habemus re- » gem nisi Cæsarem [2]. » Nec dixit : « Non petiistis inculpatum; » neque negastis solum, sed etiam occidistis. » Quando excæcati erant, nihil tale dixit : cum autem eorum animi magis erant exagitati, tunc acrius perstringit, cum sentire poterant. Quemadmodum et nos ebriis nihil dicimus; cum autem ebrietate sublata vigiles sunt, tunc carpimus; ita et Petrus cum intelligere poterant, tunc linguam acuit, scelera que multa enumerat; nempe, quod eum, quem Deus glorificavit, ipsi tradiderint; quod quem Pilatus absolvit, in conspectu ipsius negaverint, quod latronem prætulerint.

III. Vide rursum quomodo occulte de potentia illius loquatur, quod se ipsum suscitaverit, ut in priori concione dicebat : « Juxta quod impossibile erat teneri illum » ab eo [3] ; et hic, « Auctorem, inquit, vitæ interemistis. »

[1] Matth. XXVII, 15. — [2] Joan. XIX, 15. — [3] Act. II, 24.

Non ergo ab altero vitam accepit; sicut et qui malitiæ auctor est, ipse malitiam gignet; et auctor homicidii, qui homicidium primus induxit. Sic auctor vitæ est, qui a se ipso vitam habet. « Quem Deus suscitavit, » inquit. Post quam hæc dixerat, subdit : « Et in fide nominis ejus » hunc, quem vos videtis et nostis, confirmavit nomen » ejus : et fides, quæ per eum est, dedit ei integram sani- » tatem istam[1]. » Atqui si fides in eum totum operata est, quia in illum speravit; cur non dixit : « Per nomen; » sed, « In nomine? » Quia nondum audebant dicere : « In illum fides. » Ne vero illud, « Per ipsum, » humilius esset, subjunxit : « Et nomen ejus confirmavit illum. » Et cum hoc prius dixisset, tunc ait : « Et fides, quæ per eum est, » dedit illi integram sanitatem istam. » Vide quomodo declaret se attemperate illud dixisse. Neque enim alio opus habuit ad resurrectionem, cujus nomen claudum, qui a mortuo nihil differebat, erexit. Perpende quomodo ubique testimonia illorum attrahat. Superius enim dixit : « Sicut » et ipsi scitis. » Et « In medio vestri, » ac rursum, « Quem vi- » detis et nostis : in conspectu omnium vestrum[2]. » Atqui nesciebant ipsum in nomine ipsius sanum factum esse; sed sciebant ipsum claudum fuisse, et jam sanum stare. Et ipsi quoque qui fecerant confitebantur, non sua, sed Christi virtute ipsum consolidatum esse. Si res non ita fuisset, et vere credidissent ipsum resurrexisse, noluissent mortui gloriam magis quam suam statuere, cum maxime illi ad se respicerent. Deinde perterritos animos fratrum nomine statim consolatur, dicens : « Viri fratres. » Illic » quidem nihil de se ipsis dixit; sed tantum de Christo. « Certo igitur cognoscat, inquit, omnis domus Israël. » Hic autem admonitionem adjicit. Illic expectavit ut illi dicerent : hic sciebat quantum operati essent, et quod

[1] Act. III, 16. — [2] Id. II, 22, et III, 16.

jam illi tractabiliores essent. Etsi quæ supra dicta fuerant, non ex ignorantia essent. Nam quod latronem petierint, quod cum absolvendus judicaretur, id ipsi non admiserint, quod occidere voluerint, cujus ignorantiæ esse poterat? Attamen dat illis potestatem negandi et pœnitendi de factis; imo etiam probabilem pro ipsis defensionem parat et dicit : « Quod innocentem occideritis, sciebatis; quod principem vitæ forte ignorabatis. » Et hinc non illos solos a crimine liberat, sed etiam sceleris auctores. Alioquin contentiosiores illos reddidisset, si sermonem in accusationem convertisset. Nam qui grave quidpiam commisit, cum accusatur, sese purgare tentans, vehementior efficitur. Neque ultra dicit : « Crucifixistis, occidistis; » sed, « Fecistis, » ad veniam illos deducens. Si illi per ignorantiam fecerunt, multo magis hi; si illis remittitur, multo magis his. Quod autem mirabile est, et supra, et hic cum dixisset; illic quidem, « Definito consilio et præ» scientia; » hîc vero, « Prænuntiavit » omnibus Christum, nullum adducit testimonium : singula enim testimonia, cum criminibus, ultionem annuntiant. « Et dabo, inquit, » impios pro sepultura ejus, et divites pro morte illius[1]; » et iterum, « Quæ prænuntiavit, inquit, per os omnium » Prophetarum, pati ipsum, implevit sic. » Magnum demonstrat consilium, siquidem omnes hoc dicebant, non unus tantum. Neque certe quia per ignorantiam facta sunt, præter Dei voluntatem facta sunt. Vide quanta sit Dei sapientia; quæ aliorum malignitate utitur ad id quod fieri opus est. « Implevit, » inquit, ne putarent aliquid deesse, hoc adjecit, declarans omnia quæ pati ipsum oportebat impleta fuisse. Sed ne putetis, quia hæc Prophetæ dixerunt, et quia id per ignorantiam fecistis, hoc ad defensionem vobis sufficere. At non ita dicit, sed mitius : « Pœnitemini »

[1] Isaï. LIII, 9.

igitur. Quare? « Ut deleantur peccata vestra; non illa solum quæ in crucifigendo admissa sunt : illa forsitan per ignorantiam facta sunt; sed ut alia quoque peccata vestra deleantur. Deinde adjicit : « Ut si venerint vobis tempora » refrigerii. » Hic de resurrectione obscure loquitur : nam illa vere sunt refrigerii tempora, quæ Paulus quærebat dicens : « Et nos qui sumus in tabernaculo, ingemiscimus » gravati[1]. » Deinde ostendens ipsum esse temporum refrigerii auctorem; « Et miserit, inquit, eum, qui vobis ante » prædicatus est, Jesum Christum. » Non dixit : « Deleatur peccatum vestrum; » sed, « Peccata, » et illud subindicans, « Et miserit. » Hoc ubi dixit, non addit unde; sed solum adjicit : « Quem oportet cœlum suscipere. » Utique suscipere. Et cur non dixit : « Quem cœlum suscepit? » Hoc quasi de priscis temporibus dicit : « Sic dispensatum est, sic constitutum. » De æterna vero ejus existentia nondum dixit; sed adhuc de œconomia sive incarnatione pergit dicere. « Moyses quidem locutus est patribus : Prophetam vobis » excitabit Dominus. » Deinde cum superius dixisset : « Us- » que ad tempora restitutionis omnium, quæ locutus est » Deus per os omnium sanctorum suorum Prophetarum a sæculo, » ipsum tandem inducit Christum. Nam si multa prædixit, ipsumque audire oportet : non aberraverit quis si dicat hæc Prophetas dixisse.

IV. Alioquin vero vult ostendere eadem ipsa Prophetas prædixisse. Et si quis accurate exploraverit; illa inveniet, licet obscure dicta. Prænuntiatum, inquit, quo nihil recentius est. Hic illos etiam terret, quasi multa adhuc residua essent. Quomodo igitur dicebat : « Implevit ea » quæ oportuit eum pati. » Implevit, inquit, non impletum est; declarans ipsum ea quæ pati oportebat implevisse; quæ vero futura deinde sunt impleta nondum esse. « Pro-

[1] 2 Cor. v, 4.

» phetam vobis suscitabit Dominus Deus ex fratribus ves- » tris, tanquam me. » Quod illos maxime conciliabat dicit. Vides quomodo humilia simul et sublimia spargat? Humile enim et sublime est; si is qui in cœlum ascensurus est similis sit Moysi : quod certe magnum esset. Non autem secundum Moysem est illud : « Et erit omnis qui non » audierit, exterminabitur. » Innumera alia dixit, quæ probent illum non esse Moysi similem : itaque magnum testimonium attigit : « Deus illum suscitabit, inquit, de » fratribus vestris. « Moyses igitur interminatus est non audientibus. Hæc omnia adjecta sunt. « Et omnes Prophetæ, » inquit, a Samuële. » Noluit singulos recensere, ne longior sermo esset; sed opportuno usus Moysis testimonio, ultra misit eos. « Vos estis inquit, filii Prophetarum, et testa- » menti quod disposuit Deus. » Testamenti, inquit, filii, id est, hæredes. Ne viderentur enim hæc ex beneficio Petri accipere, ostendit jam olim illis hoc debitum fuisse, ut magis crederent id Deo placitum esse. Vobis primum Deus, inquit, cum suscitasset, filium suum misit. Non simpliciter dixit : « Vobis misit filium suum ; » sed etiam post resurrectionem, et quando crucifixus fuit. Ne putarent enim ipsum quidem hæc largitum esse, non vero Patrem, ideo addidit illud, « Benedicentem vobis. » Si enim frater vester est, et benedicit vobis, promissio res est; id est, tantum abest ut non communicetis cum his; ut etiam vos aliis auctores et duces esse velit. Ne itaque vos ut abjecti et repudiati habeatis. « Ut convertat se, inquit, unusquis- » que ab iniquitatibus. » Sic vos benedicet, et non simpliciter. Ecqua hæc benedictio? Magna. Neque enim converti ab iniquitatibus satis est ad illas solvendas; si ad solvendum non sufficit, quomodo benedictionem dare possit? Neque enim qui injuste egit, jam benedicitur, sed peccatorum remissionem accipit. Illud autem, « Tanquam

» me, » nisi secundum legislationis modum accipiatur, nullam potest rationem habere. « Ipsum audietis, » inquit, neque simpliciter; sed quid? « Et erit omnis anima quæ » non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe. » Quando illos peccatores ostendit, ipsisque veniam dedit, bonaque promisit; tunc ostendit Moysem hoc ipsum dixisse. Et quænam hæc consequentia est, « Usque ad tem- » pora restitutionis; et inducere Moysem dicentem eos omnia quæ dicet Christus audituros esse; neque simpliciter, sed cum terribili comminatione? Magna : ostendit enim et propter hoc illi obtemperari oportere. Quid est, « Filii Prophetarum et Testamenti? » Hæredes, sucessores. Si ergo filii, cur erga res vestras, ut erga alienas, affecti estis. Igitur accusatione quidem digna fecistis; poteritis tamen veniam consequi. Deinde post quam hæc dixerat, jure adjicit : « Vobis misit Deus Filium suum benedicentem » vos : » Non dicit : «Servantem,» sed, quod magis est, «Benedicentem : » ostendens crucifixum benedicturum eos esse, qui se crucifixerunt. Hunc ergo nos quoque imitemur. Ejiciamus animam sanguinariam et inimicam. Non sufficit non ulcisci. Hoc et in veteri lege factum est; sed omnia faciamus pro iis qui nos læserunt, quasi pro amicis germanis, quasi pro nobis ipsis. Illius imitatores sumus, illius discipuli, qui, post quam crucifixus fuit, omnia movit pro iis qui se crucifixerant, et Apostolos misit. Atqui nos sæpe juste patimur; ille vero non modo injuste, sed et impie. Benefactorem enim, qui nihil se læserat, crucifixerunt. Cur, dic mihi? Gloriæ causa; quanquam ipse eos honore afficiebat. Quomodo? « Super cathedram Moysi, inquit, » sederunt Scribæ et Pharisæi : omnia ergo quæ dicunt » vobis ut faciatis, facite : secundum opera autem illorum » nolite facere[1] ; » et rursus alibi : « Vade : ostende te sacer-

[1] Matth. xxiii, 2, 3.

» doti[1] : » et cum posset illos perdere, servabat. Hunc igitur imitemur, et nemo cujuspiam sit inimicus, neque hostis, nisi tantum diaboli.

V. Non parum ad hoc confert etiam non jurare, et non irasci. Si non irascamur, neque inimicum habebimus. Abscinde ab homine juramentum, et iræ alas excidisti, illamque totam extinxisti. Sunt enim sicut venti ira et juramentum. Demitte vela, nulla veli utilitas, si desit ventus. Si ergo nec juremus, nec clamemus, iræ nervos succidimus. Si vero non creditis, periculum rei facite, et rem sic se habere cognoscetis. Legem iracundo pone, ut ne unquam juret, et non opus habebis cum illo de mansuetudine sermonem habere. Sic totum perfectum erit : et nec pejerabitis, nec jurabitis omnino. Nescitis in quanta absurda vos inde conjiciatis? Necesse enim est ut vinculo vos constringatis, et omnem machinam adhibeatis, ut quasi ex inevitabili quopiam malo animam eripiatis; deinde vero, si non possitis, in dolore, rixis, execrationibus degetis; sed omnia frustra cedent. Igitur minare, præscribe, omnia sine juramento facito. Licet et dicta et facta resolvere, si volueris. Sic hodie necesse est ut vobis mansuetius loquamur. Quia enim audistis, magna pars rei a vobis perfecta est. Age de reliquo, cur juramentum invectum est, et cur admissum, dicamus : quomodo primo ortum sit, et a quibusnam, obsequentiæ vestræ enarrando vices rependamus. Illum enim, qui recte agit, necesse est philosophari : qui nondum talis est, nec dignus erit qui audiat. Fecit olim pacta multa Abraham, et victimas immolavit, hostiasque obtulit, ac nondum erat juramentum. Unde ergo juramentum ortum habuit? Quando aucta sunt mala, quando omnia susdeque facta sunt, quando ad idololatriam declinarunt. Tunc ergo, tunc, cum increduli prorsus es-

[1] Matth. VIII, 4.

sent, Deum advocabant testem, quasi dignum dictorum fidejussorem dantes. Hoc enim est juramentum, fidejussio, ubi ob morum corruptionem fides non habetur. Itaque hoc primum crimen jurantis est, si non credatur sine fidejussore, et magno fidejussore : quia enim nulla fides habetur, non hominem requirunt fidejussorem, sed Deum. Secundo, eadem quoque culpa est ejus qui juramentum recipit, si in pactis Deum ad fidejussionem trahat, et dicat non discessurum se nisi illum accipiat. O ingentem stupiditatem! O contumeliam! Vermis, terra et cinis cum sis atque fumus, dominum tuum trahis ad fidejussionem et illum cogis accipere? Dic mihi, si servis vestris inter se rixantibus, nec sibi mutuo credentibus, diceret conservus non discedendum esse, donec communis dominus fidejussor accederet; annon mille plagas acciperet, ut disceret domino ad alia non ad hæc uti oportere. Quid dico conservum? nam si virum venerabiliorem eligeret, annon id ille pro contumelia haberet? At ego nolo, inquies. Recte. Ergo neque illum cogas. Nam hoc fit etiam apud homines : si quis dixerit: «Illum talem do fidejussorem, tu non permittis. » Quid igitur, inquies, perdam-ne quod dedi? Non hoc dico. Sed queror quod Deum afficias contumelia. Ideoque is qui cogit, inevitabilius supplicium habebit, quam is qui jurat : similiterque is qui, nemine postulante, jurat. Quodque gravius est, singuli vel pro uno obolo jurant, pro parva re, pro injustitia. Hæc vero, cum sine perjurio agitur. Nam si perjurium sequatur, omnia susdeque vertuntur, et in causa sunt tam is qui accepit, quam is qui dedit. At, inquies, quædam sunt quæ ignorantur. Verum hæc si prævideas, nihil temere facies. Si quid vero negligenter agas, a te ipso pœnas exige. Melius est sic damno affici, quam alio modo. Dic enim mihi, trahis quempiam ad juramentum? Quid expectans? Num

quod pejeret? Sed hoc extremæ est insipientiæ; in caput tuum ultio vertetur. Melius erat pecunias tuas perire, quam illum. Cur hoc ad damnum tuum et Dei contumeliam facis? Hæc anima feræ est et impii viri. Sed spero illum non pejeraturum esse. Ergo etiam sine juramento credo. Sed multi sunt, inquies, qui non jurati fraudare audent, jurati secus. Te ipsum decipis, o homo, qui furari et proximum lædere didicit, sæpe juramentum etiam conculcabit. Si autem jurare vereatur, multo magis injuste agere verebitur. Sed invitus hoc patitur? Ergo venia dignus. Sed, relictis illis forensibus juramentis, quid de hisce dicam? Illic nihil tale dicere potes: nam pro decem obolis juramenta fiunt et perjuria. Quia enim fulmen superne non mittitur, quia non omnia subvertuntur, stas Deum obstringens. Qua de causa? ut olera, ut calceos accipias, pro modica pecunia in testem illum advocas. Ne quia non plectimur, putemus nos non peccare. Hoc divinæ misericordiæ est, non nostræ virtutis. Jura per puerum tuum, jura per te ipsum. Dic: « Sic ne lictor astet lateribus meis. » Sed times. Lateribus ergo tuis vilior est Deus, et capite tuo abjectior? Sic dicito: « Ne excæcer. » At Christus ita nobis parcit, ut vetet etiam per proprium caput jurare. Nos vero ita non parcimus gloriæ Dei, ut ubique ipsum trahamus. Nescitis quid sit Deus, et quo ore advocandus sit. Sed si de viro virtute claro loquamur, dicimus: « Lava os tuum, et sic commemora; » nunc vero pretiosum nomen, quod est super omne nomen, mirabile in universa terra, quod audientes dæmones exhorrescunt, temere circumtrahimus.

VI. O consuetudinem! Ab illa enim contemptui est. Sane si in sacris ædibus alicui necessitatem jurandi imposueris, ita affectus es ac si horrendum feceris juramentum. Atqui cur tam horrendum videtur esse, nisi quia illo quidem

facile utimur, hoc vero minime? Annon horrere oporteret cum nominatur Deus? At apud Judæos ita venerandum erat nomen ejus, ut in laminis describeretur[2], et nemini liceret litteras istas ferre, nisi soli summo sacerdoti; nunc tam facile nomen ejus circumferimus. Si simpliciter nominare Deum non omnibus fas erat; ipsum in testem vocare, quantæ audaciæ, quæso, quanti furoris est? Si enim potius omnia abjicere oporteret, annon libenter relinquere par esset? Ecce dico, et testificor: emendate juramenta illa forensia: non obtemperantes autem omnes ad me adducite. Ecce vobis præsentibus, impero iis qui ad ministerium sunt domum orationis, hortor et edico, nemini licere temere jurare, imo neque alio quovis modo. Ad me ergo ducatur, quisquis sit, qua hæc omnia ad nos usque deferri oportet, ac si pueruli essetis. Absit ut ita res sit. Pudor enim est si adhuc disciplina egeatis. Num sacram mensam tangere audes non initiatus? Sed quod pejus est, tu initiatus sacram mensam tangere audes, quam nec omnibus sacerdotibus tangere licet, et sic jurare? Et tu quidem pueri caput non tangeres egressus, et mensam tangis, neque exhorrescis, nec formidas? Ad me tales adducite. Ego judicium feram, et ambos gaudentes remittam. Quod volueritis facite, legem pono ne omnino juretur. Quæ salutis spes sic nobis omnia pessumdantibus? Ideo syngraphæ, ideo symbolæ, ut tuam immoles animam? Quid tantum lucraris, quantum perdis? Pejeravit? Perdidisti et illum et te ipsum. Sed non pejeravit? Etiam sic perdidisti, qui coëgeris præceptum transgredi. Hunc morbum ab anima expellamus; interim a foro illum ejiciamus, a tabernis mercatorum, et a reliquis officinis. Major nobis hinc proventus erit. Ne putetis per transgressionem divinarum legum res hujus vitæ recte dirigi. At non credet, inquies. Nam hoc

[2] Exod. xxxix, 29.

ego ab aliquibus audivi : « Nisi mille juramenta proferam, non credet. » Tu in causa es, qui tam facile juras. Nam si hoc non esset, sed omnibus notum esset te nunquam jurare, crede mihi dicenti, vel innuenti tibi magis crederetur, quam iis qui mille juramenta devorant. Nam cui, quæso, magis creditis, mihi non juranti, an jurantibus? Sed tu, inquies, es princeps et episcopus? Quid igitur si ostendero me non hoc solum esse? Cum veritate, quæso, respondete mihi : si frequenter et semper jurarem, an prodesset mihi principatus? Minime. Vides-ne non illam esse causam? Quid igitur, quæso, lucraris? Paulus esuriebat : et tu esurire potius eligas, quam transgredi quædam ex divinis mandatis. Cur ergo incredulus es? Tu ergo nihil non agas et patiaris ut ne unquam jures. An ille te non remunerabit? Atqui et perjuros et juramentis assuetos quotidie alit, te vero fami tradet, quia illum audisti? Omnes videant ex iis qui in hac Ecclesia congregantur neminem esse qui juret; et hinc noti simus : non ex fide tantum. Hinc a Græcis et ab aliis omnibus differamus : signaculum accipiamus de cœlis, ut quasi regius grex ubique appareamus. Ab ore et a lingua noscamur sicut barbari, sicut ii qui græce sciunt : hinc a barbaris discernamur. Dic enim mihi, unde noti sunt psittaci? nonne ex eo quod tanquam homines loquantur? Et nos quoque, sicut Apostoli, ex loquela noti simus, ex eo quod ut Angeli loquamur. Si quis dixerit : « Jura; » audiat, Christus vetat et non juro. Hoc satis est ad omnem inducendam virtutem. Janua quædam est pietatis, via ad philosophiam pietatis inducens, palæstra quædam. Hæc custodiamus ut præsentia et futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA X.

CAPUT IV.

Loquentibus autem illis ad populum, supervenerunt sacerdotes et magistratus templi[1].

I. Nondum a prioribus respiraverant tentationibus, et statim in alias inciderunt. Et vide quomodo res dispensentur. Primo cum irrisione excepti sunt omnes; nec parva erat hæc tentatio. Secundo coryphæi in pericula incidunt. Non continenter vero hæc duo facta sunt, neque simpliciter; sed post quam in concionibus claruerant, et miraculum magnum patrarant; sic demum assumpta fiducia, Deo concedente certamina ineunt. Tu vero mihi perpende, quomodo, qui quæsierant proditorem, qui Christum traderet, hic ipsi manus injiciunt ferociores facti, et post crucem impudentiores. Peccatum enim dum parturitur, quemdam habet pudorem; cum autem perfectum est, impudentiores reddit auctores. Cur autem magistratus supervenit? nam « Supervenerunt ipsis sacerdotes et magistra» tus templi, » inquit. Ut rursus publicum crimen gestis inferrent, et non ut peculiare et privatum ulciscerentur: quod ubique facere studebant. « Dolentes quod docerent » populum. » Moleste ferebant, non modo quod docerent; sed etiam quod dicerent non solum ipsum resurrexisse; sed etiam nos per illum resurrecturos esse. « Quod doce» rent, inquit, populum, et annuntiarent in Jesu resurrec» tionem mortuorum[2]. » Ita efficax fuit illius resurrectio, ut etiam aliis auctor sit resurrectionis. « Et injecerunt in eos ma» nus, et posuerunt eos in custodiam in crastinum: erat enim

[1] Act. IV, 1. — [2] Ibid. 2.

» jam vespera[1]. » O impudentiam ! Adhuc priore sanguine plenas manus habebant; nec segniores erant; sed injecerunt denuo illas, ut alio sanguine implerent. Vel fortasse quia illi jam multitudine creverant, timuerunt, ideoque magistratus templi supervenit : « Erat enim, inquit, jam » vespera. » Illi vero volentes eos mitigare, sic faciebant et custodiebant. Apostolos autem audaciores reddebat mora temporis. Et vide quinam comprehendantur, Apostolorum coryphæi, aliis postea exemplum facti, ne ultra se mutuo inquirant, neque communiter agant. « Multi autem eorum, » qui audierant verbum, crediderunt, et factus est numerus » virorum circiter quinque millia[2]. » Quid hoc? Num illos conspicuos videbant? annon ligatos? Quomodo ergo crediderunt? Vides-ne manifestam efficaciam? Atqui eos, qui crediderant, oportebat infirmiores fieri; sed non ita fuit. Petri namque concio semina in profundum jecerat mentemque illorum affecerat. Illi vero ideo succensebant, quod non ab illis metuerentur, quodque illi præsentia mala pro nihilo reputarent. « Si enim crucifixus, aiebant, talia operatur, et claudum erigit, ne timeamus illos. » Hoc ergo ex Dei dispensatione factum est. Hinc vero fit, ut qui nunc credunt plures sint, quam priores. Ideoque timentes, illis videntibus, Apostolos ligarant, ut illos timidiores redderent. Secus autem accidit, quam illi volebant. Ideoque non coram illis ipsos interrogant, sed seorsim : ne ex eorum loquendi libertate, auditores lucrum referrent. « Factum est autem in crastinum, ut congregarentur principes eorum et seniores et Scribæ in Jerusalem. Et Annas princeps sacerdotum, et Caïphas, et Joannes, et » Alexander, et quotquot erant de genere sacerdotali[3]. » Rursus conveniunt in unum. Cum aliis etiam malis hoc aderat, quod lex non servaretur : ac rursus judicii for

[1] Act. IV, 3. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 5, 6.

mam huic negotio indunt, ut injusto judicio noxios illos reddant. « Et statuentes eos in medio, interrogabant : In » qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos [1]. » Atqui id sciebant : nam dolebant, inquit, quod annuntiarent in Jesu resurrectionem. Ideo comprehenderant illos. Cur ergo interrogant? Expectabant illos propter multitudinem negaturos esse, et sic putabant se totum emendaturos esse. Vide ergo quid dicant : « In quo nomine hoc fecistis » vos? Tunc Petrus repletus Spiritu sancto dixit ad eos [2]. » Nunc recordare verborum Christi, et quomodo evenerit id quod dicebat : « Cum autem tradent vos in Synagogis, ne » solliciti sitis quomodo aut quid loquamini : Spiritus enim » Patris vestri est, qui loquitur in vobis [3]. » Ergo magnam acceperant efficaciam. Quid vero dicat audi : « Principes » populi et seniores Israël. » Vide philosophiam viri, et quemodo fiducia plenus nihil contumeliose dicat, sed cum honore : « Principes populi et seniores Israël : Si nos hodie di- » judicamur in beneficio hominis infirmi, in quo iste salvus » factus est, notum sit vobis et omni plebi Israël [4]. » Strenue illos a principio perstringit et carpit; imo illis priora in memoriam revocat, quod illos de beneficio in jus vocent, ac si diceret : « Utique oportebat nos ac de re coronari, atque ut beneficos promulgari : nunc autem in jus vocamur, quia bene fecimus homini infirmo, non potenti, non nobili; » quamvis et in hoc quis invidisset.

II. Magna gravitate exordium plenum est. Hinc vero ostenditur ipsos sese malis implicare. « Quia in nomine Jesu » Christi Nazareni. » Quod illos maxime contristabat adjicit. Hoc erat quod dicebat illis Christus : « Quod in aure » audistis, prædicate super tecta [5]. In nomine Jesu Christi » Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit

[1] Act. IV, 7. — [2] Ibid. 8. — [3] Luc. XII, 11. — [4] Act. IV, 9, 10. — [5] Matth. X, 27.

» ex mortuis : in hoc iste astat coram vobis sanus [1]. » Ne putetis, inquit, nos occultare patriam vel passionem : « Quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit ex mortuis : » in hoc ille astat coram vobis sanus. » Iterum passio, iterum resurrectio. « Hic est lapis qui reprobatus est a vobis » ædificantibus, qui factus est in caput anguli [2]. » In memoriam ipsis revocat verbum, quod terrere illos posset. Nam ait : « Qui ceciderit super lapidem hunc, confringe- » tur ; super quem vero ceciderit, conteret eum [3]. Et non » est in alio aliquo salus. » Quales putas ex his verbis illos plagas accepisse. « Nec enim aliud nomen est sub cœlo, » datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri [4]. » Hic et sublimia loquitur. Quando enim non est aliquid præclare agendum, sed tantum cum libertate loquendum, non parcit. Non enim timebat ne perstringeret. Nec dixit simpliciter : « Per alium ; » sed, « Non est in alio aliquo salus ; » id est, hic nos potest servare ; hinc vero timorem illorum compressit. « Videntes autem Petri constantiam et Joan- » nis, comperto quod homines essent sine litteris et idiotæ, » admirabantur, et cognoscebant eos, quia cum Jesu fue- » rant [5]. » Duo illitterati illi et ipsos et summos sacerdotes rhetorica sua vicerunt. Non enim illi loquebantur, sed gratia Spiritus. « Hominemque qui sanatus fuerat cum eis » stare videntes, nihil poterant contradicere [6]. » Magna hominis constantia, ut palam est ex eo quod in ipso judicii loco non relinqueret eos. Ita ut si illi dixissent : « Non ita se res habet ; » ille redarguisset. « Jusserunt autem eos » foras extra concilium secedere : et conferebant ad invi- » cem dicentes : Quid faciemus hominibus estis [7] ? » Vide quam incerti sint, vide humanum timorem omnia operantem. Ut quæ Christus operabatur subvertere vel obscurare

[1] Act. IV, 10. — [2] Psal. CXVII, 22, et Act. IV, 11. — [3] Matth. XXI, 44. — [4] Act. IV, 12. — [5] Ibid. 13. — [6] Ibid. 14. — [7] Ibid. 15, 16.

non poterant, sed illis contra nitentibus fides magis augebatur; sic et nunc evenit. « Quid faciemus? o insipientiam! An illos post degustata certamina terreri putabant? an cum initio nihil potuissent, post tantam dicendi facultatem existimabant se aliquid esse facturos? Quanto magis impedire volebant, tanto magis res augebantur. « Quoniam » quidem notum signum factum est per eos omnibus habi» tantibus Jerusalem, manifestum est, et non possumus » negare. Sed ne amplius divulgetur in populum, commi» nemur eis ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum. » Et vocantes eos denuntiaverunt ne omnino loquerentur » neque docerent in nomine Jesu [1]. » Vide illorum impudentiam, et Apostolorum philosophiam. « Petrus vero et » Joannes respondentes dixerunt ad eos : Si justum est in » conspectu Dei vos potius audire quam Deum judicate. Nos » non possumus quæ vidimus et audivimus non loqui. At » illi comminantes dimiserunt eos, non invenientes quo» modo punirent eos, propter populum [2]. » Silentium illis imperabant miracula, ac postea non patiebantur illos implere sermonem; sed interim contumeliose admodum illos ne loquerentur cohibebant : « Quia omnes clarificabant » Deum in eo quod factum fuerat. Annorum enim erat am» plius quadraginta homo, in quo factum fuerat signum hoc » sanitatis [3]. » Sed ea quæ supra dicta sunt repetamus. » Quid faciemus hominibus istis? » Primo igitur propter gloriam humanam omnia faciebant. Nunc autem aliud quoque in proposito erat, ut ne viderentur sanguinarii esse; quod postea dicebant : « Vultis inducere super nos sangui» nem hominis istius? Comminemur eis ne ultra loquantur » in nomine hoc ulli hominum. « O insipientiam! Persuasi quod resurrexisset, cum hinc argumentum accepissent ipsum esse Deum, eum, qui a morte detineri non potuerat,

[1] Act. IV, 17, 18. — [2] Ibid. 19-21. — [3] Ibid. 22.

suis machinis cohiberi posse sperabant. Quid huic insaniæ par ? Et ne mireris quod res quæ perfici non poterant iterum attentent. Hujusmodi est iniquitas. Nihil respicit, sed ubique tumultuatur. Moleste enim ferentes, ita affecti erant, ut si decepti fuissent; quod accidit iis, qui præoccupati et ludificati sunt in aliqua re. Illi enim ubique dicebant quod Deus ipsum suscitasset, quod in nomine Jesu hic astaret sanus, ostendentes vere surrexisse Jesum. Alioquin vero ipsi quoque resurrectionem esse putabant, frigide quidem et pueriliter; putabant tamen. Nunc vero non credunt, et turbantur, quid faciendum sit consultantes. Hoc profecto solum non satis erat ad persuadendum ne quid illis facerent, quod nempe cum tanta libertate loquerentur ? Cur, quæso, non credis, o Judæe ? Nam signo attendere oportebat et sermonibus, non autem multorum iniquitati. Non tradunt illos Romanis : jam enim male audiebant apud illos ob ea quæ in Christum fecerant, atque ita sibi ipsis malum inferebant, dum curabant ut eorum publicatio differretur. In Christo autem non item ; sed media nocte raptum statim abduxerunt, neque distulerunt, multitudinem admodum timentes. Circa hos autem nullam fiduciam habebant : neque adducunt eos ad Pilatum, quod priorum puderet, ac ne de iis redarguerentur. « Factum » est autem in crastinum, ut congregarentur principes » eorum et seniores et Scribæ in Jerusalem. »

III. Rursus concilia Jerosolymis, et ibi sanguis effunditur : neque urbem reveriti sunt Annas, inquit, et Caïphas : hujus vero ne ancillam quidem interrogantem sustinuit Petrus : sub hoc negaverat, dum alius detineretur. Nunc vero in medios illos erumpens, vide quomodo loquatur : « Si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, » in quo iste salvus factus est, notum sit omnibus vobis. » Illi vero, « In quo nomine, inquiunt, fecistis hoc vos ? »

cur non hoc dicis, sed occultas? « In quo nomine fecistis » hoc vos! » Atqui dicebat; « Non nos fecimus. » Vide prudentiam : non dixit statim; « In nomine Jesu fecimus, » sed quid! « In nomine ejus hic astat coram vobis sanus;» neque dicit : «Factus est a nobis sanus.» Et rursus, « Si nos dijudicamur in beneficio hominis infirmi. » Perstringit illos ut qui semper easdem accusationes proferant, et beneficia hominum reprehendant. Ac præterita in memoriam revocat, quod semper ad cædes currant : neque hoc tantum, sed etiam de beneficiis incusent. Vides quod pondus verba habeant! In his enim exercitabantur, ac deinceps imperterriti erant. Hinc ostendit illos vel invitos Christum prædicare, et dum dijudicant et examinant, hoc dogma extollere. « Quem vos crucifixistis. » Papæ quanta dicendi libertas! « Quem Deus suscitavit a mortuis. » Hoc iterum majorem præ se fert libertatem. Hoc ergo vult significare : «Ne putetis nos ignominiosa occultare; illa libere prædicamus, nedum celemus. » Hæc tantum non improperans dicit, neque simpliciter, sed etiam in his moratur. « Hic es lapis, qui reprobatus est a vobis ædificantibus. » Deinde ostendens ipsos admodum conspicuum illum fecisse, addit : « Qui factus est in caput anguli; » id est, qui natura pretiosus ac probatus erat, hic reprobatus est. Tantam a signo facto habebant loquendi fiduciam. Tu vero mihi perpende quomodo cum docere oportet, prophetias afferant multas : cum vero libere loquendum est, sententiam solum proferant. « Neque enim, inquit, aliud nomen » est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos sal- » vos fieri. » Quia omnibus hominibus, neque illis solum, datum est nomen : qua in re illos etiam testes adducit. Quia enim dicebant: « In quo nomine fecistis? » In nomine Christi, inquiunt : non est aliud nomen. Quomodo ergo interrogatis? Sic ubique hoc manifestum est. « Nec enim

» aliud nomen est sub cœlo, inquit, in quo oporteat nos » salvos fieri. » Hæc sunt animæ vitam præsentem despicientis; ut arguit illa tanta libertas. Hinc palam est, quando humilia de Christo dicit, non præ timore, sed se attemperando id agere. Quia vero jam tempus erat, sic sublimia loquitur; ita ut hinc etiam auditores omnes obstupefaceret. Ecce et aliud signum præcedente non minus. « Cog- » noscebant eos, inquit, quia cum Jesu fuerant. » Non sine causa hoc posuit Evangelista: sed ut declaret etiam ubi fuerint. In passione, inquit. Hi enim soli tunc una erant, quando viderunt illos humiles, dejectos. Quod illos maxime in admirationem rapiebat, repentina nempe mutatio. Nam illic erant Annas et Caïphas, et hi etiam astabant illis. Nunc autem obstupefaciebat eos illa tanta libertas. Neque enim verbis tantum ostendebant se nihil curare de rebus hujusmodi in jus adductos, cum de extremis periclitarentur; sed et habitu, voce, aspectu, et omnibus libertatem loquendi coram populo exhibebant. Mirabantur vero fortasse, quod homines illitterati et idiotæ essent. Potest enim quis illitteratus esse, nec idiota; vel idiota, nec illitteratus. Hic porro ostendit hæc duo concurrisse. « Compertoque, » inquit: unde? Ex iis quæ dicebant. Non longos profert sermones: sed ex ipsa enuntiatione et constructione fiduciam ostendit; itaque in illos acrius egissent, nisi homo ille fuisset cum eis. « Cognoscebant, in- » quit, illos, quoniam cum Jesu fuerant: » unde credebant hæc illos a Jesu didicisse, et ut ejus Discipulos omnia facere. Nec minorem illorum dictis vocem emittebat ipsum miraculum; et quod maxime illorum ora obstruebat: « Si » justum est, inquit, in conspectu Dei vos potius audire, » quam Deum, judicate. » Quando metus minor factus erat; (nam interminari nihil aliud erat, quam illos dimitti,) tunc mitius loquuntur; ita procul erant ab audacia; quia

notum signum est, « Non possumus negare. » Itaque negassent, nisi res ita se habuisset, nisi omnium testimonio firmata fuisset: omnibus quippe nota erat : sed talis est nequitia, audax nimirum et petulans. « Comminemur. » Quid dicitis ? An minis speratis vos prædicationem esse cohibituros ? Sic ubique principia sunt ardua et difficilia. Magistrum interemistis, nec prædicationem cohibuistis ; et nunc minis vos putatis absterreri non posse ? Vincula non suaserunt ut remissius loqueremur, et vos suadebitis? nobis, inquam, qui vos vel minitantes nihili facimus. « Si »justum est, inquit, in conspectu Dei vos magis audire, »quam Deum. » Hic Deum pro Christo dicunt, vides-ne quomodo nunc evenerit quod dicebat illis, « Ecce ego »mitto vos sicut oves in medio luporum ; ne timueritis »eos [1]. »

IV. Deinde resurrectionem confirmant per ea quæ adjiciunt : « Nos non possumus quæ vidimus et audivimus »non loqui. » Itaque nos fide digni testes sumus, vos autem frustra interminamini. Cum ergo oportuisset mutari eos pro ea re, de qua populus Deum glorificabat, illi contra necem comminantur, ita Dei hostes erant : additisque minis, dimiserunt illos. Hinc illi clariores illustriores que facti sunt. Nam « Virtus mea, inquit, in infirmitate perfi»citur. » Jam illi testificati sunt adversus omnia instructi. Quid sibi vult illud, « Nos non possumus ea quæ vidimus »et audivimus non loqui. » Si falsa sunt, aiunt, ea quæ dicimus, reprehende; sin vera, cur prohibes? Talis res est philosophia. Illi in angustia, hi in lætitia : illi multo pudore pleni, hi fidenter omnia faciunt : illi timent, hi fiducia pleni sunt. Quinam, quæso, timebant, ii-ne qui dicebant : « Ne amplius divulgetur in vulgus; » an qui dicebant, « Non possumus ea quæ vidimus et audivimus

[1] Matth. x, 16.

» non loqui? » Illi certe in majore voluptate, libertate et lætitia versabantur; illi in mœrore, pudore et metu : populum enim timebant. Illi quæ volebant loquebantur, illi quæ volebant non faciebant. Quinam vero in vinculis et in periculis erant? nonne isti maxime. Virtuti ergo hæreamus, ne ad voluptatem et consolationem tantum dictis utamur. Non est hoc theatrum, dilecte, citharœdorum, vel tragœdorum, cujus fructus est voluptas tantum, et decurso die transiit voluptas. Atque utinam voluptas tantum esset, et non damnum cum voluptate conjunctum. Attamen inde domum singuli se recipiunt, hinc multa quasi ex quadam lue coacta referentes. Et adolescens quidem ex satanicis cantilenis aliqua mutuatus, quæ potuit memoria retinere, frequenter domi cantat. Senior autem, utpote gravior, hoc quidem non facit, sed omnia quæ ibi dicta sunt verba memorat. Inde nihil habentes abscedetis. Et quomodo non sit illud dignum pudore? legem posuimus; imo non nos posuimus : absit. « Nolite vocare, inquit, magistrum su» per terram[1]. » Legem posuit Christus, ne quis juret. Quid, quæso, ei ea hanc legem factum est? neque enim finem faciam hac de re loquendi. « Ne forte iterum ve» niens, ut ait Apostolus, non parcam[2]. » Num id curastis? num solliciti fuistis aut studiosi? An eadem nobis rursus dicenda sunt? Imo sive aliquid factum sit, sive non, eadem ipsa aggrediemur, ut curam habeatis, ut illud firmius observetis et alios hortemini. Unde ergo incipiemus? Vultis a veteri lege? Atqui hoc nobis pudori est, quod ea quæ in veteri lege sunt, quæ exuperare oporteret, ne servemus quidem. Nos certe de his audire non convenichat : judaïcæ enim vilitatis hæc præcepta sunt. Sed illa perfecta : abjice pecunias, sta fortiter, animam pro prædicatione dato, terrena omnia ride, nihil tibi sit commune

[1] Matth. xxiii, 8. — [2] 2 Cor. xiii, 2.

cum præsenti vita, si quis te lædat, benefacito, si te defraudet, benedicito; si contra te blasphemet, honorato; omnibus superior esto. Hæc et similia audire oportebat. Nunc autem de juramento loquimur. Atque idipsum contingit, ac si quis eum, qui jam debeat philosophari, a doctoribus suis abstrahat, atque syllabas et elementa legere cogat. Cogita mihi quantus pudor sit hominem profundam habentem barbam, baculum ferentem et pallium, ad magistros cum pueris abire ut eadem cum illis discat. Nonne hinc magnus risus? sed jam major ex nobis. Non enim tantum discriminis est philosophiam inter et elementa, quantum inter judaïca et nostra : sed quantum inter Angelos et homines. Si quis, quæso te, Angelum de cœlo deductum juberet hic stare et verba nostra audire, ut secundum ea se componeret, annon pudor inde et risus sequeretur? Si vero de iis jam erudiri ridiculum est, his ne quidem attendere, quanta damnatio? quantus pudor? Et quomodo non pudor sit, quod adhuc Christiani addiscant non esse jurandum? Attamen nos reprimamus, ne magis rideamur. Age igitur ex veteri lege vobis disseramus hodie. Quid autem dicit illa? « Juramento ne assuefacias os tuum, ne- » que cum nomine Sancti consuescas. » Quare? « Sicut » enim servus qui torquetur assidue, a livore non purga- » bitur; sic neque jurans[1].

V. Vide prudentiam hujus Sapientis : non dixit : « Juramento ne assuefacias mentem tuam; » sed, « Os tuum; » quia totum ex ore esse sciebat, et quia facile corrigitur. Nam consuetudo est demum sine proposito facta : ut sunt multi qui in balnea ingressi, ubi fores transierunt, se signant. Hoc solet manus, nemine jubente, ex consuetudine facere. Rursus accensa lucerna, mente aliud quidpiam considerante, manus signum facit. Ita et os, non ex animo

[1] Eccli. XXIII, 9 et 11.

loquitur, sed ex consuetudine, totumque est in lingua. « Neque cum nomine Sancti consuescas. Sicut enim ser- » vus, qui torquetur assidue, a livore non purgabitur, sic » neque qui jurat. » Non perjurium hic, sed juramentum exscindit, pœna illi apposita. Ergo juramentum peccatum est. Talis est anima, talibus scatet vulneribus, talibusque livoribus. An tu non vides? Hoc enim grave est : quamvis possis videre si velis : dedit quippe tibi Deus oculos : talibus oculis videbat Propheta dicens : « Putruerunt et » corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ[1]. » Deum despeximus, nomen bonum odio habuimus, Christum conculcavimus, solvimus pudorem. Nemo cum honore nomen Dei memorat. Et tu quidem, si quempiam dilexeris, ad nomen ejus erigeris : Deum vero sic perpetuo vocas quasi nihil. Voca cum benefaciens inimico, voca ad salutem animæ tuæ. Tunc adest, tunc lætificas illum : nunc autem exacerbas. Voca illum ut vocavit Stephanus : quid dicens? « Domine, ne statuas illis hoc pec- » catum[2]. » Voca illum ut vocavit uxor Elcanæ[3], cum lacrymis, cum fletu, cum oratione. Non prohibeo, sed valde hortor. Voca illum ut vocavit Moyses, et clamabat orans pro iis qui ipsum in fugam egerant[4]. Et tu quidem si virum quempiam reverendum temere memores, id pro contumelia habetur; si vero Deum verbis circumferas, non modo temere, sed etiam intempestive, pro nihilo rem habes? et quanto supplicio dignus non fueris? Non prohibeo Deum semper in mente habere. Hoc enim et optarim et velim; at non præter placitum ejus; verum cum laude et honore. Magna id nobis pareret bona, si cum oportet et in quibus oportet tantum vocaremus eum. Cur, quæso, Apostolorum ævo tot tantæque virtutes fiebant, nostra vero ætate minime; licet idem ipse sit Deus,

[1] Psal. xxxvii, 6. — [2] Act. vii, 6. — [3] 1 Reg. i, 10. — [4] Num. xii, 13.

idipsum nomen? sed non par res est: quomodo? Quia illi in iis, quæ dixi, ipsum vocabant solum; nos vero non in his, sed in aliis. Si autem ideo juras, quia ille non credit: dic quidem, crede; cæterum si vis, jura per te ipsum. Hæc dicens, non contraria Christi legi profero, absit: nam ait, «Sit autem sermo vester: Est, est: Non, »non[1];» sed me vobis attemperans, ut magis ad hoc vos inducam et a tyrannica consuetudine liberem. Quot in aliis rebus probati, hac de causa perierunt? Vultis discere cur priscis illis jurare permitteretur? Pejerare enim neque illis concessum erat. Quia per idola jurabant. Non vos pudet in iis manere legibus, in quibus illi versabantur infirmi. Nam si nunc gentilem adoriar, non statim illi hoc impero; sed interim ut sciat Christum admoneo Fidelis vero, qui Christum didicit et audivit, si eadem qua Græcus indulgentia opus habeat, quæ utilitas? quod lucrum? sed gravis res est consuetudo, et difficile abstraheris? Ergo quia tanta est consuetudinis tyrannis, eam in aliam transfer consuetudinem. Et quomodo, inquies, fieri potest? Quod sæpe dixi, hoc et nunc dico. Sint emendatores dictorum multi; sint inquisitores et correctores. Non pudor est ab aliis corrigi; imo pudor est repellere corrigentes, et in propriæ salutis damnum hoc facere. Et tu quidem si vestem induas inversam, permittis te a puero admoneri, nec te pudet ab illo discere quamvis hac in re magnus sit pudor: hic autem in anima læsus, te pudet ab alio erudiri? et servum fers te circa vestem ornantem et calceantem; eum autem, qui animam tuam ornat non sustines? Et quantæ hoc non insipientiæ fuerit? Sit et servus doctor, sit puerulus, sit uxor, sit amicus, cognatus, vicinus. Sicut enim fera, quæ undique pellitur, non potest effugere; sic is, qui tot habet custo-

[1] Matth. v, 37.

des, tot correctores, qui undique feriant, non potest non sibi cavere. Et primo quidem die ægre feret, atque in secundo et tertio : at deinceps res erit facilior, et post quartum, non idem erit negotium. Periculum facite, si quidem non credatis : curam habete, obsecro. Non est leve peccatum, neque levis correctio ; sed utrinque magnum seu bonum seu malum. Utinam bonum fiat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XI.

CAPUT IV.

Dimissi autem venerunt ad suos : et annuntiaverunt eis, quanta ad eos principes sacerdotum et seniores dixissent[1].

I. Non vana gloria moti narrant : quî enim fieri potuerit? sed hæc gratiæ Christi sunt indicia. Ideo quæcumque illi dixerant enarrant : sua vero dicta licet prætereant, hinc tamen majorem fiduciam assumunt. Et perpende quomodo rursum ad verum auxilium confugiant, ad subsidium invictum, ac rursum unanimiter et cum studio : neque enim est oratio utcumque emissa. « Qui cum audis»sent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, et dixe»runt[2]. » Vide quam diligenter fiant illorum preces. Quando apostolatu dignum ostendi sibi petebant, sic dicebant : « Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende[3]. »

[1] Act. IV, 23. — [2] Ibid. 24. — [3] Id. II, 24.

Ibi enim præscientia opus erat. Hic vero, quia adversariorum ora obstrui oportebat, de dominatu loquuntur; ideo sic orsi sunt : « Domine Deus, qui fecisti cœlum et » terram et mare, et omnia quæ in eis sunt : qui per os » David pueri tui dixisti : Quare fremuerunt gentes, et » populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terræ et » principes convenerunt in unum, adversus Dominum et » adversus Christum ejus[1]. » Ac si pacta a Deo exigerent, prophetiam in medium afferunt; se ipsos simul consolantes, quod omnia frustra meditentur inimici. Hoc autem significare volunt : illa in medium profer, et ostende quod vana meditati sint. « Convenerunt enim vere in civi- » tate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem » unxisti, Herodes et Pontius Pilatus cum gentibus et po- » pulis Israël, ut facerent quæcumque manus tua et con- » silium tuum fieri præfinivit. Et nunc, Domine, respice » in minas eorum[2]. » Vides-ne philosophiam, et quomodo his non imprecentur mala? Minas speciatim non exposuerunt; sed dicunt tantum illos minatos esse : nam compendio loquitur scriptor. Et vide, non dixerunt : « Dirumpe illos, dejice illos. » Sed quid? « Et da servis tuis cum omni fidu- » cia loqui verbum tuum[3]. » Sic nos quoque discamus orare. Etsi quo non furore impleatur qui in viros incidit occidere ipsum conantes, et talia minitantes? Et quo non odio impleatur? At non sic hi Sancti. « In eo quod manum » tuam extendas ad sanitates et signa et prodigia fieri per » nomen sancti pueri tui Jesu[4]. » Si in nomine illo fiunt operationes, inquit, magna erit loquendi fiducia. « Et cum » orassent, motus est locus, in quo erant, congregati[5]. » Ut sic audirent illi : et hoc fuit divinæ visitationis indicium. « Et repleti sunt omnes Spiritu sancto. » Quid est, « Repleti

[1] Psal. II, 1, et Act. IV, 25, 26. — [2] Act. IV, 27-29. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 30. — [5] Ibid. 31.

» sunt?» Id est, Spiritu succensi sunt, et ardebat in illis charisma : « Et loquebantur verbum Dei cum fiducia. Mul» titudinis autem credentium erat cor unum et anima una[1].» Vides quod cum gratia Dei, etiam sua afferebant. Ubique enim hoc observandum est, quod cum gratia Dei, sua etiam exhibeant, ut Petrus dicebat : « Argentum et aurum » non est mihi[2]. » Itaque quod superius dicebat omnes fuisse « In id ipsum, » rursus hic declarat : « Multitudinis creden» tium erat cor unum et anima una. » Cum dixisset autem illos exauditos fuisse, eorum postea virtutem narrat. Ingressurus namque est in narrationem Sapphiræ et Ananiæ. Ideo illorum scelus ostensurus, prius de aliorum virtute loquitur. Dic oro, charitas-ne paupertatem parit, an paupertas charitatem? Videtur mihi quod charitas paupertatem, quæ magis illam astringit. Audi vero quid dicat : Omnium erat cor unum, et anima una. » Ecce cor et anima idipsum sunt. « Nec quisquam eorum, quæ possi» debat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia » communia. Et virtute magna reddebant Apostoli testimo» nium resurrectionis Domini Jesu Christi[3]. » Quasi eis commissum sit, hoc declarat, et quasi de officio ipsorum loquitur; id est, testimonium regni cum fiducia omnibus reddebant. « Gratia quoque magna in omnibus erat. Neque » enim quisquam egens erat inter illos[4]. » Sicut in paterna domo filii omnes pari sunt honore, sic illi affecti erant. Non licebat enim dicere quod alios enutrirent, ac si ex suis illos nutrirent : sic affecti erant; sed hoc est mirabile, quod rebus suis sepositis, ita nutriebant, ne ex suis, sed ex communibus ali viderentur. « Quotquot autem posses» sores agrorum vel domorum erant, vendentes afferebant » pretia eorum, quæ vendebant; et ponebant ante pedes » Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique

Act. IV, 32. — [2] Id. III, 6. — [3] Id. IV, 32, 33. — [4] Ibid. 34.

opus erat[1]. » Magnus honor, quod non in manus, sed ad pedes Apostolorum ponerent. « Joseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis, quod est interpretatum, Filius consolationis[2]. » Non videtur mihi hic ille esse, qui cum Matthia. Ille namque Joseph vocabatur Barsabas, postea vero cognominatus est Justus; hic vero Barnabas, id est, Filius consolationis, ab Apostolis cognominatus est : videturque mihi a virtute nomen accepisse, ac si ad eam rem esset aptus et idoneus. « Levites, Cyprius genere, cum » haberet agrum, vendidit eum, et attulit pretium, et posuit ante pedes Apostolorum[3]. »

II. Hic mihi observes velim quomodo ostendat solutam legem, et cur dicit : « Levites Cyprius genere! » quia demum mutata patria, Levitæ vocabantur. Sed superius dicta repetamus. « Dimissi, inquit, venerunt ad suos, et annuntiaverunt quæcumque ad eos principes sacerdotum et » senieres dixissent. » Vide quam a fastu alieni sint Apostoli, et quam philosophi. Non circumeuntes sese venditant, nec dicunt, quo pacto sacerdotes confutarint : neque narrando vanam gloriam captarunt ; sed venientes ea quæ a senioribus audierant simpliciter denuntiant. Hinc discimus ipsos non sese in tentationes injecisse ; sed eas quæ inferebantur fortiter tulisse. Alius vero quisquis fuisset, forte multitudine fretus, contumelias etiam protulisset, ac sexcenta gravia locutus esset. At non hi philosophi ; sed omnia mansuete et benigne. « Qui cum audissent, inquit, » unanimiter vocem levaverunt ad Deum. » Clamor factus est voluptate et magno affectu. Tales namque preces prosunt, quæ philosophia plenæ sunt, de talibus, a talibus, tali tempore et modo emissæ ; sicut aliæ abominabiles sunt et immundæ. Vide quomodo nihil superfluum, sed de virtute tantum ipsius loquantur : imo etiam quemadmodum Chris-

[1] Act. IV, 35. — [2] Ibid. 36. — [3] Ibid. 37.

tus dicebat Judæis : « Si autem ergo in Spiritu Dei lo-» quor ; » ita et ipsi dicunt, « Per Spiritum sanctum. » Ecce etiam Servator in Spiritu loquitur. Quid vero dicant audi. « Domine Deus, qui per os David pueri tui dixisti ; » Quare fremuerunt gentes? » Mos enim est Scripturæ de uno ut de pluribus loqui. Hoc vero significare volunt : « Non ipsi valuerunt ; sed tu totum permisisti et ad finem deduxisti : qui sagax es et sapiens, atque ipsis inimicis ad voluntatem uteris : » nam hic de illius sagacitate et sapientia loquuntur, ostendunt illos, utpote inimicos et hostes ex sanguinario proposito convenisse. Faciebant autem ea, quæ tu volebas, quæque « Manus tua et consilium tuum » decreverunt fieri. » Quid est, « Manus tua? » Hic mihi videtur manum vocare, potentiam et consilium. Sufficit, inquit, te velle. Nullus enim potentia prædefinit. Illud ergo, « Quæcumque manus tua ; » id est, quæcumque præcepisti. Vel hoc igitur dicit, vel quod manu operatus sit. Sicut ergo tunc vana meditati sunt ; sic etiam nunc ut vana illi meditentur facito. « Et da servis tuis, » id est, ne minæ eorum opere compleantur. Hæc porro dicebant, non detrectantes durum quidpiam pati, sed pro prædicatione petunt. Non enim dicunt : « Eruc nos a periculis. » Sed quid? « Et da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum. » Qui ergo illa in finem deduxisti, et hæc deduc. « Quem » unxisti, » inquit, Vide quomodo etiam in precibus passionem distinguunt, et omnia ad ipsum referunt, ipsumque fiduciæ auctorem esse dicunt. Vides-ne quomodo omnia propter Deum petant, et nihil ad gloriam suam? Quod ergo suum est promittunt, quod nempe non deterrendi sint : signa vero petunt. « In eo quod, inquiunt, ma-» num tuam extendas ad sanitates et signa et prodigia fieri. » Bene : nam absque illis, etiamsi immensam prætulissent alacritatem, frustra omnia fecissent. Annuit eorum peti-

tioni, et palam fecit locum concutiendo, se illorum precibus adesse. « Et cum orassent, inquit, motus est locus. » Quod autem ea de causa factum sit, audi Prophetam dicentem : « Qui respicit terram et facit eam tremere[1] ; » et rursum, « A facie Domini mota est terra, a facie Dei Jacob[2]. » Hoc vero facit Deus et ut majorem metum incutiat, et ut fiduciam illis indat post illas minas, et ut majorem dicendi libertatem acuat. Quia initium erat, et sensibili signo opus habebant ut persuaderentur. Post hæc autem id nunquam accidit. Multam ex oratione consolationem sunt assecuti. Jure autem signorum gratiam petunt, non alio enim modo ostendere poterant ipsum resurrexisse, nisi ex signis. Itaque non suam solum quærebant securitatem ; verumetiam ne confunderentur, sed libere loquerentur. Motus est locus, et illos magis firmavit. Hoc autem, modo signum iræ est, modo visitationis et providentiæ : nunc autem iræ. In passione vero Servatoris, stupendo modo et præter naturam factum est. Etenim omnis terra commota est. Et ipse quoque Servator dicebat : « Tunc erunt fames et pestilentiæ et terræ motus » per loca[3]. » Alioquin vero iræ contra illos signum erat : hos enim Spiritu replevit. Vide : et Apostoli post orationem Spiritu replentur : « Et gratia magna, inquit, erat in omnibus illis. » Neque enim quisquam egens erat inter illos. » Vides-ne quanta sit Spiritus virtus, ubi scilicet illa opus erat ? Hæc est enim bonorum causa, quam secundo memorat, adhortans omnes ad pecuniarum contemptum ; superius dicens : « Nec » quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dice- » bat ; » hic vero ; « Nec quisquam egens erat inter illos. »

III. Quod autem non ex signis tantum, sed etiam ex illorum proposito id factum fuerit, palam faciunt Sapphira et Ananias. Non autem verbo tantum, sed etiam virtute testimonium resurrectionis exhibuerunt, ut et Paulus ait :

[1] Psal. CIII, 33. — [2] Id. CXIII, 7. — [3] Matth. VII, 24.

« Et prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sa-»pientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus et virtutis. » Nec simpliciter virtute, sed virtute magna : et bene dicit, « Gratia erat in omnibus. » Ideo namque gratia, quia nullus erat egens; id est ex dantium alacritate nullus egenus erat. Neque enim partem largiebantur, partem recondebant : neque omnia dabant, sed quasi propria. Inæqualitatem de medio tollebant, et in abundantia multa vivebant : multoque cum honore hoc faciebant. Neque in manibus tradere audebant, neque cum fastu largiebantur : sed ad pedes afferebant, et illos dispensatores esse sinebant, dominosque reddebant; ut quasi ex communibus deinceps insumerentur, non quasi ex propriis : hinc autem fiebat ut non vana gloria extollerentur. Hoc si nunc quoque fieret, cum majore viveremus voluptate et divites et pauperes : nec majorem pauperibus, quam divitibus hoc voluptatem efferret. Et si placet, hoc sermone describamus, et hinc voluptatem decerpamus, quando operibus non vultis. Maxime autem ex illis manifestum est quæ tunc facta sunt : quia vendentes non egeni fiebant, sed et pauperes divites reddebant. Cæterum hoc nunc sermone describamus : omnes sua omnia vendant et in medium afferant, sermone dico. Nemo turbetur neque dives, neque pauper. Quantum putas auri collectum iri? Ego sane conjicio, neque enim id certo dici potest; si singuli et singulæ suas omnes hic pecunias evacuarent, si agros, possessiones, domos traderent; (servos non dixerim, neque enim tunc erant, sed fortasse liberos dimittebant,) forsan decies centena millia librarum auri congregarentur; imo et bis terve amplius. Dic enim mihi : civitas nostra quantum promiscuorum hominum numerum continet? Quot vultis esse Christianos? Vultis-ne esse centum mille? quantus nume

[1] 1 Cor. II, 4.

rus Gentilium et Judæorum? Quot millia auri congregarentur? Quantus vero est pauperum numerus? Non puto esse supra quinquaginta millia. Hos vero quotidie alere, quanta copia foret? Certe communi cibo et communi mensa ipsis apposita, non tantam puto impensam fore. Quid ergo, inquies, facturi essemus insumptis opibus? Tu ne putas posse unquam insumi? Annon millies abundantior gratia Dei esset? Annon largiter gratia Dei effunderetur? Quid vero, annon terram efficeremus cœlum? Si id in tribus millibus et quinque millibus ita refulsit, et nullus eorum de paupertate conquestus est, quanto magis in tanta multitudine? Quis etiam externorum non aliquid adjiceret? Ut autem ostendam sic distractas opes magis expendi, et paupertatis causam esse: sit domus ubi sint pueri decem, et uxor et vir: et illa quidem lanificio incumbat, ille vero de foris proventus afferat. Dic mihi an illi in communi viventes et in uno domo, an dispersi plus impendant! Palam est quod dispersi. Nam si dispergantur decem filii, decem domibus erit opus, decem famulis, cæteroque similiter proventu. Quid vero ubi servorum est multitudo! Nonne ideo omnes eamdem mensam habent, ne major fiat impensa! Nam divisio semper imminutionem parit; concordia et consensus augmentum. Sic in monasteriis nunc vivitur, ut olim fideles vivebant. Quis fame mortuus est! Quis non copioso cibo pastus est! Nunc tamen hoc magis timent homines, quam in pelagus immensum incidere. Si autem hujus rei periculum fecissemus, rem audacter aggrederemur. Quantam putas illam esse gratiam? Si enim tunc cum nullus pene esset fidelis, sed solum tria et quinque millia; cum omnes, qui in mundo erant, hostes essent; cum nusquam consolationem expectarent; tam strenue rem aggressi sunt, quanto magis nunc cum per Dei gratiam per totum orbem fideles sunt? Quis jam superesset Gentilis!

Nullus, opinor; ita omnes attraxissemus et nobis conciliassemus. Cæterum si hac via progrediamur, per Deum spero sic rem futuram esse. Obtemperate mihi tantum, et per ordinem rem bene geremus : et si Deus vitam dederit, credo fore ut cito in hanc vitæ rationem nos ingeramus.

IV. Interim legem de juramento implete ac firmiter tenete : et qui servat non servantem manifestum faciat, incuset vehementerque increpet. Præfinitum enim tempus prope est, et rei perquisitionem faciam, deprehensumque segregabo et excludam. Absit autem ne quis talis apud nos inveniatur; sed omnes accurate hoc pactum servent spirituale. Ut enim in bello ex tessera, commilitones et alii dignoscuntur; ita et nunc fiat; nam et nunc in bello sumus; ut et fratres agnoscamus. Quantum bonum erit nobis hoc signaculum et hic et aliena terra? Qualia sunt hæc arma adversus diaboli machinas? Os enim jurare nesciens, cito Deum in precibus attrahet, et gravi plaga diabolum feriet. Os jurare nesciens, nec contumeliosum erit. Ut ex domo, sic ex lingua hunc ignem ejice, et foras trahe. Da ipsi linguæ ut paulum respiret, et ulcus infirmius reddito. Etiam obsecro, ut aliam vobis disciplinam tradam : cum enim hoc nondum emendatum sit, non ausim ad aliud venire. Hoc cum diligentia a vobis corrigatur. Hujus operis sensum accipite, et tunc vobis alias inducam leges; imo non ego, sed Christus. Hoc bonum in anima vestra plantate, et paulatim paradisus Dei efficiemini, multo melior illo olim paradiso. Neque enim apud nos serpens est, neque arbor mortifera, neque aliud simile. Figite in profundo hanc consuetudinem. Hoc si fiat, non vobis tantum præsentibus proderit, sed etiam omnibus qui in orbe sunt : et non his tantum, sed et iis qui post futuri sunt. Consuetudo namque bona ingressa, et ab omnibus servata, in longa transibit tempora, et nullum ipsam tempus excin-

dere poterit. Si is qui ligna colligebat in sabbato lapidatus fuit[1], qui collectione illa longe graviora admittit, et peccatorum sarcinam colligit, (hoc enim est juramentorum frequentia,) quid non subibit? Magnum a Deo accipietis auxilium, si hoc perfeceritis. Si dicam: «Non contumelia afficias,» statim mihi furorem in medium affers. Si dicam, «Ne invideas,» aliam causam proferes. Hic vero nihil tale habes dicendum. Ideo a facilibus cœpi, quia in artibus omnibus sic fieri solet. Sic quis ad majora procedit, cum prius faciliora didicit. Scietis quam sit hoc facile, quando re per Dei gratiam perfecta, aliam acceperitis legem. Date mihi loquendi fiduciam, et coram Gentilibus et coram Judæis, et, quod ante omnia est, coram Deo. Etiam obsecro per charitatem, per dolorem partus, quo vos parturivi. «Filioli mei,» quod sequitur non addam, «Quos iterum »parturio,» neque dicam, «Donec formetur Christus in »vobis[2].» Credo enim Christum in vobis formatum esse. Sed alia vobis dicam: «Fratres mei dilecti et desiderati, »gaudium et corona mea[3].» Credite mihi me non aliter dicturum esse. Si quis mille coronas regias gemmis ornatas capiti meo nunc imponeret, non ita gauderem, ut gaudeo in profectu vestro: imo nec ipsum imperatorem ita gaudere puto, ut ego de vobis gaudeo. Quid dico? Si omnibus adversis gentibus expugnatis victor rediret, ac præter solitam coronam, alias acciperet coronas et diademata victoriæ symbola, non puto illum de tropæis ita gravisurum esse, ut ego de profectu vestro gaudeo. Nam ita exulto ac si mille coronas capite gestarem, ac jure merito. Nam si per Dei gratiam hunc morem assequamini, sexcentos hostes superastis, illis longe gravieres, qui contra malos dæmonas et feroces pugnaveritis, non gladio, sed lingua et proposito. Videte namque quam bene rem gesseritis, si

[1] Num. xv, 35. — [2] Gal. iv, 19. — [3] 1 Thes. ii, 26.

hoc perficiatis. Primo gravem consuetudinem excidistis; secundo malam cogitationem, unde omnia mala, nempe quod putetis rem esse indifferentem nec noxiam; tertio, furorem, quarto avaritiam: hæc quippe omnia gignit juramentum. Imo ex hoc ad alia bona opera magnam occasionem accipietis. Nam sicut illi, qui elementa puerilia discunt, non illa sola discunt, sed per illa paulatim ad legendum instituuntur; sic et vobis accidet; non ultra vos decipiet mala cogitatio, neque dicetis rem esse indifferentem, non ultra ex consuetudine loquemini: sed adversus omnia fortiter stabitis, ut per omnia virtutem secundum Deum nacti, æternis bonis fruamini, gratia et benignitate unigeniti Filii ejus, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XII.

CAPUT IV.

Joseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis, (quod est interpretatum, Filius consolationis,) Levites, Cyprius genere, cum haberet agrum, vendidit eum, et attulit pretium, et posuit ante pedes Apostolorum[1].

I. Narraturus de Anania et Sapphira, ut ostendat illum in maximum peccatum incidisse, prius memorat eum qui recte se gesserat. Quia cum tantus esset numerus eorum, qui ita fecerant, tanta gratia, tanta signa, a

[1] Act. IV, 36, 37.

nullo horum emendatus, sed semel ab avaritia excæcatus, perniciem capiti suo attraxit. « Cum haberet agrum; » sic inquit, ut ostenderet hunc solum ipsi fuisse; « Vendi- » dit et attulit pretium, et posuit ante pedes Apostolorum. » Vir autem quidam nomine Ananias, cum Sapphira » uxore sua, vendidit possessionem, et fraudavit de pretio, » conscia uxore sua : et afferens partem quamdam, ad » pedes Apostolorum posuit[1]. » Illud grave erat, quod » mutuo consensu hoc facerent peccatum, nullo alio conscio. Unde subiit misero hoc facere? « Dixit autem Petrus : » Anania, cur implevit Satanas cor tuum, mentiri te Spi- » rituisancto, et fraudare de pretio agri[2]? » Vide etiam nunc signum magnum, multoque majus priore. « Nonne » manens tibi manebat, et venumdatum in tua erat potes- » tate[3]? » Hoc est, an necessitas et violentia quædam erat? Num vos invitos trahimus? « Quare posuisti in corde tuo » hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Au- » diens autem Ananias hæc verba, cecidit et expiravit[4]. » Vides-ne unde majus signum hoc? Quod occidat, quod ea, quæ in mente et quæ clam facta sunt, noscat. « Et » factus est timor magnus super omnes qui audierunt. » Surgentes autem juvenes, amoverunt eum, et efferentes » sepelierunt. Factum est autem quasi trium horarum » spatium, et uxor ipsius, nesciens quod factum fuerat, » introivit. Dixit autem ei Petrus : Dic mihi, si tanti agrum vendidistis[5]? » Hanc volebat servare. Ille namque dux fuerat peccati : et ideo fortasse dat illi tempus ad defensionem, et pœnitentiæ facultatem. Ideo dicit : « Dic » mihi si tanti agrum vendidistis? At illa dixit : Etiam, » tanti. Petrus autem ad eam : Quid utique convenit vobis » tentare Spiritum sanctum? Ecce pedes eorum, qui se- » pelierunt virum tuum ad ostium, et efferent te. Cecidit

[1] Act. v, 1, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 5. — [5] Ibid. 6-8.

» autem statim ad pedes ejus et expiravit. Intrantes au » tem juvenes invenerunt illam mortuam, et elatam sepe- » lierunt juxta virum suum. Et factus est timor magnus in » universa Ecclesia, et super omnes qui audierunt hæc[1]. » Post timorem illum, plura signa fecerunt : et quod fece- rint, audi. « Per manus autem Apostolorum fiebant signa » et prodigia multa in plebe. Et erant unanimiter omnes » in porticu Salamonis. Cæterorum autem nemo audebat » se conjungere illis; sed magnificabat eos populus[2]. » Jure; Petrus enim jam terribilis erat, puniens, et quæ in mente erant redarguens. Cui magis hærebant, et propter signum, et propter priorem concionem, ac secundam tertiamque. Ipse namque et primum signum fecerat, et secundum, et hoc etiam, quod videtur mihi, non unum, sed duplex esse; unum quidem, ea quæ in mente erant redarguere; secundum autem, jussu occidere. « Magis » autem augebatur, inquit, credentium in Domino multi- » tudo virorum ac mulierum; ita ut in plateas ejicerent » infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente » Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illo- » rum[3]. » Hoc in Christo non factum est; unde videre est nunc opere completum id quod ille dixerat. Quodnam? « Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et » majora horum faciet[4]. Concurrebat autem et multitudo » vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros et vexa- » tos a spiritibus immundis, qui curabantur omnes[5]. » Tu vero mihi considera quomodo tota vita illis ex contrariis contexatur. Mœror primus fuit assumptio Christi; deinde lætitia per Spiritus descensum; rursus mœror ob irriso- res; deinde lætitia ex fidelibus et ex signo. Iterum mœror quod apprehenderentur; hinc lætitia per apologiam

[1] Act. v, 9-11. — [2] Ibid. 12, 13. — [3] Ibid. 14, 15. — [4] Joan. xiv, 12. — [5] Act. v, 16.

suam. Rursum hic lætitia et mœror; nam quod conspicui essent et Dei revelationibus fruerentur, lætitia erat; quod vero etiam suos occiderent, mœstitia. Iterum lætitia ex splendore, iterumque mœror a principe sacerdotum : et hoc ubique considerando videre possumus; id quod etiam apud veteres invenire est. Verum jam supra dicta repetamus. « Vendebant, inquit, et afferebant pretia, et ponebant ante pedes Apostolorum. » Vide, dilecte, quomodo non permitterent Apostolos vendere; sed ipsi venderent, et illis pretia darent. At non sic Ananias : sed subtrahit aliquid de pretio agri, quem vendiderat; ideoque punitur, utpote qui rem non bene gereret, et sua furari deprehenderetur. Hic perstringuntur sacerdotes, et quidem vehementer. Quia vero uxor ejus rei conscia erat; ideo illam quoque examinat.

II. At dixerit fortasse quispiam acerbissime cum illa actum esse. Quid, quæso, dicis? Quæ acerbitas? Si is qui ligna collegit in sabbato lapidatur[1], multo magis qui sacra diripit. Etenim pecuniæ illæ jam sacræ erant. Itaque qui voluit sua vendere et dare, deindeque subripit, sacrilegus certe fuerit. Si vero is, qui ex suis subripit, sacrilegus est, multo magis is qui ex alienis. Ne putetis enim, quia jam non ita fit, nec statim sequitur ultio, hæc impune fore. Vides-ne hoc in crimen vocari, quod cum illas pecunias sacras fecisset, de illis subripiat? Annon, inquit, poteras, illis venditis, ut propriis uti? Num prohibitus es? Cur subripis postquam promisisti? Vide quomodo statim a principio sese immittat diabolus inter signa et miracula tanta; imo quomodo hic ab illo excæcatus sit. Tale quidpiam et in veteri lege factum est, quando Charmi anathema furatus deprehensus est[2] : attamen nosti quanta ultio de facinore sumpta sit. Sacrorum enim expilatio ad-

[1] Num. xv, 35. — [2] Josuë. vii, 2.

modum gravis est, dilecte, et magno contemptu plena. Neque vendere coëgimus, neque pecunias ex venditis acceptas dare. Tu id ex proposito tuo fecisti. Cur ergo ex sacris pecuniis furatus es? « Cur implevit, inquit, Satanas »cor tuum? » Et si Satanas hoc fecit, cur illi imputatur. In causa est, quia ejus operationem accepit, et ita impletus est. At oportebat, inquies, corrigere: sed non correctus fuisset; nam qui talia viderat, nullumque inde lucrum tulerat, multo minus poterat alio modo lucrum accipere: « Non oportuit ergo rem prætermittere; » sed quasi saniem quamdam excindi, ne reliquum corpus inficeret. Nunc enim et hic utilitatem accipit, ne ulterius in malitia progrediatur, et alii magis studiosi reddantur. Alioquin autem contrarium accidisset. Ideo primum redarguit et ostendit rem se non latuisse; tuncque condemnat illum. « Cur enim, inquit, hoc fecisti? » habere voluisti? a principio retinere oportuit, et non promittere. Nunc autem postquam consecraveras subripiens, majus sacrilegium admisisti. Nam qui aliena rapit, forte ex alienarum rerum cupiditate rapit: tibi vero licebat tua habere. Cur ergo illa sacra reddidisti, et postea rapuisti? Ex magno contemptu id fecisti. Facinus veniam non habet, excusatione caret. Nemini autem offendiculo sit, si qui jam sint sacrorum expilatores. Nam si tunc fuerunt, multo magis nunc, cum multa sunt mala. Sed reprehendamus illos coram omnibus, ut et cæteri metum habeant. Judas sacrilegus erat; verum id Discipulis non offendiculo fuit. Vides-ne quanta mala pecuniarum cupiditas pariat? « Et factus est, inquit, timor magnus super omnes qui »hæc audierunt. » Ille punitus est, et alii lucrati sunt. Itaque non sine causa ita dispensatum est: etsi alia signa prius facta fuerant, attamen non talis erat metus. Sic ve-

rum est illud : « Cognoscetur Dominus judicia faciens[1]. » Sic et in arca factum est, Ozan punitus est[2] et hinc timor aliis. Sed illic quidem metuens rex, arcam amovit; hic autem alii attentiores facti sunt. Vides quomodo non vocavit illam Petrus; sed expectavit donec intraret : neque alius quispiam ausus est annuntiare quod acciderat. Hoc magistri timor erat, honor Discipulorum et obedientia. « Trium horarum spatium : » neque didicit uxor, nec quis præsentium nuntiavit, quamvis ad divulgandum sat temporis esset. Verum timebant. Hoc etiam admirans scriptor ait : « Nesciens quod factum fuerat, introivit. » Atqui hinc discere licebat ipsum novisse ea quæ occulta erant : cur enim qui neminem interrogaverat, vos interrogat? annon, ut liquet, quia sciebat? Sed nimia cæcitas non permisit illam crimen deponere : sed cum audacia multa respondet. Putabat enim se cum homine loqui. Hoc grave erat quod uno consilio et quasi ex pacto peccatum admisissent. « Quid utique convenit vobis, inquit, tentare » Spiritum sanctum. Ecce pedes eorum, qui sepefierunt » virum tuum, ad ostium, et efferent te[3]. » Prius illam docet quod peccaverit, et tunc ostendit illam juste quæ vir passus erat passuram esse, quia perinde peccaverat. Et quomodo, inquies, « Confestim cecidit ante pedes » ejus, et expiravit? » Quia prope astabat. Sic illi in se ipsos ultionem attraxerunt. Quis demum non obstupuisset? Quis Apostolum non timuisset? Quis non miratus esset? « Et erant, inquit, unanimiter omnes in porticu » Salomonis. » Hic palam est illos non in domo quapiam, sed in templo versatos esse. Neque ultra cavebant sibi ne immunda contingerent, sed sine scrupulo mortuos tangebant. Et vide quomodo erga suos severi sint, erga alios autem potestate non utantur. « Magis autem, inquit, au-

[1] Psal. IX, 16. — [2] 2 Reg. VI, 7. — [3] Act. V, 9.

» gebatur credentium in Domino multitudo virorum et mu-
» lierum; ita ut in plateis ponerent infirmos in lectulis ac
» grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius adum-
» braret quemquam illorum[1]. »

III. Magna accedentium fides, et major quam sub ipso Christo. Unde autem hoc factum est? Quia Christus hoc præmuntiarat et dixerat. « Qui credit in me, opera, quæ
» ego facio, faciet, et majora faciet[2]. » Manentibus autem illis istic, ne circumeuntibus, omnes afferebant in lectulis et grabatis quos habebant infirmos, et undique illis conflectebat miraculum, a credentibus, a sanatis, ab eo qui plenus fuerat, a fiducia quam erga illos habebant, a virtute eorum, qui non utcumque credebant. Neque enim quod fiebat, signis tantum constabat. Nam etsi illi modeste loquentes totum ipsi imputent dicentes in nomine Christi se hæc facere; sed vita quoque et virtus virorum hoc fecit. Pœpende autem quomodo hic numerum credentium non afferat: auditori relinquens ut id ex se conjectet. Sic ad immensam multitudinem fides extendebatur: hinc et resurrectio magis prædicabatur. « Nemo autem audebat se
» conjungere illis, sed magnificabat eos populus. » Sic ait, ostendens illos jam non contemptui fuisse, ut prius erant: ac brevi tempore unoque momento hæc a piscatore et privato homine facta fuisse. Cœlum itaque jam erat terra ex vivendi ratione, dicendi libertate, miraculis, cæterisque omnibus: ac velut Angeli admirationi erant: ad nihil se convertentes, non ad risum, non ad minas, non ad pericula. Non ea solum de causa, sed etiam quod admodum humani essent, et sollicite curarent: alios pecunia, alios corporali curatione juvabant. « Cur implevit Satanas cor
» tuum? » Fere sese purgat Petrus illum puniturus, et alios erudit. Quia enim futurum erat ut hoc valde durum ap-

[1] Act. v, 14, 15. — [2] Joan XIV, 12.

pareret, ideo in illum et in uxorem tremendum exercet judicium. Si autem ambos, qui irremissibiliter peccaverant, non tali affecisset pœna, quantus hinc Dei contemptus futurus erat? Quod autem ideo sic factum sit, liquet ex eo quod non statim ad ultionem venerit, sed primo peccatum ostendat. Unde nemo ingemuit, nemo ejulavit; sed omnes exterriti sunt. Jure autem, quia fides illorum augebatur, et signa plura edebantur, ingens apud suos metus erat; quia non sic externa nos turbant ut domestica. Si ergo simus mutuo conjuncti, nemo nobis bellum inferet; sin contra dissideamus, omnes nos invadent. Hinc illi cum fiducia et libertate, in forum, et in medium inimicorum se conferebant et prævalebant: implebaturque dictum illud: « Dominare in medio inimicorum tuorum[1]. » Hoc majoris erat virtutis indicium, quod detenti, vincti, talia facerent. Si ergo ii, qui mentiti fuerant, talia passi sunt, quid non patientur ii qui pejerant? Imo si mulier, quod dixerit, « Etiam tanti, » ejusmodi pœnas dedit, nec effugit; cogitate quo sitis vos supplicio digni, qui juratis et pejeratis? E re fuerit hodie ex veteri lege perjurii gravitatem ostendere. « Falx, inquit, volans erat, lata decem cubitis[2]. » Volatus celerrimum supplicii juramenta sequentis adventum significat. Quod autem decem cubitorum sit latitudine et longitudine, vehementiam et magnitudinem malorum indicat. Quod autem ex cœlo volet, signum est sententiam ex cœlesti tribunali ferri; quod in modum falcis, inevitabile supplicium ostendit. Sicut enim falx in collum immissa, non retrahitur, sed manet etiam abscissa cervice; sic et ultio jurantes invadens, terribilis est; nec desinit, nisi prius quod suum erat perfecerit. Quod si jurantes effugerimus, ne confidamus; nam in malum nostrum hoc vertitur. Quid enim putatis? Quot sunt qui

[1] Psal. cix, 2. — [2] Zach. v, 2.

eadem quæ Ananias et Sapphira sunt ausi, nec eadem passi sunt? Et quomodo, inquies, passi non sunt? Non quod hoc illis condonatum sit; sed quod majori reserventur supplicio.

IV. Itaque qui frequenter peccant, magis timeant oportet si non puniantur, quam si puniantur: nam ex dilatione et ex patientia Dei eorum augetur supplicium. Ne hoc itaque spectemus si non puniamur; sed si non peccemus. Si vero peccantes non puniamur, magis tremendum nobis est. Dic mihi: si servum haberes, cui minas intentares tantum, nec verberares illum; quando magis timebit, quando fugiet et abscedet? Nonne cum minas tantum intentabis? Unde nos mutuo monemus, ne frequentius comminemur, ut ne sic timore animum concutiamus; neve sic magis laniemus eum, quam plagis. Alioquin vero, illic temporanea plaga est, hic perpetua. Ne itaque respicias an nunc quispiam illam falcem experiatur; sed cogita num talia faciat. Quoniam multa nunc fiunt, quæ in diluvio; et tamen diluvium non accidit. Gehenna et supplicium comminando solum intentatur. Multi eadem admittunt peccata quæ Sodomitæ; et ignis pluvia non cadit: igneus quippe fluvius paratus est. Multi eadem quæ Pharao sunt ausi: sed non eadem passi sunt quæ Pharao, neque submersi sunt in mare Rubrum: expectat enim illos pelagus abyssi: ubi non absque sensu pœna, nec sufföcari licet; sed diuturno cruciatu, sartaginum ardore et strangulatione consumi. Multi eadem quæ Israëlitæ sunt ausi; sed non devorarunt illos serpentes: manet enim illos vermis ille immortalis. Multi ea quæ Giezi ausi sunt, nec sunt lepra percussi: manet enim illos pro lepra, quod dissecentur et ponantur cum hypocritis. Multi etiam jurarunt ac pejerarunt. Si autem effugerunt, ne confidamus: manet enim illos stridor dentium. Et fortassis etiam hic patientur, et

non effugient. Etiamsi non e vestigio, sed in aliis peccatis, ut gravior sit pœna. Quia et nos sæpe sumpta occasione a minoribus, etiam pro magnis totum evacuamus. Itaque si quando videris tibi aliquid accidere, memor esto illius peccati tui. Hoc etiam in filiis Jacob accidit. Meministis fratrum Josephi : vendiderant fratrem, occidere tentaverant; imo quantum in ipsis erat occiderant, deceperant, sinem contristaverant; nihil passi erant mali. Itaque post multos annos de extremis periclitati sunt, et peccati hujus tunc recordantur. Quod autem non conjectura sit quod dico : audi illos dicentes : « Etiam : in peccato enim sumus » in fratrem nostrum[1]. » Sic et tu, cum tibi quidpiam contigerit, dic : « Etiam, in peccato sumus, quia Christum non audivimus, quia juravimus, juramenta frequentia et perjuria in caput meum inciderunt. » Itaque confitere : nam et illi confessi salutem consecuti sunt. Quid enim si non repente ultio invadit? Quandoquidem Achab propter Nabuthæ non statim post peccatum plexus fuit[2]. Cur vero sic res agitur? Dat tibi Deus præscriptum tempus, ut abluaris; si perseveres, pœnam demum inducit. Vidistis quid passi sint mendaces? Cogitate quid passuri sint perjuri; cogitate, et desistite. Non potest qui jurat non pejerare, velit nolit. Non potest perjurus salutem consequi. Sufficit unum perjurium ut totum perficiat, et totum nobis supplicium inducat. Ideo nobis ipsis, quæso, attendamus; ut pœnam hujus peccati effugientes misericordia Dei dignemur, gratia et miserationibus unigeniti ejus Filii, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Gen. XLII, 21. — [2] 3 Reg. XXI, 29.

HOMILIA XIII.

CAPUT V.

Exurgens autem princeps sacerdotum, et omnes qui cum illo erant, quæ est hæresis Sadducæorum, repleti sunt zelo, et injecerunt manus in Apostolos, et posuerunt eos in custodia publica[1].

I. Nihil impudentius audaciusque malitia[2]. Illorum experti fortitudinem ex iis, quæ prius attentarant, attamen denuo aggrediuntur et iterum insurgunt. Quid sibi vult illud, « Exurgens princeps sacerdotum, et omnes qui cum « illo erant? » Excitatus est, inquit, iis quæ acciderant commotus : « Et injecerunt manus in Apostolos, et posue- » runt eos in custodia publica. » Nunc vehementius illos insectantur; nec statim de illis judicant, sperantes illos mansuetiores fore. Et undenam liquet illos vehementius insectatos esse? Ex eo quod posuerint illos in custodia publica. Rursus incidunt in pericula, et rursus Dei gratiam experiuntur; et quomodo, audi sequentia. « Angelus autem » Domini per noctem aperuit januas carceris, et educens » eos, dixit : Ite, et stantes loquimini in templo plebi omnia » verba vitæ hujus[3]. » Hoc et in illorum consolationem, et in horum utilitatem ac doctrinam factum est. Et vide : quod in Christo, id etiam nunc evenit. Patrata enim miracula non sinit eos videre; sed aliqua apparat ex quibus hoc ediscant. Ut in resurrectione sua, non permisit eos

[1] Act. v, 17, 18. — [2] Vide D. Guillon, tom. xv, p. 89-94. — [3] Act. v, 19, 20.

videre, quomodo resurrexerit; indigni enim erant qui hanc viderent; sed ostendit ex iis quæ tunc fecit. Similiter cum aquam in vinum mutavit, qui discumbebant non vident, utpote ebrii : judiciumque aliis permittit. Sic et nunc factum est. Nam illos qui educebantur non vident; indicia vero ex quibus poterant res gestas ediscere viderunt. Cur per noctem emisit illos. Quia illo magis quam alio modo fides illis habenda erat. Alioquin non illi ad interrogandum venissent, vel alio modo etiam, ipsi non credidissent. Sic et apud veteres accidit, ut Nabuchodonosori. vidit laudantes Deum pueros in camino ignis[1], et tunc obstupefactus est. Cum oportuisset ergo primum interrogare : « Quomodo egressi estis? » illi, quasi nihil factum esset interrogant dicentes : « Nonne præcipiendo præcepi» mus vobis ne loquamini. » Et vide quomodo per alios omnia discant. Vident enim clausum carcerem, et custodes stantes ante januas. « Qui cum audissent, intraverunt » diluculo in templum, et docebant. Adveniens autem prin» ceps sacerdotum et qui cum eo erant, convocaverunt » concilium, et omnes seniores filiorum Israël, et miserunt » ad carcerem ut adducerentur. Cum autem venissent mi» nistri, et aperto carcere non invenissent illos, reversi » nuntiaverunt, dicentes : Carcerem quidem invenimus » clausum cum omni diligentia, et custodes stantes ante » januas : aperientes autem neminem intus invenimus[2]. » Duplex securitas ut in sepulcro, signaculum et homines. Vide quam essent Deo inimici. Hæccine humana erant, dic mihi, quæ circa illos facta sunt? Quis illos eduxit, januis clausis? Quomodo exierunt, custodibus ante fores stantibus? Vere furentium et ebriorum verba sunt. Quos non detinuerunt carcer et vincula foresque clausæ, hosce sperabant se posse superare, insipientium puerulorum more

[1] Dan. III, 29. — [2] Act. V, 21-23.

affecti. Ministri porro eorum ideo adsunt et factum confitentur; ut omnem illis excludant excusationis ansam. Videsne miracula diversa, alia aliis adjecta; quædam ab illis facta, quædam pro illis, quæ etiam clariora erant? Bene factum quod non statim ipsis nuntiatum sit; sed prius anxii fuerint, ut internoscentes divinam esse virtutem, sic omnia discant. « Ut autem audierunt hos sermones magis-» tratus templi et principes sacerdotum, ambigebant de » illis quidnam fieret. Adveniens autem quidam nuntiavit » eis : Ecce viri, quos posuistis in carcerem, sunt in templo » stantes et docentes populum. Tunc abiit magistratus cum » ministris, et adduxit illos sine vi : timebant enim popu-» lum, ne lapidarentur[1]. » O insipientiam! Timebant, inquit, turbam. Quid proderat turba? cum oportuisset Deum timere, qui semper illos tanquam volucres ex manibus ipsorum eripiebat, illi vero potius turbam metuebant. « Princeps autem sacerdotum interrogavit eos dicens. » Nonne præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in » nomine isto? et ecce repletis Jerusalem doctrina vestra : » et vultis inducere super nos sanguinem hominis istius[2]. » Quid igitur Apostoli? iterum cum mansuetudine alloquuntur eos, tametsi dicere poterant : « Quinam estis vos, qui contraria Deo præcipitis? » Sed quid! rursum monentes et consilium dantes cum mansuetudine respondent. « Res-» pondens autem Petrus et Apostoli dixerunt : Obedire » oportet Deo magis quam hominibus[3]. » Magna hujusmodi philosophia, qua ostendunt illos cum Deo pugnare. « Deus » patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interc-» mistis suspendentes in ligno. Hunc principem et Salvato-» rem exaltavit Deus dextera sua, ad dandam pœnitentiam » Israëli et remissionem peccatorum[4]. » Eum, inquit, quem vos occidistis, Deus suscitavit. Et vide : Patri rursus to-

[1] Act. v, 24-26. — [2] Ibid. 27, 28. — [3] Ibid. 29. — [4] Ibid. 30, 31.

tum ascribunt, ne videretur esse alienus a Patre. « Et exal-» tavit, inquit, dextera sua : » hoc vero non solum resurrectionem; sed etiam exaltationem, id est, assumptionem, significat : « Ad dandam pœnitentiam Israëli. »

II. Vide rursus lucrum, et defensionis more doctrinam perfectam. « Et nos sumus ejus testes horum verborum. » Magna dicendi libertas. Deinde ad dictorum fidem adjicit : « Et Spiritus sanctus, quem dedit Deus obedientibus sibi[1]. » Vides quomodo non suo tantum, sed etiam Spiritus testimonio utantur? Nec dixerunt; « Quem dedit nobis; » sed, « Obedientibus : » simul modeste agentes, et magnum illum esse monstrantes, declarantesque quod et ipsi possint illum accipere. Vide quomodo et operibus et verbis erudiantur, nec attendant; ut justa eorum damnatio sit. Ideo enim illos Deus sinebat in judicium adduci, ut illi erudirentur, siquidem discere voluissent; et Apostoli ad fiduciam concitarentur. « Hæc cum audissent, dissecabantur, et cogitabant » interficere illos[2]. » Vide ingentem nequitiam. Cum oportuisset ex iis quæ audierant deterreri, dissecantur illi, et de occidendis viris frustra consultant. Sed necesse est superius lecta repetere. « Angelus autem Domini per noctem » aperiens januas carceris et educens eos dixit : Ite et stan-» tes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus[3]. » Educens : » non ille educit eos, sed dimittit; ut hinc ostendatur imperterritus illorum animus; quem ipsi exhibuerunt, cum noctu in templum ingressi docebant. Quod si illos ejecissent custodes, ut illi putabant, fugissent Apostoli, si tamen obtemperassent; imo si illos emisissent, non in templo stetissent; sed fugam fecissent, quod nemo non videat, nisi insipiens sit. « Nonne præcipiendo præcepimus » vobis. » Si utique illi vobis obtemperaverint, recte arguitis; sin tunc dixerint vobis se non obtemperaturos esse,

[1] Act. v, 32. — [2] Ibid. 33. — [3] Ibid. 19, 20.

frustra arguitis : frustra præcipitis. Vide criminum inconsequentiam, et ingentem stultitiam : sanguinarium demum volunt ostendere Judæorum animum; et quod ipsi non veritatis causa hæc agant, sed ut se ulciscantur. Ideo non audacter ipsis respondent Apostoli : doctores enim erant. Etsi quis cum civitatem totam commovisset, et tanta fultus esset gratia, non magnum quidpiam locutus esset? At non id fecerunt illi; non enim irascebantur, sed miserabantur et lacrymabantur illos; sed deliberabant quomodo illos ab errore et ira revocarent. Non ultra dicunt illis, « Vos judicate; » sed ita sententiam ferunt, « Quem Deus » suscitavit. » Hinc declarantes, hæc ex sententia Dei facta esse. Non dixerunt : « Annon tunc diximus vobis; « Non pos- » sumus quæ vidimus et audivimus non loqui[1]? » non enim contentiosi erant; sed rursus eadem dicunt; crucem nempe, resurrectionem. Neque referunt cur, nec quod pro nobis crucifixus sit : sed subindicant quidem, nec manifeste loquuntur, ut illos interim deterreant. Quænam hic rhetorica? Nulla. Ita sine apparatu Evangelium vitæ prædicabant. Ubi dixit, « Exaltavit; » addidit qua de causa : « Ad dandam » pœnitentiam Israëli, et remissionem peccatorum. » At dicent : « Hæc tunc probabilia non videbantur. » Quid dicis? Quomodo non probabilia illa, quibus nec principes nec multitudo contradicere poterant? Sed aliorum quidem ora obturabantur, alii autem docebantur. « Et nos sumus, in- » quit, testes horum verborum. » Quorum? quod remissionem, quod pœnitentiam promiserit. Nam resurrectio in confesso demum erat. Quod vero det remissionem, et nos testes sumus et Spiritus sanctus : qui non venisset, nisi peccata ante soluta fuissent. Argumentum itaque indubitatum hoc est. Peccatorum remissionem audis, miser, et quod pœnas non repetat, et vis occidere? Et quantæ

[1] Act. IV, 20.

Hoc nequitiæ non fuerit? Atqui oportebat vel mentientes redarguere; vel si nollent credere, non occidere. Quid enim morte dignum erat? At illi præ furore, ne quidem sciebant quid factum esset. Vide quomodo hic facinus memorantes; de remissione loquantur: ostendentes facinora quidem morte digna esse, remissionem vero quasi beneficis dari. Quomodo aliter persuaderi poterant, quam docendo illos sic bene acturos esse? Et vide malignitatem: Sadducæos illis inducunt, qui maxime de resurrectione dolebant; sed nihil illis malitia profuit. Verum fortasse dicet quispiam: «Ecquis talibus fruens, qualibus Apostoli bonis, non magnus factus esset?» At vide quomodo antequam gratia fruerentur perseverantes unanimiter erant in oratione et in superna gratia sperantes. Et tu, dilecte, regnum cœlorum speras, et nihil sustines? Et tu Spiritum accepisti; nec talia pateris, neque periclitaris? Illi prius quam a prioribus respirarent, rursus ab alia ducebantur. Illud autem ipsum non inflari, nec vana gloria affici, quantum est bonum? Cum mansuetudine loqui, quantum est lucrum? Neque enim omnia gratiæ erant; sed illorum quoque studii indicia multa sunt. Nam quod gratiæ dona in illis splenderent, eorum curæ et diligentiæ erat.

III. Vide namque statim a principio quam sollicitus sit Petrus, quam vigil et sobrius; quomodo credentes pecunias abjiciebant, nihil proprium habebant, in oratione versabantur, concordiam exhibebant, in jejuniis agebant. Hæc ex qua gratia, quæso? Ideo id efficit ut per ministros suos redarguantur; qui etiam, ut apud Christum missi dicebant: « Nunquam homo sic locutus est, sicut hic homo[1]; » annuntiaverunt reversi quæ viderant. Tu autem mihi hic considera illorum mansuetudinem, quomodo cedunt; necnon fictam principis sacerdotum mentem. Mansuete enim

[1] Joan. VII, 46.

illis loquitur, utpote timens; et prohibere magis volebat, quam occidere, quia id non poterat. Atque ut omnes moveat, ac de extremis periclitari suadebat: « Vultis, inquit, » inducere super nos sanguinem hominis illius? » Adhuc homo tibi videtur esse? Ita dixit ostendens hoc præceptum et jussum sibi ipsis necessarium esse. Sed vide quid Petrus dicat: « Hunc principem et Salvatorem Deus exaltavit » dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israëli, et remissio- » nem peccatorum. » Hic non meminit gentium, ut ne ansam daret. « Et volebant, inquit, occidere illos. » Vide rursum hos in angustia et dolore; illos vero in quiete, lætitia et voluptate. Non simpliciter illi dolebant; « Sed dissecabantur. Hoc est illud, male pati, male facere : » ut nunc videre est. Hi in carcere erant, judicio sistebantur; et judices in angustia erant, consilii prorsus expertes. Sicut enim is, qui adamantem percutit, ipse plagam excipit; ita et his accidit. At videbant non modo ipsorum fiduciam non præpediri, sed prædicationem magis augeri: illosque sine metu loqui, nullamque præbere ansam. Hos imitemur et nos, dilecti, et in adversis imperterriti simus. Nihil grave est ei qui timet Deum, sed non timentibus cum gravia instant. Nam qui per virtutem animi motus superat; cum præsentia velut umbram prætercurrat, quid mali ab aliquo patiatur? Quid timebit? et cur gravia illa esse putabit? Ergo confugiamus ad hanc inconcussam petram. Si quis nobis urbem construeret, et murum circum poneret, imo si nos transferret in terram, ubi nemo turbaret, et rerum copiam suppeditaret; ut nullum esset cum aliquo negotium, non in tanta nos securitate constitueret, in quanta nunc Christus. Esto, si placet, civitas ærea, valido circum muro munita et inexpugnabili : nullus illi sit hostis, terram habeat pinguem et uberem : adsit quoque aliarum rerum copia; sint cives mansueti et mites : nullus ibi vir

malignus appareat, non fur, non expilator, non sycophanta, non forum judiciale: sed pacta simpliciter: et hanc habitemus civitatem; neque sic tamen secure viveremus. Quare? Quia necessarium esset, cum servis, cum uxore et cum filiis altercari, multique mœroris esset occasio. Hic vero nihil hujusmodi: nihil quippe erat quod vel mœrorem vel dolorem afferret. Sed quod mirum est, ea ipsa quæ videntur nobis mœrorem afferre, causa omnis lætitiæ et gaudii erant. Dic enim mihi, cur mœsti fuissent illi? quid ægre tulissent? Vis quempiam in medium afferamus? Si quis vir consularis, magnis instructus opibus, in urbe imperatoria vitam agens, negotium cum nullo habeat, deliciis det operam, et huic uni rei incumbat, in culmine divitiarum, honoris et potentiæ positus: opponamus autem illi Petrum, si placet, in vinculis et innumeris malis degentem; et hunc potius inveniemus deliciantem. Cum enim tanta sit gaudii copia, ut in vinculis etiam delectetur, cogita quanta sit gaudii magnitudo. Sicut enim ii, qui magnum possident magistratum, si quid mali accidat non sentiunt, sed in gaudio perseverant, sic et isti propter hæc maxime gaudebant. Non potest enim, non utique potest sermone explicari voluptas eorum, qui propter Christum grave quidpiam patiuntur: nam multo magis gaudent in malis, quam in bonis. Hoc quod dico novit quisquis Christum diligit. Sed quid? An securitatis causa hæc mala fugere debebant? Et quis, quæso, innumeris instructus opibus, cum tot gentibus versans, tot pericula effugere potuerit, si de reipublicæ mutatione agatur? Hi autem quasi ex jussu regio omnia perficiebant; imo et multo facilius. Neque enim jussus regius illa valet efficere quæ ipsorum verba operabantur, jussus quippe regius ex necessitate cogit; hi vero spontaneos, libentes, et mille gratias referentes ducebant. Quis jussus regius opes

omnes ipsamque animam relinquere suasisset, domum contemnere, patriam, cognatos, ipsamque salutem? Sed id potuere piscatorum et pellionum voces; ita ut in voluptate degentes, potentiores et fortiores omnibus essent. Etiam, inquies, quia signa edebant. At qui credebant quæ signa faciebant, illa nempe, tria millia et quinque millia hominum, qui tamen in exultatione multa degebant? Et jure quidem: nam omnium causa mœrorum, pecuniarum nempe possessio, sublata erat. Illa namque bellorum, contentionum, mœroris omniumque malorum causa erat, quæ vitam laboriosam molestamque reddebat: longeque plures mœstos reperias divites, quam pauperes. Quod si quibusdam non videatur ita esse, non ex rerum natura, sed ex eorum opinione sic se res habet. Quod si quid habeant divites voluptatis, nihil mirum. Nam et qui scabie pleni sunt, in magna sunt voluptate. Quod autem ab illis nihil differant divites, sed eodem sint animo, hinc palam est. Illos curæ atterunt; et tamen volunt illis detineri ob temporaneam voluptatem. Qui autem sunt a curis liberi, in sanitate mœrori vacue degunt.

IV. Quid dulcius, quæso, quid tutius, de uno pane et de veste sollicitum esse, an de mille servis et liberis, ac de se ipso nihil curare? Quemadmodum enim hic pro se ipso timet; ita et tu pro iis, qui ex capite tuo pendent. Et cur paupertas fugienda videtur, inquies? Quia alia quoque bona multi aversantur, non quod fugienda, sed quod actu difficilia sint. Igitur paupertas non fugienda, sed exercitio difficilis est. Itaque si quis illam ferre posset, haud fugienda videretur. Cur enim illam non aversantur Apostoli? cur illam multi eligunt, nec modo illam non aversantur, sed ad illam accurrunt? Quod enim vere fugiendum est, nonnisi insanis optandum videtur. Si autem philosophi inter homines sublimes, ad hanc quasi ad locum tutum et

sanum veniunt, nihil mirum est si alii secus arbitrentur. Nam dives nihil aliud mihi videtur esse, quam urbs sine muro in planitie posita, quæ undique insidiatores attrahat. Paupertas vero præsidium est munitum, ære multo circumdatum, accessu difficile. At, inquies, contra res se habet, hi enim sæpe ad tribunal trahuntur, hi læduntur, et male habent. Sed non pauperes simpliciter sunt; sed pauperes qui ditari cupiunt. Ego vero non de illis loquor; sed de iis, qui in paupertate versari student. Dic enim mihi: cur nemo eos, qui in montibus degunt, in jus trahit? Quamvis si paupertas facile opprimitur, illos maxime trahi oporteret, qui sunt omnium pauperrimi. Cur mendicos nemo trahit ad judicem? cur nemo illos vi vel calumnia impetit? Nonne quia in tutiore loco habitant. Quam multis infelicissima videtur paupertas et mendicitas? Quid igitur, quæso, bonum-ne est mendicare? Bonum, si sit qui consoletur et misereatur, si sit qui largiatur : hanc vitam otiosam et securam esse nemo non novit. Ego autem non hoc laudo, absit; sed probo si quis opes non desideret. Dic enim mihi, quos potius beatos dixeris, an virtutis studiosos, an eos, qui procul ab illa sunt? Studiosos sine dubio. Uter ergo idoneus est ad utilia addiscenda, et ad philosophiæ splendorem? an hic, an ille? Hunc utique esse palam est. Si non credas, id disce. Adducatur quis e foro mendicantium, qui sit cæcus, claudus, mutilus; alius quoque aspectu formosus, corpore robustus ac vividus, opibus abundans, genere clarus, potentia valens. Hos itaque ad philosophiæ disciplinam adducamus, et videamus uter eorum magis doctrinam excipiat. Sit ergo primum præceptum, Humilis esto et modestus; hoc enim Christus præcepit. Uter magis hoc implere poterit? «Beati » qui lugent. » Quis dicto magis attendet? Beati humiles; uter magis audiet? « Beati mundo corde, Beati qui esuriunt

»et sitiunt justitiam. Beati qui persecutionem patiuntur »propter justitiam[1]. » Quis hæc facile excipiet? Et si vis hæc utrique adaptemus. Annon ille tumet undique et inflatur; hic vero humiliter prorsus sentit ac demissus est? sic utique se res habet. Est et apud externos dictum simile: «Servus quidem Epictetus, corpore mancus, paupertate Irus, et amicus Immortalium.» Ita se habet pauper. Divitis autem anima scatet malis omnibus, arrogantia, vana gloria, cupiditatibus innumeris, ira, furore, avaritia, injustitia, aliisque morbis. Palam ergo est illam, quam hanc ad philosophiam aptiorem esse. Omnino discere quæritis, utra sit suavior. Hoc enim a multis quæri video, utra sit jucundior. Certe hac in re nihil dubitandum est; nam qui sanitati propior est, is in voluptate multa degit. Uter, quæso, ad legem hanc, quam redintegrare volumus, est aptior, pauper, an dives? Quis facile jurabit? qui filiis irascitur, qui cum innumeris pacta iniit; an qui panem unum ac vestem petiturus accedit? Huic nulla juramentorum necessitas si velit, sed semper negotiis vacuus est. Imovero is, qui non jurare didicit, sæpe divitias spernet, et ab hoc bono more virtutis vias ubique paratas videre erit, omnesque ad æquitatem tendentes, ad divitiarum despectum, ad pietatem, ad animæ rectam constitutionem, ad compunctionem. Ne simus ergo negligentes, dilecti, sed multam adhibeamus diligentiam; qui sese emendarunt, ut id quod emendatum est conservent ne facile diffluant, neve retro vertantur; qui autem adhuc retro relicti sunt, ut resurgant, et curent id quod deficit implere. Interimque ii, qui se emendarunt, illis qui nondum id potuerunt, quasi in pelago nantibus, manus porrigentes, ipsos in portu a juramentis vacuo recipiant. Portus quippe tutus est, non jurare: portus, ut ne quis submergatur ab irruen-

[1] Matth. v, 5, et seqq.

tibus ventis. Licet enim ira, licet damnum, licet furor aliudve effervescat, anima in tuto est ; ita ut nihil emittat quod dicere non liceat : neque enim sibi vel necessitatem vel legem constituit. Vide quid propter juramentum fecerit Herodes : caput Præcursoris præcidit, « Propter juramenta, inquit, » et propter simul discumbentes noluit illam repellere[1]. » Quid propter juramentum passæ sunt tribus, circa tribum Benjamin[2] ? Quid passus est pro juramento Saül[3] ? ille quidem pejeravit ; Herodes vero perjurio deteriorem cædem fecit. Rursum Jesus ob juramentum Gabaonitis factum, quanta passus sit nosti. Satanicus enim laqueus est juramentum. Dirumpamus ergo funes, et nos ita constituemus ut facile caveamus. Liberemur a laqueo Satanæ. Timeamus dominicum præceptum ; in optimam consuetudinem nos deducamus : ut progressi, et hoc et alia præcepta implentes, promissa diligentibus ipsum consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Marc. VI, 26. — [2] Judic. XXI, 10. — [3] 3 Reg. XXI, 2.

HOMILIA XIV.

CAPUT V.

Surgens autem quidam in concilio Pharisæus, nomine Gamaliel, legis doctor, honorabilis universæ plebi; jussit foras ad breve homines fieri [1].

I. Hic Gamaliel Pauli doctor erat : admirationeque dignum est quomodo judicio valens, et in lege peritus, nondum crederet : neque potuit omnino incredulus manere, ut palam est ex ejus verbis quæ consulendo affert. « Jussit enim, inquit, foras ad breve homines fieri. » Vide prudentiam concionantis, et quomodo statim illos in metum conjiciat. Ne vero in suspicionem veniret quod eadem quæ illis sentiret, eos qui in concilio sedebant, ac si suæ opinionis essent alloquitur : nec multa utitur vehementia ; sed quasi cum viris furore ebriis, ita dicit : « Viri » Israëlitæ, attendite vobis super hominibus istis quid ac» turi sitis [2]. » Ne temere, inquit, neque leviter feramini. « Ante enim hos dies surrexit Theudas dicens se esse ali» quem : cui consensit numerus virorum circiter quadrin» gentorum : qui occisus est : et omnes qui credebant ei » dissipati sunt, et redacti ad nihilum [3]. » Exemplis illos ad sanam mentem ducit : et illum, qui plures seduxerat, demum affert ad illorum consolationem. Antequam vero exempla proferat, dicit : « Attendite vobis : » iis vero allatis, sententiam profert dicens : « Et nunc itaque dico vo» bis : Discedite ab hominibus istis. Post hunc surrexit Judas » Galilæus in diebus professionis, et avertit populum mul-

[1] Act. v, 34. — [2] Ibid. 35. — [3] Ibid. 36.

» tum post se : et ipse quoque periit : et omnes quotquot » consenserunt ei dispersi sunt. Et nunc itaque dico vobis : » Discedite ab hominibus istis, et sinite illos : quoniam si » est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur; si » vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud[1]; » ac si diceret : « Expectate, et si ex se ipsis illi coacti sunt, nihil impediet quominus dissolvantur. « Ne forte et Deo re- » pugnare inveniamini. » Et ex impossibili et ex inutili avertit eos. Nec dicit a quo interempti sint; sed simpliciter quod sint dissipati, forte superfluum ducens plura addere. Ex iis vero, quæ subjungit docet; « Si humanum sit opus, non est quod rei curam agatis; sin divinum, quidquid feceritis, non poteritis superare. » Sic sermo sapiens visus est : nam persuasi sunt ut non occiderent illos, sed flagellarent tantum. « Consenserunt autem illi, inquit, et con- » vocantes Apostolos, cæsis denuntiaverunt, ne loquerен- » tur in nomine Jesu, et dimiserunt eos[2]. » Vide post quot miracula flagellantur? Et tamen iterum doctrina extendebatur : nam et in domo et in templo docebant. « Et illi » quidem ibant gaudentes a conspectu concilii : quoniam » digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati. » Omni autem die non cessabant in templo et circa domos » docentes et evangelizantes Jesum Christum[3]. In die- » bus autem illis, crescente numero Discipulorum, factum » est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod des- » picerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum[4]. » Non in illis omnino dicit diebus; sed quia hæc est consuetudo Scripturæ, ut quæ futura erant, quasi statim facta dicat : ideo sic loquitur. Hellenistas puto hic vocari eos, qui græce loquebantur; hi enim græca lingua utebantur, licet Hebræi essent. Ecce alia tentatio; imo et tu si observare velis, perspicies ab initio bella intus fuisse. « Convo-

[1] Act. v, 37-39. — [2] Ibid. 40. — [3] Ibid. 41, 42. — [4] Id. vi, 1.

» cantes, inquit, duodecim multitudinem Discipulorum, » dixerunt : Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, » et ministrare mensis[1] : » Bene : necessariis enim magis necessaria sunt præferenda. Vide autem quomodo statim, et horum curam habeant, et prædicationem non negligant. Quasi autem venerabiliores illi essent, ideo preferuntur. « Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii » septem, plenos Spiritu et sapientia, quos constituemus » super hoc opus. Nos vero orationi et ministerio verbi » instantes erimus. Et placuit sermo coram omni multitu- » dine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide et Spi- » ritu sancto[2]. » Utique et illi pleni fide erant, quos et elegerunt ; ut ne eadem contingerent, quæ in Juda, et in Anania et Sapphira. « Et Philippum, et Prochorum, et » Nicanorem, et Timonem, et Parmenam, et Nicolaum » proselytum Antiochenum. Quos statuerunt coram Apos- » tolis, et cum orassent, imposuerunt eis manus. Et ver- » bum Domini crescebat, et multiplicabatur numerus Dis- » cipulorum in Jerusalem : multa etiam turba sacerdotum » obediebat fidei[3]. » Sed dicta iterum repetamus. « Viri, » attendite vobis. » Vido mihi hic Gamalielem, quomodo cum mansuetudine et paucis loquatur, nec veteres narret historias, etsi posset, sed novas, quæ maxime ad fidem firmandam valerent. Ideo occulte insinuat dicens : « Nam » acte hos dies, » quasi declarans, non ante multos dies. Si statim dixisset : « Dimittite viros, » in suspicionem venisset, et sermo non ita validus fuisset ; cum exemplis autem vim accepit. Ideo non unum memorat, sed et alterum. Atqui poterat et tertium addere ex abundanti, et suum confirmare sermonem, illosque a sanguinario proposito abducere, « Discedite ab hominibus. »

II. Vide quam sit moribus mansuetus : neque longum,

[1] Act. VI, 2. — [2] Ibid. 3-5. — [3] Ibid. 6, 7.

sed brevem texit sermonem, neque illos cum furore memorat. « Et omnes quotquot consenserunt ei, dispersi sunt. » Hoc dicens, non in Christum blasphemat; sed id quod maxime volebat perficit. « Si sit, inquit, ex hominibus, » dissolvetur. » Hic videtur illos syllogismo impetere, ac dicere : « Ergo quia hoc dissolutum non fuit, non est humanum. « Ne forte et Deo repugnare inveniamini. » Hoc dicebat, ex impossibili et inutili illos reprimens. « Si vero » ex Deo est, non poteritis. » Non dixit; « si Christus sit Deus. » Opus enim iis declarabat : neque affirmavit vel humanum, vel divinum esse; sed futuro tempori fidem permisit, ut suaderet. Et si suasit, inquies, cur flagellarunt? Indubitatæ quidem dictorum justitiæ obsistere non potuerunt; sed tamen furorem suum impleverunt. Alioquin vero sic se illos perterrituros sperabant. Quod autem hæc illis non præsentibus diceret, hoc illos magis attraxit : ac sermonis suavitas, dictorumque justitia, id illis suasit. Fere namque et hic Evangelium prædicabat, imo hæc fere dicebat, cum justitia ipsos alloquens : Persuasum habete vos non posse dissolvere. Cur non credidistis? Tam magna est prædicatio, ut etiam ab inimicis testimonium habeat. Illic quadringenti surrexerant, et postea magna multitudo. Hic duodecim primi erant : ne ergo vos perterrefaciat multitudinis accessio. « Si enim ex » hominibus fuerit opus hoc, dissolvetur. » Poterat et alium Ægyptium dicere; sed jam superfluum hoc fuisset. Videsne quomodo terrore sermonem concluserit? Ideo non simpliciter sententiam profert, ut ne videatur pro illis dicere : sed ex rei eventu ratiocinatur. Non ausus est vero affirmare doctrinam illam, non humanam, sed ex Deo esse. Quia si dixisset ex Deo esse, contradixissent illi; si autem ex hominibus dixisset, ad insurgendum propensi erant. Ideo illos finem expectare jubet, dicens, « Disce-

» dite. » Illi vero rursum minantur, scientes se nihil posse perficere; suoque more facientes. Talis enim res malitia, quæ impossibilia sæpe tentat. « Post hunc autem surrexit » Judas. » Hæc si Josephi libros inspexeritis (8), accuratius edi:cetis. Ille namque horum historiam diligenter narrat. Vides-ne qualem rem ausus est dicere; quod ex Deo, quia postea a rebus ipsis fidem accepit? Vere magna fiducia, et nulla personarum acceptio. « Consenserunt autem » illi, inquit. Et convocantes Apostolos, » cæsos dimiserunt. Reveriti sunt sententiam viri : ideoque destiterunt a proposito occidendi Apostolos : flagellatos autem illos dimittunt. « Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu » concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Christi » contumeliam pati [1]. » Quibus signis hoc non mirabilius est? Nusquam hoc apud veteres contigit. Nam Jeremias quidem flagellatus est propter verbum Dei; Eliæ et aliis minati sunt. Sed hic et ex hac re et ex signis virtutem Dei declararunt. Non dixit quod non dolerent; sed dolentes gaudebant. Undenam id liquet? ex sequenti libertate dicendi. Ita semper etiam post plagas prædicando instabant. Ideo id declarans ait : « In templo et circa domos » non cessabant docentes et evangelizantes Christum Je» sum. In diebus autem illis. » Quibus diebus? Cum hæc fierent; cum flagella, cum minæ, cum discipuli multiplicarentur; tunc « Factum est murmur : » et fortassis ob multitudinem contigit : non enim potest in multitudine tantus ordo servari. « Et magna turba sacerdotum obediebat fidei. » His subindicatur ex iis, qui Christi necem machinati sunt, multos credidisse. « Factum est murmur, quod despice» rentur in quotidiano ministerio viduæ eorum. » Ergo quotidianum ministerium erga viduas erat. Et vide quomodo hic ministerium vocet et non statim eleemosynam;

[1] Act. v, 41.

sicque et eos qui darent et eos qui acciperent extollat. Hoc non ex malitia oriebatur, sed fortassis ex turbæ negligentia. Ideo hoc in medium protulit. Non parvum enim malum erat, quod cito curandum oportuit. Vides-ne quemodo in principio mala non foris tantum, sed etiam intus essent? Tu vero non solum attendas quod curatum fuerit; sed etiam quod magnum esset malum. « Considerate ergo, » fratres, viros ex vobis septem. » Non id ex proprio nutu faciunt, sed prius se excusant apud multitudinem. Ita et nunc fieri oporteret. « Non est æquum, aiunt, nos dere- » linquere verbum Dei, et ministrare mensis. » Primo absurditatem profert, ostendens non posse utrumque accurate præstari. Quandoquidem cum Matthiam ordinare oportuit, primo rei ostendunt necessitatem, quia unus defecerat, et duodecim esse oportebat. Etiam hic necessitatem ostendunt : nec illud ante fecerunt; sed expectarunt donec murmur oriretur : neque tamen passi sunt ut hoc multum cresceret.

III. Et vide : Judicium illis permittunt, et illos præferunt qui omnibus placerent, et omnium testimonio probati essent. Cum oportuit Matthiam proponere : « Oportet, » inquiunt, ex iis qui nobiscum sunt omni tempore; » hic autem non sic. Non enim tale negotium erat. Ideo hoc non sorti permiserunt : neque cum ipsi possent Spiritu moti eligere, id faciunt. Sed ex multorum testimonio quod placitum esset statuunt. Alioquin vero, numerum definire, ordinare, ad talem usum, ad illos pertinebat; eligere autem viros illis permittunt, ut ne viderentur ad quorumdam gratiam agere. Quia et Deus Moysi permisit eligere seniores, quos noverat. Multa enim sapientia opus est in talibus dispensationibus. Ne putetis enim quia verbum non ipsis concreditum fuerat, non opus habuisse sapientia : multa certe opus habuere. « Nos vero orationi et

»ministerio verbi instantes erimus. »Et initio et fine sese excusant. « Instantes erimus, » inquiunt. Sic enim oportebat, non leviter, non utcumque, sed cum perseverantia. «Et placuit, inquit, sermo coram omni multitudine. »Et hoc illorum sapientiam decebat. Omnes dictum laudarunt, ita prudentia plenum erat. « Et elegerunt, inquit, (rursum ipsi eligunt) « Stephanum, virum plenum fide et Spi- »ritu sancto, et Philippum, et Prochorum, et Nicanorem, »et Timonem, et Pharmenam, et Nicolaum proselytum »Antiochenum, quos statuerunt coram Apostolis. Et »orantes imposuerunt illis manus. »Hinc palam est quod segregaverint illos a multitudine. Et illi trahunt, non Apostoli ducunt. Vide quam non superflue scriptor loquatur : non enim dicit quomodo; sed simpliciter quod ordinati sint per orationem. Hoc enim est ordinatio. Manus viro superponitur : totum vero Deus operatur, ejusque manus est quæ tangit caput ordinati; si quemadmodum oportet ordinetur. « Et sermo, inquit, Dei crescebat, et multipli- »cabatur numerus Discipulorum. » Non sine causa hoc dixit; sed ut ostenderet quanta sit eleemosynæ et boni ordinis virtus. Ac deinceps quæ Stephanum spectant narraturus est, ideo et causas illorum præmittit : « Et multi, inquit, »sacerdotum obediebant fidei. »Quia enim videbant principem et doctorem hæc proferentem, ex operibus jam periculum faciebant. Et admiratione dignum est quod populus non scissus fuerit in electione virorum : quomodo non reprobati sint ab illis Apostoli. Quam ergo dignitatem habuerunt illi, et quam acceperunt ordinationem, jam discendum est. Num diaconorum? Atqui hæc in Ecclesiis non erat; sed presbyterorum erat œconomia. Atqui nullus adhuc episcopus erat, præterquam Apostoli tantum : Unde puto nec diaconorum, nec presbyterorum tunc fuisse nomen admissum nec manifestum. Sed jam ad hoc ordi-

nati sunt : nec simpliciter hoc munus illis concreditum est : sed precati sunt ut potestas illis concederetur. Vide autem, quæso, si septem viris erat opus : tantæ fortassis affluebant pecuniæ, tanta erat viduarum multitudo. Ergo non simpliciter preces emittebantur; sed cum multa attentione : hocque, perinde atque prædicatio, perficiebatur. Plurima enim precibus operabantur. Sic spiritualia præferebantur : sic ad peregrinationes mittebantur : sic istis verbum concreditum fuit. Sed non dicit hoc, neque extollit eos; sed dicit non æquum esse commissum opus relinquere. Sic a Moyse instituti fuerant, ne omnia agenda susciperent. Idcirco Paulus ait : « Ut pauperum tantum memores simus. » Quomodo autem hos antecesserint disce. Jejunabant, perseverabant in oratione : hoc etiam nunc fieri oporteret. Non simpliciter autem spirituales, sed Spiritu et sapientia plenos dixit, ostendens magnæ philosophiæ fuisse accusationes ferre viduarum. Quæ enim utilitas, si dispensator non furetur quidem, sed omnia perdat; vel si ferox sit et exacerbetur? Hac in re admirandus erat Philippus. De illo namque dicit : « Et in» gressi in domum Philippi Evangelistæ, qui ex septem » illis erat, mansimus apud illum. » Vides-ne nihil humano more dispensari? « Et multiplicabatur numerus Discipu» lorum in Jerusalem. » Jerosolymis crescebat multitudo. Res mirabilis, ubi occisus fuerat Christus, illic crescebat prædicatio : nec modo non scandalizati sunt quidam ex Discipulis, videntes Apostolos flagellari, alios minari, alios Spiritum tentare, alios murmurare; sed et maxime augebatur credentium numerus. Sic ab Ananiæ casu ad meliorem frugem reducebantur, et major illis timor erat. Vide mihi porro quomodo creverit multitudo. Post tentationes crevit, non ante. Consideres vero quanta sit Dei benignitas : ex illis enim principibus sacerdotum, qui ad

cædem turbas concitabant, qui talia clamabant, et dicebant : « Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum fa» cere ; » ex illis, inquit, » Multi obediebant fidei. »

IV. Ejus itaque et nos imitatores simus. Illos suscepit, nec repulit. Sic inimicis, qui nobis innumera intulere mala, beneficia rependamus : si quid bonum habemus, illis tribuamus, ne benefaciendo prætereamus illos. Si enim mala patiendo implere oportet illorum furorem, multo magis benefaciendo : hoc enim minus est illo. Non enim par res est benefacere inimico, et majora velle pati; ab hoc ad illa veniemus. Hæc dignitas est Discipulorum Christi. Crucifixerant illum, qui ad benefaciendum illis venerat : Discipulos illius flagellaverant ; et postea illos ad eumdem quo Discipulos honorem ducit, similiterque sua illis communicavit. Imitatores, quæso, Christi simus : in hoc oportet illum imitari : hoc enim æqualem Deo facit : hoc plus quam humanum est. Eleemosynæ operam demus : hæc pædagogus et doctor est illius philosophiæ. Qui didicit misereri ejus, qui in calamitate est, discet etiam injuriarum oblivisci : qui hoc didicit, inimicis etiam benefacere poterit. Discamus proximorum malis frangi, et discemus illorum etiam mala ferre. Illum interrogemus, qui male erga nos affectus est, annon condemnet se ipsum, annon velit philosophari; annon totum oriri dicat ab ira et simultate et miseria ; num velit ex numero illorum esse, qui contumeliam ferunt et silent, non autem illorum qui contumeliam faciunt et furunt : annon eum, qui patitur, admiretur. Ne putes hoc contemptibiles reddere. Nihil ita contemptibiles reddit, ut contumeliam inferre; nihil ita venerabiles, ut contumeliam ferre. Ille namque est contumeliosus, hic philosophus : ille pejor homine, hic Angelis par. Licet enim minor esset contumelioso; attamen, si vellet, posset eum ulcisci. Alioquin vero, hic mi-

sericordiam omnium sibi attrahet, ille vero exosus erit. Quid igitur? Nonne inde hic multo præstantior erit. Illum namque ut furentem, hunc ut prudentem habebunt omnes. Cum ergo te cogit quispiam, ut aliquem crimineris, dic illi : « Non possum ipsi maledicere : timeo enim ne forte non sit talis. » Cave autem maxime ne in mente dixeris, neve alteri sic loquaris. Ne preceris Deum contra illum : si videris illum male audire, defende. Dic, iracundiæ, non viri, verba sunt; iræ, non amici; furoris, non animæ. Hæc circa singula peccata cogitemus. Ne expectes donec ignis accendatur, sed ante comprime; ne feram exacerbes, nec exacerbari sinas : non poteris compescere si flamma accendatur. Quid enim dixit, stulte et insipiens? Uter verbo obnoxius est, qui audit, an qui dicit? hic namque, etsi valde sapiens sit, stultus reputabitur; ille vero etsi admodum stultus sit, sapiens et philosophus habebitur. Uter, quæso, stultus, qui alteri profert ea quæ non sunt, an is qui neque sic movetur? Nam si philosophi est, etiamsi inciteris, non moveri; nemine movente exasperari quantæ insipientiæ fuerit? Nondum dico quæ pœna reposita sit iis, qui in proximum opprobria et blasphema dicta proferunt. Sed quid? Ignobilem-ne ex ignobilibus dixit, et vilem ex vilibus ortum? Iterum in se ipsum vertit opprobrium. Nam ille quidem honorabilis ac reverendus apparebit, hic vero vilis. Talia enim in opprobrium preferre, generis nempe vilitatem, pusilli est animi. Ille vero magnus et miserabilis est qui nihil tale sentiat, sed ita affectus sit ac si audivisset, se aliquid excellens præ aliis habere. Sed mœchum et similia dicet? Hic ridendum est : quando enim conscientia non pungit, nullus est iræ locus. Si cogites vero quam fœda et mala verba proferat, neque sic est dolendum. Nam quod cuique postea notum futurum erat, hoc jam ipse revelavit : indeque omnibus

se fide indignum constituit, utpote qui nescierit proximi peccata tegere : seque magis pudore affecit, quam alium, omnem obstruxit portum; pœnasque sibi graves in futuro judicio paravit. Non enim hunc ut illum aversabuntur omnes, qui tegenda revelaverit. Tu vero ne reveles ea quorum conscius es; sed tace, si vis bonam habere famam. Non modo enim subvertes, et teges ea quæ dicta sunt, sed et aliud bonum operaberis. Non jam facies contra te ipsum ferri sententiam. Tibi quispiam maledicit? Dic tu : si omnia nosset, non hæc solum dixisset. Admirati estis cum stupore id quod dixi? Sed imitari oportet. Ideo enim hæc omnia, quæ ab exteris prolata sunt, diximus, non quod Scripturæ innumera talia non habeant; sed quod hæc magis possint pudore suffundere. Nam Scriptura quoque ad pudorem inducere solet, ut cum dicit : « Nonne et »ethnici hoc faciunt? » Propheta vero Jeremias filios Rechab in medium adduxit, qui paternum præceptum transgredi noluerunt. Maledixit Maria Moysi, at ille statim pœnam ab ipsa precibus avertit, neque concessit ut sciretur se vindicatum fuisse. At nos non sic; sed hoc maxime volumus, ut sciatur injuriam non inultam fuisse. Quousque de terra spirabimus? Non potest pugna ex una solum parte constare. Furentes si ex utraque parte trahas, magis exasperabis; si a dextera vel a sinistra, furorem extinguis. Qui non patientem verberat, magis extollitur; qui cedentem, magis dissolvitur, et in ipsum plaga convertitur. Non ita antagonistæ vim superat, vir in omni pugnæ genere peritus; ut qui injuria afficitur, nec rependit. Adversarius enim cum pudore discedit improbatus, primo a propria conscientia, secundo a spectatoribus omnibus. Estque in proverbio vulgatum; qui honorat, se ipsum honorat : ergo et contumeliosus, sibi ipsi talis est. Nemo nos lædere poterit, iterum dico, nisi nos ipsi. Nec

quis me pauperem faciet, nisi ego ipse. Age ergo, sic rem perpendamus. Sit mihi anima pauper, et omnes mihi pecunias erogent. Quid inde? Donec illa mutetur, omnia frustra sunt. Sit anima mihi magna, et cuncti pecunias meas accipiant. Quid inde? Donec illam pauperem reddas, nihil hinc damni. Sit mihi impura vita, et omnes contraria de me dicant, quid inde? Licet dicant, at non in mente approbant. Rursum sit mihi vita pura, et omnes contraria dicant: et quid inde? nam in conscientia sua id damnant; non enim persuasi dicunt. Ut enim laudes non oportet admittere; sic nec accusationes. Et cur hæc dico? Nemo nobis unquam insidiari poterit, neque accusatione circumvenire, si voluerimus. Hoc ita consideremus: trahat nos quis ad forum; calumnietur, si vis, et animum efferat. Et quid hoc si paulisper hæc immerito feras? Hoc ipsum malum est, inquies. Hoc ipsum bonum est, quod immeritus patiaris? sed quid? An meritum pati oportebat. Aliquid iterum dicam. Philosophus quidam exterorum (9), ut audivit quempiam obiisse, cum quidam ex discipulis diceret ipsi: « Væ mihi, quia injuste: » ille conversus, « Sed quid, ait, an juste voluisses? » Et Joannes nonne injuste mortuus est? Quem ergo magis miseraris: eum-ne qui juste, an eum qui injuste? Nonne hunc miserum dicis, illum vero beatum? In quo ergo læditur homo a morte, qui multum lucratur, nedum quid damni referat? Nam si ex immortali mortalem fecisset, forte damnum esset; si vero mortalem, et ex natura sua paulopost moriturum festinavit cum gloria abducere, quid hinc damni? Sit nobis animus recte compositus, et nullum extrinsecus damnum adveniet. Sed non es in gloria? et quid hoc? Nam quod in opibus, idipsum in gloria est. Sic enim magnificus fuero, nullo opus habebo; sin vanæ gloriæ cupidus, quanto plura con-

sequar, tanto pluribus egebo. Tunc vero splendidior ero, et majori fruar gloria, si gloriam contempsero. Hæc cum sciamus, gratiam habeamus Christo Deo nostro, qui talem vitam nobis largitus est, et illum adeamus ad gloriam ipsius. Quia ipsum decet gloria cum Patre principio carente et sancto Spiritu ejus, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XV.

CAPUT VI.

Stephanus autem plenus fide et virtute faciebat prodigia et signa magna in populo [1].

I. Vide quomodo inter septem illos unus præcellens, esset, ac primas teneret. Etsi enim ordinatio communis esset, at hic majorem gratiam attraxit. Antea vero signa non faciebat; sed ubi manifestus fuit; ut ostenderetur non solam gratiam sufficere, sed ordinationem requiri, ut Spiritus accessio fiat. Quod si antea Spiritu pleni erant; at id a lavacro. « Surrexerunt autem quidam de Synagoga. » Consurrectionem vocat exacerbationem et iram eorum. Hic vide magnam multitudinem; imo aliam accusationis formam. Nam postquam Gamaliel illos cohibuerat, ne hac de re incusarent, aliam inducunt accusationem. « Surrexerunt autem, inquit, quidam de Synagoga quæ appellatur Libertinorum et Cyrenensium et Alexandrinorum, et eorum qui erant ex Cilicia et Asia, disputantes cum Stephano, non poterant resistere sapientiæ et Spiritui, qui loquebatur. Tunc summiserunt viros qui dicerent se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysem et in Deum [2]. » Ut accusationem instituant, contra Deum,

[1] Act. VI, 8. — [2] Ibid. 9-11.

inquiunt, et contra Moysem loquitur. Ideo autem disputabant, ut cogerent eum aliquid proferre. Ille vero clarius loquebatur, et forte legis cessationem tantum dicebat; vel non dicebat quidem, sed insinuabat. Nam si palam dixisset, non opus fuisset subornatis viris, nec falsis testibus. Diversæ autem Synagogæ erant, Libertinorum et Cyrenensium. Sed Cyrenenses ultra Alexandriam sunt, qui et illic pro consuetudine Synagogas habebant, ac forte illic manebant, ne sæpe migrare cogerentur. Libertini autem Romanorum liberti erant, et sic appellabantur. Ut autem ibi multi peregrini habitabant, ita et Synagogas habebant, in quibus oportebat et lectiones et orationes fieri. Tu vero mihi perpendas velim, quomodo et hic coactus docere conetur; et illi rursum ob signa non modo ad invidiam concitentur; sed etiam, quia verbo superabat, et intolerabilis ipsis erat, falsos testes constituant. Nolebant enim illum sine causa occidere, sed cum suffragio, ut et famam illorum læderent; et illis relictis ad hos venirent, ut sic illos etiam perterrefacerent. Nec dicunt, « Loquitur; » sed, « Non » cessat loqui, » ut accusationem augeant? « Commoverunt » autem seniores et scribas, et concurrentes rapuerunt il- » lum, et adduxerunt in concilium. Et statuerunt falsos » testes qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba ad- » versus locum sanctum et legem[1]. » Non cessat, inquiunt, ut illum id conantem indicent. « Audivimus enim eum di- » centem, quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum » istum, et mutabit consuetudines quas tradidit nobis » Moyses[2]. » Jesus, inquiunt, Nazarenus, quasi contumeliose, destruet locum istum, et mutabit consuetudines. Hoc etiam Christum accusantes dicebant: « Qui destruis » templum Dei[3]. » Multa quippe illis reverentia erat erga templum, utpote qui illic sedes ponere vellent, itemque

[1] Act. VI, 12, 13. — [2] Ibid. 14. — [3] Matth. XXVII, 40.

erga Moysis nomen. Et vide quomodo duplex sit accusatio, « Destruet, inquiunt, locum et mutabit consuetudines. » Non modo duplex, sed etiam acerba, et plena periculis. « Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, vide» runt faciem ejus tanquam faciem Angeli [1]. » Sic fieri potest ut qui in minori gradu sunt clarescant. Quid enim, quæso, hic minus habebat, quam Apostoli? Nonne signa operatus est? Nonne multam exhibuit loquendi libertatem? « Viderunt faciem ejus, tanquam faciem Angeli, » inquit. Hæc gratia erat, hæc gloria Moysis erat. Gratiosum autem illum, ut videtur mihi, fecit Deus, forte quia quædam dicturus erat, ut statim vel ex aspectu illos perterrefaceret. Possunt enim, possunt utique vultus gratia spirituali pleni, amabiles desiderantibus, veneraudi et terribiles odientibus esse. Vel fortassis hoc dixit, quasi causam propter quam passi sunt illum concionari. Quid vero princeps sacerdotum. « Si hæc, inquit, ita se habent [2]. » Vides-ne quam mansueta, et nihil molesta sit interrogatio? Ideo ille placide orditur, et ait: « Viri fratres et patres, audite: Deus » gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ, cum esset in Meso» potamia, prius quam moraretur in Charran [3]. » Statim a principio opinionem illorum tollit, et sine ulla suspicione astruit nihil esse templum, nihil consuetudines, neque ipsos prædicationem esse cohibituros: Deumque semper ea quæ videntur impossibilia facere et parare. Vide ergo his contexi concionem, qua ostenditur illos multa semper Dei benignitate fruentes, contraria benefactori rependisse, et impossibilia tentare. « Deus gloriæ apparuit Patri » nostro Abrahæ, et dixit ad illum: Exi de terra tua, et » veni in terram, quam monstravero tibi [4]. »

II. Templum nondum erat, sacrificium non erat, et divina visione dignatus est Abraham, qui Persas progenito-

[1] Act. VI, 15. — [2] Id. VII, 1. — [3] Ibid. 2. — [4] Ibid. 3.

res habuit, et in aliena terra. Et cur in exordio Deum gloriæ appellavit Deum? Quia ille ingloriosos fecit gloriosos; et ut ostenderet, si illos glorificavit, multo magis istos glorificaturum esse. Vides-ne quomodo illos a corporeis abducat, et a loco primum, quia de loco agebatur? « Deus gloriæ. » Si Deus est gloriæ, palam est illum non egere gloria nostra, neque gloria templi. Ipse namque est gloriæ fons. Ne ergo putetis vos sic illum glorificaturos esse. Et cur, inquies, hoc Scriptura de Abrahamo dicit? Quia minus necessaria non refert. Quod enim scire nos expediebat, hoc solum nos docuit; quod videns filium cum illo migravit: cætera vero tacuit, eo quod cito mortuus sit post quam habitaverat in Charran. « Exi de cognatione tua. » Hic ostendit hos non esse filios Abrahæ. Quomodo? Quia ille obsequens erat, hi autem pervicaces; imo ex iis, quæ jussus facit, discimus illum quidem labores sustinuisse, hos vero fructus decerpere, et progenitores omnes in ærumnis fuisse. « Et egressus de terra Chaldæorum, habi» tavit in Charran. Et inde post quam mortuus est pater » ejus, transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos » habitatis: et non dedit illi hæreditatem in ea, neque pas» sum pedis [1]. » Vide quomodo illos a terra abducat. Non dixit enim, « Dabit; » sed, « Non dedit, » declarans omnia ab illo, nihil ab ipsis fuisse. Venit enim relicta cognatione et patria. Cur ergo non dedit? Quia figura erat alterius terræ, quam promisit se illi daturum. Vides eum non sine causa sermonem resumere? Non dedit illi, inquit, « Et promisit semini ejus post illum, cum non habe» ret filium. » Hinc rursum ostenditur Dei potentia, quod ea faciat quæ impossibilia videntur. Eum enim, qui in Perside erat, tanto spatio remotum, dixit se dominum Palæstinæ facturum. Sed dicta superius repetamus. « Intuentes

[1] Act. VII, 4, 5.

» in eum, inquit, viderunt faciem ejus, tanquam faciem »Angeli. » Unde in Stephano gratia florebat? Nonne ex fide? Id certe palam est; nam supra de illo dixit, plenum fide fuisse. Potest autem haberi gratia, quæ non sit curationum : ideo ait Apostolus : « Alii datur, inquit, gratia »curationum, alii sermo sapientiæ [1]. » Hic autem videtur mihi illum valde gratiosum fuisse subiudicari, cum dicitur, « Viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli; » quod etiam de Barnaba dictum fuit. Unde scimus simplices et innocentes imprimis in admiratione esse, maximeque gratiosos. « Tunc summiserunt viros qui dicerent se audivisse »illum dicentem verba blasphema [2]. » De Apostolis quidem dicebant, quod resurrectionem annuntiarent, et quod multa turba confluceret : hic autem quod sanarentur. O insipientiam! De quibus oportebat gratias agere, de iis redarguebant : et eos, qui operibus superabant, se verbis superaturos esse sperabant. Quod etiam erga Christum faciebant : et semper in verba sese convertebant : illos enim temere rapere erubescebant, nihil habentes quo criminarentur. Et vide quomodo non judices ipsi testificentur; nam confutati fuissent; sed alios frustra mercede conducunt, ut ne videretur res esse violenta. Hoc ipsum etiam Christo contigisse videas. Vidisti-ne vim prædicationis, et quomodo vigeat non modo cum præcones flagellantur, sed etiam cum lapidantur, cum ad tribunal aguntur, cum undique pelluntur? Hinc illis falsa testificantibus, non modo non superabant, sed nec obsistere valebant, etsi valde impudentes essent. Sic illos fortiter devicit : etsi multa incongruentia facerent, ut et erga Christum, cum omnia facerent ut illum morte afficerent, ita ut demum palam esset omnibus, non humanam esse pugnam; sed Dei contra homines. Perpende autem quid faciant illi appositi falsi testes ab iis, qui san-

[1] 1 Cor. XII, 9. — [2] Act. VI, 11.

guinario animo illum in concilium rapuerant. « Audivimus » illum dicentem verba blasphema contra Moysem ac Deum. » O impudentes ! Opera contra Deum blasphema facitis, et non curatis, et de Moyse solliciti esse simulatis ? Ideo proponitur Moyses, quia quæ Dei erant non multum curabant et ubique Moysem commemorant : « Moyses, inquiunt, » hic qui eduxit nos, » facile mobilem populum irritantes. Atqui quomodo vir blasphemus ita vinceret ? Quomodo vir blasphemus talia signa in populo faceret ? Sed talis res est invidia, stultos efficiens eos, quos invasit, ut neque iis attendant quæ loquuntur. « Audivimus illum, inquiunt, lo- » quentem blasphema verba contra Moysem et Deum ; » ac rursum, « Hic homo non cessat verba loqui contra locum » sanctum et legem, » et adjiciunt, « Quæ tradidit nobis » Moyses ; » non ultra Deus.

III. Vides-ne quomodo illum ob eversam rempublicam impietatis accusant ? Quod autem non potuerit ille talia audacter loqui, cuique manifestum est, ita mitis vel in facie erat. Igitur ubi non calumniabantur, nihil tale dicit Scriptura. Quia vero totum hoc loco calumnia est, jure illam corrigit Deus, vel per ipsum vultum. Apostoli certe non calumniis impetebantur, sed prohibebantur ; hic vero calumniis impetitur. Ideoque ante omnia vultus ipsum purgat. Forteque hoc sacerdotem pudore affecit. Ubi vero dixit, « Promiserat, » ostendit promissionem fuisse factam antequam locus deputatus esset, antequam circumcisio, antequam sacrificium et templum esset : et illos non ex merito accepisse circumcisionem neque legem ; sed obedientiæ tantum mercedem fuisse terram. At nondum circumcisione data, promissio impletur : ac per figuram illos, Deo jubente, probatur reliquisse patriam et cognationem, (illa namque patria est, ad quam duxerit Deus ;) et hic hæreditatem non habere. Nam si quis rem accurate examinet

Persæ sunt Judæi. Et innuit quod etiam absque signis obtemperandum sit Deo loquenti, etiamsi gravia quædam accidant. Quandoquidem Patriarcha, et paterno sepulcro et omnibus relictis, Deo obtemperavit. Quod si hujus pater non socius illius fuit migrantis in Palæstinam, multo minus filii erunt consortes, etiamsi magnam viæ partem emetiantur, quia virtutem patris non imitantur. « Et repromisit » dare illam ei et semini ejus, inquit, post illum. » Multa hic Dei benignitas exhibetur, multa Abrahæ fides. Nam quod crederet, cum nondum esset ei filius, hoc ejus et obedientiam et fidem ostendit : quamvis ea quæ facta erant contrarium monstrarent : nempe quod cum venisset, ne vestigium quidem pedis suum haberet, neque filium, quæ fidei contraria erant. Hæc nos quoque considerantes, quæ Deus promiserit, admittamus : etiamsi contraria evenerint. Quamvis apud nos contraria non sint, sed valde consequentia. Ubi enim promissiones sunt, si contraria eveniant, illa vere contraria sunt : apud nos autem secus : nam hic quidem afflictionem dixit, illic requiem. Cur confundimus tempora? Cur omnia susdeque vertimus? Angeris, dic mihi, quia in paupertate vivis, et ideo turbaris? Ne turberis. Jure turbareris, si illic tribulatio futura esset. Ipsa enim tribulatio quietis est causa. « Infirmitas, inquit, » hæc non est ad mortem [1]. » Illa tribulatio est punitio ; hæc autem, institutio et emendatio. Certamen est præsens tempus, ergo pugilatu est opus : bellum et pugna est. Nemo in bello requiem quærit, nemo in bello quærit voluptatem, nec de divitiis sollicitus est, nec de uxore; sed unum tantum spectat, quomodo inimicos superet. Hoc et nos faciamus ; ea si vincamus, et cum tropæis revertamur, omnia nobis dabit Deus. Hoc solum curemus, quomodo diabolum vincamus. Imovero hoc opus non nostri studii

[1] Joan. xi, 5.

est, sed gratiæ Dei totum. Unum nobis curæ sit, ut nobis ejus gratiam attrahamus, ut illud nobis conciliemus. « Si » Deus pro nobis, quis contra nos[1] ? » inquit. Hoc unum curemus, ut hic nobis non efficiatur inimicus, ut non avertatur a nobis.

IV. Non tribulari, sed peccare malum est. Et hæc gravis tribulatio est, etiamsi in deliciis agamus; non dico in futuro, sed etiam in præsenti. Quomodo putas morderi conscientiam nostram? Quo tormento id deterius non fuerit? Vellem diligenter interrogare, eos qui in malis vivunt, an unquam in memoriam peccatorum suorum veniant, annon tremant, annon formident, annon doleant? annon beatos prædicent eos, qui in jejunio, in montibus, in philosophia vivunt? Vis illic quietem habere? hic tribulationem patere propter Christum, nihil huic requiei par est. Gaudebant Apostoli dum flagellarentur. Paulus sic admonet: « Gaudete » in Domino[2]. » Et quomodo potest quis gaudere, inquies, ubi vincula, tormenta, tribunalia? Istic maxime gauderi potest. Quomodo autem possit gauderi, ubi hæc sunt, disce. Qui nullius sibi conscius est, plurimum lætabitur; ita ut quo majorem dixeris tribulationem, eo majorem dicas voluptatem. Dic enim mihi, miles qui mille vulnera accepit, nonne redibit cum magna voluptate, ipsa vulnera in argumentum habens audaciæ, splendoris, et claritatis? Et tu si posses erumpere in illam vocem, quam protulit Paulus, « Stigmata Jesu porto[3], » posses certe magnus, clarus et illustris esse. Sed non est persecutio? Sta contra gloriam. Et si quis contrarium quidpiam dixerit, ne timueris male audire propter Christum. Sta contra fastus tyrannidem : sta contra iræ pugnam : sta contra concupiscentiæ tormentum; et hæc stigmata, hæc tormenta sunt. Dic enim mihi, quid gravius in tormentis est? Annon

[1] Rom. VIII, 31. — [2] Philip. IV, 4. — [3] Gal. VI, 17.

quod anima doleat et uratur? Illic enim corpus dividitur; hic autem totum illius est. Circa illam dolor est quando irascitur, quando invidet, quando quid simile facit; imo vero quando patitur. Hoc enim non est facere, sed pati, nempe irasci et invidere. Ideoque hæc vocantur animæ morbi, vulnera, plagæ. Vere namque morbus est et morbo gravius. Cogitate iracundi, quod cum morbo id faciatis. Ergo qui non irascitur, nec patitur. Vides-ne eum, cui contumelia infertur, non pati, sed eum qui contumeliam infert, ut jam dixi superius. Nam quod patiatur, vel hinc palam est, quod hoc passio vocetur: palam item est ex corpore. Hæ namque passiones ab ira nascuntur: obtusa oculorum acies, stupor, et innumera alia. Sed filium contumelia affecit, inquies; sed famulum. Ne putes infirmitatem esse, quod id ipse non facias. Dic enim mihi, an bene factum est? non puto id te dicturum: ergo ne facias quod non est bene factum. Scio quales in talibus iræ nascantur. Quid ergo si contemnat, inquies? Si rursum dicat: « Argue, increpa, obsecra[1]? » Mansuetudine ira solvitur. Accedens argue. In iis certe quæ nos respiciunt hoc faciendum non est; in iis vero quæ alios spectant, id necesse est agere. Ne propriam contumeliam putes quod filius contumelia afficiatur: ut si doleas de illo, at non tanquam contumelia affectus: non enim quia puer male habet, tu contumelia affectus es; sed is qui male fecit. Restingue gladium acutum; in vagina condatur: si nudus maneat, sæpe illo inopportuno tempore utemur ab ira concitati; si vero conditus maneat, etiamsi opus fuerit, extinguetur ira. Non vult Christus ut pro illis irascamur. Audi enim quid Petro dicat: « Converte gladium tuum in vaginam[2]. » Et tu pro filio irasceris? Doce filium philosophari: narra illi passiones Domini. Imitare magistrum tuum. Quando illi inho-

[1] 2 Tim. IV, 2. — [2] Matth. XXVI, 52.

norandi erant, non dixit : « Ulciscar : » sed quid? « Me perse- » cuti sunt, et vos persequentur[1]. » Ferte itaque fortiter, non enim meliores me estis. Hæc et tu filio et servo dicito : « Non es domino tuo melior. » Sed hæc philosophiæ verba videntur a vidua proficisci. Hei mihi quod res verbis declarari nequeat, ut potest experientia edisci. Et ut discas : in medio duorum concertantium stans, sis ex parte læsorum, non lædentium, si non apud te triumphos videbis, si non splendidas accipies coronas. Vide quomodo contumelia afficitur Deus, quam mansuete et benigne respondeat : « Ubi est, inquit, Abel frater tuus? » Et quid ille? « Numquid custos fratris mei sum ego[2]? » Quid hoc arrogantius? Hoc certe vel a filio quis libenter audivisset? nam si a fratre, nonne quis dixerit esse ignominiam? At Deus iterum mansuete respondet : « Vox sanguinis, inquit, » fratris tui clamat ad me[3]. » At Deus, inquies, ira superior est. Sed ideo descendit Filius Dei, ut te Deum faceret secundum humanas vires. At non possum, inquies, homo cum sim. Ergo patere ut homines tibi adducamus : ne putes me Paulum dicere aut Petrum, sed quosdam ipsis longe inferiores. Heli servus Annam contumelia affecerat, dicens : « Digere vinum tuum ! » Quid hoc contumeliosius? Quid ergo illa? « Mulier in amaro die ego sum[4]. » Nihil revera afflictioni par : philosophiæ mater est. Hæc vero ipsa mulier æmulam habens, non contumelia affecit eam. Sed quid? Ad Deum confugit, et orans, illius ne quidem meminit, neque dicit : « Quoniam hæc me probris affecit, me ulciscere : » adeo philosophiæ assueta mulier erat.

V. Erubescamus viri. Atqui scitis zelo nihil par esse. Publicanus a Pharisæo contumelia affectus, non retulit contumeliam : quamvis posset si voluisset; sed id philosophico animo tulit, dicens : « Propitius esto mihi pecca-

[1] Joan. xv, 20. — [2] Gen. iv, 9. — [3] Ibid. 10. — [4] 1 Reg. i, 14.

» tori[1]. » Memphibaal (10) a servo accusatus et calumnia impetitus[2], neque dixit, neque fecit illi quidpiam mali, ne quidem apud regem. Vis etiam meretricis audire philosophiam? Audi Christum dicentem, quando illa capillis suis pedes ipsius tergebat: « Publicani et meretrices vos » præcedent in regno[3]. » Vidisti illam stantem et lacrymantem, ac propria peccata abluentem? Vide quomodo a Pharisæo probris affecta, non irascatur. Si sciret, aiebat, quod hæc mulier peccatrix sit, non sineret eam. Non dixit illi : « Quid quæso? Tu-ne purus a peccatis es? » sed magis patiebatur, magis gemebat, et calidiores lacrymas emittebat. Quod si mulieres, Publicani et meretrices philosophentur, idque ante gratiam; qua venia digni nos erimus, qui post tantam gratiam magis quam feræ rixamur, mordentes, calcitrantes? Nihil turpius ira, nihil vilius, nihil gravius, nihil ingratius, nihil damnosius. Hæc dico, non tantum ut cum viris mites simus; sed etiam ut si uxor loquax sit, feras illam : sit tibi palæstra et gymnasium uxor. Quomodo enim absurdum non fuerit gymnasia admittere, quæ nihil lucri afferant, ubi corpus atterimus; et gymnasia domi non parare, quæ etiam ante certamina coronam nobis concilient. Contumelia afficit mulier? Ne tu mulier efficiaris. Muliebre enim est contumelia afficere, morbus est animi, vitium est. Ne putes te indignum esse, quod a muliere contumelia afficiaris. Indignum te est cum tu contumelia afficis, illa vero philosophatur; tunc turpiter agis, tunc contumelia afficeris. Si vero contumeliam feras, magnum erit fortitudinis tuæ argumentum. Non hoc dico ut mulieres inducam ad contumelias inferendas; absit; sed ut si, Satana instigante, id eveniat, vos feratis. Virorum fortium est infirmos ferre. Si famulus contradixerit, tu philosophice age. Non quod ille meretur audire

[1] Luc. XVIII, 10. — [2] 2 Reg. XVI, 1. — [3] Matth. XXI, 31.

dicas vel facias; sed quod oportet te dicere et facere. Nunquam puellam contumelia afficias, verbum turpe efferens. Nunquam famulum scelestum dicas. Ille non contumelia affectus est, sed tu. Non potest in se ipso manere is, qui irascitur, sicut nec pelagus fluctibus agitatum; nec fons manere purus potest, luto in illum incidente. Sic omnia miscentur; imo sic omnia susdeque vertuntur : si verberes, si tunicam discindas, tu majus damnum accepisti. Illi namque in corpore et in veste plaga est, tibi vero in anima. Illam scidisti, illam vulnerasti : aurigam equis subjecisti, supinum trahi curasti; atque idipsum fit, ac si auriga alteri succensens, trahi se patiatur. Sive increpes, sive moneas, sive quid aliud facias, absque ira et furore facito. Nam si is, qui increpat, medicus est peccantis, quomodo possit alium curare, cum sibi ipsi prius malum intulerit, nec se ipsum curet? Si quis, quæso, medicus alium curaturus iret, post quam prius manum suam sauciasset, post quam prius oculos excæcasset, num sic illum curaret? Minime, inquies. Sic et tu licet increpes, licet moneas, pura videant oculi tui. Ne turbes mentem, alioquin quomodo medela erit? Non possunt in eadem esse tranquillitate qui non irascitur et qui irascitur. Cur, doctore decusso de throno, humi jacentem alloqueris? Non vides judices, qui cum judicaturi sunt, in throno sedent in habitu decenti? Sic et tu facito : orna animam tuam vestitu judiciali. Hæc vera est æquitas : et tunc in throno judex sede. Sed non timebit, inquies; imo magis timebit. Tunc vero etiamsi justa dixeris, id furori servus imputabit; si vero cum mansuetudine, se ipsum damnabit. Quodque præcipuum est, te Deus acceptum habebit, et sic poteris æterna bona consequi, gratia, miseratione, et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVI.

CAPUT VII.

Locutus est autem sic Deus dicens : Quia erit semen ejus accolæ in terra aliena : et servituti eos subjicient, et male tractabunt eos annis quadringentis : et gentem, cui servierint, judicabo ego, dicit Deus : et post hæc exibunt, et servient mihi in loco isto[1].

I. Vide ante quot annos promissio et promissionis modus : et nusquam sacrificium, nusquam circumcisio. Hic ostendit Deum permisisse ut illi affligerentur ; nec impune fore eos qui afflixerant. « Gentem autem, cui servierint, » judicabo ego, dicit Deus. » Vides-ne ? Qui promisit, qui dedit terram, prius mala permittit : sic et nunc licet regnum promiserit, tentationibus exerceri sinit. Si hic post quadringentos annos libertas, quid mirum si idipsum in regno fiat ? Attamen hoc fecit, nec tempus potuit falsum esse sermonem comprobare, etsi non modica oppressi sint servitute ; neque satis ipsi fuit illos punivisse, sed et his bona promittit. Videtur autem mihi hic velle ipsis beneficia in memoriam revocare. « Et didit illi testamentum cir- » cumcisionis, et sic genuit Isaac[2]. » Hic jam demissius loquitur. « Et circumcidit eum die octavo : et Isaac Jacob, » et Jacob duodecim Patriarchas ? Et Patriarchæ æmulan- » tes, Joseph vendiderunt in Ægyptum[3]. » Hoc et in Christo factum est : nam illius figura erat Joseph. Ideoque subindicans illud, totam texit historiam. Cum enim nihil contra illum haberent, sed veniret ille ut cibum afferret, male

[1] Act. VII, 6, 7. — [2] Ibid. 8. — [3] Ibid. 9.

ipsum exceperunt. Et vide hic iterum promissionem diu expectandam, quæ tamen finem accipit. « Et erat Deus » cum eo : » et hoc illorum gratia. « Et eripuit eum ex om- » nibus tribulationibus ejus[1]. » Hic ostendit illos inscios ad prophetiæ eventum contulisse : ipsosque auctores fuisse, et mala in ipsos recidisse. « Et dedit ei gratiam et sapien- » tiam in conspectu Pharaonis regis Ægypti. Gratiam de- dit, idque apud barbarum regem, servo, captivo ; quem fratres quidem vendiderant ; ille vero honoravit. « Venit » autem fames in universam terram Ægypti et Chanaan, et » tribulatio magna : et non inveniebant cibos patres nostri. » Cum audisset autem Jacob esse frumenta in Ægypto, mi- » sit patres nostros primum. Et in secundo cognitus est » Joseph a fratribus suis[2]. » Descenderunt empturi, et illo opus habuere. Quid igitur ille? Non ea in re solum benig- nitatem suam ostendit ; sed etiam Pharaoni id indicavit, illosque deduxit. « Et innotuit Pharaoni genus Joseph. » Mittens autem Joseph, accersivit Jacob patrem suum, et » omnem cognationem suam in animabus septuaginta » quinque. Et descendit Jacob in Ægyptum, defunctusque » est ipse et patres nostri. Et translati sunt in Sichem, et » positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham pretio ar- » genti a filiis Hemor filii Sychem. Cum autem appropin- » quaret tempus promissionis, de qua juraverat Deus » Abrahæ, crevit populus et multiplicatus est in Ægypto : » Quoad usque surrexit rex alius qui nesciebat Joseph[3]. » Rursus alia desperandi causa ; prima fuit fames ; secunda, quod inciderint in manus fratris ; tertia, cum datur a rege sententia ut interficiantur : attamen in his omnibus ser- vati sunt. Deinde sapientiam Dei ostendens ait : « In quo » tempore natus est Moyses, qui fuit gratus Deo[4]. » Si illud mirabile fuit quod a fratribus venditus sit ; illud mirabi-

[1] Act. VII, 10. — [2] Ibid. 11-13. — [3] Ibid. 14-18. — [4] Ibid. 20.

lius quod rex eum educaverit, qui illum ab imperio dejecturus erat. Vides ubique fere figuratam resurrectionem? quamvis non sit idem Deum ipsum aliquid facere, et humano arbitrio quid fieri. Hæc itaque non ex humano proposito fiebant. « Et erat potens in verbo et opere[1]. » Hoc dixit, et illum servatorem, et hos erga benefactorem ingratos ostendens. Ut ergo tunc a Joseph mala patiente servati sunt; ita et nunc a Moyse male excepto. Quid enim si illum reipsa non occiderunt? sermone certe occiderunt sicut et illi. Et illi quidem ex sua in alienam terram Josephum vendiderunt; hi vero ex aliena in alienam Moysem fugarunt : illi afferentem cibum; hi consilium dantem quomodo cum Deo esse possent. Sic verum probatur ex iis, quæ nunc dispensantur, dictum illud Gamalielis : « Si » ex Deo sit, non potestis dissolvere illud. » Tu vero cum discis eos qui insidiis appetuntur, insidiatoribus salutis causam fieri, obstupesce de Dei sapientia et solertia. Nam si illi non insidiis impetiti fuissent, hi non fuissent servati. Fames erat, nec consumpsit illos. Neque hoc tantum; sed etiam ab illo servati sunt, quem perditum sperabant. Jussum regium fuit, nec perdidit eos. Imo tunc magis aucta est multitudo, cum ille, qui noverat eos, mortuus est. Servatorem suum volebant occidere, neque sic potuerunt.

II. Vides-ne quomodo per quæ diabolus promissionem Dei irritam facere conabatur, per illa creverit? Tunc par erat dicere illos; Sapiens est Deus, nosque potest hinc reducere. Sapientia namque Dei in eo maxima erat, quod in adversis gens illa cresceret, servitute, ærumnis et cædibus vexata : hæc magnitudo promissionis erat. Nam si in terra sua crevisset; non ita mirabile fuisset. Neque parvo tempore in aliena terra fuerant; sed quadringentis annis. Hinc discimus illos magnam philosophiam præ se tulisse;

[1] Act. VII, 22.

non enim sicut domini servis illis utebantur; sed sicut inimici et tyranni. Ideo prædixit illos in libertate magna futuros esse : id enim sibi vult illud, « Servient mihi, et » huc revertentur, » nec sine ultione. Et animadverte quomodo videatur aliquid circumcisioni concedere, cum nihil ei tribuat. Siquidem promissio præcessit illam, quæ posterior fuit. « Et patriarchæ, inquit, æmulantes. » Hic non lædit eos, sed gratificatur ipsis. Patriarchas autem vocat progenitores; quoniam de his altum sapiebant. Alioquin vero ostendit sanctos non fuisse ærumnarum expertes; sed in ipsis ærumnis opem assecutos esse. Illi vero non modo non solvebant ipsas, sed etiam cum affligentibus se cooperabantur, cum debuissent potius illas excindere. Quemadmodum ergo illi Josephum vendentes, clariorem illum reddiderunt; sic rex Moysem, cum jussit occidi pueros. Nisi enim jussisset, non hoc eventurum erat. Et vide providentiam Dei. Ille fugat Moysem, nec Deus prohibet, quod futurum erat dispensans; ut illic Dei visione dignaretur. Sic et servum venditum ibi regem constituit, ubi servus esse putabatur. Sicut autem hic ibi regnat, ubi ipsum vendiderunt; sic et Christus in morte potestatem exhibuit. Hoc non honoris tantum erat; sed quod etiam in sua potestate fideret. Sed jam quæ dicta sunt repetamus : « Et constituit eum præpositum super Ægyptum, et super » omnem domum suam. » Vide quanta per famem præparet. « In septuaginta quinque animabus, inquit, descendit » Jacob in Ægyptum, et defunctus est ipse et patres nos- » tri. Et translati sunt in Sichem, et positi sunt in sepulcro » quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor, filii » Sichem. » Ostendit illos neque sepulcri dominos fuisse. « Ut autem appropinquavit tempus promissionis, quam » juraverat Deus Abrahæ, crevit populus, et multiplicatus » est in Ægypto. Quoad usque surrexit alius rex, qui nes-

» ciebat Joseph. » Vide quomodo non in tot annis auxit eos, sed cum finis appropinquavit : etsi jam quadringenti anni, imo plures, præteriissent in Ægypto. Et hoc mirabile est. « Hic, inquit, circumveniens genus nostrum, afflixit » patres nostros, ut exponerent infantes suos, ne vivificarentur[1]. » Circumveniens, inquit, subindicans clandestinam cædem : nolebat enim aperte illos occidere ; ideo addit : « Ut exponerent infantes suos. In quo tempore natus » est Moyses, et fuit gratus Deo[2]. » Hoc mirabile est, quod is qui præfectus futurus erat, non ante vel post, sed in medio furore nascatur. « Et nutritus est tribus mensibus in domo » patris. » Quando igitur humana nullam spem offerebant, et illum abjecerant, tunc Dei œconomia fulsit. « Exposi- » tum autem illum sustulit filia Pharaonis, et nutrivit eum » sibi in filium[3]. » Nusquam templum, nusquam sacrificium, licet tot tantaque dispensentur : et educatus est in barbara domo. « Et eruditus est Moyses in omni sapientia » Ægyptiorum : et erat potens in verbis et in operibus[4]. » Mirari subit quomodo quadraginta annis illic fuerit, nec deprehensus sit ex circumcisione ; imo potius quomodo secure agentes sua despiciunt hic et Joseph, ut alios servent. « Ut autem impletum est illi quadraginta annorum » tempus, ascendit in cor ejus ut visitaret fratres suos fi- » lios Israël. Et cum vidisset quemdam injuriam patientem, » vindicavit illum, et fecit ultionem ei, qui injuriam susti- » nebat, percusso Ægyptio. Existimabat autem intelligere » fratres suos quoniam Deus per manum ipsius daret sa- » lutem illis : at illi non intellexerunt[5]. » Vide quomodo nondum molestus videatur ; sed cum tanta concionetur, illum audire sustineant ; ita illos vultus sui gratia ceperat. « Existimabat, inquit, intelligere fratres. » Atqui ope-

[1] Act. VII, 19. — [2] Ibid. 20. — [3] Ibid. 21. — [4] Ibid. 22. — [5] Ibid. 23-25.

ribus patrocinium demonstrabatur, neque erat ratiocinio opus : neque tamen sic intellexerunt. Vides-ne quomodo cum mansuetudine concionetur, et cum in illo iram monstrasset, in hoc mansuetudinem ostendat? « Sequenti vero » die apparuit illis litigantibus, et reconciliabat illos in » pace, dicens : Viri, fratres estis; ut quid nocetis alteru- » trum? Qui autem injuriam faciebat proximo, repulit » eum dicens : Quis te constituit principem et judicem » super nos? Numquid interficere me tu vis, sicut heri in- » terfecisti Ægyptium[1]? » Eodem animo contra Christum videntur dicere : « Non habemus regem, nisi Cæsarem[2]. » Sic semper facere solebant Judæi, cum beneficia acciperent. Vidisti-ne insipientiam? Eum, qui se servaturus erat, accusant cum dicunt : « Sicut heri interfecisti Ægyptium. » Fugit autem moyses in verbo isto : et factus est advena » in terra Madian : ubi generavit filios duos[3]. » Fugit, neque fuga œconomiam extinxit, ut neque mors. « Et ex- » pletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis » Sina Angelus Domini in igne flamma rubi[4]. »

III. Vides-ne quomodo œconomia non tempore scinditur? Cum profugus esset, cum peregrinus, cum multo tempore in aliena terra mansisset, et filios duos suscepisset, cum non ultra reditum expectaret, tunc Angelus ipsi apparet. Filium Dei vocat Angelum, ut et hominem. Et ubi apparet? In deserto, non in templo. Vides-ne quot fiant miracula, et nusquam templum, nusquam sacrificia? Neque hic simpliciter in deserto; sed in rubo. « Moyses » autem videns, admiratus est visum; et, accedente illo ut » consideraret, facta est vox Domini[5]. » Ecce voce quoque dignatus est; « Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abra- » ham, Deus Isaac, et Deus Jacob[6]. » Non modo hic os-

[1] Act. VII, 26-28. — [2] Joan. XIX, 15. — [3] Act. VII, 29. — [4] Ibid. 30. — [5] Ibid. 31. — [6] Ibid. 32.

tendit Angelum, qui apparuit ei, esse magni consilii Angelum; sed etiam ostendit quantam benignitatem Deus per visum exhibeat. « Tremefactus autem Moyses non au- » debat considerare. Dixit autem illi Dominus : Solve cal- » ceamentum pedum tuorum; locus enim in quo stas, » terra sancta est[1]. » Nusquam templum et locus sanctus est per apparitionem et operationem Christi : hoc multo mirabilius est, quam locus ille in Sanctis Sanctorum. Illic enim nunquam sic apparuit Deus; nunquam sic tremefactus est Moyses. Vidisti-ne misericordiam? Vide tandem sollicitudinem. « Videns vidi, inquit, afflictionem populi » mei, qui est in Egypto, et gemitum eorum audivi, et » descendi liberare eos. Et nunc veni, et mittam te in Egyp- » tum[2]. » Vide quomodo ostendat se per beneficia, per supplicia et per miracula ducere illos. Illi vero semper iidem erant. Hinc discimus Deum ubique præsentem esse. Hæc et nos audientes, in afflictionibus ad eum confugiamus. « Et gemitum, inquit, eorum audivi. » Non simpliciter dixit : « Audivi; » sed propter calamitates. Quod si quis dicat : « Et cur illos sic affligi permisit? » audiat omni justo afflictiones causam esse præmiorum. Vel ideo illos affligi permisit, ut virtutem suam hinc splendentem exhiberet, illosque per ærumnas instituerat, ut in omnibus philosopharentur. Vide ergo; cum essent in deserto, non modo impinguati, incrassati, dilatati sunt; sed etiam dereliquerunt Deum. Ubique enim animi remissio malum est, dilecte. Ideo ab initio dixit Adamo : « In sudore vultus tui » comedes panem tuum[3]. » Ne igitur ex afflictione multa, in magnam tranquillitatem venientes, contumeliosi essent, illos affligi permittit. Magnum enim bonum est afflictio. Audivi Davidem dicentem : « Bonum mihi quia humiliasti » me[4]. » Quod si magnis et admirandis viris magna res est

[1] Act. VII, 33. — [2] Ibid. 34. — [3] Gen. III, 19. — [4] Psal. CXVIII, 71.

afflictio, multo magis nobis. Si vultis ipsam afflictionem in se ipsa examinemus. Sit quis gaudens, lætus et effusus; quid turpius? quid insipientius illo? Sit quis dolens et mœrens; quid illo magis philosophicum? Idcirco sapiens admonet dicens : « Melius est ingredi in domum luctus, quam » in domum risus [1]. » Forte dicta irridetis? Cæterum videamus, quis fuerit Adam in paradiso, et quis postea : qualis fuerit Caïn ante, qualis postea. Non stat in sua sede animus; sed quasi a quodam vento tollitur a voluptate et levis efficitur, nihil habens firmum. Etenim ad promissiones est facilis et ad pollicendum promptus; magna est ratiociniorum fluctuatio : hinc risus intempestivus, lætitia ratione destituta, verborum magna et superflua nugacitas. Ecquid de aliis loquor? de Sanctorum aliquo agamus : videamusque qualis sit in voluptate, et qualis in mœrore. Vultis Davidem consideremus? Cum ergo ille in voluptate et lætitia versaretur, a multis trophæis, a victoria, a coronis, a deliciis, a fiducia, vide quæ dixerit et fecerit : « Ego autem dixi in abundantia mea : Non movebor in » æternum [2]. » Cum autem in afflictione fuit, audi quid dicat : « Et si dixerit mihi : Nolui te : ecce ego, faciat mihi quod » placitum est coram ipso [3]. » Quid his verbis magis philosophicum? quidquid Deo magis gratum fuerit, inquit, id fiat. Et rursum Saüli dicebat : « Si autem Deus commovet » te contra me, odoratum sit sacrificium tuum [4]. » Et tunc cum esset in afflictione etiam inimicis parcebat; postea vero, neque amicis, neque iis qui se nihil læserant. Rursus Jacob, cum in ærumna esset, dicebat : « Si dederit » mihi Deus panem ad manducandum, et vestimentum » quo operiar [5]. » Et filius Noë antea nihil tale fecerat : ubi autem de salute confisus est, audis quam contumeliosus

[1] Eccle. VII, 3. — [2] Psal. XXIX, 7. — [3] 2 Reg. XV, 26. — [4] 1 Reg. XXVI, 19. — [5] Gen. XXVIII, 20.

factus sit. Et Ezechias cum in ærumnis esset, vide qualia pro salute fecerit. Saccum enim induit, et in terra sedit : ubi autem in voluptate fuit, cecidit præ altitudine cordis sui. Ideo Moyses admonet dicens : « Cum comederis et bi»beris, et saturatus fueris, recordare Domini Dei tui[1]. » Præceps est enim locus deliciarum, et oblivionem Dei inducit. Cum affligerentur Israëlitæ multo plures erant : cum autem illos dimitteret, tunc omnes peribant. Et cur vetera exempla affero? Ex nobis ipsis videamus, si placet. Ex nostris plurimi in rebus prosperis inflantur, omnibus inimici, iracundi, dum potestate valent : sublata vero potestate mansueti sunt, humiles, mites, in naturæ suæ cogitationem veniunt. Quod res ita se habeat, ostendit David dicens : « Tenuit eos superbia in finem. Prodibit »quasi ex adipe iniquitas eorum[2]. » Hæc a me dicta sunt, ut ne omnibus modis gaudium quæramus. Et quomodo, inquies, ait Paulus : « Gaudete semper? » Non simpliciter dixit : « Gaudete; » sed addidit : « In Domino. »

IV. Hoc maximum est gaudium, tali gaudebant Apostoli; gaudium lucrum afferens : quod a carceribus, a flagris, a persecutionibus, a mala fama et a tristibus omnino principium et radicem habet et occasionem : unde et in bonum finem pervenit. Gaudium vero mundi secus : incipit enim a suavibus, desinitque in tristitiam. Neque ego prohibeo gaudere in Domino, imo id valde admoneo. Flagellabantur Apostoli, et gaudebant; vinciebantur, et gratias agebant; lapidabantur, et prædicabant. Hoc et ego velim gaudium : quod a nullo corporali initium habeat, sed a spiritualibus rebus. Non potest qui secundum mundum gaudet, simul et secundum Deum gaudere. Omnis enim, qui secundum mundum gaudet, de divitiis gaudet, de voluptate, de gloria, de potentia, de

[1] Deut. VI, 11. — [2] Psal. LXXII, 6, 7.

arrogantia; qui vero secundum Deum, de ignominia propter illum, de paupertate, de inopia, de jejunio, de humilitate. Vides-ne quam contraria argumenta? Quotquot hic extra gaudium sunt, extra mœrorem sunt; et quotquot extra mœrorem, sunt etiam extra voluptatem. Et revera hæc sunt quæ verum gaudium faciunt, quoniam illa nomen tantum gaudii habent; totum autem in mœrore situm est. Quantum mœroris habet arrogans? quantum præpeditur dum arroganter agit? mille sibi parat contumelias, magnum odium, magnam inimicitiam, invidiam ingentem. Nam si a majoribus contumelia afficiatur, dolet; si non contra omnes insurgat, mordetur. Humilis vero in multa est voluptate, a nullo honorem expectans. Si honoretur, gaudet; si non honoretur, non dolet, imo gaudet quod non honoratus sit. Itaque honorem non quærere, et honorari, id magnam voluptatem parit. Illic vero contrarium accidit; quærit honorem, et non honoratur. Non similiter autem de honore gaudet qui quærit eum, et qui non quærit. Hic quantumcumque acceperit, nihil se putat accepisse; ille vero si vel tantillum dederis, ita accipit ac si totum teneat. Rursus qui in deliciis versatur, mille negotia habet : etiamsi faciles et quasi ex fontibus reditus ipsi affluant, attamen mala quæ ex deliciis accedunt formidat, necnon futuri incertam conditionem. Hic vero semper in tuto est et in voluptate, quod tenuitati victus sit assuetus. Non ita se miserum putat quod lauta mensa non fruatur, ut deliciatur dum futuri incertam conditionem non timet. Quæ vero ex deliciis mala oriantur, ignorat nemo : necesse est autem illud jam dicere. Duplex est bellum, corporis, inquam, et animæ : duplex hyems, duplices morbi : neque id tantum, sed et insanabiles, qui magnas afferant calamitates. At non talis est frugalitas; sed duplex est sanitas, duplicia bona. « Somnus sanitatis,

» inquit, in interna mediocritate[1]. » Ubique enim mediocritas desiderabilis est, quod vero modum non servat, injucundum. Vide enim : scintillæ parvæ magnam lignorum congeriem impone, et non ultra ignem splendentem, sed fumum videbis valde insuavem. Viro forti et magno onus impone vires superans, et videbis cum onere humi jacentem. Magnum onus injice in navim, et grave facies naufragium. Tales sunt deliciæ. Sicut enim in navibus supra modum oneratis, magnus est nautarum tumultus, gubernatore, eo qui in prora sedet, ac vectoribus, superiora et inferiora in mare projicientibus; sic et hoc loco, superiora evomentes et inferiora, ac se ipsos corrumpentes pereunt. Quodque omnium turpissimum est, os posteriorem partium usum assumit, fitque illis ignominiosius. Quod si in ore sit tanta turpitudo, cogita quanta sit in anima. Nam ibi omnia caligo, omnia procellæ, omnia tenebræ; multa confusio cogitationum in angustia versantium, anima ipsa damnum exclamante. Hinc ipsi ventri dediti, sese mutuo redarguunt, ægre ferunt, stercus internum dejicere festinant. Attamen post quam projecerunt, neque sic agitatio sedatur. Sed et febres hinc et morbi. Etiam, inquit, infirmi sunt, et turpiter agunt. Hæc frustra nobis narrantur, frustra morbi enumerantur. Infirmor ego, laceror et turpiter ago, qui non habeo quod edam. Hos autem in deliciis agentes, videre est bene affectos, pingues, gaudentes, equis vectos. Væ mihi : lacrymis enim digna hæc verba sunt. Eos autem, qui podagra laborant, sellis gestatos, alligatos, qua ex parte, quæso, respiciemus? Et nisi rem illi putarent contumeliosam ac probrosam, illos jam nomine suo compellassem. Sed sunt quidam, inquies, qui bene valent, quia non solum deliciis dant operam, sed etiam laborant. Verum da mihi

[1] Eccli. xxxi. 20.

hominem semper pinguescentem, otiosum, inertem, qui bene valeat. Sed non invenies. Etiamsi enim innumera medicorum turba adsit, illum ventri semper operam dantem a morbis eruere non poterunt : neque enim id natura rei permittit. Ego vero medicorum dictum vobis afferam. Ex iis, quæ in ventrem mittuntur, non omnia fiunt alimentum : nam in ipsa ciborum natura non totum alendi vim habet, sed pars in secessum secernitur, pars in alimentum cedit. Si ergo moderate cibum sumens totum perficias, singula in locum suum pergunt, et quod sanum utileque est in suum se locum confert; quod autem superfluum est et inutile, secedit et egeritur. Sin vero nimia sit ciborum copia, etiam id quod alendi vim habet, noxium est, idque perspicuitatis causa exemplo proferam. In frumento aliud est simila, aliud farina, aliud furfur. Si ergo mola accipiet ea quæ potest molere, hæc omnia discernit; sin plura conjicias, omnia confunduntur. Rursus vinum, si congruentem accipiat operam, si suo tempore conficiatur, primo omnia simul miscentur : postea vero aliud in fæcem abit, aliud in spumam, aliud manet ad usum fruentium : et hæc bona pars est, nec facile mutatur. Nam ante neque vinum neque fæx est, cum scilicet omnia miscentur. Hoc in mari quoque videre est in magna tempestate. Ut ergo tunc pisces videmus mortuos superfluitare, qui præ frigore non possunt in fundum demergi; ita et nobis accidit. Quando enim superne ingens ingruit voracitatis imber, omnia commovens, cogitationes antea sanas, et quietas, ceu mortuas supernatare cogit. Cum igitur ex hujusmodi exemplis demonstratum nobis fuerit quantum sit damnum, cessemus beatos dicere illos, quos miseros prædicare oporteret, nosque deplorare ex iis ob quæ beatos dicere oporteret, et frugalitatem diligamus. Annon auditis medicos dicentes : « Indigentia est mater sa-

nitatis. » Ego vero non corporalis modo sanitatis indigentiam matrem esse dico, sed etiam spiritualis. Hoc et Paulus, verus medicus, clamat dicens : « Habentes alimenta » et tegumenta, his contenti simus[1]. » Obtemperemus ergo illi, ut sani ea quæ agenda sunt operemur in Christo Jesu Domino nostro, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVII.

CAPUT VII.

Hunc Moysem, quem negaverunt dicentes : Quis te constituit principem et judicem super nos ? hunc Deus principem et redemptorem misit cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo[2].

1. Maltum congruens hoc est argumento proposito. « Hunc » Moysem, inquit. » Qualem hunc? Eum qui in periculum exitii venit : cum quem ipsi contempserant, quem negaverant dicentes : « Quis te constituit principem? » Quemadmodum et Christo dicebant : « Non habemus regem, nisi » Cæsarem[3]. Hunc Deus principem et redemptorem misit » cum manu Angeli, qui dixerat ei : « Ego sum Deus Abra- » ham[4]. » Hic et miracula quæ facta sunt, per Christum facta esse ostendit. Hic, id est Moyses. Et vide quomodo illum splendidum exhibeat. « Eduxit illos faciens prodigia » et signa in terra Ægypti, in mari Rubro, et in deserto » annis quadraginta. Hic est Moyses, qui dixit filiis Israël ;

[1] 1 Tim. VI, 8. — [2] Act. VII, 35. — [3] Joan. XIX, 15. — [4] Exod. II, 14.

»Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus ex fratribus »vestris tanquam me [1]; »id est, contemptum, insidiis appetitum. Etenim voluerat ipsum occidere Herodes, et in Ægypto servatus est; sicut et ille puer cum esset, insidiis est appetitus. « Hic est qui fuit in Ecclesia in solitudine, »cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, et cum »patribus nostris, qui accepit verba vitæ dare nobis [2]. » Rursus nusquam templum, nusquam sacrificium. Cum Angelo, inquit, ut daret vobis verba vitæ. Hic ostendit ipsum non tantum signa fecisse, sed etiam legem dedisse, ut Christus fecit. Quemadmodum ergo hic primo signa facit, et tunc legem dat; sic et Christus. Sed non audierunt illum, semper repugnare docti, post signa illa, post prodigia per quadraginta annos edita. Neque hoc tantum, sed et contrarium exhibuerunt, quod declarans adjecit. « Cui noluerunt obedire patres nostri; sed repulerunt et »aversi sunt cordibus suis in Ægyptum. Dicentes ad Aaron: »Fac nobis deos qui præcedant nos [3]. Moyses enim hic, »qui eduxit nos de terra Ægypti, nescimus quid factum »sit ei. Et vitulum fecerunt in diebus illis, et obtulerunt »hostiam simulacro, et lætabantur in operibus manuum »suarum. Convertit autem Deus, et tradidit illos servire »militiæ cœli, sicut scriptum est in libro Prophetarum: »Numquid victimas et sacrificia obtulistis mihi annis qua»draginta in deserto, domus Israël [4]. Et suscepistis taber»naculum Moloch, et sidus dei vestri Remphan, figuras, »quas fecistis, ut adoraretis eas. Et transferam vos trans »Babylonem. « Tradidit, hoc idem est ac permisit. »Taber»naculum testimonii erat patribus nostris in deserto, sicut »statuerat illis loquens ad Moysem, ut faceret illud secun»dum formam quam viderat [5]. »Licet tabernaculum esset,

[1] Deut. XVIII, 18, et Act. VII, 36, 37. — [2] Ibid. 38. — [3] Exod. XXXII, 1. — [4] Amos. V, 25. — [5] Act. VII, 39-44.

sacrificia non erant. Quod vero non essent, Propheta declarat his verbis : « Numquid victimas et sacrificia obtulis- »tis mihi ? » Tabernaculum testimonii erat [1], et nihil ipsis proderat ; sed consumebantur. Neque antehac illis signa, neque postea profuerunt illis. « Quod et induxerunt sus- »cipientes patres nostri. » Vides-ne ibi locum sanctum »esse, ubi est Deus ? Ideo « In deserto » dixit ut locum loco conferat. Deinde beneficium sequitur. « Et induxe- »runt, inquit, suscipientes patres nostri cum Jesu in pos- »sessionem gentium, quas expulit Deus a facie patrum »nostrorum usque ad dies David, qui invenit gratiam ante »Deum, et petiit ut inveniret tabernaculum Dei Jacob [2]. » Petiit ædificare David, et non concessum est ei ; magno licet et mirabili. Sed ædificat abjectus ille Salomon. Ideo ait : « Salomon autem ædificavit illi domum. Sed non Altis- »simus in manufactis templis habitat [3]. » Jam hoc per ea quæ supra dicta sunt ostensum est. Declaratur autem ex prophetica voce : quomodo autem, audi sequentia. « Sicut »Propheta dicit : Cœlum mihi sedes est, terra autem »scabellum pedum meorum. Et quam domum ædificabitis »mihi, dicit Dominus ? Aut quis locus requietionis meæ »est [4] ? Nonne manus mea fecit hæc omnia [5] ? » Ne mire- mini, inquit, si Christus iis qui regnum ipsius rejiciunt bene facit, quandoquidem et in Moyse hoc factum est : et non simpliciter illos eruit ; sed in deserto agentes. Vides- ne quod propter illos signa illa edita sint ? Itaque qui cum Deo locutus est, qui mire servatus, qui tanta fecit et po- tuit, ostendit omnino oportere impleri prophetiam, nec aversatur sibi ipsi. Sed superius dicta repetamus. « Hic est, » inquit, Moyses qui dixit : Prophetam vobis suscitabit Do- »minus tanquam me. » Hoc puto Christum respexisse cum

[1] Exod. xxv, 40. — [2] Act. vii, 45, 46. — [3] 2 Reg. ii, 16, et Act. vii, 47, 48. — [4] Isai. lxvi, 1. — [5] Act. vii, 49, 50.

dixit : « Ex Judæis salus est [1], » se ipsum subindicans. « Hic » est qui fuit in deserto cum Angelo, qui loquebatur ipsi. » Ecce iterum ostendit ipsum dedisse legem ; siquidem cum ipso erat in cœtu in deserto. Hic vero miraculum magnum etiam commemorat in monte factum : « Qui accepit verba » vitæ, ut daret nobis. » Ubique mirabilis est Moyses ; maxime vero quando lex danda erat. Quid sibi vult illud, « Verba vitæ? » Vel ea quorum finis per sermones monstrabatur, vel prophetias dicit. Hinc sequitur criminatio in Patriarchas, qui post signa et miracula, postquam acceperant verba vitæ, ei noluerunt, inquit, obedientes esse. Recte autem dixit, « Verba vitæ, » ut ostenderet esse quoque verba non viventia, de quibus Ezechiel ait : « Et dedi » vobis præcepta non bona. » Talia ergo respiciens dixit : « Verba vitæ : sed repulerunt, et aversi sunt cordibus suis » in Ægyptum ; » ubi ingemiscebant, ubi clamabant, unde Deum invocabant. « Et dicebant Aaroni : Fac nobis deos, » qui præcedant nos. »

II. O insipientiam ! Fac, inquiunt, ut præcedant nos. Quo ? In Ægyptum. Vides-ne quam ægre avellerentur a moribus ægyptiacis? Quid dicis ? Non expectas eum qui te eduxit ; sed negas beneficium, et a benefactore fugis? Et vide quomodo contumelia afficiunt. « Moyses enim hic, » inquiunt, qui eduxit nos de terra Ægypti. » Nusquam Dei nomen, sed omnia Moysi ascribunt. Et cum gratias agere oporteret, Moysem in medium adducunt : cum autem legi obediendum erat, non jam Moysem memorant. Atqui dixerat se ascendere ut legem acciperet ; illi vero ne per quadraginta quidem dies expectarunt. « Fac nobis deos. » Non dixerunt ; « Deum, » sed, Deos ; » sic debacchabantur, ut nescirent quid dicerent. « Et fecerunt vitulum in diebus » illis, et obtulerunt sacrificia idolo. » Vidisti-ne insipien-

[1] Joan. IV, 22.

tiam ingentem? Ubi apparuit Deus Moysi, hi vitulum faciunt et immolant. « Et lætabantur, inquit, in operibus »manuum suarum. » De quibus erubescere oportebat, lætabantur. Et quid mirum si ignoratis Christum, quando et Moysem ignoratis et Deum, tot signis exhibitum? Illi vero non ignorarunt modo, sed et alio modo contumelia affecerunt, dum idola facerent. « Convertit autem Deus, »et tradidit illos servire militiæ cœli. » Hinc mores illi; hinc sacrificia. Ipsi primum idolis sacrificarunt. Hoc significans David dicit : « Et fecerunt vitulum in Choreb, et »adoraverunt sculptile [1]. » Nam antehac, nusquam sacrificii nomen; sed præcepta viva, et eloquia viva. Nusquam initiationes; sed miracula et signa exhibita. « Sicut scrip»tum est in libro Prophetarum. » Hic testimonium non sine causa adducit, sed ut ostendat non esse sacrificiis opus. Et vide quid dicat.» Num victimas et sacrificia ob»tulistis mihi in deserto quadraginta annis? Et accepistis »tabernaculum Moloch, et sidus Dei vestri Remphan, »figuras quas fecistis, ut adoraretis. » Cum emphasi loquitur; hoc vero significat. Non potestis dicere, vos quod mihi sacrificaretis, illis etiam sacrificavisse; et hoc in deserto, ubi maxime illis præsidebat. « Et accepistis tabernaculum Moloch : » Et hæc fuit causa sacrificiorum. « Et transferam vos ultra Babylonem. Sic et captivitas accusatio malitiæ est. Et quomodo, inquies, erat tabernaculum testimonii? Ideo erat, ut testem haberent Deum. Igitur ad hoc solum erat. « Secundum formam, in»quit, quæ tibi monstrata fuit in monte. Itaque in monte descriptio facta est : et hoc in deserto circumferebatur, nec in quopiam loco manebat. Tabernaculum vero testimonii vocat, non alia de causa, quam ob miracula et præcepta. Attamen nec illud nec illi templum habebant. Ergo

[1] Psal. cv, 19.

figuram illam Angelus dederat. « Usque ad dies David, » inquit. Itaque usque ad tempus illud templum non erat, etiamsi gentes expulsæ fuissent, de quibus ait : « Quas » expulit Deus a facie patrum nostrorum. » Hoc vero dixit iterum ostendens nondum fuisse templum. Quid dico? Tot miracula, et nusquam templum? Sic et primum tabernaculum, et nusquam templum. Et petiit ut inveniret gratiam coram Deo. Petiit, et non ædificavit. Ita non magnum quidpiam erat templum, etiamsi quidam magnum putaverint esse Salomonem, quod templum ædificaverit, qui ideo illum patri prætulerunt. Quod autem non fuerit patre melior; imo neque par illi, sed tantum ex quorumdam opinione, id declarat sic pergens : « Sed Altissimus in manu- » factis non habitat, sicut Propheta dicit : Cœlum mihi se- » des est : terra autem scabellum pedum meorum. » Neque enim hæc Deo digna sunt, utpote facta, utpote manus ejus opera. Vide quomodo illos paulatim erigat. Ostendit enim per Prophetam indignum esse hæc de Deo dicere. Et qua de causa, inquies, hic acriter loquitur? Multa inerat loquendi fiducia morituro. Nam puto illum hoc ex revelatione scivisse. « Dura cervice et incircumcisis cordibus » et auribus; hoc quoque propheticum est, neque illi pro- » prium; vos semper Spiritui sancto resistitis; sicut pa- » tres vestri, ita et vos [1]. » Quando nolebat esse sacrificia, vos sacrificabatis : quando nolebat dare vobis præcepta, requirebatis; quando accepistis, neglexistis. Rursus cum staret templum, idola colebatis; quando vult sine templo coli, contrarium facitis. Perpende : non dixit, « Deo resistitis; sed, « Spiritui. » Sic nullam noverat differentiam. Quodque majus est, « Sicut patres vestri, ita et vos, » inquit. Ita et Christus exprobrabat, quia multum semper de patribus gloriabantur. « Quem Prophetarum non sunt per-

[1] Act. VII, 51.

» secuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænun-» tiabant de adventu Justi [1]. » Adhuc Justi dicit, volens illos comprimere. « Cujus vos nunc proditores et homicidæ » fuistis. » Duo illis improperat, et quod ignorarint, et quod occiderint. « Qui accepistis legem per dispositiones Ange-» lorum, et non custodistis [2]. »

III. Quid est hoc? quidam putant ipsum dicere legem ab Angelis fuisse dispositam. At res non ita se habet. Ubi namque Angeli visi sunt legem ordinare? Sed dispositam legem dicit; id est, traditam illi per Angelum, qui apparuit illi in rubo. Nonne homo erat? Nihil ergo mirum est eos, qui illa fecerant, et hæc fecisse. Si annuntiantes illum occidistis, multo magis ipsum. Hic illos et Deo, et Angelis, et Prophetis, et Spiritui, et omnibus inobedientes ostendit : ut et alibi ait Scriptura : « Domine, Prophetas tuos » occiderunt, et altaria tua subverterunt [3]. » Illi igitur specie tantum legem curantes, dicebant : « In Moysem blas-» phemat. » Ille vero ostendit ipsos magis blasphemare, non solum in Moysem; sed etiam in Deum, et jam olim illos talia fecisse, instituta solvisse : neque illis ultra opus esse : ipsos item dum se accusarent quod Moysi esset contrarius, Spiritui sancto obsistere; neque id simpliciter, sed etiam cum cæde, et diu antea inimicitias exercuere. Vides-ne quomodo illos ostendat et Moysi et omnibus adversantes, legemque non servantes? Atqui Moyses dixerat : « Prophe-» tam vobis suscitabit Dominus [4] : » et alii hunc venturum prædixerunt : et Propheta quoque qui dicit : « Qualem do-» mum ædificabitis mihi? » Et iterum : « Numquid victimas » et sacrificia obtulistis mihi quadraginta annis? » Hæc erat fiducia viri crucem habentis. Hanc et nos quoque imitemur, etiamsi non sit belli tempus, ac fiduciæ tempus est. « Loquebar, inquit, de testimoniis tuis in conspectu re-

[1] Act. VII, 52. — [2] Ibid. 53. — [3] 1 Reg. XIX, 10. — [4] Deut. XIX, 15.

» gum, et non confundebar[1]. » Si ergo cum gentilibus congrediamur, sic illos reprimamur absque ira, absque asperitate. Nam si cum ira hoc faciamus, non jam fiducia, sed passio esse videtur; sin mansuete, vere fiducia est. Neque enim possibile est simul secundum eamdem rationem idipsum esse bonum opus et delictum. Fiducia bonum opus est, ira delictum. Oportet ergo cum fiducia locuturos, a furore liberos esse, ut ne quis hinc verba proficisci putet. Etiamsi justa dixeris cum furore, totum perdidisti, licet libere loquaris, licet moneas, licet quidvis aliud facias. Hunc respice virum non cum furore loquentem. Neque enim contumelia affecit; sed illis propheticum sermonem memoravit. Quod enim nullo furore moveretur, ostendit quando pro illis se male impetentibus precatus, dixit : « Ne statuas illis hoc peccatum. » Sic non iratus, sed pro illis dolens ac mœrens loquebatur ille. Ideo namque de facie ejus dixit : « Viderunt faciem ejus tanquam » faciem Angeli, » ut illos attraheret. Puri igitur ab ira simus. Non habitat Spiritus sanctus ubi ira est. Maledictus furibundus. Non potest sanum quid prodire, cum furor egreditur. Nam sicut in marina tempestate magnus est tumultus, magnus clamor, nec quis tempus habuerit ad philosophandum; ita neque in furore. Sed si anima quid philosophicum vel loqui vel discere velit, quasi in portu sit oportet. Non vides quomodo de necessariis rebus locuturi, loca tumultu vacua quærimus, ubi quies sit, ubi tranquillitas, ut ne repellamur? Quod si externus tumultus repellat, multo magis interna turbatio. Etsi precetur quis, frustra precatur, si cum ira et furore id faciat; si loquatur, ridiculus erit; si taceat, similiter; si comedat, etiam sic læditur; itemque si bibat, si sedeat, si stet, si ambulet, si dormiat. Nam et in somniis talia imaginantur.

[1] Psal. CXVIII, 46.

Quid in iracundis non turpe? Oculi injucundi, os distortum, membra tremula et inflata, lingua infrenis et nemini parcens, mens in excessu, habitus indecens, multa insuavitas. Vide mihi dæmoniacorum oculos, et ebriorum, et insanientium, quid inter se differunt? Nonne totum furor est? Quid enim etsi ad tempus hoc fiat? Nam et insaniens ad tempus detinetur. Hoc autem quid deterius? neque pudet illos ad defensionem dicere : « Nesciebam quid dicerem, inquit. » Et cur nesciebas, rationalis et ratione præditus homo? Cur ea quæ brutorum sunt facis, sicut equus ferox ira et furore correptus? Hæc certe defensio culpa non vacat. Utinam scivisses quæ dicebas. Iræ, inquies, verba sunt, non mea. Quomodo iræ sunt, cum ira nullam vim habeat, nisi a te accipiat? Ac si quis diceret : « Vulnera non mea, sed manus meæ sunt. » Cui rei putas maxime opus esse ira? Nonne bello et pugnæ? At ibi etiam si quid cum ira fiat, totum periit et pessum abiit. Nam pugnantibus maxime convenit non irasci, imo nec iis qui contumeliam inferunt, convenit irasci. Et quomodo pugnandum est, inquies? ratione, mansuetudine. Certamen enim est ex adverso stare. Annon vides hæc bella, lege, ordine et temporibus definita? Ira enim nihil aliud est, quam irrationalis impetus. Irrationalis autem nihil potest rationale facere.

IV. Certe hic talia loquebatur, nec irascebatur. Helias vero dicebat : « Quousque claudicatis utroque poplite vestro[1]? » nec irascebatur. Phinees item occidebat[2], et non irascebatur. Ira enim non sinit videre; sed omnibus quasi in nocturna pugna ligatis, oculos et aures trahit quo voluerit. Ab hoc ergo dæmone liberemur; incipientem illum compescamus : sigillum pectori apponamus quasi frenum. Canis impudens est ira : sed discat audire legem. Si sit ca-

[1] 3 Reg. xviii, 21. — [2] Num. 25.

nis in armento ita ferox, ut bubulco imperanti non pareat, nec ejus vocem agnoscat, omnia pereunt. Cum ipsis ovibus pascitur; sed si ipsas oves edat, inutilis est et occiditur. Si didicerit te audire, ale canem : utilis est contra lupos, contra latrones, contra furum principem latrans, non contra oves, neque contra familiares. Si non audiat, omnia perdit : si contemnere discat, omnia pessumdat. Mansuetudo ergo in te non consumatur, sed etiam custodiat ira et foveat. Custodiet autem, et in securitate multa pascere sinet, si malas pravasque cogitationes consumat, si diabolum undique persequatur. Sic mansuetudo servatur, cum nihil malum de proximo cogitamus. Sic venerabiles efficimur, quando impudenter agere non discimus. Nihil enim ita impudentem reddit ut mala conscientia. Cur meretrices impudentes sunt? cur virgines pudibundæ? Nonne illæ a peccato, hæ a castitate? Nihil enim ita impudentem reddit, ut peccatum. Imo contra, inquies, in pudorem injicit. Etiam certe sese damnantem; alium vero impudentiorem, reddit petulantiorem. Nam qui de se desperat, audax efficitur. « Impius enim, inquit, cum in »profundum malorum venerit, contemnit[1]. » Impudens vero petulans fuerit; petulans autem audax est. Vis discere quandonam mansuetudo consumatur? Cum malæ cogitationes illam pertrahunt. Sed etiamsi hoc contingat, quia nondum canis stat multum latrans, neque sic desperandum est. Est quippe nobis funda et lapis; scitis quod dico : Est nobis hasta, caula et stabulum in quo cogitationes illæsas servemus. Si canis aduletur ovibus, furatque et vigilet contra externos; hæc virtus est canis. Licet esuriat, ne comedat oves; licet satur sit, ne parcat lupis. Talis et ira sit : licet mordeatur, a mansuetudine ne discedat; licet quiescat, adversus malas cogitationes excitetur : ac quod

[1] Prov. XVIII, 3.

suum est, licet pungat, ne deserat, sed agnoscat; quod autem alienum est, licet adulctur, pessumdet. Sæpe diabolus quasi canis adulatur, sed sciant omnes alienum esse. Sic et nos virtuti, etsi molesta sit, adulemur; et malitiam, etsi lætificet, aversemur. Ne simus canibus deteriores, qui flagellati et constricti, non absistunt. Si illos autem pascat alienus, quomodo non magis nocebunt? Est aliquando utilis ira, sed cum latrat contra alienos. Quid est illud, « Qui irascitur fratri suo temere[1]? » Id est, « Ne ulciscere, nec vindica te ipsum : si alium pereuntem videas, porrige manum. Non erit ultra ira, cum a proprio motu et affectu liber eris. » Apprehendit David Saülem, nec ira commotus est, nec captum inimicum hasta confodit; sed ultus est diabolum. Moyses cum alienum lædentem vidit, occidit; cum congenerem, non item. Sed fratres quidem reconciliabat, alienos vero pellebat, licet eum mitissimum fuisse Scriptura testificetur : attamen pervigil erat. Nos autem secus : sed ubi mansuetudinem exhibere oportet, feris omnibus ferociores sumus; ubi autem excitari par esset, admodum ignavi et supini. Quia igitur iis, quæ in nobis sunt, non ut par esset utimur, ideo in nihilum vita nostra consumitur. Ita et in vasis evenit : si aliud ad alium usum adhibeamus, omnia perdimus. Exempli causa, si quis gladium sumat, nec illum ad suum usum adhibeat, sed manu id facere tentet, nihil amplius efficit; sicut et qui, ubi manu ipsa operandum est, gladio utitur, omnia perdet. Sic et medicus, qui ubi secare oportet non secat, et ubi non oportet secat, omnia pessumdat. Quamobrem rogo, nos opportune hac re utamur. Iræ tempus non est, ubi nos ipsos juvamus. Si vero alios corrigere oporteat, tunc maxime illa utendum est, ut alios eruamus. Ita et Deo æquales erimus, si nos ab ira semper tueamur, et fu-

[1] Matth. v, 22.

tura consequemur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVIII.

CAPUT VII.

Audientes autem hæc, dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum [1].

1. Mirum sane quomodo occasionem occidendi ex dictis non acceperunt, sed adhuc insaniunt, et causam quærunt. Ita semper in malis sunt qui injuste agunt. Itaque ut principes sacerdotum anxii dicebant. « Quid faciemus homi-» nibus istis [2] ? » Ita et hi dissecantur. Atqui ille erat, qui succensere debebat, qui nihil læserat, et ac si læsisset passus et calumniis impetitus fuit. Sed hinc calumniatores magis evincuntur. Sic verum est quod semper dicebam : « Male facere, est male pati. » Certe ille nihil calumniatus est, sed vera declaravit. Sic cum contumelia afficimur, dum nihil nobis conscii sumus, nihil vere patimur. Volebant ergo illum occidere; sed non statim id faciunt, causam specie justam facinori volentes obtendere. Quid igitur? annon contumelia illa rationabilis causa erat? Non erat illius contumelia, sed Prophetæ accusatio. Vel sponte differebant, ne viderentur illum ob accusationes sibi illatas occidere; sicut etiam in Christo impietatem obtendebant, licet ille pia dixisset; ideoque post quam occiderant, famam ejus lædere conantes, « Dissecabantur : » timebant

[1] Act. VII, 54. — [2] Act. IV, 16.

enim ne novum quidpiam circa illum accideret. Deinde quod Christo fecerant, Stephano faciunt : et sicut illic quia dixerat : « Videbitis Filium hominis a dextris virtutis » sedentem, » id blasphemiam esse dicebant et testes turbas evocabant; sic et nunc faciunt. Illic vestimenta sciderunt : hic aures continuerunt. « Cum autem plenus » esset Spiritu sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam » Dei, et Jesum stantem a dextris Dei, et ait : Ecce video » cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei. » Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures » suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum. Et ejicien- » tes eum extra civitatem lapidabant [1]. » Atqui si mentitus erat, ut insanientem eum dimisisse oportuit. Ille vero sic dixerat volens eos abducere. Et quia de morte Christi tantum locutus, de resurrectione nihil dixerat, hoc dogma opportune demum adjicit. Ita autem sibi apparuisse dicit, ut enarrat, quo sic saltem ejus sermonem acciperent, qui quoniam dixerat illum sedere, molestus illis erat : interim de resurrectione sermonem movet, et illum stare dicit. Hinc conjecto faciem illius glorificatam esse. Nam Deus, benignus cum sit, per quæ illi insidias parabant, per eadem volebat illos evocare; etsi nihil amplius factum sit. « Et ejicientes eum extra civitatem, lapidabant. » Rursus extra civitatem mors, sicut in Christo : et in ipsa morte confessio et prædicatio enuntiatur. « Et testes deposuerunt » vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur » Saulus. Et lapidabant Stephanum, invocantem Deum et » dicentem : Domine Jesu Christe, accipe spiritum meum [2]. » Hinc ostendit et docet illos se non perire. « Et positis ge- » nibus clamavit voce magna : Domine, ne statuas illis hoc » peccatum [3], » quasi sese purgans, quod priora non ex ira dixerit, ait, « Domine; » vel quod vellet eos sic attrahere.

[1] Act. VII, 55, 56. — [2] Ibid. 57, 58. — [3] Ibid. 59.

Nam quod dimitteret ipsis iram et furorem quo cædem patrabant, et animum a passione purum ostenderet, id certe acceptabilem reddebat sermonem. « Saulus autem » erat consentiens neci ejus. Facta est autem in illa die » persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Jerosolymis[1]. » Non sine causa mihi hæc persecutio, sed divina dispensatione contigisse videtur. « Et omnes dispersi sunt per re- » giones Judææ et Samariæ præter Apostolos[2]. » Vides-ne quomodo rursum persecutionem esse Deus concedat? sed vide mihi quomodo res dispensentur. Per signa mirabiles facti sunt, flagellati nihil sunt passi, constituti sunt per regiones, sermo augebatur: demum permittit impedimentum esse magnum, et fit persecutio non modica, ita ut illi simul fugerent. Timebant enim illos audaciores factos; ut omnibus palam esset homines esse eos, qui timerent et fugerent. Ne diceres enim illos per gratiam tantum præclare agere, dum persecutionem paterentur, ipsi timidiores facti sunt, illi audaciores. « Et omnes dispersi sunt, in- » quit, præter Apostolos. » Non ergo frustra dicebam, persecutionem ex dispensatione fuisse; nisi enim facta fuisset, Discipuli non fuissent dispersi. « Curaverunt autem » Stephanum viri religiosi, et fecerunt planctum magnum » super eum[3]. » Vel nondum erant perfecti; vel quia ille gratiosus erat et venerabilis, ideo plangunt illum. Simul autem hic non timor tantum, sed etiam dolor et planctus, ostendunt illos esse homines.

II. Quis enim non plorasset videns illum mansuetum agnum lapidatum, jacere mortuum? Idoneum illi epitaphium apposuit Evangelista cum dixit: « Et positis geni- » bus, clamavit voce magna. Et fecerunt planctum magnum » super eum. » Sed quæ superius dicta sunt jam repetamus. « Cum esset plenus Spiritu sancto, intendens in cœlum,

[1] Act. VIII, 1. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 2.

» vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei, et ait : » Ecce video cœlos apertos. Et continuerunt aures suas, et » impetum fecerunt unanimiter in eum[1]. » Atqui quomodo hoc accusatione digna erant? Attamen eum, qui talia signa patrarat, qui omnes verbo vicerat, qui talia locutus erat, rapientes pro lubito furorem suum impleverunt. « Testes » autem deposuerunt vestimenta secus pedes adolescentis, » qui vocabatur Saulus. » Vide quam accurate quæ Paulum spectant recenseat, ut ostendat tibi opus Dei in ipso postea peractum. Interim vero ille non modo non credit, sed etiam mille homicidarum manibus ipsum impetit : ideo illud indicans dicit : « Saulus autem erat consentiens neci » ejus. » Non simpliciter sanctus hic precatur, sed cum attentione. « Positis, inquit, genibus. » Unde mors illius divina facta est. Nam hactenus animabus concedebatur ut in inferno essent. « Omnes autem dispersi sunt per regiones » Judææ et Samariæ. » Absque metu cum Samaria se commiscent, qui audierant : « In viam gentium ne abieritis[2]. » Præter Apostolos, » inquit; ostendens illos, ut sic Judæos adducerent, civitatem non reliquisse; sive etiam ut aliis fiduciæ auctores essent. « Saulus autem devastabat Ecclesiam, » per domos intrans, et trahens viros et mulieres, » tradebat in custodiam[3]. » Magnus furor, et quod solus esset, et quod in domos intraret; ita animam suam pro lege dabat : « Trahens, inquit, viros et mulieres. » Vide licentiam, contumeliam et insaniam. Omnes, qui in manus suas incidebant, mille afficiebat malis, utpote ab hac nece audacior factus. « Igitur qui dispersi erant, transibant » evangelizantes verbum. Philippus autem descendens in » civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum. Intendebant autem turbæ unanimiter iis, quæ a Philippo dicebantur, audientes et videntes signa quæ faciebat.

[1] Act. VII, 55, 56. — [2] Matth. X, 6. — [3] Act. VIII, 3.

» A multis enim eorum, qui habebant spiritus immun-
» dos, clamantes voce magna exibant. Multi etiam pa-
» ralytici et claudi curati sunt. Factumque est gaudium
» magnum in illa civitate. Vir autem quidam nomine Si-
» mon, qui ante erat in civitate magus, seducens gentem
» Samariæ, dicens se esse aliquem magnum ; cui ausculta-
» bant omnes a minimo usque ad maximum, dicentes :
» Hic est virtus Dei magna[1]. » Vide mihi aliam tentatio-
nem, nempe Simonis. « Attendebant autem ei turbæ,
» propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos.
» Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno
» Dei, et de nomine Jesu Christi, baptizabantur viri et
» mulieres. Tunc Simon et ipse credidit, et cum baptiza-
» tus esset, adhærebat Philippo. Videns etiam signa et vir-
» tutes maximas fieri, stupens admirabatur. Cum audissent
» autem Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset
» Samaria verbum Dei, miserunt ad illos Petrum et Joan-
» nem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut accipe-
» rent Spiritum sanctum. Nondum enim in quemquam
» illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine
» Domini Jesu. Tunc imponebant manus super eos, et ac-
» cipiebant Spiritum sanctum. Cum vidisset autem Simon,
» quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spi-
» ritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens : Date et mihi
» hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, acci-
» piat Spiritum sanctum[2]. » Quomodo, inquies, hi Spiri-
tum non acceperant? Spiritum acceperant remissionis :
Spiritum vero signorum nondum. Vide quomodo hoc
cernens Simon accessit hoc petens. Etiamsi vero tunc
maxime persecutio vigeret, attamen Deus ipsos rursum li-
beravit signorum ope munitos. Neque enim mors Stephani
illorum restinxit furorem, imo magis auxit. Ideoque dis-

[1] Act. VIII, 4-10. — [2] Ibid. II, 19.

perguntur doctores, ut doctrina amplius propagetur. Sed vide iterum illos in bonis versantes, et in gaudio : nam ait : « Factum est gaudium magnum in civitate; » etiamsi luctus quoque magnus fuerit : sic solet Deus semper facere, tristibus nempe læta admiscere, ut magis in admiratione sit. A multo autem jam tempore morbo laborabat Simon; unde neque sic ab illo liberatur. Quomodo autem illum baptizavit? Sicut et Judam Christus elegit. Hic signa videns obstupescit quidem; non audet vero gratiam signorum petere, quia sciebat etiam alios nondum accepisse. Quomodo igitur illum non occiderunt sicut Ananiam et Sapphiram? Quia etiam olim is qui ligna collegerat occisus est in exemplum; neque ultra alius quispiam id passus est. Sic et nunc Petrus facit : illisque punitis, hunc non punit, sed ait illi : « Pecunia tua tecum sit in perditionem : quo» niam donum Dei putasti pecunia acquiri [1]. »

III. Et cur hi baptizati non acceperant Spiritum sanctum? vel quia Philippus dare ausus non erat, hunc reservans Apostolis honorem; sive quia hoc charisma non habebat : erat enim ex illis septem : id quod magis videtur dicendum. Puto certe hunc Philippum ex septem illis esse (11), secundum a Stephano. Quamobrem cum baptizaret, Spiritum baptizatis non dabat. Neque enim potestatem habebat. Hoc quippe donum duodecim illorum tantum erat. Perpende autem : illi non exierant; dispensatum est ut ii exirent, qui minorem gratiam habebant, quod nondum accepissent Spiritum sanctum. Potestatem quidem acceperant faciendi signa, non autem Spiritum aliis dandi. Igitur hæc Apostolorum erat prærogativa; ideoque et Coryphæos, non alios, videre est hoc facere. « Videns » autem Simon, inquit, quod per impositionem manuum » Apostolorum daretur Spiritus sanctus. » Non sic dixis-

[1] Act. VIII, 20.

set, nisi sensibile quidpiam factum fuisset. Hoc et Paulus fecit, cum loquerentur linguis. Vidisti-ne Simonis scelus? Pecunias obtulit. Atqui non viderat illum pro pecunia id facientem : unde non ignorantis opus erat ; sed tentantis, et volentis crimen intentare. Ideoque audit : « Non est » tibi pars neque sors in sermone isto : cor enim tuum non » est rectum coram Deo[1]. » Iterum quæ in mente erant affert in medium, quia ille se latere putabat. « Pœniten- » tiam itaque age ab hac nequitia tua et roga Dominum, » si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In » felle enim amaritudinis, et in vinculo iniquitatis video te » esse. Respondens autem Simon dixit : Precamini vos pro » me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum quæ » dixistis[2]. » Cum oportuisset illum ex corde pœnitentiam agere, et flere, ille perfunctorie tantum hoc facit. « Si » forte remittatur tibi hoc, » inquit. Non quod non remis- sum fuisset illi si plorasset. Sed mos est etiam Prophetis solum denegare et non dicere : « Si autem hoc feceris, con- donabitur tibi; » sed omnino futuram pœnam denuntiare. Tu vero mirare quomodo in tempore calamitatis non negli- gant, sed prædicationi incumbant : et quomodo, sicut sub Moyse per comparationem fiebant miracula (12) ; ita et nunc. Magia erat, et tamen hæc signa manifesta erant, quamvis nullum ibi oporteret esse dæmoniacum, quando- quidem a multo jam tempore magiis dementabat illos. Quia vero multi erant dæmoniaci, multi paralytici; illa veritas non erant. Hic vero non signis modo, sed verbo illos inducebat de regno Christi loquens. At Simon, in- quit, baptizatus adhærebat Philippo, non fidei causa, sed ut talis ipse fieret, adhærebat. « Qui cum venissent ora- » verunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum; non- » dum autem in quemquam illorum venerat. Nunc impo-

[1] Act. VIII, 21. — [2] Ibid. 22-24.

»nebant manus super illos, et accipiebant Spiritum »sanctum.» Vides hæc non utcumque fieri, sed multa opus fuisse virtute ad dandum Spiritum sanctum? Non enim idem est remissionem consequi, et talem accipere potestatem. « Videns autem Simon quod per impositio- »nem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, ob- »tulit ipsis pecunias.» Num alios hoc facientes vidit? Num Philippum? Num putabat ipsos non nosse quo ille animo accederet? Ideo bene Petrus rem donum vocat dicens: « Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam »existimasti donum Dei pecuniis acquiri.» Vides-ne ubique puros illos a pecuniis? « Non est tibi pars neque sors »in sermone isto. Cor enim tuum non est rectum coram »Deo.» Itaque per malitiam omnia faciebat: atqui simplicem esse oportebat. « Pœnitentiam itaque age: in felle »enim amaritudinis et in vinculo iniquitatis video te esse.» Magnæ iræ verba sunt. Non punit autem ipsum, ut ne deinceps fides ex necessitate esset, nec res crudelis esse videretur; utque pœnitentiam induceret: vel quia ad correctionem sufficiebat arguisse, et quæ in corde erant dixisse, ut ille confiteretur se captum esse. Cum enim dicit. « Precamini vos pro me ad Dominum», » id confitetur et indicat. Vide quomodo quamvis sceleslus esset, redargutus tamen credidit, ut et humilis factus est, quando iterum redargutus est. Videns signa, quæ fiebant, obstupuit. Non dixit: « Accessit; » sed, « Obstupuit. » Et cur non hoc satim facit? Putabat se posse latere; putabat artem esse quod fiebat. Quia autem non potuit Apostolos latere, accessit. « A multis enim, qui habebant spiritus »immundos, clamantes illi voce magna exibant.» Hoc egrediendi signum manifestum erat; magnorum vero signa e contrario: illi namque magis alligabant. Multi paralytici et claudi sanati sunt. Nulla hic erat fallacia:

nam oportebat ambulare et operari. « Auscultabant au- »tem illi omnes dicentes : Hic est virtus Dei. » Hic imple- tur illud Christi dictum : « Multi venient pseudo-Christi »et pseudo-prophetæ in nomine meo[1]. » Quare non sta- tim illum redarguerunt? Satis habebant quod sese con- demnaret. Etenim et hoc doctrinæ erat. Quia autem re- sistere non poterat, simulat ut magi illi qui dicebant : « Hoc digitus Dei est[2]. » Ne vero rursus expelleretur, ideo adhærebat Philippo, nec recedebat.

IV. Tu vero mihi perpende quot quantaque dispensen- tur per mortem Stephani. Disperguntur per regiones Ju- dææ et Samariæ, evangelizant verbum, prædicant Chris- tum, signa edunt; paulatim hi donum accipiunt. Hoc duplex signum erat. Nam illis tunc dare, huic vere non dare, magnum erat signum. « Et illi quidem testificati »et locuti verbum Domini, reversi sunt in Jerusalem, et »multis vicis Samaritanorum evangelizabant[3]. » Bene dixit, « Testificati. » Testificantur fortasse propter illum, ne decipiantur, ut postea in tuto essent, ne inexperti sæpe abriperentur. « Reversi sunt Jerosolymam. » Cur ite- rum illo concedunt ubi tyrannis erat, ubi malorum prin- cipium, ubi maxime sanguinarii erant? Ut in bellis duces faciunt, et bello laborantem partem petunt; idipsum hi præstant. Vide rursum non primo venientes Samariam, sed pulsos Discipulos. Sicut et sub Christo; et Apostolos ad eos Samaritanos, qui crediderant, demum missos. « Cum »audissent autem, inquit, Apostoli, qui erant Jerosoly- »mis, miserunt ad illos Petrum et Joannem. » Cur mit- tuntur? Ut illos liberent a magia, ut illis doctrinam com- memorent, quam a Christo didicerant. Cum oporteret ergo illum contrarium petere, ut acciperet Spiritum sanc- tum, is illud nihil curans, petit ut aliis dare possit; etsi

[1] Marc. XIII, 22. — [2] Exod. VIII, 19. — [3] Act. VIII, 25.

ipsi non illum ita acceperant ut dare possent. Sed volebat hic Philippo clarior esse, qui inter Discipulos erat. « Pe- » cunia tua tecum sit in perditionem. » Non imprecantis, sed corrigentis hæc sunt. Quia enim illa non ut par erat utebatur; Tibi sit, inquit, qui talis es; ac si quis diceret: « Cum proposito tuo pereat, quod tam viliter sentias de dono Dei : quia sperabas humanam omnino rem esse : » non ita se habet. Sic ergo accessisset ut accedendum erat, saltem receptus fuisset, saltem non ut pestis rejectus fuisset. Vides-ne eum qui parva de magnis sentit dupliciter peccare? Duo igitur illi præcipit : « Pœnitentiam age, » et ora, si forte remittatur tibi cogitatio cordis tui : » tam malam rem cogitaverat. Ideo ait, « Si forte remittatur » tibi, » quia sciebat incorrigibilem esse. At ille timuit multitudinem et metuit negare. Certe nisi turbatus fuisset, dixisset utique se nescivisse et imprudenter fecisse. At ille perculsus est, primo quod signis captus esset; secundo quod quæ in mente versabat manifesta essent. Ideo procul postea abiit, nempe Romam, quasi non venturus illo esset Apostolus. « Multis, inquit, regionibus Samari- » tanorum evangelizabant. » Vide quomodo ipsa itinera illis negotium afferebant? sed non sine causa iter suscipiebant. Tales nos migrationes facere oporteret. Et quid dico migrationes? Multi vicos habent et agros; et non illa curant; sed quomodo balneum fiat, et pretia crescant, ut aulæ et domicilia construantur multam habent sollicitudinem : quomodo autem animæ excolantur, non item. Et tu quidem si spinas in agro videas, secas, uris, destruis, ut terram ab hac pernicie liberes; ubi autem agricolas vides spinis plenos, nec resecas; non times, dic mihi, nec exhorrescis, illum cogitans qui rationem exacturus est? Annon oporteret singulos fideles Ecclesiam construere, doctorem habere ad conferendum? Ante omnia illud in

scopo habere oportet, ut omnes sint Christiani. Quomodo, quæso, Christianus erit agricola, cum te videat sic tuam negligere salutem? Non potes facere signa, et sic persuadere? Quibus potes persuade, humanitate, patrocinio, mansuetudine, blanditiis, aliisque omnibus. Fora quidem et balnea multi faciunt; Ecclesias vero minime; omnia potius, quam hoc. Ideo admoneo et supplico, gratiamque peto; imo legem pono, ut nemo villam habeat Ecclesia non instructam. Ne mihi dixeris : « Prope est, in vicinia est : multa est impensa, modicus proventus. » Si quid habes erogandum pauperibus, hac in re insume. Melius illic quam hic. Ale doctorem, ale diaconum, et sacerdotalem cœtum. Ac si uxorem vel sponsam duceres, ac si filiam locares, sic esto erga Ecclesiam affectus. Dotem ipsi largire : sic tibi villa benedictione replebitur. Quid boni non illic erit? Parum-ne est, quæso, torcular benedici? Parum-ne est Deum prius ex omnibus fructibus tuis, sortem et primitias accipere? Ad pacem agricolarum hoc utile est. Venerabilis erit postea presbyter, illudque ad villæ securitatem conducet. Orationes illic perpetuæ pro te fient, oblatio singulis dominicis. Quid magis admirandum est, quod alii splendida sepulcra extruant, ut posteri audiant, illum talem hæc construxisse, an quod tu Ecclesias excitaveris? Cogita te usque ad Christi adventum mercedem habiturum esse, si altare Dei excitaveris.

V. Dic enim mihi, si imperator tibi præcepisset domum extruere, ut illo diversaretur, nonne omnia moveres? At nunc regia est Christi Ecclesia quam ædificas. Ne sumptum spectes, sed fructum reputa. Illi colunt terram, tu cole illorum animas. Illi fructus tibi afferunt, tu illos infer in cœlum. Qui initium dedit, is aliorum omnium causa est. Ergo et tu auctor eris quod catechumeni sint in vicinis villis. Certe balnea molliores reddunt agricolas, cauponæ

delicatiores : et tamen hæc apparatis propter gloriam. Forum et celebritates illos reddunt petulantiores : hæc autem omnino secus. Quanta enim res fuerit videre presbyterum ad exemplum Abrahæ incedentem, canum, accinctum, fodientem, operantem? Quid agro illo desiderabilius? Hic major est virtus. Non est illic lascivia; sed abacta est; non ebrietas et voluptas, sed eliminata est; non vana gloria, sed extincta est : benevolentia plus illic fulget propter simplicitatem. Qualis res est abire et ingredi in domum Dei, et videre quod ipse illam extruxerit; se ipsumque projicere supinum, et post illam corpoream quietem, nocturnis et matutinis hymnis adesse, commensalem habere sacerdotem et colloquentem, benedictione frui, alios videre istuc venientes? Hic murus, hoc præsidium agri est. Hic est ager de quo dicitur : « Odor agri pleni, cui benedi» xit Dominus[1]. » Ad hæc vero bona villa est propter quietem, propter otii abundantiam. Quod si et hoc accesserit, cui rei par non erit? Villa enim quæ Ecclesiam habet, paradiso Dei similis est. Non est illic clamor, non tumultus, non varii inimici, non hæreses : omnes videre est amicos, eorumdem consortes dogmatum. Te ad philosophiam quies adducit, ab hac philosophia te assumens presbyter, facile curabit. Hic enim quæcumque dixerimus forum excutit : illic vero quæ audieris, defixa in mente habebis. Alius in agro eris per illum. Illis ipse præerit, custos erit, tum cum præsens sit; tum quod illos componat. Quanta est expensa, dic mihi? Fac interim parvam domum pro templo; qui post te veniet, faciet porticum; sequens aliud adjiciet : et sic tibi totum imputabitur. Tu das parum, et omnium mercedem recipis. Ergo initium facito, fundamentum pone; imo vos mutuo hortamini : hac in re concertate. Nunc autem ubi palea, frumentum

[1] Gen. XXVII, 27.

et omnia similia reponenda sunt, facile ædificant; ubi vero animarum fructu colligendi sunt, nihil curant; sed coguntur mille stadia emetiri, et magnas peregrinationes suscipere, ut in Ecclesiam abeant. Quantum autem bonum est cum magna quiete sacerdotem in Ecclesiam venire, ut accedat ad Deum, et quotidie oret pro vico, pro prædio. Parum-ne est, dic oro, in sacris oblationibus semper nomen tuum referri, et quotidie pro villa preces ad Deum emitti? quantum tibi et ad alia hoc prodest? Contingit quosdam e vicino habitare et curatores habere. Ad te igitur pauperem nemo eorum venire dignabitur, sed presbyterum forte invitabit, et mensæ consortem faciet. Vides quanta hinc bona evenient? Villa interim erit ab omni suspicione libera : nemo homicidii, nemo furti accusabit, nemo simile quidpiam suspicabitur. Habent et aliam consolationem, sive morbus, sive mors accidat. Non utcumque nec quoquo modo amicitiæ istuc mutuo coëuntium junguntur; cœtus vero erunt multo, quam in celebritatibus, suaviores. Non modo autem cœtus; sed et illi qui præsident, ob presbyterum venerabiliores erunt. Audis utique Jerosolymam olim aliis urbibus apud veteres honoratiorem fuisse; nec sine causa; sed quod ibi tunc pietas obtineret. Quoniam ubi honoratur Deus, ibi nihil mali est; ubi non honoratur, nihil boni. Multa securitas erit etiam apud homines. Etiam rogo, non ignave sed alacriter rem suscipite. Nam si qui educit pretiosum a vili, quasi os Dei erit[1]; qui tot animabus, tam præsentibus quam futuris usque ad adventum Christi prodest, quanta Dei benevolentia fruetur? Præsidium construe contra diabolum. Hoc est enim Ecclesia. Hinc prodeant manus ad laborem; prius extendantur ad preces, et tunc ad opus abeant. Ita erit illis robur corporis; sic erit agricultura multa; sic omnia mala

[1] Jerem. xv, 19.

foras mittentur. Non potest hinc orta voluptas verbis explicari, donec opere sit suscepta. Nec hoc respicias, quod nullum habeat proventum. Si omnino id facias, ne facias tamen, nisi putes majorem tibi tota villa proventum futurum esse. Nisi sic affectus sis, ne opereris; nisi putes hoc opus tuis omnibus esse præferendum. Quid hoc proventu majus, animas in aream cœlestem inducere? Hei mihi, quod nesciatis quantum sit animas lucrifacere. Audi quid Petro dicat Christus: « Si diligis me, pasce oves meas [1]. » Si regias oves videns aut equorum armentum, quod stabulum non haberent, insidiis patere; acciperes ipse et equile stabulumque extrueres, ac pastorem præficeres, quo te rex munere non donaret? Nunc Christi gregem colligis; et pastorem præficis, nec putas te magnum quidpiam facere? Quid dico? si ei, qui scandalizat etiam unum, tantum supplicium comminatur; qui tot servat homines, annon salutem consequetur? Consequetur certe. Quod postea peccatum habebit? vel si habeat, annon delebit illud? A supplicio scandalizantis, disce præmium servantis. Si non curæ esset Deo vel unius animæ salus, non tam irasceretur de illius pernicie. Hæc itaque cum sciamus, huic spirituali operi hæreamus, me unusquisque vocet, et nos simul operam dabimus pro virili. Et si quidem tres fuerint possessores, in commune conferant; si unus, aliis quoque vicinis id suadebit. Tantum hoc perficere studeatis, obsecro, ut omni ex parte Deo placentes, æterna consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Joan. xxi, 18.

HOMILIA XIX.

CAPUT VIII.

Angelus autem Domini locutus est ad Philippum dicens : Surge et vade contra meridiem, ad viam quæ descendit a Jerusalem in Gazam : hæc est deserta. Et surgens abiit [1].

I. Videtur mihi hoc mandatum accepisse cum esset in Samaria. Quia ab Jerosolymis, non contra meridiem quis vadit, sed contra septentrionem : a Samaria vero contra meridiem, « Hæc est deserta. » Hoc dicit, ut ne timeat Judæorum incursum. Nec interrogat, quare ? sed surgens abiit. « Et ecce, inquit, vir Æthiops, Eunuchus potens Candacis » reginæ Æthiopum, qui erat super omnem gazam ejus, » qui venerat adorare in Jerusalem. Et revertebatur sedens » super currum suum, et legebat Isaïam prophetam [2]. » Magnis hic laudibus celebratur. Siquidem in Æthiopia manens, et tot negotiis obrutus, cum dies festus non esset, et in superstitionibus dedita civitate versaretur, venit adoraturus in Jerusalem. Magnaque erat diligentia, nam in curru sedens legebat. « Dixit autem Spiritus Philippo : » Accede, et adjunge te ad currum istum. Accurrens autem » Philippus, audivit eum legentem Isaïam prophetam ; et » dixit : Putas-ne intelligis quæ legis ? Ille vero dixit : Et » quomodo possim, nisi quis ostendat mihi [3] ? » Vide rursum aliam pietatem, quam illam ? Quod nesciens legeret : et postquam legerat, requirat. « Rogavitque Philippum ut

[1] Act. VIII, 26. — [2] Ibid. 27, 28. — [3] Ibid. 29-31.

» ascenderet et sederet secum. Locus autem Scripturæ, » quem legebat, erat hic : Tanquam ovis ad occisionem » ductus est : et sicut agnus coram tondente se sine voce, » sic non aperuit os suum. In humilitate judicium ejus sub- » latum est. Generationem ejus quis enarrabit, quoniam » tolletur de terra vita ejus ? Respondens autem Eunuchus » Philippo dixit : Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc, » de se, an de alio aliquo ? Aperiens autem Philippus os » suum, et incipiens a Scriptura ista, evangelizavit illi Je- » sum [1]. » Vides-ne quomodo res cum illo dispositæ sint ? primo legit et ignorat ; deinde legit hunc locum, ubi narrabatur passio, resurrectio et donum. « Et dum irent » per viam, venerunt ad quamdam aquam, et ait Eunuchus : » Ecce aqua, quid prohibet me baptizari [2] ? » Vidisti-ne promptum animum ? Vidisti-ne diligentiam. « Et jussit » stare currum, et descenderunt uterque in aquam, Phi- » lippus et Eunuchus, et baptizavit eum. Cum autem as- » cendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, » et amplius non vidit eum Eunuchus. Ibat per viam suam » gaudens [3]. » Cur, inquies, tulit eum Spiritus Domini ? Quia per alias civitates transiturus et prædicaturus erat. Ut ergo in admiratione haberetur, hoc factum est, utque non humanum, sed divinum haberetur, quod circa ipsum factus est. « Philippus autem inventus est in Azoto : et » pertransiens evangelizabat civitatibus cunctis, donec ve- » niret Cæsaream [4]. » Hinc palam est hunc ex septem illis fuisse. Nam postea in Cæsarea reperitur. E re autem rapuit illum Spiritus ; alioquin rogasset Eunuchus ut secum veni- ret : quem ille forte contristasset negando, cum nondum tempus esset. Vidisti Angelos cooperantes prædicationi, et ipsos quidem non prædicantes, sed hos vocantes ? Hoc porro mirabile hinc ostenditur. Quod enim rarum olim

[1] Act. VIII, 32-35. — [2] Ibid. 36. — [3] Ibid. 38, 39. — [4] Ibid. 40.

erat, et vix fiebat, hic jam sæpissime efficitur. Alioquin autem, hæc prænuntiatio erat, quod illi alienigenas essent superaturi. Nam credentium fide dignum testimonium poterat aliis qui didicerant persuadere, ut eumdem ipsi zelum arriperent. Ideo igitur ibat gaudens; itaque si scivisset, non ita delectatus esset. Quid autem vetabat, inquies, quin omnia ille accurate disceret, in curru sedens: maximeque in deserto? Quia res non erat ad ostentationem. Sed superius lecta exploremus. « Et ecce vir Æthiops Eu» nuchus, inquit, potens Candacis reginæ Æthiopum. » Hinc liquet illam ipsis imperasse. Nam olim mulieres imperabant, et hæc lex erat apud illos: sic nesciebat Philippus qua de causa veniret in desertum, quia non jam Angelus, sed Spiritus ipsum rapit. Nihil autem horum videt Eunuchus, imperfectus cum sit; vel etiam quod hæc non ad corporales, sed ad spirituales pertineant; neque etiam discit ea quæ Philippus edocebatur. Et cur non illi apparet Angelus, ut ducat ad Philippum? Quia fortassis non persuasus, sed obstupefactus tantum fuisset. Vide Philippi philosophiam. Non accusavit; non dixit: « Ignoras: ego te docebo; » non dixit: « Ego hæc accurate scio. » Non adulatus est, nec dixit ei: « Beatus es qui legis. » Sic et ab audacia et ab adulatione remotum erat verbum; sed potius curam gerentis erat et benigni. Oportebat enim illum interrogare, oportebat desiderare. Declarat autem se scire ipsum nihil nosse, cum ait: « Putas-ne » intelligis quæ legis? » simulque insinuat magnum repositum esse thesaurum.

II. Sed vide quam prudenter se excuset Eunuchus: « Et quomodo possim, nisi quis ostenderit mihi? » Non respexit habitum; non dixit: « Tu quis es? » non redarguit, non arroganter loquitur; non se scire dicit, sed ignorare fatetur: ideoque discit. Monstrat vulnus medico: novit

ipsum hæc scire, et velle docere. Vidit illum esse a fastu alienum. Neque enim splendidum gestabat vestitum. Ita erat discendi cupidus et verbis intentus. Illud vero, « Qui » quærit invenit [1], » in ipso implebatur. « Rogavitque, in- » quit, Philippum ut ascenderet, et sederet secum. » Vidisti-ne studium? Vidisti-ne desiderium? Rogat ut ascendat et sedeat secum. Sic nesciebat quid sibi dicturus esset: sed simpliciter putabat se prophetiam aliquam auditurum esse. Major autem hic honor est, quod non simpliciter ascendere curet, sed roget. « Accurrens autem Phi- » lippus, audivit eum legentem: » cursus loquendi cupidum indicat, lectio studii signum est. Illo enim tempore legebat, quo major est solis æstus. Locus autem hic erat: « Sicut ovis ad occisionem ductus est. » Et hoc illius discendi cupiditatis signum est; quod Prophetam illum aliis sublimiorem præ manibus habuerit. Ideo non cum vehementia illi narrat, sed mansuete; imo nec prius loquitur, quam interrogatus fuerit, donec ille rogaverit. Ut et illud iterum faciens ait: « Obsecro te, de quo Propheta dicit » hoc? » Videtur mihi nescivisse illum quod Prophetæ de aliis loquantur; vel si non hoc, quod de se ipsis loquantur in alia persona. Erubescamus et pauperes et divites, de illo penuario. « Deinde venerunt ad quamdam aquam, et » ait: Ecce aqua. » Hæc valde ferventis animæ sunt. « Quid » prohibet me baptizari? » Vides-ne ejus desiderium? Non dicit: « Baptiza me; » neque tacet; sed medium quidpiam inter desiderium et reverentiam loquitur. « Quid prohibet me » baptizari? » Vide quomodo absoluta dogmata habuit; nam Propheta omnia continebat, incarnationem, passionem, resurrectionem, assumptionem, futurum judicium: quæ ipsi magnum indidere desiderium. Erubescite quotquot nondum illuminati estis. « Et jussit, inquit, stare currum. » Simul dixit

[1] Matth. VII, 8.

et imperavit, antequam audiret : « Cum autem ascendissent » de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum. » Bene : ut ostenderetur divinam fuisse rem actam : et ne putaret hominem esse vulgarem. « Et ibat, inquit, per viam suam gaudens. » Hoc dicit ostendens ipsum ægre laturum fuisse si scivisset : sic ex multo gaudio, etsi spiritu dignatus, præsentia non videbat. « Et inventus est, inquit, in Azoto. » Multum hinc Philippus lucratus est. Nam quod audierat de Prophetis, de Habacuc, de Ezechiele et aliis, in se factum vidit : qui in momento multam emensus viam ostenditur, siquidem in Azoto inventus est : et illic demum stat, ubi evangelizare oportebat. « Saulus autem adhuc spirans minarum » et cædis in Discipulos Domini, accessit ad principem sa- » cerdotum, et petiit ab eo epistolas in Damascum ad » Synagogas : ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mu- » lieres, vinctos perduceret in Jerusalem [1]. » Opportune Pauli zelum hic inducit ; ut illum medio zelo tractum ostendat. Nondum enim satiatus nece Stephani, neque persecutione ac dispersione Ecclesiæ, accedit ad principem sacerdotum. Hic impletur id quod Christus Discipulis dixit : « Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obse- » quium præstare Deo [2]. » Hic igitur sic faciebat ; non ut Judæi, absit. Quod enim ex zelo id faceret, hinc palam est, quod ad exteras civitates migraret. Illis vero, neque ea, quæ Jerosolymis fiebant, curæ erant, sed unum sectabantur honorem. Cur autem Damascum adiit ? Magna civitas erat et regia : timebat ne illa quoque præoccuparetur. Et vide studium ejus ardoremque, ac quam secundum legem agat. Non adit præfectum, sed principem sacerdotum : petit ab ipso epistolas ; ut si quos inveniret hujus viæ. Viam vocat credentes, qui sic ab omnibus tunc vocabantur, forte quia viam ad cœlum tendentem sectabantur. Cur po-

[1] Act. IX, 1, 2. — [2] Joan XVI, 2.

testatem non accipit illos ibidem puniendi, sed Jerosolymam ducit? Ut cum majori potestate illic supplicium infligeretur. Et vide in quantum se periculum conjiciat; attamen sic timet ne quid sibi mali accidat. Ideo ergo alios secum assumit, forte præ metu; vel quia contra multos accipit, ut audacius « Si quos inveniret viros ac mulieres, » vinctos perduceret in Jerusalem. » Alioquin autem ipse per viam ostendere iis omnibus volebat, totum ab se proficisci: illi vero nihil hoc curabant. Et vide illum antehac in carcerem conjicientem. Illi igitur non valebant, hic vero præ fervore poterat. « Et cum iter faceret, contigit ut ap- » propinquaret Damasco: et subito circumfulsit eum lux » de cœlo. Et cadens in terram audivit vocem dicentem » sibi: Saule, Saule, quid me persequeris [1]? »

III. Cur non Jerosolymis? Cur non Damasci id factum est? Ut non possent alii illud aliter narrare; et ut ipse, qui illa de causa abierat, narrando fide dignus esset. Hoc ergo dicit cum apud Agrippam sese defendit. Laborat autem oculis; quia nimia lux lædere solet, mensuram enim suam habent oculi. Dicitur etiam vocis et soni vehementiam surdos facere et attonitos. Sed hunc excæcavit tantum, et metu furorem ejus extinxit, ita ut hæc ille audiret: « Saule, Saule, quid me persequeris? » Non dicit illi, «Crede,» neque simile quidpiam; sed incusat tantum. Neque sic incusat illum, quid vel parum vel multum a me læsus, hoc agis? «Dixit autem: Quis es, Domine [2]? » Interim se confitetur servum. Dominus autem dixit: « Ego sum » Jesus, quem tu persequeris [3]; » ac si diceret: « Ne putes tibi cum hominibus esse certamen. » Qui autem cum illo » erant, vocem quidem Pauli audierunt, neminem autem » viderunt [4], » ad quem responderet. Et jure merito: rerum namque minorum illos fecit auditores. Nam, si vocem

[1] Act. IX, 3, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 7.

illam audissent, neque sic credidissent. Paulum autem videntes respondentem, mirabantur. « Sed surge et ingredere civitatem, et dicetur tibi quid te oporteat facere [1]. » Vide quomodo non statim omnia ipsi revelet; sed prius tantum mitiget animam ejus, et per ea quæ jubet, spem illi bonam indit, quod visum recepturus sit. « Viri autem, » qui ibant cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem » vocem, neminem autem videntes. Surrexit autem Saulus » de terra, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem » illum trahentes, introduxerunt Damascum [2]. » Spolia diaboli, vasa ejus, quasi capta quadam urbe vel metropoli, introducunt. Et quod mirum est, ipsi inimici et hostes introducunt illum omnibus videntibus? « Et erat tribus » diebus non videns, et non manducavit, neque bibit [3]. » Quid huic rei par fuerit? Consolatio hæc inducti Pauli compensat mœrorem de Stephano conceptum, licet hic suam habeat in se consolationem, quod ille sic obiisset; et hanc item haberet, quod Samaritanorum vici reducti magnum afferrent solatium. Et cur, inquies, non ab initio id factum est, sed postea? Ut ostenderetur vere Christum resurrexisse. Qui enim persequebatur illum, nec credebat illius mortem ac resurrectionem, qui Discipulos ejus persequebatur, unde, quæso, credidisset, nisi magna fuisset Crucifixi virtus? Esto illi ipsi obtemperaverint, quid ad hunc dices? Alioquin vero, ideo post resurrectionem accessit, neque statim, ut manifestius ipsius bellum videatur. Nam qui sic insanit; ut et sanguinem effundat et in carcerem conjiciat, statim credit. Non satis erat quod cum Christo non fuisset, sed oportuit ut fideles ab illo fortiter impugnarentur, nullumque non furorem retro relinqueret. Omnibus hic acrior erat. Cum autem excæcatus fuit, tunc dominationis et clementiæ ejus indicia agnovit. Vel etiam

[1] Act. IX, 7. — [2] Ibid. 8. — [3] Ibid. 9.

ne quis diceret ipsum simulasse. Quomodo enim qui sanguinem expetierat, qui ad sacerdotes accesserat, qui in pericula se conjiciebat, qui externos etiam pellebat et puniebat, simulasset? Hic igitur post hæc omnia dominationem confitetur. Cur autem non intra ipsam urbem lux illum circumfulsit, sed ante illam? Quia multi non credidissent, imo forte risissent. Quandoquidem et supra, emissam audientes vocem dicebant: « Tonitru est [1]. » Hic vero fide dignus erat dum maxime sua nuntiaret. Et ligatus introductus est, non vinculis impositis, et trahebant illum, qui se alios tracturum sperabat. Cur autem non manducavit neque bibit? sua gesta damnabat, confitebatur, orabat, rogabat Deum. Si vero quis dixerit hoc ex necessitate fuisse: nam et Elymas hoc ipsum passus est [2], respondebimus; «Etiam passus est, sed mansit ut erat.» Quomodo igitur non coactus est? Ecquid magis cogere poterat, quam terræ motus in resurrectione factus, ipsis militibus nuntiantibus? aliis patratis signis? quod ipsum resurrexisse viderent? At non illa necessitatem inducunt, sed docent. Cur Judæi hæc audientes non crediderunt? Palam erat illum vera dicere. Neque enim mutatus fuisset, nisi hoc evenisset; atque ita omnes credere oportebat. Non minor erat iis, qui resurrectionem ejus prædicabant, imo fide dignior qui repente conversus esset. Non cum fidele quopiam versatus fuerat, sed in Damasco conversus est, imo ante Damascum hoc accidit. Interrogo Judæum: Unde, quæso, conversus est Paulus? Tot signa vidit, et conversus non est. Doctor ejus mutatus est (13), et hic mutatus non est. Quis illi persuasit? Imo quis illi tantum repente immisit ardorem, ut anathema pro Christo fieri optaret? Manifesta est rerum veritas. Attamen ut jam dixi, interim Eunuchum videntes illuminatum et legentem erubescamus.

[1] Joan. XII, 29. — [2] Act. 13.

Videtis, in quanta potentia, in quantis divitiis versaretur, ac neque in via quiescebat? Qualis ergo erat domi, qui ne in via quidem otiaretur? Qualis erat in nocte?

IV. Quotquot in dignitatibus estis, audite modestiam, et pietatem imitamini. Etsi domum reverteretur, non dicebat intra semetipsum : « Redeo in patriam, ibi lavacro utar, » ut sunt frigida multorum verba. Non opus habuit signis nec miraculis : ex solo Propheta credidit. Idcirco se ipsum deplorat Paulus dicens : « Sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate, et ut in » me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam[1]. » Dignus certe admiratione est hic Eunuchus. Non vidit Christum : non vidit signum, adhuc stantem Jerosolymam videbat, et credebat Philippo. Unde ergo talis effectus est? Sollicita erat anima illius : attendebat Scripturis, lectionibus operam dabat. Atqui latro vidit signa, et Magi stellam; hic vero nihil tale vidit, et credidit. Usque adeo utilis est Scripturarum lectio. Quid ergo Paulus? Annon legem meditabatur? Sed mihi videtur hic, quod idoneum erat rejecisse, propter ea quæ prius dixi, quod undique vellet Judæos Christus attrahere : nam si mente valuissent, nihil ipsis perinde atque hoc utile fuisset : hoc enim plus quam signa et alia omnia poterat illos attrahere : quemadmodum nihil ita solet crassioribus offendiculo esse. Vide itaque post dispersionem Apostolorum Deum edere signa. Criminabantur Judæi Apostolos, conjiciebant in carcerem : demum Deus miracula edit. Et quomodo, vide. Educere ex carcere, ejus signum erat : inducere Philippum, ejus signum erat; Paulum adduci, ejus signum erat; se ipsum Stephano ostendere, ejus signum erat. Et considera quomodo Paulus honoretur, quomodo Eunuchus. Hic Christus apparet, forte ob duriticm, quia alio modo non persuasus

[1] 1 Tim. I, 13.

esset. In his nos quoque miraculis versantes, nos dignos exhibeamus. Multi nunc, etiam in Ecclesiam ingressi, ignorant quæ dicuntur. Eunuchus autem, et in foro et in curru vectus, lectioni Scripturarum attendebat. Sed vos non item. Nemo enim vestrum librum præ manibus habet; sed omnia potius quam librum. Cur autem non vidit illum ante Jerosolymam, sed postea. Non oportebat illum videre pulsos Apostolos, eo quod adhuc infirmus esset : neque id antea ita facile erat, ut cum Propheta illum erudivit. Sic et nunc, si quis vestrum vult attendere Prophetis, non opus habebit signis. Et si vultis, videamus quid ipsa prophetia dicat : « Sicut ovis ad occisionem ductus est, et » in humilitate ejus judicium ejus sublatum est[1]. » Hinc didicit, quod crucifixus sit, quod tollatur de terra vita ejus, quod peccatum non fecerit, quod potuerit et alios servare, quod generatio ejus sit inenarrabilis, quod petræ scissæ sint, quod velum scissum sit, quod mortui ex sepulcris resurrexerint. Imo vero hæc omnia dixit ei Philippus, ex Propheta sumpta occasione. Magna res profecto est Scripturarum lectio. Ita implebatur illud a Moyse dictum : « Sedens, in lecto cubans, exurgens et am- » bulans, recordare Domini Dei tui[2]. » Maxime namque viæ cum desertæ sunt, cogitationibus nostris dant locum, nemine perturbante. Et hic in via credit : et Paulus in via. Sed hunc nemo trahit nisi Christus. Majus hoc erat, quam quod Apostoli facerent. Quod vero majus adhuc est, cum Apostoli Jerosolymis essent, et ex his nullus esset Damasci; istinc rediit credens, et qui Damasci erant, sciebant ipsum non Jerosolymis venisse persuasum. Epistolas enim ferebat, ut credentes ligaret. Sicut medicus optimus, jam vigente febre, opem illi attulit Christus. Oportebat enim eum inter insanientes comprehendi. Tunc

[1] Isaï. LIII, 7, et Act. VIII, 32. — [2] Deut. VI, 7.

maxime decidit, ac se ipsum condemnavit, ut qui gravia attentasset. Sed rursum operæ-pretium fuerit sermonem resumere. Cur, quæso, Scripturæ? Quod ad vos spectat, omnia sublata sunt. Cur Ecclesia? libros suffodito : forte non tale judicium erit, non talis pœna. Si quis in fimo defoderit illos, et non illos audierit, non tam contumelia afficit, ut nunc fit. Quid enim, quæso, illic contumeliosum? quod illos defoderit. Quid autem hic? Quod non audiamus illos. Dic mihi, uter maxime contumelia afficit, qui silenti, an qui loquenti non respondet? Certe qui loquenti. Itaque major nunc est contumelia, cum loquentem non audis, major contemptus. « Ne loquamini nobis »vetera, » dicebant Prophetis Judæi. Vos autem pejus facitis dicentes : « Ne loquamini, non facimus. » Illi ergo avertebant eos, ut ne loquerentur, quasi ex illorum voce aliquam acciperent pietatis occasionem. Vos autem præ multo contemptu, neque hoc facitis. Credite : si manibus ora obturaretis, non tanta esset contumelia quanta nunc. Dic enim mihi, qui audit et non obtemperat, magis-ne contemnit, quam qui non audit.

V. Sed age, contumeliam hujusmodi exploremus. Si quis eum qui contumelia afficit contineat, et os obturet ei tanquam ægre ferens contumelias; alius vero neque curet, neque advertere videatur, uter magis contemnit? Annon hic? Ille namque declarat se plagam accipere; hic vero fere os obturat Dei. Horretis dictum : sed audi quomodo hoc fiat. Os per quod loquitur Deus, os Dei est. Sicut enim hoc os animæ nostræ est, etsi anima os non habeat; sic et os Prophetarum est os Dei. Audite et horrescite. Communis est diaconus ille qui stat et clamat : « Attendamus, » idque sæpe repetit. Hæc vox Ecclesiæ communis est, et nemo attendit. Post illum incipit lector prophetiam Isaïæ : neque sic attendit quispiam, etsi pro-

phetia humanum nihil habeat. Deinde auditori enuntiat, « Hæc dicit Dominus; » nullusque attendit. Quid dico? Tremenda quædam et horrenda narrat; neque ullus est qui attendat. Verum quid dicunt multi? Semper eadem legit. Hoc maxime vos perdit. Si itaque illa sciretis, neque sic oporteret averti. Quandoquidem in theatris eadem ipsa semper fiunt, neque tamen satiamini. Qualia dicere audes, qui ne Prophetarum nomina quidem nosti? Non te pudet dicere te ideo non audire, quia eadem semper leguntur, qui ne nomina quidem scriptorum nosti, licet illa semper audias? Nam tu quoque confiteris eadem ipsa dici. Ego si te accusando hæc dixissem, oporteret te ad aliam defensionem confugere, et non ad accusationem tuam venire. Dic mihi: annon admones filium tuum? Si diceret ille: « Semper eadem »; annon putares contumeliam esse? Tunc par esset non eadem dicere, si illa sciremus, et operibus exhiberemus; imo neque tunc superflua lectio esset. Quid par Timotheo? attamen illi scribens Paulus dicebat: « Attende lectioni, exhortationi et doctrinæ[1]. » Neque enim potest unquam sensus Scripturarum exhauriri. Fons est immensus. Dixerant: « Deceptus sum, et tunc recessit a me. » Vultis ostendam hæc non esse eadem? Quot putatis ex Evangeliis locutos esse? sed hi omnes nova quædam dixerunt. Quanto enim magis in illis versatur, tanto acutius videt; tanto puriorem aspicit lucem. Ecce quanta dico. Quid est prophetia? dicite. Quid enarrationes? Quid parabola? Quid allegoria? Quid typus? Quid symbolum? Quid Evangelia? Hoc vero tantum mihi dicite, quod clarum est, cur Evangelia dicta sunt? Atqui sæpe audistis, quod Evangelia nihil mœstum habere debeant: hæc vero multa austeritate plena sunt. « Ignis illorum non extinguetur, inquit, et vermis eorum non morietur[2]; » illud-

[1] 1 Tim. IV, 13. — [2] Marc. IX, 43, 45, et 47.

que, « Dissecabit eum, et ponet portionem ejus cum hy» pocritis [1] ; » et illud, « Dicet : Nescio vos, discedite a » me qui operamini iniquitatem [2]. » Igitur ne decipiamus nosmetipsos, putantes hæc græco more dici. Nihil-ne hæc ad nos? Vos vero surdi estis, et quasi attoniti caput inclinatis. Evangelia nihil habere debent eorum quæ agenda sunt, sed solum bona consulere. Hæc vero innumera habent facienda, cujusmodi sunt hæc : « Si quis non audit » patrem suum et matrem, non est me dignus [3] ; » et, « Non veni pacem mittere in terram, sed gladium [4] ; » et, » Tribulationem in mundo habebitis [5]. » Pulchra quidem ; sed non sunt Evangelia. Evangelium namque hoc est : « Hæc tibi bona erunt : » ut solent homines inter se dicere : Quid mihi sunt Evangelia? Pater tuus veniet, vel mater tua. Non dicunt : Hæc facito. Rursum dic mihi, quid differant hæc a propheticis? Cur non et illa Evangelia dicuntur? nam et illa eadem dicunt; verbi causa, « Saliet sicut » cervus claudus [6] : Dominus dabit verbum evangelizanti» bus [7]. Dabo vobis cœlum novum et terram novam [8]. » Cur non et illa Evangelia vocantur? Cur non et hoc prophetia dicitur? Quod si nescientes quid sint Evangelia, sic lectionem Scripturarum despicitis, quid dicam vobis? Dicam et aliud : « Cur quatuor Evangelia? Cur non decem? Cur non viginti? Cur non multi Evangelia scribere sunt aggressi? Cur non unus? Cur Discipuli? Cur non ii qui Discipuli non erant? Cur omnino Scripturæ? » Atqui contrarium dicit vetus lex. « Dabo vobis testamentum novum [9]. » Ubi sunt ii qui dicunt : Semper eadem? si hæc sciretis, quod si homo decem mille annis viveret; non sint tamen eadem, hæc non diceretis. Credite; nihil horum vobis

[1] Matth. xxiv, 51. — [2] Id. vii, 23. — [3] Luc. xiv, 26. — [4] Matth. x, 34. — [5] Luc. xii, 51. — [6] Isaï. xxxv, 6. — [7] Psal. lxvii, 10. — [8] Isaï. lxv, 17. — [9] Jerem. xxxi, 31.

cam, non privatim, non publice. Sed si quis invenerit, annuam; sin minus, sinam. Sic vos ostendimus semper inutiliter omnia prompte loqui, et quando oportet non renuere. Ecce habetis quæstiones multas : considerate, dicite causam. Cur Evangelia? Cur non prophetiæ? Cur ea quæ facienda sunt in Evangeliis? Et si hic dubitet, alius quærat, et sua aliis mutuo conferant. Demum nos silebimus. Nam si dicta vobis nihil profuerunt, multo minus proderunt quæ adjicientur. Vere dolio ex pertuso haurimus. Hinc majus vobis supplicium erit : ideo ergo tacebimus; quod ne fiat, in vobis situm est. Si enim in vobis studium viderimus, forte iterum loquemur, ut et vos magis ac magis accepti sitis, et nos in vobis lætemur, in omnibus glorificantes Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi, cui gloria, imperium, magnificentia et honor cum Patre principio carente, et Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XX.

CAPUT IX.

Erat autem quidam Discipulus Damasci, nomine Ananias : et dixit ad illum in visu Dominus : Anania : et ille ait : Ecce ego, Domine. Et Dominus ad eum : Surgens vade in vicum, qui vocatur Rectus : et quære in domo Judæ Saulum nomine Tarsensem : ecce enim orat. Et vidit in visione virum Ananiam nomine introëuntem et imponentem sibi manum, ut visum recipiat [1].

I. Cur neminem ex coryphæis Apostolis vocavit vel misit ad Pauli institutionem? Quia non oportebat illum per homines, sed per ipsum Christum induci. Nam hic nihil ipsum docuit; sed tantum baptizavit. Statim autem ubi baptizatus est, multam ex zelo et studio multo sibi attraxit Spiritus gratiam. Quod autem Ananias ex insignioribus esset; palam est ex iis quæ ipsi revelat et dicit, itemque ex iis quæ ille respondet dicens : « Domine, audivi a » multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in » Jerusalem [2]. » Si ataque Domino contradixit, multo magis si Angelum misisset. Ideoque antehac Philippus non audivit quid futurum esset, sed solum vidit Angelum : et sic Spiritus jubet illum accedere et currui hærere. Hic vero interim metum ejus succidit, ac si diceret : « Ecce orat, cæcus est, et tu times? » Ita et Moyses timet. Itaque verba timentis magis sunt, quam non credentis. Et audi verba ipsa : « Domine, audivi a multis de viro hoc. » Quid dicis?

[1] Act. IX, 10-12. — [2] Ibid. 13.

Deus loquitur, et tu dubitas? Sic nondum sciebant potentiam Christi. « Et hic habet potestatem a principibus » sacerdotum alligandi omnes qui invocant nomen tuum.[1] » Undenam hoc notum erat? Verisimile est eos in metu degentes curiose inquisivisse. Non hoc ergo dicit, quasi Christus id ignoret; sed dubitat quomodo in tali rerum statu possit hoc fieri : sic et alibi Discipuli dicunt : « Quis » potest salvari[2]? » Sed vide quod res disponantur ut credat venturo. In somnio vidit, prædixit illi : Orat, inquit, igitur ne timeas. » Et cur non dicit illi rem præclaram, quæ gesta est? Ut nos doceat ne prædicemus bona opera nostra; imo et quod timentem videat. Neque sic dixit : « Fides tibi non negabitur. » Sed quid? « Surgens vade. Vidit enim » in visione virum imponentem sibi manus. » Ideo in visione, quia cæcus erat. Neque miraculi magnitudo rapuit Discipulum; ita timebat. Attamen per ipsum Deus Paulo cæco visum restituit. « Dixit autem Dominus ad illum : Vade, » quia vas electionis est mihi hic, ut portet nomen meum » coram gentibus et regibus et filiis Israël. Ego enim os- » tendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati[3]. » Non solum fidelis erit, inquit, sed etiam doctor, et multa utetur dicendi libertate. « Coram gentibus et regibus. » Ita crescet doctrina, inquit, ut et gentes et reges omnes superet. « Abiit autem Ananias, et intravit in domum, et » imponens illi manus dixit : Saule, frater, Dominus misit » me, Jesus qui apparuit tibi in via qua veniebas, ut videas » et implearis Spiritu sancto[4]. » Statim illum familiarem nomine facit. « Jesus, inquit, qui apparuit tibi in via. » Certe non hoc ei dixerat Christus; sed a Spiritu sancto didicerat. « Et statim deciderunt ab oculis ejus tanquam » squamæ, et visum recepit statim, et surgens baptizatus

[1] Act. IX, 13. — [2] Marc. X, 26. — [3] Act. IX, 15, 16. — [4] Ibid. 17.

» est. Et cum accepisset cibum, confortatus est [1]. » Solum illi manus imposuit, et statim squamæ ab oculis ejus deciderunt. Has quidam dicunt cæcitatis illius fuisse causas. Et cur non excæcavit illius oculos? Hoc mirabilius erat. Nam apertis oculis non videbat. Id quod patiebatur in lege, donec illi impositum est nomen Jesu (14). « Et statim » baptizatus est, et cum accepisset cibum confortatus est [2]. » Ergo infirmus erat ex itinere, ex metu, ex fame, ex mœrore. Volens igitur illius augere mœrorem, cæcum manere permisit, donec venit Ananias. Et ut ne quis putet phantasiam fuisse cæcitatem, ideo squamæ fuerunt. Igitur non opus habebat alia doctrina; sed id quod accidit, doctrina fuit. « Fuit autem cum Discipulis qui erant Damasci, per » dies aliquot. Et continuo in synagogis prædicabat Chris- » tum, quia hic est Filius Dei [3]. » Vide : statim doctor erat in synagogis. Non erubescebat de mutatione, neque metuebat destruere illa, in quibus antea clarus erat. Nec solum doctor erat; sed etiam in synagogis. Ita ab initio homo erat et occidens, et ad cædes compositus. Vides quam clarum signum in illo factum sit? Hoc ipso omnes percellebat. Ideo hæc significans adjicit. « Stupebant autem om- » nes qui audiebant, et dicebant : Nonne hic est qui expug- » nabat in Jerusalem invocantes in nomine hoc : et hic » ideo venit, ut vinctos illos duceret ad principes sacerdo- » tum? Saulus autem magis convalescebat et confundebat » Judæos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic » est Christus [4]. » Utpote legis peritus, confundebat illos, nec loqui sinebat. Putabant se a Stephano liberatos, a tali disputatione ereptos esse, et alium invenerunt Stephano vehementiorem.

II. Sed ea quæ Ananiam spectant repetamus. Non dixit illi : « Alloquere et institue illum. » Si enim, cum dixisset,

[1] Act. IX, 18. — [2] Ibid. 19. — [3] Ibid. 20. — [4] Ibid. 21, 22.

« Orat, et vidit virum imponentem sibi manus, » non persuasit; multo magis si hoc dixisset. « Vidit, inquit, in vi» sione. » Itaque non fidem tibi negabit. Ne igitur timeas, sed vade. Sic neque Philippus statim totum audit. « Quia » vas electionis est mihi hic. » Hæc dicta illius sunt, qui timorem omnino excutit, et fiduciam indit : siquidem ita pro ipso afficiendus erat, ut etiam multa pateretur. Cum dicit, « Vas, » ostendit ejus malitiam non esse naturalem : addit, « Electionis, » ut ostendat ipsum acceptum esse : nam quod acceptum est eligimus. Ne quis vero putet hæc audiens, Ananiam ideo hæc dicere quod dictis non credat, vel quod putet deceptum fuisse Christum; absit; sed quod timeret et tremeret dictis non attendebat : ut audivit nomen Pauli, sic illo nomine præoccupatus est timore. Atqui ubi audivit quod excæcasset illum, confidere oportebat. « Et hic, inquit, ideo venit, ut liget omnes qui in» vocant nomen tuum; » ac si diceret : « Timeo ne forte me in Jerusalem ducat : Cur me in os leonis injicis? Cur me huic prodis? » Timet et hæc dicit, ut undique discamus virtutem viri. Nam hæc a Judæis dici, nihil mirum esset : quod autem ab hoc, et ita perterrito, magnum divinæ virtutis signum hoc esse probatur. « Suale frater : » hic quoque magnus adest timor, et post timorem major obedientia. Deinde quia vas electionis dixit, ne diceres totum ex Deo esse, ut ab hoc te abducat, adjicit, « Ut portet nomen » meum coram gentibus et regibus et filiis Israël. » Audivit Ananias id quod valde cupiebat, ipsum etiam contra Judæos pugnaturum esse. Ideo non solum gaudio, sed etiam fiducia repletur. « Ego enim, inquit, ostendam ei » quanta oporteat eum pro nomine meo pati. » Hæc prædicentis sunt simul et hortantis. Si ille omnia passurus est, qui ita insaniit; hic vero illum baptizare non vult ut visum recipiat; bene, inquit: sine illum cæcum esse. Ideo nunc

mitis est, quia cæcus. Cur me jubes aperire oculos ejus? An ut rursum alliget? At ne futurum timeas. Nam apertis oculis non contra nos, sed pro nobis utetur, ut respiciat. Hæc quoque adjiciantur. Ne timeas: nihil vobis mali faciet; imo patietur multa. Et quod mirabile est, primo patietur, et tunc in pericula incidet. « Saule frater, Jesus qui appa» ruit tibi in via, misit me. » Non dixit: « Qui excæcavit. » sed, « Qui apparuit tibi. » Ita modeste agere sciebat, nihilque arroganter dicit. Ut igitur Petrus, curato claudo, dicebat: « Quid nobis attenditis, quasi nostra virtute vel » pietate fecerimus hunc ambulare [1]? » sic et iste, « Jesus » qui apparuit tibi. » Impositis jam manibus hæc loquebatur, et duplex cæcitas solvebatur. Cum dicit autem cum cibo sumpto confortatum esse, significat illum infirmatum esse, a mœrore cæcitatis, a timore et a fame. Neque enim prius cibum sumere voluit, quam baptizatus magna sortiretur dona. Neque dicit: « Jesus crucifixus, Filius Dei, qui signa facit. » Sed quid? « Qui apparuit tibi, » ea dicens quæ illi nota erant. Quandoquidem ne ipse quidem Christus aliud adjecit, neque dixit: « Ego sum ille crucifixus, qui resurrexi; » sed, « Quem tu persequeris. » Non dixit: « Qui persecutionem patior; » ne videretur in excessu mentis irridere. « Qui apparuit tibi, inquit, in via. » Atqui non apparuit; sed per opera visus est. Et volens sermonis molestiam mitigare, statim adjicit, « Ut videas et im» plearis Spiritu sancto. » Non venit ut rem factam argueret, non utique; sed ad donum conferendum, inquit. Videtur mihi et hunc et Cornelium statim post hæc dicta verba Spiritum recepisse; etsi qui dabat, non ex duodecim esset. Sic nihil humanum hic, nec per hominem factum est; sed Deus aderat qui hæc ageret. Simulque illum instituit ut modeste sentiat, cum illum non ducit ad præcipuos

[1] Act. III, 12.

Apostolos, docetque nihil hic humanum esse. Neque tunc Spiritum ut signa ederet accepit, ut sic ejus fides ostenderetur: neque enim signa fecit. « Et statim, inquit, in Synagogis prædicabat Christum, quia hic est Filius Dei. » Non prædicabat quod resurrexisset, neque quod viveret. Sed quid? Accuratissime dogma exponebat, quia hic est Filius Dei. Illi vero, his auditis, in incredulitate perstant, cum oportuisset non modo credere, sed etiam obstupescere. Et cur non simpliciter quod persecutor fuerit dicunt; sed quod expugnaret eos qui hoc nomen invocarent? Magnum furorem his declarabant, nec Jesum nominabant, quod ex invidia ne nomen quidem audire sustinerent, sic efferati erant. Et huc propterea venit. Non possumus dicere, inquit, quod prius cum Apostolis fuerit.

III. Vide quam multis testimoniis ex inimicorum numero fuisse Paulus declaretur. Ille vero non modo his non confundebatur; sed et gloriabatur. « Saulus autem magis » convalescebat et confundebat Judæos, » id est, confutabat, nec loqui sinebat, « affirmans quoniam hic est Christus. » Docens, inquit : nam statim doctor fuit. « Cum autem » implerentur dies multi, conspiraverunt Judæi ut » illum interficerent[1]. » Ad validum syllogismum rursus veniunt Judæi. Non enim amplius sycophantas, accusatores et falsos testes quærunt, neque ultra illos ferunt. Sed quid? Demum ipsi per se ipsos hoc operantur. Quia enim videbant rem augeri, non ultra judicium adhibent. « Notæ » autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum. Custodiebant » autem portas die ac nocte, ut eum interficerent[2]. » Quare? Quia hoc illis intolerabilius erat omnibus, quæ facta fuerant, signis, illisque quinque millibus, tribusque millibus conversis. Et vide illum jam non gratia, sed humana sapientia servari; ut discas viri virtutem, etiam

[1] Act. IX, 23. — [2] Ibid. 24.

absque miraculis fulgentem. « Accipientes autem eum Dis-» cipuli noctu, per murum demiserunt eum, submittentes » in sporta[1]. » Jure, sic ut res suspicione careret. Quid ergo? An hoc elapsus periculo desistit? Minime : sed illo abit ubi magis illos aggrediatur. Nam quod vere crederet, adhuc multi credere non poterant. Ideo post multos dies hoc evenit. Quidnam hoc est? Verisimile est illum nondum voluisse istinc proficisci, multis forsan monentibus. Ubi autem hæc didicit, tunc permisit Discipulis suis. Nam statim Discipulos habuit : hoc subindicans dicebat. « Da-» masci præpositus gentis Aretæ regis custodiebat civitatem » Damascenorum, volens me comprehendere[2]. » Et vide Evangelistam nihil ambitiose loquentem; neque Paulum clarum exhibentem; sed solum quod regem excitaverint. Illum igitur solum emiserunt, et cum illo neminem; idque congruenter, ut ipse Apostolis in Jerusalem sese ostenderet; imo ipsum emiserunt, ut hinc ille de cætero salutem suam curaret. Ipse vero contrarium faciens, ad furentes statim transilivit. Hoc est incendi, hoc maxime fervere. Et perpende quomodo sequatur, a primo die præceptum servans, quod audierunt Apostoli : « Nisi quis tollat cru-» cem suam, et sequatur me[3]. » Quod ergo post alios venisset, hoc illum ferventiorem reddebat, et opere illud implebatur : « Cui multum dimittitur, is plus diliget[4]. » Itaque quanto tardius venit, tanto plus amavit. Ideoque priorem vitam suam aperte damnans, seseque notans, nihil satis esse putabat ut priora tegeret. « Confirmans, » inquit; id est, cum mansuetudine docens. Et vide : non dicunt ei : « Tu es qui devastabas, cur mutatus es? » Erubescebant enim. Sed inter se dicebant. Dixisset enim multo justius, hoc vos magis docere oportet. Nam apud Agrippam ita rationem reddit. Hunc imitemur et nos,

[1] Act. IX, 25. — [2] 2 Cor. XI, 32. — [3] Matth. X, 38. — [4] Luc. VII, 47.

quæso, et ad omnia simus pericula instructi. Et quomodo, inquies, ille fugit? Non ex timiditate; sed se ad prædicationem servabat. Si timidus fuisset, non Jerosolymam venisset, non statim doctrinam suscepisset, ex vehementia aliquid remisisset. Verum non erat timidus, sed prudens, Stephani cæde edoctus. Ideo nihil magnum putabat esse pro prædicatione mori, nisi cum magno lucro id fieret : homo ne Christum quidem videre volens, quem maxime omnium videre cupiebat; quoniam nondum suum erga homines ministerium impletum erat. Talem oportet esse Christiani animam.

IV. Ab initio et ab ipso cursus principio character Pauli declarabatur; imo et antea : nam in iis etiam, quæ non secundum scientiam faciebat, humano motus ratiocinio se gerebat. Si enim post tantum tempus non cupiebat resolvi, multo magis initio negotiationis, nuper e portu egressus. Non eripit autem illum Christus a periculo, sed dimittit : quia vult multa ex humana prudentia fieri. Alioquin dimittit, ut discamus ipsos etiam homines fuisse, neque semper omnia gratiam operari. Nisi enim hoc esset, ligna esse simpliciter existimati fuissent. Ideo multa ipsi administrabant. Hoc et nos faciamus : et ita fratrum salutem curemus. Non est martyrio minus nihil pati recusare ob multorum salutem; nihil ita Deum lætificat. Rursum dicam id quod sæpe dixi; dicam quia id valde cupio. Quoniam et Christus idipsum faciebat, de remissione admonens et dicens : « Quando oratis vos, remittite si quid con» tra aliquem habetis[1]. » Rursum Petro loquens inquit : « Non dico tibi : Remitte usque septies, sed usque septua» gies septies[2]; » reque ipsa dimisit quæ contra ipsum patrata sunt. Ita et nos quia novimus hunc esse scopum christianismi, de hac re semper disserimus. Nihil frigidius

[1] Matth. v, 23. — [2] Luc. xvii, 21.

Christiano, qui aliorum salutem non curat. Non potes hic paupertatem obtendere : nam quæ duo minuta injecit, te accusabit. Et Petrus dicebat: « Argentum et aurum non est » mihi[1]. » Paulus item adeo pauper erat, ut sæpe esuriret, et necessario cibo careret. Non potes ignobilitatem proferre : nam illi ignobiles erant, ex ignobilibus orti. Non potes prætexere te idiotam esse : nam et illi illitterati erant. Etsi servus sis, etsi fugitivus, tua poteris exequi : siquidem et Onesimus talis erat. Sed vide quonam vocet illum, et ad quam agat dignitatem : « Ut communicet mecum, in- » quit, in vinculis meis[2]. » Non potes infirmitatem objicere; nam talis quoque Timotheus erat, qui frequenter habebat infirmitates : quod enim infirmus esset audi : « Vino mo- » dico utere propter stomachum tuum et frequentes tuas » infirmitates[3]. » Potest unusquisque proximo prodesse, si velit quæ sua sunt implere. Non videtis infructuosas arbores, quam firmæ sint, quam pulchræ, proceræ, leves et sublimes? At si hortum haberemus, vellemus malogranata, et olivas fructiferas potius quam illas habere. Illæ enim ad voluptatem sunt, non ad utilitatem, et si qua sit utilitas, ea parva est. Tales sunt ii, qui sua solum spectant; imo ne tales quidem, sed ad ultionem solum apti. Nam illæ arbores ad ædificium et ad rerum tutelam aptæ sunt. Tales erant illæ virgines, castæ, ornatæ, continentes; sed nemini utiles, ideo comburuntur. Tales sunt qui Christum non nutriunt. Perpende autem neminem illorum de peccatis suis accusari, non quod fortificatus sit, non quod pejeraverit, de nullo certe; sed quod alteri non profuerit. Talis erat ille qui talentum defodit, inculpatam exhibens vitam; sed alteri non utilis. Quomodo, quæso, Christianus sit qui talis est? Si fermentum mixtum farinæ, non mutaverit totum in eamdem conditionem, an fermentum vere

[1] Act. III, 6. — [2] Philem. I, 10. — [3] 1 Tim. V, 23.

fuerit? Quid vero, si unguentum accedentes non odore perfuderit; an id unguentum vocemus? Ne dixeris : « Non » possum alios inducere. » Nam si Christianus fueris, impossibile est ut non fiat. Nam ut ea quæ in natura sunt contradictionem non habent; ita et hæc quæ dicimus. In natura Christiani res sita est. Ne Deum contumelia afficias. Si dixeris non posse solem lucere, contumelia illum afficis; si dixeris non posse Christianum prodesse, Deum contumelia affecisti et mendacem dixisti. Facilius enim est solem non calefacere nec lucere, quam Christianum non lucere; facilius est lucem esse tenebras, quam hoc fieri. Ne dicas rem esse impossibilem : nam contrarium est impossibile. Ne Deum contumelia afficias. Si nostra recte componamus, illa omnino erunt, et quasi res quæpiam naturalis sequentur. Non potest latere lux Christiani : non potest occultari tam fulgida lampas. Ne itaque ignavi simus. Sicut enim virtutis lucrum et in nos et in eos qui illa juvantur transit; sic et a malitia duplex detrimentum et in nos et in eos qui læduntur pertransit. Sit quispiam, si vis, idiota, qui a quopiam innumera patiatur mala, nemoque illum ulciscatur; sed et beneficia præstet. Qua doctrina, quibus verbis, quot admonitionibus non est hoc fortius? Quem furorem non exstinguere, non mitigare valeat? Hæc ergo cum sciamus, virtuti hæreamus, cum non possimus alio modo salutem consequi, nisi in hisce bonis operibus vitam præsentem emensi fuerimus, ut futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXI.

CAPUT IX.

Cum autem venisset Paulus in Jerusalem, tentabat se jungere Discipulis : et omnes timebant eum, non credentes quod esset Discipulus. Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos : et narravit illis quomodo in via vidisset Dominum[1].

I. Jure hic dubii quæramus, quomodo in Epistola ad Galatas dicatur : « Non abii Jerosolymam ; sed in Arabiam » et Damascum ; et post tres annos ascendi Jerosolymam » videre Petrum ; et neminem Apostolorum vidi[2]. » Hic vero contra dicatur, Barnabam ipsum duxisse ad Apostolos. Vel hoc igitur vult dicere : « Non abii ut ibi manerem : » ibi namque dicit : « Non adhæsi carni et sanguini ; neque abii Jerosolymam ad antecessores meos Apostolos ; » vel alio modo : quia insidiæ illæ Damasci post iter in Arabiam fuere : ac deinde ascendit postquam istinc redierat. Ipse igitur non abiit ad Apostolos ; sed Discipulis hærede satagebat, utpote qui nondum doctor, sed Discipulus esset. Ergo non ideo ascendit, ut antecessores suos adiret : neque enim quidpiam ab illis didicit. Vel de hoc ascensu non dicit, sed omittit illum ; adeo ut res ita se habeat : Abiit in Arabiam, deinde venit Damascum, postea Jerosolymam, hinc in Syriam. Vel si non ita est, sic res se habuit : Ascendit Jerosolymam : hinc in Damascum missus est, deinde in Syriam, deinde rursus Damascum ; pos-

[1] Act. IX, 26, 27. — [2] Gal. I, 17-19.

tea Cæsaream, et tunc per quatuordecim annos, forte quando fratres adduxit cum Barnaba. Vel si non hoc, aliud dicit tempus. Nam historiographus multum compendio studet, et multa tempora congerit. Vide quam non sit ambitiosus, neque narret visionem illam, sed transcurrat. Rursus sic incipit et ait : « Cum autem venisset in Jerusa» lem, tentabat se jungere Discipulis : illi vero timebant » eum. » Et hinc rursum Pauli fervor ostenditur; non ab Anania, non ab iis qui istic mirabantur eum; sed etiam ab iis quæ Jerosolymis acta sunt. Neque enim hoc humanæ erat expectationis. Et vide illum non Apostolos adire præ modestia, sed Discipulos, utpote qui Discipulus esset : nondum enim fidus esse putabatur. « Barnabas autem appre» hensum illum dixit ad Apostolos, et narravit illis quo» modo in via vidisset Dominum. » Barnabas hic, mitis et mansuetus homo erat : nomen autem ejus Filium consolationis significat : unde et amicus Paulo fuit. Quod autem valde mitis esset et accessu facilis, et ex hoc et ex iis quæ circa Joannem acta sunt liquet. Unde hic non metuit; sed narrat quomodo in via viderit Dominum, et quod locutus sit illi, ac quomodo Damasci libere egerit in nomine Jesu. Verisimile enim est illum Damasci audivisse de illo. Ideo hæc ad illa præparant, dum ille operibus dicta confirmat. » Et erat cum illis intrans et exiens in Jerusalem, et fidu» cialiter agens in nomine Jesu. Loquebatur quoque et » disputabat cum Græcis[1]. » Quia Discipuli metuebant illum : Apostoli vero non illi confidebant; ideo hinc illorum metum solvit. « Loquebatur, inquit, et disputabat cum Græ» cis. » Hic Græcos vocat eos qui græce loquebantur : et hoc admodum sapienter. Illi enim alii Hebræi ne videre quidem illum volebant. « Illi autem quærebant occidere » eum. » Vehementiæ ac perfectæ victoriæ hoc signum erat :

[1] Act. IX, 28, 29.

et quod illi hac de re multum dolerent. « Quod cum cog-» novissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream[1]. » Præ ti-more hoc faciunt : timentes enim ne idipsum accideret, quod Stephano, deducunt Cæsaream. « Et miserunt Tar-» sum. » Etsi propter timorem, mittunt tamen; ut prædi-cet, et in tuto sit, utpote in patria sua. Vide autem quo-modo non omnia per gratiam fiant, sed permittat Deus, ut multa ex sapientia sua et humano more dispensent. Si au-tem in ipso factum est hoc, multo magis in illis. Permittit ergo, ut ignavorum obtentum auferat. « Ecclesiæ quidem » per totam Judæam et Samariam pacem habebant : et ædi-» ficabantur, ibantque in timore Domini, et consolatione » Spiritus sancti replebantur[2]. » Dicturus est de Petri dis-cessu ad Sanctos. Ne quis ergo putaret id ex metu prove-nisse, primo narrat ut se haberent Ecclesiæ : ostendens ipsum persecutionis tempore Jerosolymæ mansisse : cum autem in tuto erant ubique Ecclesiæ, tunc Jerosolymam reliquisse; adeo fervens et alacer erat. Non enim quia pax erat, putabat non opus esse suo adventu. Et cur, inquies, id facit, venitque pacis tempore, et postquam Paulus abie-rat? Quia illos maxime venerabantur, utpote qui sæpe adessent, et multitudini mirabiles. Illum vero contemne-bant, et in eum magis exasperabantur.

II. Vidisti-ne quomodo pax bellum secuta sit? imo vi-disti-ne quid fecerit bellum illud? Dispersit pacificos illos. In Samaria pudore suffusus est Simon; in Judæa Sapphiræ casus accidit. Non ergo quia pax erat, remissæ res erant. Sed talis erat pax quæ consolatione haberet opus. « Factum » est autem ut Petrus, dum pertransiret universos, deve-» niret ad Sanctos, qui habitabant Liddæ[3]. » Quasi dux circuibat, ordines considerans; quæ pars esset coadunata, quæ ornata, quæ sua præsentia egeret. Vide illum ubique

[1] Act. IX, 30. — [2] Ibid. 31. — [3] Ibid. 32.

circumcursantem, et primum inventum ubi eligendus erat Apostolus; hic primus fuit, cum dicendum erat Judæis non esse ebrios Apostolos, cum claudus sanandus fuit, quando concionandum erat : hic ante alios erat, quando agendum cum præfectis, quando cum Anania, cum ex umbra sanationes fierent. Ubi periculum est, hic adest, et ubi quædam dispensanda sunt. Ubi vero tranquillæ res sunt, in communi omnes; hic majorem non appetit honorem. Rursum cum miracula edere oportebat, ille prosiliebat. Et hic iterum ipse per se laborat et iter agit. « Invenit autem ibi hominem quemdam nomine Æneam, » ab annis octo jacentem in grabato, qui erat paralyticus, » et ait illi Petrus : Ænea, sanat te Christus : surge, et » sterne tibi. Et statim surrexit[1]. » Et cur non expectavit viri fidem, nec interrogavit an curari vellet? Sane quia ad multorum consolationem factum est miraculum. Itaque audi quantum lucrum : subjungit enim dicens : « Et vide- » runt omnes qui habitabant Lyddæ et Assaroni, qui con- » versi sunt ad Dominum[2]. » Bene sic dixit : insignis enim erat vir : argumentumque dat signi, quod tollat grabatum. Non solum enim a morbis liberavit; sed etiam cum sanitate vires præstitit. Alioquin autem, nondum virtutis suæ signa dederant; ita ut merito non exigeretur a viro fides, quandoquidem non exegerunt a claudo : quemadmodum et Christus initio signorum fidem non exigebat; sic neque isti. Jerosolymis enim fides merito prius exigebatur : unde et propter fidem quotquot morbis detinebantur, in viis exponebantur, ut venientis Petri saltem umbra quempiam illorum obumbraret. Multa enim illic signa edebantur. Hic autem hoc primum contigit. Nam signa alia ad alios alliciendos edebantur; alia ad credentium consolationem. « In Joppe autem fuit quædam discipula nomine Tabitha,

[1] Act. IX, 33, 34. — [2] Ibid. 35.

» quæ si interpretetur dicitur Dorcas. Hæc erat plena ope-
» ribus bonis et eleemosynis quas faciebat. Factum est au-
» tem in diebus illis ut infirmata moreretur. Quam cum
» lavissent, posuerunt eam in cœnaculo. Cum autem prope
» esset Lydda ad Joppen, Discipuli audientes quod Petrus
» esset in ea, miserunt duos viros rogantes ne differret ve-
» nire usque ad ipsos[1]. » Cur expectarunt donec moreretur? Cur non ante rogatus fuit Petrus? Indignum putantes tunc, cum philosopharentur, Discipulos ad res hujusmodi gravare, et a prædicatione abstrahere. Nam ideo dicit prope fuisse, ut ostendat illos quasi rem facilem petiisse. Discipula enim erat. « Exurgens autem Petrus venit cum illis.
» Et cum advenisset, duxerunt illum in cœnaculum[2]. » Non rogant, sed rem illi permittunt, ut ex se ipso vitam illi largiatur. Ita hic impletur illud, « Eleemosyna liberat a
» morte[3]. Et circumsteterunt illum omnes viduæ, flentes,
» et ostendentes ei tunicas et vestes quas faciebat Dorcas,
» cum esset cum illis[4]. » Ducunt Petrum eo ubi erat mortua exposita; forte putantes illi quidpiam ad philosophiam exhibere. Vides-ne quanta accessio facta sit? Nec sine causa nomen mulieris profertur. Sed ut ostendatur, nominis cum vita consonantia, ita nempe vigil et expedita erat, ut Dorcas, sive caprea. Multa quippe nomina cum ratione dantur, ut sæpe vobis diximus. « Plena, inquit, erat
» bonis operibus, et eleemosynis, quas faciebat. » Magnum mulieris encomium, siquidem utraque sic faciebat, ut utrisque plena esset. Palam autem est illam prius bonorum operum, deinde eleemosynarum curam habuisse. « Quæ
» faciebat, inquit, Dorcas cum illis versans. » Multa humilitas : non enim sicut nos; sed simul omnes erant, magnam eleemosynæ curam habentes. « Ejectis autem omnibus
» foras, Petrus ponens genua oravit : et conversus ad cor-

[1] Act. IX, 36-38. — [2] Ibid. 39. — [3] Tob. XII, 9. — [4] Act. IX 39.

»pus dixit : Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos, »et, viso Petro, resedit[1]. » Cur omnes ejicit? Ne lacrymis conturbetur et moveatur. « Et, positis genibus, oravit. » Hoc erat intensæ orationis indicium. « Dans autem ei ma»num, » inquit. Hic singillatim ostendit vitam[2], deindeque virtutem inductam, aliam verbo, aliam manu. « Dans au»tem ei manum, erexit eam. Et cum vocasset sanctos et »viduas, assignavit eam vivam, » aliis ad consolationem, quod sororem acciperent et miraculum viderent; viduis vero ad patrocinium. « Notum autem factum est per uni»versam Joppen, et crediderunt multi in Domino. Fac»tum est autem ut per multos dies maneret in Joppe »apud Simonem quemdam coriarium[3]. »

III. Vide modestiam et mansuetudinem Petri : quomodo non apud illam, neque apud alium quempiam insignem maneat; sed apud coriarium, per omnia ad humilitatem inducens, non sinens viliores erubescere, nec majores extolli. Qui etiam ideo transeundum esse putavit, quod fideles doctrina sua egerent. Igitur superius dicta repetamus. « Tentabat, inquit, se jungere Discipulis : » non impudenter accessit, sed modeste. Discipulos autem vocat etiam eos, qui non erant in choro duodecim illorum : quia tunc omnes ob virtutis excellentiam Discipuli vocabantur : manifesta enim erat illorum imago. « Et omnes timebant »eum, » inquit. Vide quomodo adhuc pericula metuerent, quomodo adhuc timor vigeret. « Barnabas autem appre»hensum illum duxit ad Apostolos, et narravit illis. » Videtur autem ipsi Barnabas antea fuisse amicus, ideoque narrat omnia quæ ad ipsum spectabant. Nihil autem horum ille dicit : puto nec ad alios postea extulisse nisi quædam fuerit necessitas. « Et erat cum illis intrans in Jerusa»lem, et fiducialiter agens in nomine Domini Jesu. » Ita

[1] Act. IX, 40. — [2] Ibid. 41. — [3] Ibid. 42, 43.

et aliis dabat fiduciam. Vides et hic et illic alios providentes et curantes ut ille abiret, cum nondum Dei gratiam accepisset? Itaque sic illius fervor ostenditur : neque jam videtur mihi ille per terram iter habere; sed deinde navigabat. Illudque fit per dispensationem, ut ibi etiam prædicaret. Ideo igitur insidiæ contigere, et iter Jerosolymam per dispensationem, ut ne ultra suspectus esset. « Loquebatur autem et disputabat cum Græcis. Et Eccle- » siæ, inquit, habebant pacem, ædificabantur et ambula- » bant in timore Domini; » id est, crescebant, et pacem, veram utique pacem, inter se habebant. Merito, nam valde affixerat illos externum bellum. « Et consolatione » sancti Spiritus replebantur. » Consolabatur illos Spiritus sanctus, et per miracula et per opera : ad hæc vero, idipsum singulis inerat. « Factum est autem ut Petrus, dum » pertransiret, deveniret ad Lyddam. Invenit autem ibi » hominem decumbentem; et dixit illi : Ænea, sanat te » Jesus Christus. » Non ostentantis dictum est, sed fidentis rem esse futuram. Mihi vero prorsus videtur ægrum huic credidisse verbo, et sanum factum fuisse. Quod autem sine fastu esset, ex sequentibus palam est. Non enim dixit: » In nomine Jesu, » sed ut signum, magis hoc enarrat. « Vide- » runt autem qui habitabant Lyddam, et conversi sunt ad » Dominum. » Itaque non frustra dixi miracula facta fuisse ad persuasionem et consolationem. « In Joppe autem erat » quædam Discipula, inquit, nomine Tabitha. Factum est » autem in diebus illis ut infirmata moreretur. » Vides ubique signa edita? Non simpliciter mortua est Tabitha, sed in infirmitatem lapsa. Ideo Petrum non vocarunt donec illa mortua esset. « Audientes autem Discipuli miserunt » rogantes ne pigritaretur transire ad eos. » Vide, per alios mittunt et vocant. Ille vero obtemperat et venit : nec contumeliæ loco habet quod vocetur. Ita magnum est tribu-

latio bonum : quod animas nostras copulet. Nullus ibi luctus, planctus nullus. « Quam cum lavassent, posue-»runt in cœnaculo; » id est, omnia fecere quæ mortuo competebant. « Exurgens vero Petrus, venit cum illis, et »cum ascendisset in cœnaculum, positis genibus, oravit, »et conversus ad corpus dixit : Tabitha, surge. » Non omnia permittit Deus signa cum eadem facilitate fieri. Hoc autem illis proderat. Non enim tantum aliorum salutem curabat, sed etiam ipsorum. Qui ergo umbra sua tot homines curabat, nunc tot tantaque facit ad illam excitandam. Interdum etiam fides accedentium cooperabatur. Hanc ergo primam mortuam suscitat, nomine vocans. Quæ quasi ex somno expergefacta, primum aperuit oculos, deinde statim videns Petrum, sedit, demumque a tactu manus firmatur. Tu vero mihi lucrum considera, quomodo iterum fructus sit non ad ostentationem. Ideo sane omnes foras ejicit, in hoc Magistrum imitatus. Ubi enim lacrymæ sunt, non oportet tantum mysterium perfici; imo ubi sunt miracula, non decet esse lacrymas. Audite, quæso, etsi non quid simile jam fiat, tamen nunc etiam in mortuis magnum mysterium perficitur. Dic autem mihi : si nobis sedentibus imperator quempiam in regiam vocaret, an flendum et lugendum esset? Angeli adsunt de cœlo missi, indeque venientes, ab ipso Rege missi, ut conservum suum vocent, et tu ploras? Nescis quale sit mysterium illud, quam horrendum, quam tremendum, ac vere hymnis gaudioque dignum?

III. Vis discere hoc non esse tempus lacrymarum? Dei sapientiæ maximum hoc est mysterium. Anima quippe ceu domum quampiam deserens, pergit ad Dominum suum; tu vero luges? Hoc ergo cum puer nascitur facere oporteret : nam hic partus illo melior est. Pergit enim ad aliam lucem; solvitur quasi ex vinculis carceris, quasi ex agone

quodam egreditur. Etiam, inquies, id de probis recte dicis. Et quid hoc ad te, o homo! Tu enim erga probos non hoc agis. Dic vero mihi, quid in parvulo infante reprehendendum habes? Cur luges illum? Cur recens illuminatum? Nam et ille ejusdem conditionis est. Cur ergo luges illum? Nescis illum quasi solem purum ascendere? Sic et anima cum bona conscientia corpus relinquens splendide fulget. Non cum tanto silentio videas imperatorem venientem in civitatem, quanto animam corpus relinquentem, et cum Angelis abeuntem. Cogita quæ sit tunc anima, in quo stupore, in qua admiratione, in qua voluptate. Cur, quæso, luges? Num in peccatoribus tantum hoc facis? Utinam sic esset! non luctum prohiberem. Utinam talis esset scopus! hic luctus apostolicus, hic etiam dominicus est. Ploravit enim Jesus Jerosolymam. Vellem ac lege discerni luctus. Quando autem revocatus verba obtendis, consuetudinem, curam: non ea de causa luges, sed obtentum profers. Luge peccatorem, et ego lacrymas fundam; imo tanto magis quam tu, quanto majore ille supplicio obnoxius est. Ego quoque hunc habens scopum lugebo. Talem mortuum non te solum, sed totam civitatem lugere oportet; necnon omnes occurrentes, nempe quasi eos, qui ad mortem ducuntur. Vere namque hæc mala mors est, mors peccatorum. Sed res susdeque versæ sunt. Hic luctus et philosophicus est et doctrinam habet multam. Ille vero ex pusillanimitate proficiscitur. Si ita lugeremus omnes, illos viventes emendassemus. Quemadmodum si posses pharmaca adhibere, quæ mortem illam corporalem arcerent, adhiberes utique; ita et nunc si hanc lugeres mortem, et a te et ab illo eam ipsam arceres. Nunc autem ænigma est quod accidit, quod cum possimus impedire quominus mors illa accidat, non impediamus; sed cum accidit lugeamus. Vere lacrymis digni sunt; cum astabunt ante tribunal Christi, qualia

verba audient, qualia patientur? Frustra vixerunt hi, imo non frustra, sed in malum. De illis dicere par est : « Bonum » erat illis, si nati non fuissent[1]. » Quæ utilitas, quæso, tantum insumere tempus in capitis sui malum? Si frustra solum insumptum fuisset, non tantum fuisset damnum. Dic mihi, si quis mercenarius viginti annos frustra perdat, annon plorabit et flebit, omniumque miserrimus esse videbitur? At hic totam vitam suam frustra perdidit, neque vel uno die sibi vixit, sed deliciis, luxuriæ, avaritiæ, peccato, diabolo. Annon, quæso, hunc lugebimus? Annon conabimur a periculis eruere? Possumus, certe possumus, si velimus, ejus supplicium levius efficere. Si frequenter orationes pro illo fundamus, si eleemosynam demus, etiamsi ille indignus sit, nos Deus exaudiet. Si propter Paulum alios servavit, et propter alios parcit, cur non idipsum propter nos etiam faciet? Ex illius pecuniis, ex tuis, unde volueris juva. Instilla oleum, imo aquam. Non potest eleemosynas proprias exhibere? saltem cognatorum exhibeat. Non potest a se factas? saltem pro se factas. Sic cum fiducia ipsum tunc deprecabitur uxor, pretium redemptionis pro illo deponens. Quo pluribus fuit peccatis obnoxius, eo magis opus habet eleemosyna. Nec propter hoc tantum, sed quia non parem nunc vim habet, imo multo minorem. Non par enim res est ipsum quædam facere, et alium pro ipso. Cum itaque minor sit, per copiam faciamus illam majorem. Ne circa monumenta, ne circa sepulcralia operam demus. Patrocinare viduis; hoc sepulcrale officium est maximum. Dic nomen : omnes illas jube pro ipso preces et supplicationes emittere : hoc Deum placabit; etiamsi non per illum, at propter illum alius auctor sit eleemosynæ. Et hoc argumentum est divinæ clementiæ. Viduæ circumstantes et lacrymantes, non a præsente, sed a fu-

[1] Marc. XIV, 21.

tura morte possunt eruere. Multi ab eleemosynis aliorum pro se factis adjuti sunt. Si non omnino sint liberati, saltem aliquam invenerunt consolationem. Nam si hoc non esset, quomodo pueruli servarentur? siquidem nihil illi afferunt; sed totum parentes : et mulieribus donati sunt sæpe pueri, qui nihil ad illud intulerunt. Multas Deus nobis salutis dedit vias, modo non negligamus.

IV. Quid ergo, inquies, si quis pauper sit? Rursus dicam : eleemosynæ copia non ex datis pensatur modo, sed etiam ex proposito. Tantum ne des minus, quam facultates ferant, et totum solvisti. Quid ergo, inquies, si solus sit et peregrinus, neminemque habeat? Cur, quæso, neminem habet? Hoc illi pœnam confert, quod neminem sic amicum, sic virtute præditum habeat. Itaque hoc ita se habet, ut si nos virtute prædiți non simus, curemus saltem virtute prædițos amicos habere, uxoremque item et filium, ut fructum quemdam per illos percipiamus; parvum quidem, sed tamen percipiamus. Si cures piam non divitem ducere uxorem, hac frueris consolatione : similiterque si cures filium non opulentum, sed pium relinquere : si filiam castam, hac item frueris consolatione. Si hæc cures, tu quoque talis eris. Et hæc pars virtutis est, tales eligere amicos, uxorem, filios. Non frustra oblationes pro defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra eleemosynæ. Hæc omnia Spiritus disposuit, volens ut nos mutuo juvemus. Vide namque : ille per te utilitatem accipit, tu propter illum juvaris. Contempsisti opes, inductus ad quid generose præstandum : et tu ipsi salutis, et ille tibi eleemosynæ auctor fuit. Ne dubites ipsum quid boni decerpturum esse. Non frustra clamat diaconus : pro iis qui in Christo defuncti sunt, et pro iis qui illorum memoriam faciunt. Non diaconus hanc emittit vocem, sed Spiritus; non sanctus dico, sed donum ejus. Quid dicis? In manibus est hostia,

et omnia parata prostant. Adsunt Angeli, Archangeli : adest Filius Dei : cum tanto horrore astant omnes : astant illi clamantes omnibus silentibus : et putas hæc frustra fieri? Ergo et alia frustra, et quæ pro Ecclesia, et quæ pro sacerdotibus offeruntur et quæ pro plenitudine (15)? Absit. Sed omnia cum fide fiunt. Quid putas pro Martyribus offerri, quod vocentur in illa hora? Licet Martyres sint, etiam pro Martyribus, magnus honor nominari Domino præsente, dum mors illa perficitur, horrendum sacrificium, ineffabilia mysteria. Quemadmodum enim, sedente imperatore, quæcumque voluerit quispiam, perficit : ubi autem surrexerit, quæcumque dixerit, frustra dicit; ita et tunc; quandiu prostant mysteria, omnibus honor maximus est in memoria haberi. Vide enim : annuntiatur tunc mysterium horrendum, quod pro mundo se ipsum Deus dederit. Cum miraculo illo opportune memorat ille eos, qui peccaverunt. Sicut enim quando triumphalia regum ducuntur, tunc celebrantur etiam quotquot victoriæ socii fuerunt : dimittuntur etiam ii qui in vinculis sunt ob temporis celebritatem. Elapso autem tempore, qui nihil assecutus est, nullo fruitur. Ita sane hic. Triumphalium tempus est; nam ait : « Quotiescumque manducatis » panem hunc, mortem Domini annuntiatis [1]. » Itaque ne utcumque accedamus, nec temere hæc fieri putemus. Alioquin autem Martyres memoramus, et hoc in fidem quod jam Dominus mortuus non sit; et hoc signum est mortuam esse mortem, quod ille mortuus fuerit. Hæc cum sciamus, consideremus quantas possumus consolationes defunctis conferre, vice lacrymarum, vice fletuum, vice monumentorum, eleemosynas nempe, orationes, oblationes; ut et illi et nos promissa consequamur bona, gratia et benignitate unigeniti Filii, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 1 Cor. xi, 26.

HOMILIA XXII.

CAPUT X.

Vir autem quidam erat in Cæsarea nomine Cornelius, centurio ex cohorte, quæ vocatur Italica, religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper, is vidit in visu manifeste, quasi hora diei nona, Angelum Dei introëuntem ad se, et dicentem sibi : Corneli. At ille intuens eum, timore correptus dixit : Quid est, Domine? Dixit autem illi : Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei [1].

I. Hic non erat Judæus, nec vivebat secundum legem ; sed jam præoccupaverat institutum vitæ nostrum. Et vide duos credentes; Eunuchum in Gaza, et hunc, ambos in dignitatibus constitutos, magnamque de illis habitam curam. Sed ne putes ob dignitates; non ea de causa, absit; sed propter pietatem. Ideo dignitates positæ sunt, ut major pietas eluceret. Mirabilius quippe est, cum quis in divitiis et potentia constitutus, talis fuerit. Certe magna illius laus est, quod tantam peregrinationem susciperet, nec tali tempore in via lectionem intermitteret, et quod curru vectus Philippum advocaret, multaque alia. Magnum etiam in hoc est, quod eleemosynas et preces emitteret, et in tanto principatu pius esset. Unde et ab hoc illum jure notum facit ; ut ne quis diceret mentiri Scripturarum historiam. « Ex cohorte, inquit, quæ vocabatur Italica. » Cohors

[1] Act. x, 1-4.

erat, id quod nunc vocamus Numerum. « Pius ac timens » Deum, cum omni domo sua. » Hæc dicit, ne putes ob dignitatem ejus sic dispensatum fuisse. Quando Paulum adduci oportebat, non Angelus, sed ipse Dominus apparet; neque mittit eum ad aliquem ex duodecim illis, sed ad Ananiam. Hic vero contra, Coryphæum mittit, ut Philippum ad Eunuchum, illorum infirmitati se attemperans, docensque quomodo talibus uti oporteat. Nam et Christus sæpe apparet iis qui mala patiuntur, nec possunt per se accedere. Vide autem et hic, quæso, aliud eleemosynæ encomium; sic et illic in Tabitha. « Vir pius, inquit, et ti- » mens Deum cum omni domo sua. » Audiamus quotquot domesticos nihil curamus. Hic autem et militum curam gerebat, et eleemosynam erogabat omni populo. Sic et dogmata et vita illius recta fuerunt. « Vidit in visu mani- » feste, quasi hora diei nona, Angelum Dei introëuntem ad » se et dicentem sibi : Corneli. » Quare videt Angelum? Ut certior fieret Petrus; imo non ille, sed alii infirmiores. Nona autem hora, quando curis liber in quiete erat, cum in orationibus et in compunctione versabatur. « Intuens au- » tem illum timore correptus dixit. » Vide Angelum non statim dicentem quæ dicturus erat; sed prius solventem metum, et mentem ejus erigentem. Nam ex visu metus fuit; sed metus moderatus, qui illum intentum redderet tantum : deinde verba metum solverunt, imo potius laudes illis adjunctæ timoris asperitatem mitigarunt. Audi vero quæ verba : « Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascen- » derunt in memoriam in conspectu Dei. Nunc ergo mitte » viros in Joppen, et accersi Simonem quemdam, qui cog- » nominatur Petrus [1]. » Ne ad alium veniant, non a cognomine tantum, sed etiam a loco virum denotat. « Hic hospi- » tatur apud Simonem quemdam coriarium, cujus est domus

[1] Act. x, 5.

» juxta mare [1]. » Vidisti-ne quomodo Apostoli, solitudinis et quietis amantes, remotiores urbium partes sectarentur? Quid igitur si contigisset alium esse Simonem et ipsum coriarium? sed et aliam notam habebat, quod habitaret juxta mare : tria autem illa non concurrere poterant. Nec dixit : « Quare? » ne resolutum redderet; sed dimisit, ut audiendi desiderio teneretur? « Et cum discessisset Ange- » lus, qui loquebatur Cornelio, vocavit duos domesticos* » suos, et militem metuentem Dominum, ex iis qui illi pa- » rebant; quibus cum narrasset omnia, misit illos in Jop- » pen [2]. » Vides-ne illum hæc non sine causa dicere; sed ut ostenderet eos, qui parebant illi, tales fuisse? « Et cum nar- » rasset illis omnia, inquit. » Vide quam alienus sit a fastu. Non dixit : « Vocate mihi Petrum; » sed ut suaderet, nar- ravit omnia. Sic rem ille provide agebat. Non enim voluit ex auctoritate illum accersere. Ideo narrat; usque adeo modestus erat homo, etiamsi nihil magnum cogitari posset de viro apud coriarium diversante. « Postera autem die, » iter illis facientibus, et appropinquantibus civitati, as- » cendit Petrus in superiora circa horam sextam [3]. » Vide quomodo Spiritus tempora connectat, ac neque citius, ne- que tardius rem faciat. « Ascendit, inquit, Petrus in supe- » riora ut oraret circa horam sextam, » hoc est, seorsum et in quiete, quasi in cœnaculo. « Et cum esuriret, voluit » gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum men- » tis excessus, et vidit cœlum apertum [4]. » Quid est mentis excessus? Spiritualis, inquit, contemplatio accidit illi; ex corpore, ut ita dicam, excessit anima. « Et vidit cœlum » apertum : et descendens vas quoddam velut linteum mag- » num, quatuor initiis submitti de cœlo in terram : in quo » erant omnia quadrupedia terræ, et bestiæ et serpentia et » volatilia cœli. Et facta est vox ad eum : Surge, Petre,

[1] Act. x, — [2] Ibid. 7, 8. — [3] Ibid. 9. — [4] Ibid. 10.

» occide, et manduca. Ait autem Petrus : Absit, Domine, » quia nunquam manducavi omne commune et immundum. » Et vox iterum secundo ad eum : Quod Deus purificavit, » tu commune ne dixeris. Hoc autem factum est usque ter- » tio et statim receptum est vas in cœlum [1]. »

II. Quid hoc est ? symbolum totius orbis res est. Homo incircumcisus erat, nihilque commune habebat cum Judæis. Quia igitur omnes illum ut transgressorem accusaturi erant, et illis admodum cordi erat ; necessario ille sic rem temperavit ut diceret : « Nunquam comedi. » Non quod timeret, absit ; sed a Spiritu, ut dixi, sic dispositus fuit, ut defensionem haberet contra eos qui se accusarent, quod restitisset ; magna enim cura illis erat, ut lex servaretur. Ad gentes mittebatur. Ne igitur hi etiam illum accusarent, ut dixi, hæc ita dispensata sunt : aut ne videretur phantasia quædam esse, dixit : « Absit, Domine, quia » nunquam manducavi commune aut immundum. » Facta est autem vox ad illum : « Quæ Deus purificavit, tu com- » mune ne dixeris. » Hoc videtur quidem ad illum dici, totum vero Judæis dicitur. Nam si magister increpatur, multo magis hi. Linteum ergo est terra, feræ, gentiles. Illud vero, « Occide et manduca, » significat illos accedere debere ; quod vero ter fiat, id baptismum significat. « Absit, Domine, nunquam manducavi commune aut im- » mundum. » Et cur, inquies, contradixit ? Ne quis diceret Deum tentavisse illum ; sicut Abrahamum, cum jussus est filium hostiam offerre ; sicut et Philippum, quando rogavit Christus, « Quot panes habetis ? » interrogavit, non ut disceret, sed tentans illum. Atqui in lege de mundis et immundis distincte præceperat Moyses, tam in terra, quam in mari. Attamen neque sic sciebat. « Cum autem apud se » dubitaret Petrus quæ esset visio quam viderat : et ecce

[1] Act. x, 11-16.

» viri, qui missi erant a Cornelio, inquirentes domum Simo-» nis, astiterunt ad januam. Et cum vocassent, interroga-» bant si Simon, qui cognominatur Petrus, illic haberet » hospitium [1]. » Mirante in semetipso et dubitante Petro, veniunt opportune viri, qui dubitationem solvant. Siquidem et Josephum dubitare permisit [2], et tunc Archangelum misit. Facile namque anima solutionem accipit, quæ prius dubitavit; non diu ergo, neque antea dubitavit, sed circa tempus prandii. « Petro autem cogitante de visione dixit » Spiritus ei : Ecce viri quærunt te. Surge itaque, descende, » et vade cum eis nihil dubitans, quia ego misi eos [3]. » Hæc item alia est defensio Petri ad Discipulos; ut discant et dubitatum fuisse, et ipsum didicisse nihil esse dubitandum. « Quia ego, inquit, misi illos. » Vide quanta sit Spiritus potestas. Quod autem facit Deus, illud dicitur Spiritus facere. Angelus vero non ita; sed cum prius dixisset : « Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ, » tunc ait : « Mitte; » ut ostendat istinc missum fuisse. Spiritus vero, quia Dominus est, « Ego illos misi. Descendens autem Petrus ad » viros, dixit : Ecce ego sum quem quæritis; quæ causa est » propter quam venistis ? Qui dixerunt : Cornelius centu-» rio, vir justus et timens Deum et testimonium habens ab » universa gente Judæorum, responsum accepit ab Angelo » sancto accersere te in domum suam, et audire verba abs » te [4]. » Laudes proferunt, ut suadeant quod Angelus apparuerit ei. « Introducens ergo eos, recepit hospitio [5]. » Vides-ne unde fiat initium gentium ? A viro pio, qui ab operibus dignus visus est. Nam si vel re ita gesta offenduntur Judæi; si res non ita fuisset, quid non dicturi erant. « Introducens, inquit, illos, recepit hospitio. » Vide quanta securitas. Ne quid illis grave accidat, ipsos introducit, et

[1] Act. x, 17, 18. — [2] Matth. II, 13. — [3] Act. x, 19, 20. — [4] Ibid. 21, 22. — [5] Ibid. 23.

fidenter cum illis victitat. « Sequenti autem die Petrus » surgens profectus est cum illis et quidam ex fratribus ab » Joppe comitati sunt eum. Altera autem die introierunt » Cæsaream[1]. » Insignis vir erat, ut in insigni urbe versans. Quare in illo omnia simul dispensantur, atque a Judæa res incipit ; ita ut non dormienti, sed vigilanti interdiu res accidat. Circa nonam enim horam ita sibi ipsi attendebat. Sed superius dicta repetamus. « Et dixit Angelus : Ora- » tiones tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam » in conspectu Dei. » Hinc palam est Angelum emissa voce illum appellavisse, atque ita vidit illum. Quod si non vocasset, non utique vidisset, ita intentus erat rei, quam agebat. « Et accersi Simonem, qui cognominatur Petrus. » Interim quod ad utilia illum vocaturus sit declarat : ad quæ vero utilia nondum Petrus omnino declarat. Sed ubique sunt succisæ narrationes, ut audientes excitent. Sic et Philippum solum vocat in solitudinem. « Ascendit autem » Petrus ad superiora ut oraret circa horam sextam. Et ce- » cidit super eum mentis excessus : et vidit vas quoddam » velut linteum. » Perpende quomodo neque fames coëgit eum currere ad sindonem. Ne vero magis hæsitaret Petrus, audit vocem dicentem : « Surgens, Petre, macta et man- » duca. » Forte in genua procumbens vidit visionem : videtur mihi propter prædicationem illam vidisse. Quod vero divinum esset id quod videbat, hinc manifestum est, quod illud superne descenderet, tum etiam, quod ipse in excessu mentis esset : itemque quod vox inde ferretur, quod illud ter fieret ; quod cœlum aperiretur, quod illud inde veniret, et illuc arriperetur, magnum erat indicium rem esse prorsus divinam.

III. Cur vero sic res agitur ? Propter eos, quibus postea illud narraturus erat. Nam ipse jam audierat : « In viam

[1] Act. x, 24.

» gentium ne abieritis [1]. » Et ne mireris. Si enim circumcisione et victima opus habuit Paulus, multo magis tunc initio prædicationis, cum essent adhuc infirmiores, his opus habebant. « Et ecce, inquit, viri missi a Cornelio » astiterunt ad januam. Et cum vocassent, interrogabant si » Simon, qui cog-ominatur Petrus, illic haberet hospi- » tium. » Eo quod vilis esset domus, infra, non autem vicinos, interrogabant. « Petro autem hæc secum cogitante, » dixit illi Spiritus: Surgens descende et vade nihil hæsi- » tans, quia ego misi eos. » Vide; non dixit: « Ideo enim visio apparuit tibi; » sed, « Ego illos misi, » ostendens sic obtemperandum esse, nec rationes esse exigendas. Satis enim erat ut certior fieret, quod ab illo audivisset: Hoc fac, hoc loquere, nec quid ultra quærendum erat. « Descendens autem Petrus dixit: Ecce ego sum quem » quæritis. » Cur non statim illos recipit; sed quærit? Videbat illos esse milites. Ideo non simpliciter interrogat; sed postquam fassus est se ipsum esse, tunc quærit adventus causam, ut ne putaretur si ideo sciscitari, quasi vellet sese occultare: et sciscitatur, ut si statim urgeretur, cum illis iret; sin minus, illos hospitio exciperet. Cur autem dicunt illi, « Accersit te in domum suam? Quia sic illis præceperat. Fortasse vero quasi rationem pro illo dantes dicunt: Ne damnes illum, non quasi te contemnens misit; sed jussus. « Cornelius vero expectabat illos, convocatis cog- » natis suis, et necessariis amicis [2]. » Jure: neque enim justum fuisset cognatos et amicos non simul adduci. Alioquin vero illic præsentes magis audituri erant. Vidistis quanta sit eleemosynæ virtus, et in priori et in præsenti sermone? Illa a temporanea morte liberavit; hæc ab æterna: hæc et januas cœli aperuit. Vide quanti fecerit quod credat Cornelius, ut et Angelus mittatur, et Spiritus

[1] Matth. x, 5. — [2] Act. x, 24.

oporetur, et Apostolorum coryphæus advocetur, talisque appareat visio, ac nihil retro relinquatur. Quot erant centuriones, tribuni, reges, et nullus eorum eadem consecutus est. Audite omnes quoquot in exercitu estis, quotquot reges stipatis. « Pius erat, inquit, et timens »Deum : » quodque majus ; talis erat ; « Cum omni domo »sua. » Ita erat huic rei intentus, ut non modo sua bene dispensaret, sed etiam in familia sua idipsum faceret. Non enim ut nos, qui nihil non agimus ut nos ministri timeant ; ut autem pii sint non item. Hic vero non sic ; sed cum omni domo sua Deum timebat : nec modo quasi communis pater erat omnium, qui cum ipso erant ; sed etiam militum suorum. Audi quid aliud dicant : necessario enim illud additur : « Testimonium habens ab omni gente, » Ne quis diceret : « Quid si incircumcisus est ? » Et Judæi, inquit, testificantur ei. Ergo nihil par eleemosynæ. Imo tanta rei vis est, quando ex penuariis puris profunditur ; ut ea quæ ex injuste partis manant similia sint fonti lutum emittenti ; quæ vero ex juste partis, alveo limpido et puro, in paradiso mananti, qui suavis visu, suavis et tactu, quid lene et frigidum dans in meridie. Sic est et eleemosyna. Ad hunc fontem non populi arbores, non pini, non cypressi ; sed plantæ illis longe meliores et proceriores sunt ; amor Dei, laus hominum, gloria in Deum, benevolentia omnium, peccatorum abolitio, fiducia multa, opum contemptus, eleemosyna, per quam charitatis planta nutritur. Nihil enim sic charitatem alere solet, ut si quis misericors fuerit. Hæc ramos in altum erigit. Hic melior fons est illo, qui in paradiso erat, non in quatuor capita divisus, sed ad cœlum ipsum pertingens. Hic parit fluvium illum salientem in vitam æternam [a]. In hunc mors incidens, quasi scintilla absumitur a fonte. Hic ubicumque stillet, magna operatur

[a] Joan. IV, 14.

bona. Hic fluvium ignis quasi scintillam extinguit : hic vermem illum ita suffocat quasi nihilum. Qui hunc habet, non dentibus stridet. Ex aqua ista si qua stilla inciderit in vincula, scindit illa : si in fornaces inciderit, omnes extinguit.

IV. Sicut ille fons paradisi, non modo fluenta emittit, modo siccatur; alioquin jam fons non esset; sed semper scaturit; ita et fons noster semper largius fluenta effundat ad eos maxime, qui misericordia egeant, ut fons mancat. Hoc hilarem reddit eum qui accipit. Hoc eleemosyna est, si non modo rapidum fluentum emittat, sed etiam perpetuum. Si vis, quasi ex fontibus tibi Deus misericordiam sicut imbrem immittet : et tu fontem habeto : nihil illi par est. Si tu fontis hujus ora aperueris, fontis Dei talia erunt ora, ut abyssum omnem superent. Occasionem solum quærit a nobis accipere Deus, et profundit bona ex penuariis suis : cum insumit, cum impendit, tunc dives est, tunc opulentus. Magnum est os fontis illius : purum et limpidum ejus fluentum. Si hunc non obstruas, neque illum obstrues. Nulla infructuosa juxta illum stet arbor, ne humorem illum absumat. Habes divitias? Ne plantes illic salices. Talis est enim ejus voluptas. Multa insumit, et nihil in se ostendit, sed fructum perdit. Ne plantes salicem, ne pinum, nec quid simile, quod consumat, et inutile sit. Talis enim est vestium voluptas, visu pulchræ sunt, sed ad nihil utiles impie surculis : omnia fructifera plantes in manus pauperum quæcumque volueris : nihil hac terra pinguius, quamvis parva sit manus capacitas : attamen arbor illa plantata ad usque cœlum pertingit, et firma stat. Hoc est vere plantare. Nam quod in terra plantatur; si non nunc, post centum annos peribit. Cur arbores plantas quibus non fruëris; sed antequam fruaris mors invadens te abripiet? Hæc arbor cum mortuus fueris, tunc tibi fructum dabit.

Si plantes, ne in gastrimargiæ ventre plantes, ne in secessum fructus exeat; sed planta in afflicto ventre, ut fructus ad cœlum exiliat. Recrea animam pauperis in angustia versantis, ut ne latam tuam viam arctes. Non vides quomodo arbores, quæ sine mensura rigantur, a radice corrumpantur; quæ autem cum mensura, crescant? ita et tu; ne ventrem tuum potu ingurgites, ne putrescat arboris radix. Potum da sitienti, ut fructum ferat: quæ moderate potum accipiunt, non putrefacit sol; sed quæ immoderate: talis quippe est solis natura. Ubique mala est immoderatio; ideoque illam excindamus, ut quæ petimus assequamur. In altissimis locis dicuntur fontes oriri. Ergo simus et nos animo sublimes, et eleemosyna cito manabit. Neque enim potest sublimis anima non misericors, et misericors non sublimis esse. Qui ergo pecunias despicit, radice malorum superior est. Fontes in desertis sunt ut plurimum, et nos animam ex tumultu educamus, et apud nos scaturiet eleemosyna. Fontes quanto magis purgantur, tanto uberiores sunt. Ita nos quoque quo magis insumemus, et magis bona scaturient. Qui fontem habet, non timet. Si ergo et nos fontem habeamus eleemosynam, non timebimus. Hic quippe fons ad potum, ad irrigationem, ad ædificia, ad omnia nobis utilis est. Nihil hoc potu melius: nescit hic fons ebrietatem inducere. Melius est talem habere fontem, quam auri fontes emittere. Omni aurifera terra melior est anima, quæ hujusmodi fert aurum. Non enim in hanc regiam, sed in supernam nobiscum concedit. Hoc aurum ornamentum est Ecclesiæ Dei. Ex hoc auro efficitur gladius Spiritus, gladius per quem draco dissecatur. Ex hoc fonte prodeunt lapides pretiosi, qui caput regis ornant. Ne itaque negligamus tantas divitias; sed largiter eleemosynam inferamus, ut Dei benignitate dignemur, gratia et miserationibus unigeniti ejus Filii, cui omnis gloria, ho-

nor et imperium, una cum sancto Spiritu, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIII.

CAPUT X.

Sequenti autem die, inquit, surgens Petrus, profectus est cum illis, et quidam ex fratribus ab Joppe cum illo venerunt Cæsaream. Cornelius vero expectabat illos, convocatis cognatis suis et necessariis amicis[1].

I. Postquam viros hospitaliter tractavit, egreditur cum illis. Recte prius benigne cum illis agit, utpote ex itinere fatigatis : sibique familiares reddit, demumque una proficiscitur. « Sequenti autem die, inquit, surgens Petrus, » profectus est cum illis, et quidam fratres. » Non solus, sed et alii cum illo veniunt; idque cum quadam providentia, ut postea testes essent, quando Petro opus fuit defensione. « Cornelius vero expectabat illos : convocatis cogna- » tis suis et necessariis amicis. » Hoc amici, hoc pii viri est, in talibus bonis amicos præ omnibus facere socios. Jure hos vocat, quibus fidebat, de talibus maxime semper disserens, quæ frustra fortasse aliis exposuisset. Videntur autem mihi et amici et cognati ab ipso fuisse instituti. « Cum introisset autem Petrus, obviam venit » ipsi Cornelius, et procidens ad pedes ejus adoravit. » Petrus vero erexit eum dicens : Surge, nam et ego homo » sum[2]. » Hoc facit humilitatem suam ostendens, aliosque docens, Deoque gratias agit, declaratque se etiamsi jussus

[1] Act. x, 23, 24. — [2] Ibid. 25, 26.

sit, ex se tamen multam habere pietatem. Quid ergo Petrus? « Surge : nam et ego homo sum. » Vides-ne quomodo ante omnia illos docent, ne quid magnum de se sentiant? « Et loquens cum illo intravit : et invenit multos qui con» venerant, dixitque ad illos : Vos scitis quomodo abomi» natum sit viro Judæo conjungi aut accedere ad alienige» nam [1]. » Vide ut statim de Dei benignitate disserat, ostendatque ipsum magna illis largitum esse bona. Non hoc solum admirandum hic est, quod talia loquatur; sed et quomodo simul et magna loquatur et modeste agat. Non dixit enim : « Nos qui ad neminem accedere dignamur, ad vos venimus; » sed quid? « Vos scitis. » Deus hoc jussit, inquit, « Iniquum esse conjungi aut accedere ad alienige» nam. » Deinde ne in illo gratiam statuat, subdit. « Et » mihi Deus ostendit neminem communem aut immun» dum dicere hominem. » Hoc subjungit, ne videatur adulari ipsi. « Propter quod sine contradictione veni accersi» tus [2]. » Ne putarent, etsi res illicita esset, se utpote principem, ea de causa obtemperasse; sed totum Deo imputarent, etsi non modo conjungi, sed etiam accedere non liceret. « Interrogo ergo quam ob causam accersistis » me. » Non ignorans interrogat : sciebat enim totum Petrus a visione edoctus : audierat etiam a militibus. Sed vult illos primum confiteri, et fidei obnoxios fieri. Quid ergo Cornelius? Non dixit : « Non tibi milites dixerunt; » sed vide quam mansuete et humiliter loquatur : « A quarta die us» que in hanc horam eram jejunans, et nona hora eram » orans in domo mea. Et ecce vir stetit coram me in vestitu » splendido, et ait : Corneli, exaudita est oratio tua, et » eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu » Dei [3]. Et nona hora, inquit, orans. » Quid hoc est? Videtur mihi sibi tempora constituisse accuratioris vitæ in

[1] Act. x, 27, 28. — [2] Ibid. 29. — [3] Ibid. 30, 31.

quibusdam diebus : ideoque ait : « A quarta die. » Vide quanta res sit oratio. Quando in pietate profecit, tunc apparet illi Angelus. Hæc una dies erat; ea qua abierunt ii qui missi erant una : qua venerunt, rursus una ; et quarta apparuit, ita ut sit secunda post eam qua precatus est. « Et ecce vir stetit coram me in veste splendida. » Non Angelum dicit, ita alienus erat a fastu. « Et ait : Cornéli, » exaudita est oratio tua, et eleemosynæ tuæ ascenderunt » in memoriam in conspectu Dei. Mitte ergo in Joppen, et » accersi Simonem, qui cognominatur Petrus. Hic hospi- » tatur in domo Simonis coriarii juxta mare, qui ubi ad- » venerit, loquetur tibi. Confestim ergo misi ad te : et tu » bene fecisti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conspectu » Dei adsumus, ut audiamus omnia quæ tibi præcepta sunt » a Deo. » Ideo dixit, « Qua de causa accersistis me, » ut hæc sic verba dicat. « Aperiens autem Petrus os suum dixit : » In veritate comperi, quod non sit personarum acceptor » Deus : sed in omni gente, qui timet illum et operatur » justitiam, acceptus illi est[1]. » Hoc est, sive præputiatus sit, sive circumcisus. Hoc et Paulus sic declarat, « Non est » personarum acceptio apud Deum[2]. Nunc ergo adsumus » omnes nos, inquit, in conspectu Dei. » Vide quanta fides, quanta pietas. Sciebat nihil humanum dicere Petrum; « Deus ostendit mihi, » dixit. Ideo et adsumus, ut audiamus omnia quæ tibi præcepta sunt a Deo. Quid ergo? Num acceptus est illi is qui est in Perside? Si dignus sit, ita acceptus erit ut fidem assequatur. Hinc etiam Eunuchum ex Æthiopia non despexit. Et quid, inquies, dixeris de religiosis viris, qui despecti fuerunt? Absit, nemo religiosus despicitur. Non potest enim, non potest utique despici qui talis est. « In omni gente, inquit, qui timet

[1] Act. x, 32-35. — [2] Rom. II, 11.

» Deum et operatur justitiam. » Justitiam vocat omnem virtutem.

II. Vides ut deprimat illius sublimem sensum? cum dicit enim : « In omni gente qui timet Deum, acceptus est » illi; » ac si diceret : « Neminem repellit, omnes credentes admittit. » Deinde ut ne videantur inter abjectos esse, subdit : « Verbum quod misit filiis Israël annuntians pacem » per Jesum Christum. Hic est omnium Dominus[1] : » Hæc dicit in præsentium gratiam, ut illis persuadeat. Ideo curat ut Cornelius loquatur : « Verbum, inquit, quod misit filiis » Israël. » Vide, illis interim dat prærogativam. Deinde illos testes inducit dicens : « Vos scitis verbum quod factum est » per universam Judæam, incipiens a Galilæa post bap- » tisma quod prædicavit Joannes[2]. » Quod sic res habeat, ex sequentibus confirmat. « Jesum a Nazareth, quomodo » unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute[3]. » Non dixit : « Nostis Jesum, » neque enim noverant; sed quæ ab illo facta sunt narrat. « Qui pertransiit benefaciendo et sanando » omnes oppressos a diabolo[4]. » Hinc ostendit multas mutilationes diabolicas, et corporis labes ab illo factas. « Quo- » niam Deus erat cum illo. » Rursum humilia loquitur, non sine causa puto, sed propter humanitatem. « Et nos testes » sumus omnium quæ fecit in regione Judæorum et Jeru- » salem[5]. » Et vos inquit et nos. « Quem et occiderunt sus- » pendentes in ligno. » Hic passionem prædicat. « Hunc » Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri, » non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, nobis » qui manducavimus et bibimus cum eo, postquam resur- » rexit a mortuis[6]. » Hoc maximum resurrectionis argumentum est. « Et præcepit nobis prædicare populo et tes- » tificari, quia ipse est qui constitutus est a Deo judex

[1] Act. x, 36. — [2] Ibid. 37. — [3] Ibid. 38. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 39. — [6] Ibid. 40, 41.

» vivorum et mortuorum [1]. » Magnum etiam hoc ut fide dignos demonstret. Ipse vero testimonium inducit dicens: « Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissio- » nem accipere per nomen ejus omnem qui credit in il » lum [2]. » Hæc prædictio est eorum, quæ post futura erant; quam confirmans, Prophetas opportune testes adhibet. Sed repetamus ea quæ de Cornelio superius dicta sunt « Misit, inquit, in Joppen ut accerseret Petrum. » Omnino venturum credidit, ideo misit. « Et loquens cum illo, in- » quit, intravit. » Quid loquens? ea, ut puto, quæ superius dicta sunt. « Et procidens ad pedes ejus, adoravit. » Vide ubique sermonem ab adulatione alienum, et humilitate plenum. Hinc dignus ostenditur et ille Eunuchus : « Præ- » cepit, inquit, Philippo ut ascenderet in curru. » Etsi nesciret quis esset, nisi solum ex Prophetæ commemoratione. Hic vero etiam cecidit ad pedes. Vides-ne mores sine fastu? Tu vero mihi considera quomodo ostendat Petrus divinum esse suum adventum, cum dicit: « Vos scitis illi- » citum esse. » Et cur non statim sindonem memoravit? Quia a vana gloria erat valde alienus. Quod missus sit a Deo dicit; quomodo, non item; sed cum necesse fuit, cum dixit : « Vos scitis illicitum esse Judæo conjungi, vel » accedere ad alienigenam : » ita procul erat a vana gloria. « Vos scitis. » Hoc dicens illorum sententiam in sponsionem trahit. Quid vero Cornelius? « Adsumus, inquit, in » conspectu Dei, audire omnia quæcumque tibi præcepta » sunt a Deo. » Non dixit, in conspectu hominis; sed « Dei, » ostendens sic accedendum esse ad Dei servos. Vidistis mentem excitatam? Vidistis quam dignus esset his omnibus? « Aperiens autem, inquit, Petrus os suum dixit : In » veritate comperi, quia non est personarum acceptor » Deus. » Hoc præsentibus Judæis sui purgandi causa dice-

[1] Act. x, 42. — [2] Ibid. 43.

bat. Cum enim illis verbum traditurus esset, quasi defensionem præmittit. Quid ergo? Num antea personarum acceptor erat? Absit : nam antea sic erat : « Omnis, inquit, » qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus illi est. » Hoc et Paulus scribens dicit : « Cum enim gentes quæ » legem non habent, ea quæ legis sunt faciunt[1]. » Et dogma inducit, et institutionem. Nam si Magos non despexit, neque Æthiopem, neque latronem, neque meretricem; multo magis operantes justitiam et volentes non contemnet. Quid ergo, si sint mansueti et mites homines qui credere nolint? Ecce tu causam dixisti : quia credere nolunt. Alioquin autem mansuetum hic dicit, non mitem, sed eum qui justitiam operatur; id est, cum, qui in omnibus beneplacitus est, qui tunc talis est, quando Deum ut par est timet. Hujusmodi vero hominem Deus solus novit. Vide quomodo hic acceptus erat. Mox ut audivit, etiam obtemperavit. Et nunc si Angelus veniret, inquies, nemo est qui non crederet. Verum longe majora nunc signa sunt, quam illa : et tamen multi non credunt. Deinde doctrinam incipit, et Judæis suam servat nobilitatem. « Ver- » bum, inquit, quod misit Deus Filiis Israël annuntians » pacem. Hic est omnium Dominus. » Primo de dominatione ejus loquitur, admodumque sublimiter, ut licebat, quia cum homine sermo erat, qui jam sublimis effectus, ardenter omnia ab se tradita suscipiebat. Deinde probans quomodo omnium Dominus esset, adjicit : « Quod misit » annuntians; » id est, ad bona vocans, non judicium inducens.

III. Hinc declarat ipsum Verbum a Deo Judæis primo missum fuisse. Deinde ab iis quæ per totam Judæam effecit hoc demonstrat dicens : « Vos scitis quod factum est ver- » bum per universam Judæam : » et quod est mirabile, in-

[1] Rom. II, 14.

cipiens a Galilæa post baptisma quod prædicavit Joannes. » Primo locutus est de ejus præclaro opere, et tunc de ejus patria fidenter loquitur. « Jesum a Nazareth. Ita sciebat ipsam patriam offendiculo esse. « Quomodo unxit eum » Deus Spiritu sancto et virtute. » Iterum probat. Ne quis enim diceret : Undenam hoc manifestum est? subjungit : « Qui pertransivit benefaciendo et sanando omnes oppres- » sos a diabolo. » Deinde cum bonis quæ operatus est, os- tendit quanta virtus ejus esset : cum enim diabolum superaverit, ingentem illam fuisse oportet. Adjicitur causa, « Quoniam Deus erat cum illo. » Ideo et Judæi ita dicebant. » Scimus quoniam a Deo venisti magister. Nemo enim po- » test hæc signa facere, nisi Deus fuerit cum eo [1]. » Deinde postquam ostendit eum a Deo missum fuisse, tunc addit eum interfectum fuisse, ne quid absurdum imagineris. Vides-ne illos nusquam occultare crucem, imo et modum etiam cum aliis addentes? « Quem occiderunt, inquit, sus- » pendentes in ligno. Et dedit illum manifestum fieri, non » omni populo, sed testibus præordinatis a Deo nobis. » Atqui ipse illos elegit; sed illud ascribit Deo. « Præordi- » natis, » inquit, vide unde resurrectionem probet, a comedendo. Cur resurgens nullum signum fecit, sed comedit et bibit? Quia ipsa resurrectio per se magnum erat signum. Hujus vero nullum majus argumentum erat, quam quod comederet et biberet. « Testificari, » inquit. Hic terribiliter loquitur, ne possent ad ignorantiam confugere Nec dixit : « Ipse est Filius Dei; » sed quod maxime illos terrebat : « Ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et » mortuorum. Hinc sequitur validum argumentum a Prophetis : illi enim in magna existimatione erant. « Huic » omnes Prophetæ testimonium perhibent. » Postquam timore perculsit, tunc veniam inducit, non ab illo, sed a

[1] Joan. III, 2.

Prophetis dictam. Et quod terribile erat ab illo, quod autem mitius, a Prophetis proficiscebatur. Quotquot hanc remissionem consecuti estis : quotquot fidem nacti estis; cum doni magnitudinem didiceritis, obsecro, date operam ne benefactorem contumelia afficiatis. Remissionem namque consecuti sumus, non ut deteriores efficiamur; sed ut multo meliores et præstantiores. Nemo igitur dicat Deum esse nobis causam malorum, quod non puniat, nec supplicium inferat. Dic enim mihi; si princeps quispiam captum homicidam dimiserit, an sequentium cædium auctor esse judicabitur? Minime. Et quomodo dum impiis linguis audemus Deo contumeliam inferre, non timemus, nec exhorrescimus? Quid enim non dicunt? Quid non loquuntur? Ipse permisit, inquiunt. Oportebat enim dignos supplicio non honorare, non coronare, non primatu dignari, sed punire et ulcisci; ille vero contra, dum illos honorat, tales ipsos efficit. Ne, quæso et oro, ne quispiam nostrum talem emittat vocem. Satius fuerit sexcenties defodi, quam Deum per nos talia audire. Dicebant illi et Judæi : « Qui destruis templum et in tribus diebus reædi» ficas illud, salva temetipsum ; » et rursum : « Si Filius Dei » es, descende de cruce [1]. » Sed hæc illis sunt graviora. Ne itaque per nos liceat ipsum dici iniquitatis doctorem : neque ex ipsis blasphemiis supplicio obnoxii efficiamur : nam ait, « Propter vos nomen meum blasphematur in genti» bus [2]. » Demus operam ut contraria dicantur, dignam vocatione nostra vitam ducentes, et ad baptisma adoptionis accedentes. Vere namque magna est vis baptismi, quæ doni consortes alios ex aliis efficit. Non sinit homines esse homines. Fac ut gentilis credat magnam esse Spiritus virtutem, quæ transformet, quæ transmutet. Cur extremos halitus expectas, ut fugitivus, ut sceleratus, ut qui non de-

[1] Matth. xxvii, 40. — [2] Rom. ii, 24.

beas Deo vivere? Cur ita affectus es, ac si inhumanum et crudelem haberes Dominum? Quid frigidius, quid miserabilius iis qui tunc baptisma accipiunt? Amicum te fecit Deus, et omnibus dignatus est bonis, ut et ipse ea quæ amici sunt exhibeas. Dic mihi, si quempiam injuriis et probris affecisses sexcentisque conviciis onerasses, et in manus ejus incidentem, te ille vicissim honoraret, et suorum omnium consortem faceret, et inter amicos pro illatis injuriis te coronaret, teque ut germanum filium habere diceret; deindeque moreretur, annon damnum illud esse existimares? Annon diceres: Vellem illum vivere, ut possem vicem reddere ac rependere, ne ingratus erga benefactorem viderer? Jam sic erga hominem affectus es; et cum de Deo agitur, ita decedere curas, ut tot munerum datori vicem non rependas? Quin potius tunc accede, cum potes pariā reddere. Cur fugis? Etiam, inquies; sed non possum me continere. Ergo impossibilia præcepit Deus? Hinc omnia subversa sunt: hinc mundus corruptus est, quia nemo curat secundum Deum vivere. Catechumeni hoc curantes, nullam de recta vita habent sollicitudinem. Qui vero jam sunt illuminati; alii quia adhuc pueri baptisma acceperunt; alii quia dum differrent in morbo demum id acceperunt; quia nullum habebant studium vivendi secundum Deum; nullam curam habent. Qui autem bene valentes acceperunt, parum et ipsi studii exhibent, et statim ardentes effecti, postea et ipsi ignem extinxerunt. Annon potes negotiari? An ab uxore te separo? A fornicatione secludo. Num a pecuniarum usu arceo? Ab avaritia tantum et rapina. Num cogo te ut omnia effundas? Pauca tantum ex facultatibus egenis erogare jubeo. « Abundantia vestra, » inquit, ad illorum inopiam [1]. » Ac neque ita persuademus. Num ad jejunandum cogimus? Ebrietatem et gulam cohibe-

[1] 2 Cor. VIII, 14.

mus. Illa amputamus quæ tibi turpitudinem afferunt : quæ vel ante gehennam fugienda et odio habenda esse tu ipse fateris. Num ab oblectatione et gaudio arceo ? a turpi certe certe et indigno.

IV. Quid times ? Quid formidas ? Quid tremis ? Ubi connubium ? ubi opum facultas ? ubi moderatus cibus ? quæ peccati occasio est ? Atqui exteri contraria imperant, et ipsis obtemperatur. Non enim ex iis quæ suppetunt exigunt ; sed dicunt : Tantum dare oportet. Si paupertatem obtendas ; neque sic desistunt. Christus autem non sic ; sed ait : « Ex iis quæ habes dabo, teque in primo ordine constituam. » Rursum illi : Si vis, aiunt, clarus esse, relinque patrem, matrem, cognatos, domesticos, et in regia adesto, in labore, miseria, servitute, ærumnis sexcentisque malis ; Christus vero non sic ; sed esto domi cum uxore et liberis, et sic tua dispone ut quiete et sine periculis vivas. Etiam, inquies ; sed ille opes pollicetur ? Atqui hic regnum promittit, imo et opes cum illo : nam ait : « Quærite primum regnum cœlorum, et hæc » omnia adjicientur vobis[1]. » Ille ne in augmenti quidem partem ; hic vero antecedenter. « Junior fui, inquit, » etenim senui : et non vidi justum derelictum, nec se» men ejus quærens panem[2]. » Incipiamus ergo virtutes adire, initium ponamus, illam solam suscipiamus, et videbis qualia bona. Num absque labore illa operaris, qui in his ita mollis es ? Etiam, inquies, illa sine labore, hæc cum labore. Apage : non ita res est, non ita utique. Sed si vere dicamus, illa cum labore et sudore majori. hæc vero, si velimus, facile perficiuntur. Ne resiliamus, rogo, a divinis mysteriis. Ne id spectes quod is qui ante te illuminatus est, improbus sit effectus et a spe sua exciderit, neu te ipso segnior fiias. Nam inter milites vide-

[1] Matth. VI, 33. — [2] Psal. XXXVI, 25.

mus alios qui non strenue militia funguntur, alios autem conspicuos; neque ignavis illis attendimus, sed præclaros æmulamur. Ad hæc considera quot post baptisma Angeli pro hominibus facti sint. Time incertam futuri conditionem. Ut fur noctu, sic mors veniet[1]; neque solum ut fur, sed nobis dormientibus invadet, negligentes abripiet. Ideo Deus futurum reliquit incertum, ut semper ob incertam expectationem in virtute degamus. Sed clemens est, inquies. Quousque frigidum illud et ridiculum dictum proferemus? Ego non modo benignum esse Deum dico, sed et nihil esse illo benignius, qui utiliter omnia nostra dispenset. Quot vides homines per omnem ætatem elephantiasi laborantes? Quot a prima ætate ad senectam usque cæcos? Alios postea cæcos factos? alios in paupertate; alios in vinculis, alios in metallis? alios inibi contumulatos? Annon, quæso, hæc ex benignitate proficiscuntur? Annon hæc poterat impedire, si voluisset; sed permisit. Etiam, inquies. Tu vero dic mihi, quare quidam a prima ætate cæci? Non dicam : Donec pollicearis mihi te illuminandum esse, et illuminatum recte vitam instituturum esse. Non licet tibi talia solvere : neque enim voluptatis gratia sermo est. Nam licet hanc solvam, alia succedet quæstio. Abyssus enim quæstionum est Scriptura. Quare ne vos ad quæstiones faciendas assuefaciatis, alioquin nunquam finis quæstionum erit. Nam si hanc solvam, mille quæstionibus viam aperiam. Unde discamus magis hoc quærere, quam quæsita solvere. Neque enim si solvamus, omnino solvimus. Unde secundum humanum ratiocinium propria talium solutio, fides est; scire nempe, Deum omnia juste, benigne et utiliter facere, neque posse ejus rationem comprehendi. Hæc una solutio est, neque alia melior habetur. Quæ enim, quæso, solutio est? Non ultra quærere

[1] Petr. III, 10.

id quod solutum est. Si hoc tibi persuadeas, nempe providentia Dei omnia administrari, qui alia permittit qua ratione ipse novit, alia autem operatur, ab omni quæstione liberatus es, et solutionis lucrum percepisti. Sed ad propositum revertamur. Quia igitur vides tot in suppliciis esse, Deumque hæc omnia permittere; valetudine corporis utere ad animæ valetudinem. Sed dices? Quid mihi opus est laboribus et miseria, cum mihi liceat omnia sine labore solvere? Hoc certe non manifestum est. Contingit enim ut non modo non sine labore solvas, sed etiam ut omnibus onustus decedas. Cæterum etiamsi hoc manifestum esset, non ferendus tamen hic sermo esset. In certamina traxit : arma posita sunt aurea. Cum oporteret illa sumere et tractare, tu vis inglorius servari, nihilque boni operari. Dic mihi, si bellum instaret, rexque adesset : et alios videres in medias phalangas se immittere, cædentes et innumeros vulneribus afficientes, aliosque in singulare certamen descendentes, alios in equos insilientes, a rege laudari, in admiratione haberi, plausibus excipi, coronari : alios contra, qui optarent nihil mali pati et ultimos tenerent ordines : deindeque soluto bello, alios vocari, magnis muneribus excipi, et celebrari; illorum vero ne nomen quidem proferri; sed unam salutem accipere bonorum mercedem; ex utrorum numero esse velles? Etiamsi lapideus esses, etiamsi insensibilibus et inanimatis ignavior; annon millies optares ex illorum numero esse? Etiam oro et obsecro : etiamsi enim pugnantem cadere oporteret, annon illud strenue era teligendum? Non vides eos, qui in his bellis cadunt, quam sint clari et gloriosi? Atqui post mortem non possunt a rege honorari. In illo autem bello nihil tale; sed omnino conspicuus eris, si cicatrices habeas : quas utinam nos omnes exhibere possimus, etiam extra persecutiones, in Christo Jesu Domino nostro, cum

quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIV.

CAPUT X.

Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro : quia et in nationes donum Spiritus sancti effusum est. Audiebant enim illos loquentes linguis et magnificantes Deum[1].

I. Vide Dei œconomiam[2] : non permisit absolvi sermonem : neque ex præcepto Petri baptismum dari. Sed quia mentem exhibebant mirabilem, et doctrinæ principium acceperant, credebantque baptismum esse remissionem peccatorum, tunc advenit Spiritus. Hoc autem fiebat, quia Deus prospiciebat ut Petrus magnam defensionem haberet. Non modo autem Spiritum accipiunt ; sed linguis loquebantur, id quod eos qui convenerant obstupefecit. Cur ita res dispensatur ? Propter Judæos : etenim hoc illis perosum erat. Ideo ubique a Deo totum efficitur. Et Petrus quasi fortuito adest docens oportere demum illos ad gentes accedere, et quod propter eos id fieri par sit : neque mireris. Cum enim post tanta, et Cæsareæ et Jerosolymis controversia fuerit, quid non factum fuisset, si non hæc subsecuta essent ? Ideo hæc modo singulari fiunt. Vide autem quomodo Petrus occasione accepta se defendat. Quod autem post illam occasionem respondeat, audi Evan-

[1] Act. x, 44-46. — [2] Vide D. Guillon, tom. xii, p. 564-570.

gelistam narrantem et dicentem : « Tunc respondit Petrus : » Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizen- » tur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut et nos[1] ?» Vides-ne quo rem deduxit, et quam cuperet hoc efferre ? sic jamdudum in animo habebat : « Numquid aquam, in- » quit, quis prohibere potest ? » Hoc fere est insurgentis in eos qui prohiberent ac dicerent hoc non oportere fieri. Totum factum est, inquit, quod magis necessarium erat, baptisma nempe, quo nos baptizati sumus. « Jussit illos » baptizari in nomine Jesu Christi [2]. » Postquam sese pur- gavit, jussit illos baptizari, illos per res ipsas instituens. Adeo perosa res erat Judæis. Ideo prius sese purgat, quam- vis res ipsæ clamarent, et tunc præcepit. « Tunc rogave- » runt eum ut maneret aliquot diebus [3]. » Hinc jure ille cum fiducia manet. « Audierunt autem Apostoli et fratres, » qui erant in Judæa, quoniam et gentes receperant verbum » Dei. Cum autem ascendisset Petrus Jerosolymam, dis- » ceptabant adversus illum qui erant ex circumcisione, » dicentes : Quare introisti ad viros præputium habentes, » et manducasti cum illis [4] ? » Postea disceptabant qui ex cir- cumcisione, non Apostoli. Quid est illud, « Disceptabant ?» non parum, inquit, offendebantur. Et vide quid objiciant. Non dicunt : « Cur annuntiasti ?» sed, « Cur una comedisti ?» Petrus vero non in hoc frigido dicto moratur : nam frigi- dum vere erat ; sed in magno illo dicens : Si Spiritum illi acceperant, quomodo hoc non illis concedendum erat ? Quomodo ergo in Samaritanis hoc factum non est, imo contrarium ; non modo ante, sed etiam post baptismum ? Neque indignati sunt : imo etiam ad eam ipsam rem mise- runt. Verum hic non ea de re accusant, sciebant enim hoc divinæ gratiæ esse ; sed, « Quare manducasti cum illis ?» Alioquin vero magnum et immensum discrimen erat Sa-

[1] Act. x, 47. — [2] Ibid. 48. — [3] Ibid. — [4] Id. xi, 1-3.

maritanos inter et Gentes; vel etiam per dispensationem accidit, quod is accusetur, ut illi discant; neque enim Petrus rem sine causa narravit. Vide autem quam sit a fastu et vana gloria alienus. Nam ait: « Incipiens Petrus, expo» nebat illis per ordinem dicens: Ego eram in civitate Joppe » orans. » Non dicit quare, vel qua occasione. « Et vidi in » mentis excessu visionem, descendens vas quoddam velut » linteum magnum, quatuor initiis demissum de cœlo, et » venit usque ad me. In quod intuens considerabam: et vidi » quadrupedia terræ, et bestias, et reptilia et volatilia cœli. » Audivi autem vocem dicentem mihi: Surge, Petre, occide » et manduca [1]. » Quid per hæc dicere vult? Satis erat, inquit, vidisse linteum ad hoc persuadendum; attamen vox quoque adjecta est. « Dixi autem: Nequaquam, Do» mine, quia commune et immundum nunquam introivit » in os meum [2]. » Vides-ne « Quod meum erat, inquit, feci: Dixi: Nunquam comedi. » Hoc ad id quod dicebant illi: « Introisti et comedisti cum illis. » Hoc vero non dixit Cornelio: neque enim necesse erat. « Respondit autem » mihi vox secundo de cœlo: Quæ Deus mundavit, tu ne » communia dixeris. Hoc autem factum est ter: et retracta » sunt omnia rursum in cœlum. Et ecce viri tres confestim » astiterunt in domo in qua eram, missi a Cæsarea ad me [3]. » Narrat ea quæ necessaria erant; alia tacet; imo et per hæc illa probat. Et vide quomodo sese purget, nolens doctoris auctoritate uti. Sciebat enim se quanto modestius loquebatur, tanto magis illos capturum esse. « Nunquam introivit, » inquit, in os meum commune vel immundum. » Et sic totum œconomiæ defensio erat. « Et ecce tres viri confestim » astiterunt in domo in qua eram. Dixit autem mihi Spiri» tus, ut irem cum illis nihil hæsitans [4]. »

II. Vides-ne quod Spiritus sit legislatio? « Venerunt

[1] Act. XI, 4-7. — [2] Ibid. 8. — [3] Ibid. 9-11. — [4] Ibid. 12.

» autem mecum et sex fratres isti. » Quid Petro humilius, qui etiam hic fratrum testimonium adhibet? « Venerunt » autem mecum sex fratres, et ingressi sumus in domum » viri. Narravit autem nobis quomodo vidisset Angelum in » domo sua, stantem et dicentem sibi : Mitte in Joppen vi- » ros, et accersi Simonem Petrum. Qui loquetur tibi verba, » in quibus salvus eris tu et universa domus tua [1]. » Non dixit ea quæ ab Angelo dicta fuerant Cornelio : « Oratio- » nes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in » conspectu Dei, » ne illos offenderet ; sed ea verba quæ nihil magni præferebant. « Loquetur tibi verba, in quibus » salvus eris tu et universa domus tua. » Vides-ne quomodo ea quam dixi de causa festinet? Et nihil de viri mansuetu- dine dicit. Ergo Spiritu mittente, Deo jubente, per Ange- lum inde vocante, hinc urgente, rerum discrimen sol- vente, quid faciendum erat? Sed nihil horum dixit, verum a posteriore confirmat : quod etiam per se indubitatum erat testimonium. Et cur, inquies, non hoc factum est solum? Ex abundanti fit a Deo, ut demonstretur principium non ab Apostolo esse. Si autem sua sponte illo profectus esset, et nihil horum factum fuisset, admodum offensi fuissent. A principio sibi mentem illorum conciliat dum dicit illis : « Qui Spiritum sanctum acceperunt sicut et nos. » Et iterum : « Cum autem cœpissem loqui, cecidit Spiritus » sanctus super illos, sicut et in nos in initio. » Neque hoc contentus verbum Domini commemorat. « Recordatus au- » tem sum verbi Domini sicut dicebat : Joannes quidem bap- » tizavit aqua, vos autem baptizabimini in Spiritu sancto. » Itaque nihil novi accidit, sed id quod prædixerat. At non oportebat, inquies, baptizari : baptisma enim perfectum erat, cum Spiritus sanctus in illos descendit. Ideo non dicit : « Jussi illos prius baptizari. » Sed quid? « Numquid aquam

[1] Act. xi, 13-14.

» prohibere quis potest, ut non baptizentur hi ? » Hinc ostendens se suo motu nihil fecisse. Quod igitur non habebamus, illi acceperunt. « Si ergo eamdem gratiam dedit » Deus, inquit, sicut et nobis qui credidimus in Dominum » Jesum, ego quis eram qui possem prohibere Deum [1]. » Ut ex abundanti illorum ora obstrueret, ideo addidit, « Eamdem gratiam. » Vides-ne quomodo non permisit illos minus habere, qui semel credidissent? Parem gratiam dedit illis Deus, qualem nobis, qui credidimus in Dominum. Itaque ipse purgat illos. Neque dicit, « Vobis; » sed, « Nobis; » hinc etiam sermonem mitigans. Quid ergo indignamini, cum nos ipsos participes illis dicamus? « His audi- » tis, quieverunt, et glorificaverunt Deum dicentes : Igitur et » Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam [2]. » Vides-ne quomodo ex concione Petri totum factum sit, qui ea quæ facta fuerant recte narraverit? Ideo glorificaverunt Deum quod etiam illis pœnitentiam dederit : ita humiliati sunt ab his sermonibus. Hinc aperta demum gentibus janua fuit. Sed si placet superiora repetamus. Non dixit, « Disceptabat Petrus, » sed « Qui erant ex circumcisione. » Quoniam ipse sciebat quod parabatur. Atqui illud oportebat mirari, quomodo et illi credidissent. Quando igitur audierunt quod credidissent, nihil passi sunt ; sed cum Deus largitus est Spiritum, quando Petrus exponebat visionem suam dicens : Deus ostendit mihi ne quem hominem dicerem communem vel immundum. Sic ille jam antea hoc sciebat : idcirco pro gentibus sermonem præparavit, ostendens illas adveniente fide non amplius Gentes futuras. Nihil mirum ergo si ante baptisma Spiritum acceperint : nostro quoque tempore hoc factum est. Hic ostendit Petrus quod illi non sicut alii baptizati sint, sed multo melius. Ideo sic ex abundanti rem disponit, ne quid dicere possint; sed ut sic sibi

[1] Act. xi, 17. — [2] Ibid. 18.

parcs habeant illos. « Et rogaverunt illum, inquit, ut ma-» neret. » Vides-ne quomodo non vulgariter erga illum affecti essent? Vides-ne quantum zelum pro lege haberent? Non dignitatem Petri reveriti sunt, non edita signa, non tantum illud opus, quod susceptum esset verbum; sed ob parva illa disceptabant. Si enim nihil horum fuisset, non sat fuisset præstitum. At non ita se purgat Petrus : prudens quippe erat; imo non ex prudentia ipsius, sed ex Spiritu verba proficiscebantur. Et in defensione sua se non auctorem ostendit, sed ubique Deum, et tantum non illos sic affatur : Ipse fecit ut in excessu mentis essem : ego enim simpliciter orabam : ille vas illud monstravit; ego contradicebam. Rursum ille dixit, Neque sic ego audivi. « Spiritus » jussit abire : » et abiens non accurrebam. Dixi quod Deus miserit : et postea neque sic baptizavi; sed rursum Deus totum effecit. Ergo Deus illos baptizavit, non ego. Nec dixit, post hæc omnia annon opportebat demum aquam addere? sed quasi nihil deficeret : « Ego quis eram, inquit, » qui prohiberem Deum? » Papæ, qualis defensio? Neque enim dixit : Hæc ergo cum sciatis, quiescite. Sed quid? Excipit illorum impetum, et illis accusantibus se purgat. « Quis eram qui possem prohibere Deum, » dixit : vehementer et graviter se defendit : Non poteram prohibere. Unde tandem deterriti quieverunt, et glorificaverunt Deum.

III. Sic et nos oportet in proximorum bonis glorificare Deum, non autem insultare illis, sicut multi ex recens illuminatis insultant, quando vident alios illuminari, et statim demigrare. Glorificare oportet Deum vel quod manere non concedat. Itaque tu, si velis, majus accepisti donum; non quod illuminatus sis : hoc enim ipse tecum commune habet; sed quod ad præclare agendum tempus acceperis. Ille stolam induit, nec permissum ei fuit, ut illa se spectabilem redderet : tibi multam dedit Deus facultatem utendi

armis ut oportet, et hinc illa experiri. Ille migrat fidei tantum mercedem habens; tu stas in stadio, et multas operum mercedes accipere potes, atque tanto illo splendidior apparere, quanto sol minima stella, quanto dux ultimo milite : imo quanto rex. Igitur te ipsum criminare; imo ne crimineris, sed corrige semper. Non sufficit criminari, licet decertare. Dejectus es? gravia passus es? Resurge, te ipsum recrea : stas adhuc in stadio : adhuc theatrum adest. Non vides quot in pugna prostrati, rursum decertarunt? Tantum ne sponte succumbas. Beatum dicis eum qui defunctus est? Te ipsum magis beatum dicito. Solutus est a peccatis ille? Sed si velis non modo peccata ablues, imo etiam bonis operibus instructus eris, quod ille non potest. Possumus nos ipsos revocare. Magna sunt pœnitentiæ pharmaca : nemo de se desperet. Ille vere desperatione dignus, qui desperat : ille non ultra spem salutis habet. Non tam grave est in profundum malorum venire, quam postea illic jacere. Non impium est in profundum malorum descendere, sed ibi positum contemnere. Num, quæso, ubi magis sollicitum esse oporteret, ibi contemnis? Tot confossus vulneribus cecidisti? Nullum animæ vulnus insanabile est. At in corpore multa sunt talia, in anima nullum. Illa tamen diligenter curare non desistimus; hæc vero negligimus. Non vides latronem illum, quam brevi tempore præclara fecerit? Non vides Martyres, quomodo brevi tempore totum perfecerunt? At non jam est martyrii tempus? sed certaminum tempus est, si velimus, ut sæpe dixi. « Qui enim volunt, inquit, in Christo Jesu pie » vivere, persecutionem patientur[1]. » Qui pie vivunt, semper persecutionem patiuntur; si non ab hominibus, certe a dæmonibus, quæ sane gravior est persecutio. Et primo ex incuria hanc sustinent ii qui non vigilant. An parvam

[1] 2 Tim. III, 12.

putas persecutionem cum incuria vivere? Hæc omnium est gravissima : hæc persecutione pejor. Nam velut fluxus manans incuria animam emollit. Idipsumque est persecutio et incuria, quod æstas et hyems. Ut autem magis edisças pejorem esse hanc persecutionem, hinc perpende : somnum in animam immittit, oscitantiam et negligentiam magnam indit, passiones undique excitat : armat fastum, armat voluptatem, armat iram, invidiam, vanam gloriam, æmulationem. At in persecutione nihil horum turbare valet. Verum timor invadens, quasi quodam flagro latrantem canem impetens, hos omnes animi motus ne suboriri quidem sinit. Quis in persecutione vana gloria efferri potest? Quis in voluptate degere? Nemo, sed tremor multus et metus adest, qui magnam parit tranquillitatem, placidum parat portum, animam piam reddit. Audivi aliquando patres nostros dicentes, id quod ne nostra ætate fiat opto, jubemur enim tentationem non petere; quod olim tempore persecutionis, videre erat viros vere Christianos. Nullius enim opes curabat, non filios, non domum, non patriam. Una omnibus cura erat suam servare animam. Alii in monumentis et sepulcris, alii in desertis latebant. Non solum autem viri, sed et mulieres teneræ ac delicatæ tunc occultabantur, cum perpetua fame conflictantes. Cogita ergo num mulieri ad sepulcrum latenti et ancillam ferentem cænam expectanti, ac ne caperetur timenti, atque in sepulcro quasi in fornace sedenti, aliquod vel sumptuum vel deliciarum desiderium fuerit, num tunc putaverit vel delicias vel mundum existere? Vides-ne nunc majorem esse persecutionem, dum animi affectus quasi feræ nos invadunt? Nunc certe gravis est persecutio, dum putatur nullam esse persecutionem. At enim istud bellum hoc gravissimum habet, quod pax esse credatur; ita ut arma non sumamus, nec contra inimicum insurgamus :

nullus formidat, nullus tremit. Si autem non creditis, interrogate Gentiles qui persequuntur, quandonam res Christianorum accuratius gererentur, quandonam clariores illi essent. Tunc pauciores numero erant, sed magnæ erant virtutum divitiæ. Quæ utilitas, quæso, multum esse fœnum, dum possibile est vel lapides pretiosos vel aurum adesse? Non in multitudine, sed in virtutis splendore totum æstimatur. Elias unus erat, sed mundus non erat illo dignus. Atqui mundus millia multa complectitur: sed millia non sunt, quando neque uni coæquantur. « Melior » unus faciens voluntatem Domini, quam mille iniqui[1]. » Hoc Sapiens quidam subindicans dicit: « Ne desideres mul» titudinem filiorum inutilium[2]. » Hi magis blasphemiam in Deum concitant, quam si Christiani non essent. Quid mihi opus est multitudine? alimentum amplius igni. Hoc et ex corpore cognoveris: melior quippe est cibus moderatus cum sanitate, quam deliciæ cum molestia. Hoc alimentum illo amplius: hoc alimentum, illud morbus est. Hæc et in bello quis viderit: meliores esse decem viros strenuos et belli peritos, quam innumeros imperitos. Hi præterquam quod nihil operantur; alios qui operantur impediunt. Hoc et in navi quis invenerit, meliores esse nautas duos peritos, quam magnam imperitorum turbam: hi namque navim etiam submergent.

IV. Hæc dico non quod multitudinem vestram oderim, sed quod velim omnes esse probatos, nec multitudini fidere. Multo plures sunt qui in gehennam incidunt; sed majus illa est regnum, etsi paucos habeat. Sicut arena maris erat multitudo populi; sed unus servavit eos. Unus erat Moyses, sed plus quam omnes potuit. Unus erat Jesus, sed plus potuit, quam sexcenta millia. Non hoc solum curemus ut multi sint, sed et magis ut sint præclari. Cum

[1] Eccli. XVI, 3. — [2] Ibid. 1.

hoc perfectum fuerit, tunc illud fiet. Nemo domum statim spatiosam vult facere; sed primo firmam et probatam, deinde spatiosam. Nemo fundamenta jacit ut derideatur. Primum hoc quæramus, deinde illud. Hoc si sit, facile et illud aderit. Illud autem si non adsit; hujus, etiamsi sit, nulla utilitas. Nam si in Ecclesia sint qui clari esse possint, cito erit et multitudo: hi si non sint, nunquam erit clara multitudo. Quot putatis in urbe nostra esse qui salutem consequentur? Molestum quidem est quod dicturus sum, dicam tamen. In tot millibus non sunt centum qui salutem consequantur; sed de illis etiam dubito. Quanta, quæso, nequitia in adolescentibus, quanta desidia in senioribus? Nemo quam oporteret educandi filii curam habet: nemo senem videns, illum imitari studet. Exempla de medio sublata sunt. Idcirco nec juvenes fiunt admirandi. Ne mihi dicas, multa hominum turba sumus. Hoc frigidorum hominum est: id de hominibus merito dicatur; de Deo autem, qui non opus habet nobis, non item: quod autem etiam de illis frigidum sit verbum audi. Qui multos habet domesticos, si illi improbi sint, quot mala patietur? Ei qui nullum habet, hoc videtur grave, quod non serviatur: is vero qui improbos habet famulos, cum illis it in perniciem; majusque et damnum. Gravius quippe est aliis pugnare et decertare, quam sibi ipsi servire. Hæc dico, ut ne quis Ecclesiam admiretur propter multitudinem; sed ut curemus illam multitudinem claram efficere. Ut unusquisque suam curet partem, ut non amicos, non cognatos, ut semper repeto, non vicinos tantum, sed etiam extraneos pertrahat. Exempli causa, fit oratio; jacent frigidi omnes juvenes et senes; purgamenta magis, quam juvenes, risui, cachinnis, fabulis incumbentes; hoc enim ego audivi; et genibus nixi alios dicteriis impetentes. Tu qui ades juvenis, aut senex, increpa si videas, vehementius incesse, et

si non ferat, diaconum voca, minare, quæ penes te sunt facito. Et si quid audeat contra te facere, multos habebis adjutores. Quis enim ita irrationabilis est, qui te videns illos de ea re objurgantem, non stet in parte tua? Discede sumpta precis mercede. In æde dominica hos servos aliis benevolentiores judicamus, qui nullum vas extra ordinem jacere sinunt. Si videres in domo vas argenteum temere foras projectum, etiamsi non esses ad hoc deputatus : annon illud domum referres? Si vestimentum projectum, etiamsi curam ejus non gereres, etiamsi eum, cui cura commissa, odio haberes, annon ob benevolentiam in dominum illud apte reduceres? Ita et nunc. Hæc vasa sunt : si videas illa incomposite jacentia, reduc in ordinem. Accede ad me; non recuso : Dic mihi; fac me certiorem. Non possum omnia videre. Ignoscite. Videte quanta nequitia orbem occupat. Num sine causa dicebam, nos esse acervum fœni, mare incompositum? Non dico illos talia facere; sed tanta oscitantia intrantes laborare, ut hæc non corrigant. Rursum alios video, colloquentes stare dum fit oratio : modestiores autem, non modo dum fit oratio, sed etiam dum sacerdos benedicit. O audaciam! quandonam erit salus? Quomodo poterimus Deum placare? Si ad ludum abeas, videbis omnes concinne choreas agentes, nihilque negligi. Sicut ergo in lyra varie et recte composita, apta quædam symphonia ex bono ordine efficitur; ita et hic unam omnium et consonam harmoniam effici par esset. Una enim sumus Ecclesia, unius capitis membra decenter aptata : unum sumus omnes corpus : si quid neglectum fuerit, totum neglectum et corruptum erit. Ita et multorum rectum ordinem, unius inordinatio labefactat. Quodque terribile est : non huc ad ludum choreamque saltaturus venis, et incompositus stas. Nescis te cum Angelis stare, et cum illis cantare hymnosque celebrare? Et stas

ridens? Annon mirum est, quod fulmen non immittatur, non in illos tantum, sed et in nos omnes? Hæc quippe fulmine digna sunt. Adest rex, videt exercitum; tu vero illis videntibus stas ridens, vel ridentem negligis? Sed quousque increpamus? quousque reprehendimus? Annon ut pestes? annon ut corruptores? annon ut corruptos et perniciosos hujusmodi homines, innumerisque malis onustos ab Ecclesia pelli oportuisset? quandonam illi a risu abstinebunt, qui in hora tremenda rident? quando a nugis abstinebunt, qui in tempore benedictionis garriunt? Non præsentes reverentur? Non Deum timent? Annon sufficit nobis mentis socordia; non satis est quod orantes alio evagemur; sed et risum et cachinnos multos ingerimus? An theatrum hæc sunt? sed hoc puto a theatris oriri: inobsequentes enim multos et incompositos efficiunt. Quæ hic ædificamus, illic destruuntur. Neque hoc solum, sed et aliis immunditiis necesse est illos repleri. Et perinde fit, ac si quis campum emundare velit, in quem superne fons lutum immittat; dum enim magis purgas, aliud influit. Idipsum hic evenit. Postquam enim illos, qui ex theatris immunditiam intulerant, mundaverimus, illo revertentes ipsi majorem referunt immunditiam : quasi dedita opera sic viventes, ut nobis negotium facessant. Et redeunt iterum multum stercoris gestantes, in moribus, in motibus, in verbis, in risu, in desidia. Deinde nos iterum fodimus, quasi de industria fodientes, ut illos mundos emittentes, ipsos rursum videamus cœno onustos. Idcirco committo vos Deo : et jam hinc vobis, qui sani estis, testificor, judicium vobis et damnationem fore; si quis cum videt inordinate agentes, maximeque illo tempore confabulantes, non admonuerit, nec correxerit eos : hoc melius est precatione ipsa. Dimitte preces, et illum increpa.: ita et illi proderis, et tu lucraberis. Sic poterimus omnes salutem

et regnum cœlorum assequi, quo nos omnes frui contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simulque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXV.

CAPUT XI.

Illi quidem qui dispersi fuerant a tribulatione, quæ facta fuerat ob Stephanum, pertransierunt usque Phœnicem et Cyprum et Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis [1].

I. Non parum ad verbi profectum contulit persecutio : nam « Diligentibus Deum, inquit, omnia cooperantur in » bonum. » Si voluissent illi Ecclesiam propagare, non aliud fecissent. De dispersione loquor doctorum. Et vide quorsum extensa fuerit prædicatio. « Pertransierunt, in- » quit, usque ad Phœnicem et Cyprum et Antiochiam, » nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis. » Vides quomodo omnia circa Cornelium per dispensationem facta sint? Hoc autem et ad defensionem Christi et ad accusationem Judæorum confert. Itaque cum Stephanus occisus est, cum Paulus bis est periclitatus, cum Apostoli flagellati sunt, cum sæpius ejecti, tunc gentes, tunc Samaritani recepti sunt : quod et Paulus clamat dicens : « Vobis » oportebat primum loqui verbum Dei : sed quoniam re- » pellitis illud, et indignos vos judicatis, ecce convertimur » ad gentes [2]. » Circuierunt igitur, et gentes alloquebantur,

[1] Act. xi, 19. — [2] Id. xiii, 46.

« Erant autem quidam eorum viri Cyprii et Cyrenæi, qui » cum venissent Antiochiam, loquebantur ad Græcos, an- » nuntiantes Dominum Jesum. Et erat manus Domini cum » eis : multusque numerus credentium conversus est ad » Dominum Jesum [1]. » Vide, Græcis Evangelium annuntiant : verisimile est enim illos græce scivisse, et Antiochiæ multos tales fuisse. « Et erat, inquit, manus Domini cum » illis ; » id est, signa faciebant. Vides-ne cur etiam nunc signorum necessitas fuerit, ut crederent? « Pervenit autem » sermo ad aures Ecclesiæ, quæ erat Jerosolymis, super » istis : et miserunt Barnabam usque ad Antiochiam [2]. » Cur, tanta civitate verbum recipiente, non venerunt ipsi, sed Barnabam miserunt? Propter Judæos. Verum non parva res hic geritur, dum sic Paulus istuc accedit : neque sine causa, sed cum magna providentia illum aversantur, ne vox prædicationis tubaque cœlorum Jerosolymæ includeretur. Vides-ne quomodo ubique malitia eorum, ut opus erat, et ut ipse volebat, Christus uteretur, atque odio in Paulum ad ædificationem Ecclesiæ ex gentibus? Sed vide hunc quoque Sanctum, Barnabam dico, quomodo non sua respiciat, sed currat Tarsum. « Qui cum » venisset, et vidisset gratiam Dei, gavisus est, et horta- » batur omnes in proposito cordis permanere in Domino : » quia erat vir bonus et plenus Spiritu sancto et fide. Et » apposita est multa turba Domino. Profectus est autem » Barnabas Tarsum, ut quæreret Saulum : quem cum in- » venisset, perduxit Antiochiam [3]. » Optimus vir erat et simplex, atque Paulo familiaris. Ideo venit ad ducem, ad monomachum, ad leonem; nescio quid dicam : quidquid enim dixerim, dignitate inferius Paulo erit. Venit ad venaticum canem, leones occidentem, ad taurum fortem, ad lucernam splendidam, ad os orbi sufficiens. Vere ideo

[1] Act. xi, 20, 21. — [2] Ibid. 22. — [3] Ibid. 23-25.

Antiochiæ vocati sunt Christiani, quia Paulus ibi tanto tempore mansit. « Factum est autem ut annum totum con» gregarentur in Ecclesia, et docerent turbam multam; ita » ut cognominarentur primum Antiochiæ Discipuli Chris» tiani [1]. » Non parva civitatis laus hæc. Hoc contra omnes adduci potest : quod prima omnium ore tali tanto tempore frueretur, unde et primo istic hoc nomine dignati sunt. Vides-ne in quantum fastigium civitatem extulerit, clarioremque fecerit? Hoc Pauli opus est. Ubi tria millia, ubi quinque millia crediderunt, ubi tanta multitudo, ibi nihil tale factum est; sed adhuc de via illa tantum esse dicebantur : hic vero Christiani appellati sunt. « In his au» tem diebus descenderunt ab Jerosolymis Prophetæ An» tiochiam [2]. » Quoniam istic fructum eleemosynæ plantari oportebat, utiliter providetur ut Prophetæ illo descendant. Tu vero mihi consideres velim, neminem ex clarioribus horum doctorem fuisse; Cyprios enim habuere doctores, Cyrenæos et Paulum; etiamsi hic illos superaverit : sicut Paulus doctores habuit Barnabam et Ananiam. Sed nihil inde minor fuit : habebat tamen et Christum. « Surgens autem unus ex eis, nomine Agabus, significabat » famem magnam futuram in universo orbe, quæ facta est » sub Claudio Cæsare [3]. » Necessario hic famem magnam futuram significat, quæ etiam, ut prædicta fuerat, contigit. Ne putarent enim quidam ideo famem venisse, quod christianismus ingressus esset, quod dæmones abscessissent; prædicit Spiritus sanctus quod futurum est, sicut et Christus multa prædixit quæ evenerunt. Non ideo igitur; nam ab initio ita rem accidere oportebat; sed propter mala Apostolis illata. Quibus ita gestis Deus patienter ferebat; cum autem illi pergerent, fames accidit, quæ Judæis futura mala prænuntiabat. Sed etsi propter Judæos

[1] Act. xi, 26. — [2] Ibid. 27. — [3] Ibid. 28.

fames esset, propter alios oportebat illam cessare. Quid enim injuriæ intulerant Græci, ut malorum essent participes? Si autem non propter Judæos, illos ergo clariores fieri oportebat, quod pro virili sua facerent, quod occiderent, punirent, plecterent, undique persequerentur. Et vide quandonam fames accidat; cum ethnici jam suscepti essent.

II. Sed si propter mala, inquies, oportebat certe hos eximi. Cur, dic mihi? Annon ante dixerat illis Christus : « In mundo tribulationem habebitis[1] ? » Tu vero, qui hæc dicis, forte adjicies non oportuisse illos flagellari. At vide illis famem factam esse salutis causam, eleemosynæ occasionem, multaque conciliasse bona, ut vobis conciliasset, si voluissetis; sed noluistis. Prædicitur autem; ut magis parata sint ad eleemosynam, quia gravia passi sunt qui erant Jerosolymis. Antea vero fame non laborabant : et mittuntur Barnabas et Paulus ministraturi. « Discipuli au- » tem prout quisque abundabat[2]. » Vides-ne illos statim atque crediderunt fructum tulisse; non iis modo qui prope, sed etiam iis qui procul erant? Hoc mihi videtur hic dicere quod alibi Paulus dicit : « Dexteras dederunt » mihi et Barnabæ societatis, tantum ut pauperum me- » mores essemus[3] (16). » Tantum profuit fames. Et vide illos hic ex fame non in fletus et lacrymas erupisse, ut nos facimus, sed ad opus magnum et bonum se dedidisse; cum majori namque libertate prædicabant verbum. Nec dicebant : « Nos qui Cyrenæi et Cyprii sumus hanc aggredimur civitatem splendidam et magnam. » Sed gratiæ Dei fidem habentes, et illi doctrinam aggressi sunt, et hi non dedignati sunt ab illis quidpiam ediscere. Vide a parvis et exiguis omnia peracta, prædicationem auctam, eos qui Jerosolymis eadem cum aliis omnibus sentientes, et

[1] Joan. XVI, 33. — [2] Act. XI, 29. — [3] Galat. II, 9.

quasi unam domum orbem totum haberi. Audierant quod Samaria recepisset verbum, et miserunt Petrum et Joannem. Audierunt quid Antiochiæ accidisset, et mittunt Barnabam. Multum enim erat itineris spatium, nec oportebat adhuc Apostolos inde discedere, ne fugitivi esse viderentur, et a suis fugisse. Tunc autem necessario separati sunt, cum demum Judæi insanabiles esse viderentur, cum bello jam imminente perire illos oportebat; cum sententia prolata est. Quoniam quandiu Paulus Romam non venit, illic erant. Exierunt autem, non quod bellum timerent: quomodo enim timuissent, qui oppugnatores adibant? Bellumque demum infertur jam mortuis Apostolis, et quod de illis dictum erat evenit: « Pervenit super » illos ira in finem [2]. » Quanto igitur obscuriores erant, tanto magis gratia fulgebat, per exiguos magna faciens. Sed superiora repetamus. « Hortabatur omnes, inquit, ut » permanerent in Domino : quia erat vir bonus. » Videtur mihi bonum dicere simplicem, non simulatum, qui proximi salutem admodum cuperet. Non modo autem vir bonus erat, sed et plenus Spiritu sancto et fide. Ideo ex proposito cordis omnes hortabatur; id est, cum encomio et laude. Et considera quod, ut terra pinguis sermonem accepit hæc civitas, et fructum multum exhibuit. Cur autem Tarso Saulum Barnabas abduxit, et huc deduxit? Non sine causa; sed quia hic bona spes, civitasque major erat, ac magna multitudo. Vidisti-ne gratiam omnia operari, non Paulum? et quomodo a parvis res cœpta sit; ubi autem inclaruit, tunc mitti Barnabam? Et cur non ante miserunt illum? Multam rerum ad se spectantium curam habebant, nec volebant Judæis accusandi se locum dare, quod gentes admitterent; etsi quia ipsis necessario commixti erant, quia disceptatio quædam futura erat inter

[2] Thess. II, 16.

illos, Cornelii gestum præcessit. Tunc etiam dicunt : « Ut nos in gentes, ipsi vero in circumcisionem. » Et perpende quam tempestive necessitas famis communicationem illam gentium, iis qui Jerosolymis erant missam, induxerit. Accipiunt autem ab illis, qui non sicut nos in luctu calamitates ferebant; sed cum majori securitate, utpote qui procul essent ab iis, qui impedirent ipsos, et inter homines essent, qui non timerent Judæos, quod ipsum non parum conducebat. Sed etiam in Cyprum migrarunt, ubi magna securitas erat, et major libertas. « Nemini, inquit, » loquebantur verbum, nisi Judæis. » Non ob metum hominum, quem nihili faciebant; sed legem servantes, et ipsos adhuc tolerantes. « Erant autem quidem Antiochiæ Cyprii » et Cyrenæi; » hi maxime non curabant Judæos, « Qui » loquebantur ad Græcos, annuntiantes Dominum Jesum. » Fortassis quod nescirent hebraïce, Græcos illos vocabant. « Cum venisset, inquit, Barnabas, et vidisset gratiam » Dei, » non diligentiam hominum, « Hortabatur illos per- » manere in Domino. » Forte quod laudaret turbam et approbaret, ideo plures convertit. Et quare non Paulo scribunt, sed Barnabam mittunt? Nondum viri virtutem noverant; ideoque statuitur ut Barnabas tantum proficisceretur. Quia vero et multitudo erat, et nemo oberat, ideo facile fides germinavit, maxime quia nullam hic ferebant tentationem, et quia Paulus prædicabat, nec jam fugere cogebatur. Recte autem non illi famem prædicunt, sed Prophetæ, ne onerosi illi esse viderentur. Mirari vero subit, cur Antiocheni quasi despecti non indignarentur, sed contenti essent doctoribus. Ita omnes fervebant erga sermonem. Qui non expectato famis tempore, singuli pro facultate miserunt.

III. Et observa quod inter Apostolos, aliis hoc committitur. Hic vero Paulus et Barnabas deputantur. Nec sine

gravi causa id provisum est. Alioquin vero initium erat, tuncque non oportebat offendi. At nunc nemo id facit, licet fames sit illa gravior. Non enim par res est communem ferre calamitatem, et dum omnes abundantia fruuntur, pauperiores tantum fame laborare. Tunc fames erat, et qui dabant pauperes. Pro facultate sua singuli, inquit. Nunc vero duplex est fames; sicut et duplex abundantia. Fames gravis; fames non audiendi verbum Domini, sed per eleemosynam cibum accipiendi. Tunc et qui in Judæa pauperes erant, et qui Antiochiæ pecunias erogabant, bono fruebantur; et hi magis quam illi. Nunc autem et nos et pauperes in fame : illi quod necessario cibo egeant; nos quod in penuria misericordiæ Dei simus. Hoc cibo nihil magis necessarium fuerit. Hic non subeuntur mala, quæ ex saturitate oriuntur : hujus cibi non in secessum emittitur pars maxima. Nihil formosius, nihil sanius anima quæ sic alitur, omni superior est morbo, omni fame, omni intemperie et ægritudine. Nemo illam capere poterit; sed sicut adamantinum corpus, non ferrum cædere valet, non aliud quidvis; sic nec animam eleemosyna firmatam quidvis capere poterit. Quid, quæso, illam capere possit unquam? Paupertas? Minime; in regiis enim penuariis posita est. An fur et latro? sed illos perfodere parietes nemo valet. An vermis? sed hac etiam pernicie superior est hic thesaurus. An timor et invidia? At non his capitur. Sycophantiæ et insidiæ? Neque illæ; thesaurus quippe est inaccessus. Sed turpe fuerit si hæc solum quæ eleemosynæ insunt ostendero, missis iis quæ contraria illis sunt. Non modo enim illa ab omni invidia est libera, sed et benedictione fruitur multa ab iis qui illam accipiunt. Sicut enim inhumani et crudeles, non læsos solum habent inimicos, sed etiam eos qui nihil mali passi læsos miserantur, inhumanosque accusant; sic qui magnis affecere

bonis, non eos, qui accepere tantum, sed et alios habent laudatores. Quid ab invidia liberos dico? Ab insidiatoribus etiam; furibus et parietum effractoribus liberantur. Neque hoc solum inest boni; sed non modo non minuitur substantia, verumetiam augetur et crescit. Quid Nabuchodonosore turpius? Quid fœdius? quid iniquius. Impius erat homo. Mille indicia, mille signa vidit, et resipiscere noluit; sed Dei servos in caminum injecit, etiamsi postea adoraverit. Quid igitur Propheta? « Rex, consilium meum placeat » tibi : peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas » miserationibus pauperum : forte erit venia delictis tuis [1]. » Hæc ita dixit non dubitans : valde enim sibi persuasum erat; sed ut illum in majorem injiceret timorem, et majorem hæc faciendi necessitatem. Nam si affirmando dixisset : negligentior ille fuisset. Sic et nos tunc maxime quosdam urgemus, cum dicimus : « Hortare illum talem, » nec addimus illum auditurum prorsus esse; sed fortasse auditurum. Nam ex dubitatione major ortus timor, magis impellit. Ideo id illi non manifestum fecit. Quid dicis? Tantis-ne impietatibus erit venia? Etiam. Non est peccatum quod non possit eleemosyna purgare, et extinguere. Omne peccatum est illa inferius. Ad omne vulnus aptum pharmacum est. Quid publicano deterius? Hæc omnis iniquitatis occasio est. Sed hanc totam abluit Zacchæus. Vide quomodo hoc ostendat Christus, cum curavit marsupium habere et portare ea quæ immittebantur. Paulus quoque dicit : « Tan- » tum ut pauperum memores simus [2]. » Et in Scripturis passim hac de re agitur. « Pretium animæ viri, inquit, divitiæ » propriæ [3]. » Christus vero, « Si vis perfectus esse, vende » omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere » me [4]. » Hæc vera perfectio est. Eleemosyna vero non pe-

[1] Dan. IV, 24. — [2] Galat. II, 10. — [3] Prov. XIII, 8. — [4] Matth. XIX, 21.

cuniis modo, sed etiam operibus exercetur. Exempli causa, possumus patrocinari, possumus manum porrigere, sæpe patrocinium plus servavit, quam pecuniæ.

IV. Age ergo in præsenti omnia eleemosynæ genera moveamus. Potes per pecunias? Ne segnis esto : potes per patrocinium? Ne dicas, quia pecuniæ non adsunt; hoc nihil est : nam hoc magnum est; ac si pecuniam dedisses, sic affectus esto. Potes ministrando juvare? hoc facito. Exempli gratia, arte medicus es? infirmos cura; et hoc magnum est. Potes consilio juvare? Hoc omnium optimum est et maximum, majusque lucrum habet : non enim hac via famem, sed gravissimam mortem pellis. Hoc Apostoli bono pleni prorsus erant, ideo pecuniarum distributionem inferioribus committebant, dum sermone juvabant. An putas parvam esse eleemosynam, animam anxiam, de extremis periclitantem, febris ardore detentam, a morbo posse liberare? Verbi gratia, vides amicum avaritia detentum? Miserare hominem : suffocatur ille? Extingue illius ignem. Quid igitur si non obtemperet? Tu quod tuum est facito, nec ignavus sis. Vides eum in vinculis detineri? nam pecuniæ vere vincula sunt : illum adi, invise, consolare, a vinculis eripere conare. Si nolit, penes illum culpa erit. Vidisti nudum et peregrinum? Nudus enim vere et peregrinus in cœlis est, qui rectam viam non curat. Recipe in diversorium tuum, vestimentis virtutis induc illum, da illi civitatem in cœlo. Quid ergo si et ego nudus sim, inquies? Te ipsum indue primum, si nosti te nudum esse, plane scis te indui oportere : si nuditatis hujus modum nosti, nosse poteris quo opus sit vestimento. Quot mulieres serica vestimenta gestant, virtutisque vestibus prorsus nudæ sunt? His illas vestiant viri sui. Verum non admittunt illas vestes, has volunt? Hoc primum facito; illarum vestium concupiscentiam illis insinua : os-

tende illis ipsas esse nudas : de judicio futuro disserc. Dic : Aliis nobis illic opus est, non hisce. Si me feratis, ego nuditatem ostendam. Nudus frigoris tempore riget et tremit, contractus stat, reductis brachiis. In æstate vero non item. Si igitur ostendero divites viros et mulieres eo magis nudos esse, quo magis sunt vestiti, ne ægre feratis. Quid ergo, quæso, cum de gehenna verba faciemus, deque tormentis illis : annon magis illi rigent ac tremunt, quam nudi illi? annon acerbe ingemiscunt, et sese damnant? Quid ergo quando aliquem adeunt et dicunt : « Ora »pro me; » annon eadem, quæ illi, verba proferunt? At non, licet multa dixerimus, nondum manifesta est nuditas : illic vero manifesta erit. Quomodo et qua ratione? Cum sericis illis vestibus et gemmis amissis; solis vel virtutis vel vitii vestibus amicti omnes cernentur; cum pauperes gloria amicti multa comparebunt; divites vero nudi ac turpes ad supplicia trahentur. Quid delicatius erat illo divite, qui induebatur purpura? Quid pauperius Lazaro? Uter ergo mendicorum proferebat verba? Uter quasi in abundantia degebat? Si quis domum multis ornet aulæis; ipse vero intus nudus sit, quod lucrum? Sic et mulieribus accidit; domum quippe animæ, corpus dico, multis decorant ornamentis : materfamilias vero intus sedet nuda. Oculis animæ utimini, et ostendam vobis animæ nuditatem. Quæ enim est animæ vestis? Virtus certe : quæ nuditas? malitia. Sicut enim si quis liberum quempiam exuat, erubescit, contrahitur et fugit. Sic si animam his vestibus non indutam intueri velimus, erubescit illa. Quot putas nunc pudore affici et in profundum descenderes, ut quasi quodpiam velamentum quærentes, ut ne verba illa audiant? Quæ vero illius sibi mali consciæ non sunt, lætantur, gaudent, delectantur, et de dictis hujusmodi gloriantur. Audi de beata Thecla. Illa ut Paulum

videret, aurum suum dedit : tu, ut Christum videas, neque obolum dederis; sed miraris quidem illius gesta, nec imitaris. Non audis quam beati dicantur misericordes? « Beati misericordes, inquit, quoniam ipsi misericordiam » consequentur[1]. » Quod lucrum a pretiosis vestibus? Quandiu ad hunc amictum inhiabimus? Amiciamur gloria Christi, illa pulchritudine circumdemur, ut et hic laudemur, et illic æterna consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVI.

CAPUT XII.

Illo autem tempore misit Herodes rex manus ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. Videns autem quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet et Petrum. Erant autem dies Azymorum[2].

I. Quod illud dicit tempus? Quod mox sequebatur utique : sed hic quidem hoc pacto, alibi vero secus. Cum enim Matthæus dicit : « In diebus illis venit Joannes prædi- » cans[3]; » non sequentes dies significat; sed illos in quibus fieri contigit id quod narrabat. Hoc quippe more utitur Scriptura; aliquando quæ subsecuta sunt narrat; aliquando autem quæ postea contigerunt, ac si mox sequerentur, recenset. Bene autem dicit, « Herodes rex. » Ilic

[1] Matth. v, 7. — [2] Act. xii, 1-3. — [3] Matth. iii, 1.

non erat is qui cum Christo memoratur. Ecce alia tentatio. Et vide, quod initio dicebam, quomodo res nectantur, quomodo per quietem et per ærumnas omnia contexantur. Non jam Judæi, non concilium; sed rex immittit manus ut affligat. Major potestas, gravius bellum, maxime quia ad gratiam Judæorum. « Occidit autem Jacobum fratrem » Joannis gladio. » Sine causa et ut casu contigit. Si quis vero quærat, cur id permiserit Deus; respondebimus pro illis ipsis: primo quidem ut persuaderet ipsis, se vel occisos prævalere, ut et in Stephano contigit; secundo ut daret Judæis locum, post quam furorem suum exsatiaverant, resipiscendi ab insania; tertio, ut ostenderet ex permissione sua id factum esse. « Videns autem quia placeret » Judæis, apposuit ut apprehenderet et Petrum. » O insaniam ingentem! Qua in re gratificabatur ipsis, cædes gratis et temere perpetrans? « Erat autem dies Azymorum. » Iterum superflua Judæorum accuratio. Occidere non prohibebant, tali tempore talia patrabant. « Quem cum ap- » prehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor qua- » ternionibus militum [1]. » Hæc ex furore et metu facta. « Occidit, inquit, Jacobum fratrem Joannis gladio. » Vidisti-ne illorum fortitudinem? Ne quis enim diceret, ideo ipsos sine periculo et metu mortem adire, quia Deus cruciabat ipsos, ideo permisit ut occiderentur, maximeque Coryphæi, ut homicidis ostenderet, ipsos neque sic desistere neque prohiberi. « Petrus itaque servabatur in carcere; » oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad » Deum pro eo [2]. » Erat tunc de capite certamen: quod ille occisus esset, id timorem illis incutiebat, itemque quod hic in carcerem conjectus esset. « Cum autem pro- » ducturus eum esset Herodes, nocte illa Petrus dormie- » bat inter duos milites, vinctus catenis duabus. Et custodes

[1] Act. XII, 4. — [2] Ibid. 5.

» ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce Angelus Do-
» mini astitit, et lumen refulsit in habitaculo. Percussoque
» latere Petri, excitavit illum dicens. Surge velociter : et ce-
» ciderunt catenæ illius de manibus[1]. » Vide, illa nocte ipsum eripuit. « Et lumen refulsit in habitaculo, » ne putaret esse spectrum. Lucem vero nemo vidit præter illum. Etiamsi enim hoc ita factum fuerit, id tamen ille phantasiam esse putabat, quod res inexpectata esset; nisi ita factum fuisset, multo magis suspicaturus erat. Ita contra mortem aciem instruebat : idque quia post quam multis diebus istic manserat, nondum ereptus fuisset. « Et cur, inquies, non permisit Deus ut in manus incideret Herodis, et tunc eripuit? » Quia illud in stuporem conjecisset; hoc autem pro illis fiebat. Neque enim putatum fuisset ipsos esse homines, si omnia divinitus fecisset. Circa Stephanum autem quid non fecit? Nonne tanquam Angeli vultum eis exhibuit? Quid autem et hic retro relictum est? « Dixit autem Angelus ad » eum. Præcinge te, et calcea te caligas tuas[2]. » Hic etiam ostendit rem non ex dolo factam fuisse. Nemo enim qui festinus fodere velit, tantam adhibet curam, ut etiam caligas accipiat, et se præcingat. « Fecit autem sic, et dixit » illi : Circumda tibi vestimentum tuum, et sequere me. » Et egressus sequebatur eum. Et nesciebat quod verum » est, quod fiebat per Angelum : existimabat autem se vi- » sum videre. Transeuntes autem primam et secundam » custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad » civitatem, quæ ultro aperta est eis[3]. » Ecce secundum signum. Cum discessit Angelus, tunc intellexit Petrus. « Et exeuntes processerunt vicum unum, et continuo dis- » cessit Angelus ab eo. Et Petrus ad se reversus dixit : Nunc » scio quia vere misit Dominus Angelum suum, et eripuit » me de manu Herodis, et de omni expectatione plebis Ju-

[1] Act. XII, 6, 7. — [2] Ibid. 8. — [3] Ibid. 9, 10.

» dæorum[1]. » Nunc scio, inquit, non tunc. Cur res ita agitur, nec Petrus in rei gestæ sensum venit, etsi tali fruretur liberatione, quando omnes soluti erant? Confestim vult illum liberari, et postea in rei sensum venire. Quod vero catenæ de manibus ejus ceciderint, magnum erat signum quod non fugeret. « Consideransque venit ad domum Ma- » riæ matris Joannis, qui cognominabatur Marcus, ubi » erant multi congregati et orantes. Pulsante autem Petro » ostium januæ, processit puella ad audiendum, nomine » Rhode. Et ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non ape- » ruit januam[2]. » Perpende Petrum non statim accedere, sed prius læta suis nuntiare. « Accurrens autem nuntiavit » stare Petrum ante januam. Illi autem dixerunt ad eam : » Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere[3]. »

II. Vide et ancillas pietate plenas. Præ gaudio non aperuit ostium. Illi vero re ita gesta renuebant. Illa affirmabat sic se habere. « Illi autem dicebant : Angelus ejus est. » Petrus vero perseverabat pulsans. Cum autem aperuissent » viderunt eum, et obstupuerunt. Annuens autem eis manu » ut tacerent, narravit eis quomodo Deus eduxisset eum » de carcere, dixitque : Nuntiate Jacobo et fratribus hæc. » Et egressus abiit in alium locum[4]. » Repetamus igitur seriem narrationis. « Illo autem tempore, inquit, misit » Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. » Quasi fera temere et sine causa omnes invadit. Hoc est quod dicebat Christus : « Calicem quem ego bibiturus sum » bibetis ; et baptismo quo ego baptizor, baptizabimini[5]. Oc- » cidit autem, inquit, Jacobum fratrem Joannis gladio. » Et cur, inquies, non statim Petrum occidit? Causam scriptor affert. « Erant enim, inquit, dies Azymorum : » et ejus necem volebat cum majori celebritate fieri. Illi igitur ob

[1] Act. XII. — [2] Ibid. 12-14. — [3] Ibid. 15. — [4] Ibid. 16, 17. — [5] Marc. x, 39.

admonitionem Gamalielis jam a cædibus abstinebant; alioquin vero neque causas invenichant; sed per alios ea ipsa machinabantur. Quia vero alius erat Jacobus, frater Domini, ideo designavit dicens, « Fratrem Joannis. » Vides-ne rerum summam penes hos tres fuisse, maxime vero penes Petrum et Jacobum? Hoc maxime condemnatio illorum erat. Non enim jam humana prædicatio ostendebatur, et vere implebatur illud, « Æstimati sumus sicut oves occisio» nis[1]. Videns autem, inquit, quia placeret Judæis, appo» suit ut apprehenderet et Petrum. » Placebat cædes iniqua. Magna Herodis insania; absurdis eorum cupiditatibus serviebat. Cum oportuisset enim contrarium facere, et illorum impetum coërcere; ille contra incitabat quasi carnifex quidam ægrotantium, non vero medicus: etiamsi millia exempla haberet, et avi et patris Herodis; et quomodo ille quidem propter cædem infantium magna subierit mala; hic vero, Joanne cæso, grave bellum excitaverit. « Quem » cum apprehendisset, inquit, misit in carcerem. » Metuebat ne propter timorem ex morte Jacobi conceptum secederet Petrus. Et ut in tuto poneret, misit in carcerem: quo accuratior custodia, eo mirabilius spectaculum. Hoc autem Petro conducebat, qui hinc probatior effectus est, et fortitudinem suam exhibuit. « Oratio autem, inquit, fiebat sine » intermissione. » Amoris indicium erat oratio. Patrem omnes quærebant, patrem mansuetum. Sine intermissione, inquit, oratio pro illo fiebat. Audite quo essent affectu erga doctores suos. Non tumultuabantur, non turbabantur; sed ad orationem versi sunt, verum et inexpugnabile commilitium: ad illam confugiebant. Non dicebant: « Humilis ego » et nullius pretii pro illo orarem? » Quia enim ex charitate agebant, nihil hujusmodi cogitabant. Vis discere quanta vel inviti fecerint? Illos probatiores exhibuerunt, hos dili-

[1] Psal. XLIII, 22.

gentiores fecerunt. Et vide tentationes in festo die inductas, ut illi clariores essent. « Cum autem producturus eum esset » Herodes, inquit, nocte illa Petrus dormiebat. » Vide Petrum dormientem, nec terrore vel metu detentum. Ea ipsa nocte qua producendus erat, dormiebat, omnia in Deum rejiciens. Nec simpliciter dormiebat, sed inter duos milites, vinctus catenis duabus. Vides-ne quam accurata custodia? « Et ecce Angelus Domini, inquit, astitit dicens : Surge velociter. » Dormiebant simul custodes : ideo nihil gestorum senserunt. Lumen vero refulsit, ut et videret et audiret Petrus, nec putaret phantasiam esse. Ne vero seguiter ageret, latus ejus percutit : neque modo audit, « Surge ; » sed etiam additur; « Velociter : » tam arcte dormiebat. « Existimabat autem se visum videre, inquit. Pertransivit » autem primam et secundam custodiam. » Ubi nunc sunt hæretici? Quomodo pertransierit dicant nobis. Sed non poterant : quamvis propter hoc illum accingi jubeat et calceari, et hinc illi persuadeat hoc non esse phantasma ; utique somnum excuteret, sciretque rem esse veram. Ideo statim ceciderunt catenæ de manibus ejus. Et audivit, « Surge velociter. » Hoc vero non perturbantis est, sed monentis ne differret. « Et nesciebat, inquit, quia verum est » id quod fiebat per Angelum : existimabat autem se visum » videre. » Jure, ob rerum gestarum sublimitatem.

III. Vides-ne quanta sit signi magnitudo? Quam percellat videntem? quam incredibile illud videatur? Nam si Petrus tanto tempore se visum videre existimabat, etsi præcinctus et calceatus; quid alius non passus esset? « Transeuntes, inquit, primam et secundam custodiam, » venerunt ad portam ferream. Et exeuntes processerunt » vicum unum : et continuo discessit Angelus ab eo. » Quæ intus facta sunt mirabiliora erant : hoc vero deinceps humanius. Cum nihil erat impedimenti discessit Angelus.

Neque enim pertransisset Petrus, cum tot essent obices : vere namque stupor aderat. « Nunc scio, inquit, quia vere »misit Dominus Angelum suum, et eripuit me de manu »Herodis, et de omni expectatione plebis Judæorum. » Nunc, non tunc quando in carcere eram. Consideransque »venit in domum matris Joannis. Quid sibi vult illud considerans? Cogitans ubi esset. Vel hoc igitur consideravit; vel quod non oporteret utcumque abire, sed benefactori vicem rependere. Quod ille considerans, venit in domum Mariæ. Quis est hic Joannes? Forte is qui semper cum illis erat; ideoque cognomen etiam ejus posuit. Vide quantum sit bonum afflictio; quantum noctu precantes proficerent, quam vigiles hinc efficerentur. Vidisti-ne quantum lucrum ex cæde Stephani? Vidisti-ne quanta ex hoc carcere utilitas? Non enim ulciscens Deus injuste lædentes sic magnum ostendit Evangelium. Sed in ipsis lædentibus nihil mali patientibus ipsas tribulationes per se magnum quid esse ostendit, ne vel ab illis eripi, vel ultionem sumi quæramus. Perpende quomodo ancillæ apud eos in pari pretio essent. « Præ gaudio, inquit, non aperuit. » Ere autem ita factum est, ne et illi statim videntes obstupescerent, et non crederent, sed mens illorum exerceretur : et quod nos facere solemus, ancilla quoque facere deprehensa est : illa namque curabat rem lætam nuntiare : læta quippe res erat. Illi vero dicebant ei : « Insanis. Illa autem »affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant : Angelus »ejus est. » Hinc verum probatur unumquemque nostrum Angelum habere. Et unde in mentem subiit illis Angelum esse? A tempore illud suspicabantur. « Ut autem perse»verabat pulsans, inquit, cum aperuissent, viderunt eum »et obstupuerunt. Ille vero annuens manu, » silentium magnum fecit, ut audiretur. Optatior deinceps Discipulis erat, non modo quod servatus esset; sed etiam quod ades-

set et accederet. Discunt manifeste familiares; discunt et alieni, si credere velint : sed noluerunt. Hoc etiam in Christo factum est. « Nuntiate, inquit, Jacobo et fratribus » hæc. » Vide quomodo vanam gloriam non quærat. Non enim dixit : « Undique hæc omnibus nuntiate; sed, fratribus. « Et abscessit in alium locum. » Neque enim tentabat Deum, neque sese in tentationes injiciebat. Illud enim jussi tantum faciebant. « Ingressi, inquit, in templum, lo- » quimini populo » : audierunt et statim obsecuti sunt. Hoc vero jam non dicit Angelus; sed ut silenter abscedat, et noctu educto dedit facultatem secedendi. Hoc autem factum est ut discamus multa humano more dispensata fuisse, ut ne ille iterum periclitaretur. Ne enim post discessum ejus dicerent Angelum ejus esse, hoc prius dixerunt, et postea illum viderunt, qui hanc opinionem sustulit. Si Angelus fuisset, non pulsasset fores, nec secessisset in alium locum. Confirmat etiam illos quod non in die factum sit, Hi soluti precabantur, ille vinctus dormiebat. Si putasset rem quæ agebatur veram esse, perterritus fuisset, nec memor gestorum. Nunc autem quasi in somno videns, sine perturbatione erat. « Venerunt, inquit, ad portam » ferream. » Vide quam firma esset. « Transeuntes, inquit, » primam et secundam custodiam, venerunt ad portam » ferream. » Et cur, inquies, non per se ipsos hoc faciunt? Quia hac in re Deus illos honorat, quod per Angelos eruat ipsos. Quid ergo? Cur non sic in Paulo factum est? Illic e re fuit, quia custodem carceris credere oportebat; hic vero solum opus erat Apostolum liberari. Alioquin vero Deus diverse omnia dispensat. Illic Paulus hymnos canebat, hic Petrus dormiebat. Ne ergo occultemus miracula Dei. Sed ad utilitatem nostram hæc divulgari curemus, et ad aliorum ædificationem. Ut enim admirabilis fuit qui ligari voluit; ita admirabilior qui non prius discessit, quam

suis omnia nuntiasset. Dixitque. « Nuntiate Jacobo et fra- » tribus. » Cur dicere jubet? Ut illi gaudeant, ut ne solliciti sint : ut per hos illi discant, non ipsi per illos, sic de inferiori parte curam gerebant. Nihil ergo moderata afflictione melius. Qualem putas illorum tunc fuisse animam? Quanta voluptate plenam? Ubi sunt nunc mulieres quæ tota nocte dormiunt? Ubi viri qui neque in lecto se versant? Videsne vigilem animam? Cum uxoribus, pueris et ancillis Deum celebrabant, per tribulationem puriores cœlo effecti. Nunc vero si parvum videamus periculum, concidimus. Nihil Ecclesia illa splendidius. Ipsos imitemur, æmulemur. Non ideo facta est nox, ut per totam dormiamus et otiemur. Hoc testificantur artifices, negotiatores, mercatores. Ecclesia Dei media surgit nocte. Surge et tu, et vide stellarum chorum, profundum silentium, quietem multam. Obstupesce de Domini tui providentia. Purior tunc est anima, levior, subtilior, sublimis, expedita. Tenebræ ipsæ, silentium multum, in compunctionem inducere possunt. Si vero cœlum respicias stellis quasi innumeris distinctum oculis, omnimoda voluptate frueris, creatorem statim mente reputans. Si cogitaveris eos, qui interdiu clamant, rident, exultant, saliunt, injuste agunt, avaritiæ student, minantur, innumera mala inferunt, tunc a mortuis nihil differre, humanam omnem arrogantiam damnabis. Somnus accessit, et naturam superavit; imago est mortis et consummationis. Si vicum respexeris, nullam vocem audies; si domum, omnes videbis quasi in sepulcro jacentes. Hæc omnia possunt animam excitare, et ad cogitationem consummationis inducere.

IV. Hic vero mihi et ad viros et ad mulieres sermo est. « Flecte genua, ingemisce, Deum precare ut tibi sit propitius : » nocturnis ille precibus magis flectitur, cum requiei tempus in luctum verteris. Recordare verborum regis

illius : « Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noc-» tes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo [1]. » Quantumvis deliciis affluas, non magis quam ille ; quantumvis sis dives, non es ditior Davide. Iterumque ait ille : « Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia » justitiæ tuæ [2]. » Tunc vana gloria non te exagitat : quomodo posset enim, omnibus dormientibus, nec videntibus? Tunc nec ignavia nec oscitantia invadunt : quomodo possent enim, cum tot tantaque animam excitent ? Post talia pervigilia somnus suavis est, et revelationes mirabiles. Hoc fac et tu vir, non sola mulier. Sit Ecclesia domus viris et mulieribus constans. Ne quia tu solus vir, ipsa sola mulier est, putes id impedimento esse. « Nam ubi duo fuerint » congregati in nomine meo, inquit, illic sum in medio » eorum [3]. » Ubi Christus medius, ibi magna multitudo est. Ubi Christus, necesse est Angelos esse et Archangelos et alias Potestates. Non igitur soli estis omnium habentes Dominum. Rursus audi Prophetam dicentem : « Melior est » unus faciens voluntatem Domini, quam mille iniqui [4]. » Nihil infirmius multis iniquis ; nihil fortius uno, qui secundum Dei legem vivit. Si tibi sint liberi, excita illos : et sit omnino noctis tempore domus Ecclesia ; si vero sint teneri, nec vigilare possint, unam alteramve emittant orationem et quiescant. Tantum surge, et illud in consuetudine pone. Nihil hoc promptuario melius, quod tales preces suscipiat. Audi Prophetam dicentem : « Si memor » fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in » te [5]. » At dices per diem : « Multum laboravi, nec possum. » Hæc obtentus sunt et cavillationes. Quantumvis enim laboraveris, non quantum faber ærarius, qui tam gravem malleum ab alto ad usque prunas demittit, et fu-

[1] Psal. VI, 7. — [2] Id. CXVIII, 62. — [3] Matth. XVIII, 20. — [4] Eccli. XVI, 3. — [5] Psal. LXII, 7.

mum toto corpore excipit : et tamen maximam noctis partem ea in re consumit. Nostis etiam, mulieres, si quando nobis in agrum concedere opus fuit, aut ad pervigilium, quomodo per totam noctem illi vigilant. Et tibi ergo officina sit spiritualis. Non ut ollas et lebetes; sed ut animam tuam pares, quæ et ærario et aurifice multo melior est. Animam peccatis inveteratam induc in officinam confessionis. Malleum a summo induc, id est, verborum damnationem. Accende ignem Spiritus. Multo præstantiorem artem habes. Non aurea vasa concinnas, sed auro omni pretiosiorem animam sicut ærarius tractas. Non vas corporeum apparas; sed animam a sæculari phantasia liberas. Adsit tibi lucerna, non hæc ardens, sed quam memorat Propheta. « Lucerna pedibus meis lex tua [2]. » Accende orationibus animam; si satis illam habere videris, educ, efforma illam ut vis. Crede mihi, non sic ignis rubiginem purgat, ut nocturna oratio rubiginem peccatorum nostrorum. Revereamur, si neminem alium, saltem nocturnos custodes. Illi ob humanam legem circumeunt in frigore multum clamantes, et in vicis gradientes, sæpe madidi, vel rigentes, idque propter te tuamque salutem, ac pecuniarum tuarum custodiam. Ille pecuniarum tuarum tantam curam gerit, tu vero nec animam tuam curas. Non te cogo ut sub dio circumeas sicut ille, neque ut altum clames et dirumparis; sed in ipso penuario vel cubiculo flecte genua, precare Dominum. Cur ipse Christus pernoctavit in monte? Annon ut nobis exemplo esset. Tunc respirant plantæ, in nocte dico : tunc anima, plus quam illæ, rorem excipit. Quæ in die sol adussit, ea noctu refrigerantur. Magis quam ros nocturnæ lacrymæ contra concupiscentias, et contra omnem ardorem æstumque demittuntur, nec sinunt grave quidpiam pati. Nisi autem rore illo fruatur anima, interdiu

[2] Psal. CXVIII, 105.

aduretur. Verum absit ut aliquis vestrum ab igne illo exuratur. Sed utinam nos omnes refrigerati et divina fruentes clementia, a peccatorum sarcina liberemur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVII.

CAPUT XII.

Facta autem die, erat non parva turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro. Herodes autem cum requisisset eum, et non invenisset, inquisitione facta de custodibus, jussit eos abduci: descendensque de Judæa Cæsaream, ibi commoratus est[1].

I. Multi dubii quærunt, cur Deus illos olim infantes propter se occisos neglexerit, et nunc rursum milites propter Petrum interfectos: etsi potuerit illos cum Petro servare. Sed si cum Petro milites eduxisset Angelus; id pro fuga habitum fuisset. Cur ergo, inquies, non aliter disposuit? Nam quale damnum nunc factum est? Si consideremus eos, qui injuste passi sunt, nihil damni accepisse, non hæc quæremus. Cur enim non dicis etiam de Jacobo: « Quare illum non eripuit? » Alioquin vero non erat adhuc judicii tempus, ut singulis pro merito daretur. Sed neque Petrus injecit illos in manus ejus. Herodes ergo ægre ferebat, quod delusus esset, sicut avus suus delusus fuerat a Magis; hinc dissecabantur et risui erat expositus. E re autem fuerit scriptoris audire verba: « Facta

[1] Act. XII, 18, 19.

» autem die, inquit, erat non parva turbatio inter milites, » quidnam factum esset de Petro. Herodes autem cum re- » quisisset cum et non invenisset, inquisitione facta de cus- » todibus, jussit eos abduci. » Etiamsi inquisitionem faciens audisset ab eis, quod relictæ fuissent catenæ, quod calceos accepisset, et quod usque ad illam noctem secum fuisset. Sed quid occultarunt? Cur non ergo et ipsi fugerunt? Atqui oportuit ipsum hoc mirari et obstupescere. Demum ex illorum nece manifestum est omnibus et Dei miraculum et illius scelus. Sed vide quomodo hic ea non occultet, sed et historiæ meminerit, ut doceat nos. Deinde ait: « Des- » cendensque a Judæa Cæsaream, ibi commoratus est. » Erat autem Herodes iratus Tyriis et Sidoniis: at illi una- » nimes venerunt ad eum: et persuaso Blasto, qui erat » super cubiculum regis, postulabant pacem, eo quod ale- » retur regio eorum ab illo. Statuto autem die Herodes vesti- » tus veste regia, sedit pro tribunali, et concionabatur ad » eos. Populus autem acclamabat: Dei vox, non hominis. » Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quod » non dedisset gloriam Deo. Et consumptus a vermibus ex- » piravit. Verbum autem Dei crescebat et multiplicabatur[1].» Non parva res hæc est. Statim illum ultio invasit: etsi non propter Petrum invasisset, at propter arrogantem illius concionem. Atqui etsi illi acclamarunt, inquies, quid hoc ad illum? Quoniam ipse vocem excepit, quoniam se dignum putavit tali adulatione. Per hunc maxime erudiuntur qui temere adulantur. Perpende item utrosque meruisse pœ- nas; hunc autem plecti. Non enim judicii tempus nunc est; sed magis noxium supplicio afficit, illis dimissis, ut hinc lucrum accipiant. « Et verbum Dei crescebat, inquit, » et multiplicabatur. » Hoc est, ea peracta re. Vidisti-ne Dei œconomiam? « Barnabas autem et Saulus reversi sunt

[1] Act. xii, 20-24.

» ab Jerosolymis expleto ministerio, assumpto Joanne, qui » cognominatus est Marcus [1]. Erant autem quidam in Ec- » clesia quæ erat Antiochiæ, prophetæ et doctores, Bar- » nabas et Simeon, qui vocabatur Niger, et Lucius Cyre- » nensis, et Manahen Herodis Tetrarchæ collactaneus, et » Saulus [2]. » Adhuc Barnabam primum memorat : nondum enim clarus erat Paulus; nondum signum aliquod fecerat. « Ministrantibus autem illis Domino et jejunantibus, dixit » Spiritus sanctus : Segregate mihi Barnabam et Saulum in » opus, ad quod vocavi eos. Tunc jejunantes et orantes » imponentesque eis manus, dimiserunt illos [3]. » Quid est « Ministrantibus? » prædicantibus. « Segregate mihi, in- » quit, Barnabam et Saulum. » Quid sibi vult, « Segregate » mihi? » Ad opus, ad apostolatum. Vide rursum a quibus ordinentur. A Lucio Cyrenæo et Manahe; imo a Spiritu. Quanto enim minores personæ, tanto clarior apparet Dei gratia. Ordinatur demum in apostolatum, ut cum potestate prædicet. Quomodo igitur ipse dicit : « Non ab homi- » nibus, nec per homines [4] ? » Non ab hominibus dixit, ut declararet non hominem ipsum vocasse vel adduxisse. Neque per homines, quia non ab alio, quam a Spiritu missus est. Ideo sic addidit : « Ili itaque missi a Spiritu, descen- » derunt Seleuciam, inde navigarunt in Cyprum [5]. » Sed superius dicta exploremus. « Facta autem die, erat turba- » tio non parva propter Petrum. Et inquisitione facta de » custodibus, jussit eos abduci. » Ita sensu destitutus fuit, ut etiam injuste punire aggrederetur. Ecce causam illorum defendo. Vincula erant, custodes intus, carcer clausus, nusquam perfossus paries, omnes eadem dicebant, homo ille raptus non est, cur illos condemnas? Si solvere voluissent, vel ante solvissent, vel simul exissent. Sed pecunias

[1] Act. XII, 25. — [2] Id. XIII, 1. — [3] Ibid. 2, 3. — [4] Galat. 1, 1. — [5] Act. XIII, 4.

acceperunt ? Quomodo qui neque pauperi erogare poterat, his dedisset ? Neque enim fractæ catenæ neque solutæ sunt. Oportebat videre rem esse divinam, non humanam. Deinde quia historiam memoraturus erat, ideo etiam nomina ponit, ut probetur omnia vere dici. « Et persuaso, inquit, » Blasto qui erat super cubiculum regis, postulabant pa- » cem. » Hoc faciunt quia fames erat. « Statuto autem die » sedens Herodes pro tribunali, concionabatur, inquit. » Confestim autem percussit eum Angelus Domini et con- » sumptus a vermibus expiravit. »

II. Hoc et Josephus[1] dicit quod in longum morbum inciderit. Multi itaque hoc nesciebant; Apostolus vero narrat. Verum ignorantia illis proderat, dum Herodis casum, morti Jacobi et militum cædi imputarent. Perpende; quando Apostolum occidit, nihil tale fecit : quando illos, nihil dicebat. Utpote dubius ergo et confusus ex Judæa Cæsaream venit. Mihi videtur, cum illos abducere vellet, ad hos venisse ut sese purgaret. Irascebatur enim illis, dum his sic gratificaretur. Vide quam vanæ gloriæ cupidus homo esset. Gratiam illis daturus concionatus est. Josephus vero ait ipsum veste splendida, et argento intexta, amictum fuisse. Vide etiam quam adulatores essent illi, et Apostolorum sensum. Quem enim gens tota colebat, hunc illi respuebant. Tunc illis datum est ut respirarent, et multa parta sunt bona ex illius ultione. Quod si ille, hoc audito, « Vox Dei, non hominis, » licet nihil dixerit, talia passus est; multo majora Christus, si Deus non fuisset, passus esset, qui semper dicebat : « Verba mea non » mea sunt, » et, « Ministri mei utique decertarent[2], » similiaque. Ille vero fœde et miserabiliter vitam clausit; et nihil ex eo reliquum. Perpende item quomodo Blasto assentiatur, et quam facile miser ille homo irascatur, et

[1] Vide. Josephum. Lib. XIX, c. 7. — [2] Joan. XIV, 10, et XVIII, 36.

postea mitigetur, ubique populi servus, nihilque liberum habens. Considera item auctoritatem Spiritus sancti. « Ministrantibus autem illis Domino, inquit, et jejunantibus, dixit Spiritus sanctus : Segregate mihi Barnabam et Saulum. » Quis ausus esset, nisi tanta potestate fultus, hæc dicere? Hoc autem fit, ut non simul ipsi maneant. Vidit illos majorem habere virtutem, et pluribus posse sufficere. Quomodo autem illis locutus est? Forte per Prophetas; ideo ante dixit, et Prophetas fuisse et jejunasse atque ministrasse, ut discas multa sobrietate opus fuisse. Antiochiæ ordinatur, ubi prædicat. Cur non dixit : « Domino segregate. » sed, « Mihi? » Ostendit unam esse potentiam et virtutem. Vides-ne quanta res sit jejunium? Ostendit Spiritum omnia fecisse. Magnum quoddam bonum est jejunium : non termino circumscribitur. Cum ordinare oportebat, tunc jejunant : et jejunantibus iliis dixit Spiritus. Jejunium vero non hoc solum est : sed etiam abstinere a deliciis, jejunii species est. Hoc tantum ego impero; non jejunate, sed a deliciis abstinete. Alimenta quæramus, non corruptionem; alimenta quæramus, non morborum occasiones et spiritualium et corporeorum. Alimentum quæramus, quod voluptatem quidem habeat, non vero delicias molestia plenas. Illud suave est, hoc perniciosum; illud voluptas est, hoc labor; illud secundum naturam, hoc præter naturam. Dic enim mihi, si quis daret tibi toxicum ad potum, nonne hoc præter naturam esset? Si quis ligna et lapides, nonne aversareris, et quidem merito? Præter naturam enim hoc est; ut et deliciæ. Nam ut in civitate, quæ obsidetur, magna perturbatio et tumultus est, inimicis ingredi conantibus; ita et in anima accidit, dum vinum et deliciæ superveniunt « Cui væ, cui tumultus, cui molestiæ et nugæ, cui judi-

» cium? Nonne iis qui vinum assidue potant? Cujus lippi » sint oculi[1]? » Verum quidquid dixerimus, non avertemus eos qui deliciis dant operam, nisi alium aggrediamur animi morbum. Et primum contra mulieres sit sermo. Nihil turpius muliere deliciis dedita : nihil turpius ebriosa : obscuratur enim flos vultus ejus, turbatur serenitas et suavitas oculorum, quasi nube quadam solares radios subeunte. Res est illiberalis et servilis, atque ignobilitate plena. Quam insuavis est mulier vinum spirans, quod oleat et corruptum sit; cum eructat carnium corruptarum humorem, aggravata ut surgere nequeat, rubicunda plus quam par est, oscitans, et caligine offusa? At non talis est illa quæ a voluptate abstinet; sed honesta, temperans et formosa : nam animi compositio multum corpori affert decorem. Ne putes enim a corporali solum specie hoc fieri. Da formosam puellam, turbulentam, loquacem, conviciantem, ebriosam, sumptuosam : nonne quavis fœda et turpi deformior est? Si vero pudorem habeat, si taceat, si erubescere didicerit, ac modeste loqui, si jejunare, duplex est pulchritudo, major forma, gratior vultus, castitate et ornatu plenus. Vis jam de viris loquamur. Quid ebrio turpius? Ridiculus est famulis, ridiculus hostibus, miserabilis apud amicos, omni damnatione dignus : fera magis quam homo. Nam multis ingurgitari pardi, leonis et ursi est. At illa sic merito faciunt : non habent enim animam rationalem. Quin et illæ si ultra mensuram a natura definitam edant, toto corpore corrumpuntur; quanto magis nos? Ideo nobis Deus angustum ventrem dedit; ideo parvam tibi mensuram definivit, ut doceret animam curari oportere.

III. Consideremus ipsam constitutionem nostram, et videbimus unam particulam in nobis hanc habere opera-

[1] Prov. xxiii, 29, 30.

tionem. Os enim nostrum et lingua ad hymnos deputata sunt, fauces ad vocem. Ideo necessitas naturæ nos ligavit, ut ne inviti quidem in multam difficultatem incidamus. Si namque voluptas morbos et ægritudines non haberet, horrenda res esset. Nunc autem naturæ tibi terminos posuit, ut ne volens quidem transgrediaris. Nonne voluptatem, dilecte, quæris? hanc a frugalitate parabis. Nonne valetudinem? et hanc quoque. Nonne libertatem a curis? hanc itidem. Nonne libertatem, robur et bonam constitutionem corporis, animæ sobrietatem, vigilantiam? Bona omnia hic sunt. Incrapula vero contraria, insuavitas, mala valetudo, morbus, illiberalitas, sumptus. Unde igitur, inquies, ad illam currimus omnes? Ab infirmitate. Dic enim mihi cur æger noxia quærit? Annon hoc ipsum signum est morbi? Cur claudus non recte incedit? Nonne ex ignavia et quod nolit accedere ad medicum? Res enim aliæ temporaneam habent voluptatem perpetuumque supplicium; aliæ e contrario, temporaneam patientiam, et perpetuum gaudium. Qui igitur sic mollis et ignavus est, ut non contemnat præsentes delicias pro futuris, cito capitur. Dic mihi, Esaü unde captus est? Unde factum ut præsentem voluptatem futuro honori præferret? Ex mollitie. Hoc ipsum vero unde, inquies? Ex nobis ipsis, quod hinc manifestum est. Quando volumus, nos excitamus, et patientes efficimur. Si igitur quandoque advenerit necessitas, sæpe contendendo tantum quid utile sit conspicimus. Cum ergo deliciis te dediturus es, temporaneam esse voluptatem cogita, damnumque hinc proveniens; damnum enim vere est, cum sua pernicie tot opes insumere: morbos infirmitates, et voluptatem contemne. Quot vis tibi homines enumerem mala passos a deliciis. Noë inebriatus est ac nudatus, et vide quot hinc mala evenerint. Per gulam Esaü primogenita perdidit, et ad fra-

tris cædem se accinxit. « Populus Israël sedit manducare » et bibere, et surrexerunt ludere[1]. » Ideo ait, « Come- » dens et bibens recordare Domini Dei tui[2]. » In præcipitium enim ruerunt, qui in delicias inciderunt. « Vidua, inquit, » quæ in deliciis est, vivens mortua est[3]. » Ac rursum : « Impinguatus, incrassatus est et recalcitravit dilectus[4] ; » rursumque Apostolus, « Carnis curam ne feceritis in de- » sideriis[5]. » Non legem pono jejunium : neque enim est qui audiat, sed voluptatem nimiam tollo, delicias excindo ad utilitatem vestram ; velut enim torrens sic omnia sub- vertunt deliciæ, nihil est quod impediat illas. E regno ejiciunt. Quid amplius? Vis deliciari? Da pauperibus : voca Christum, ut etiam, sublata mensa, delicieris. Nunc enim, si non habes, ita expedit; neque enim stant præsentia : tunc autem habebis. Vis deliciari? Ale animam : da illi cibos quibus assuevit : ne fame occidas illam. Tempus est belli et pugnæ, tu vero sedes in deliciis? Non vides eos, qui sceptra tenent, in exercitu frugaliter viventes. « Non est nobis lucta adversus sanguinem et carnem[6], » tu vero te impinguas pugnaturus? Dentibus stridens stat adversarius, tu vero effusus es et mensæ addictus. Scio me hæc frustra dicere, sed non omnibus. « Qui habet aures » audiendi, audiat[7]. » Christus fame tabescit; et tu præ crapula dirumperis : duo sine mensura sunt. Quid enim mali non pariunt deliciæ? Unde nescio quomodo hoc no- men sortitæ sint; sed sic vocatæ sunt, ut et gloria quæ est infamia; et divitiæ quæ sunt paupertas; sic et deliciæ dictæ, quæ sunt molestiæ. Num immolandi sumus qui nos ita impinguamus? Cur vermi lautam paras mensam? Cur majorem facis saniem? Cur fontes sudorum et fœtores de- ponis? Cur te ad omnia inutilem reddis? Vis esse fortem

[1] Exod. xxxii, 6. — [2] Deut. vi, 11. — [3] 1 Tim. v, 6. — [4] Deut. xxxii, 15. — [5] Rom. xiii, 14. — [6] Ephes. vi, 12. — [7] Luc. viii, 8.

oculum? Corpus fac robustum. Nam in chordis quæ crassior et impurior, ad melodiam inutilis est, quæ vero undique pura et tensa, ad sonos omnino utilis. Cur defodis animam? Cur parietem crassiorem facis? Cur magnum fumum et nubem? quandoquidem vapores ut nebula quædam undique effunduntur. Si nemo alius, saltem athletæ docent te, corpus gracilius, esse robustius. Sic et anima philosophiæ dedita firmior. Similis namque est aurigæ et equo. Et videre licet : sicut homines delicati et obesiores; sic et obesiores equi, difficilius excitantur, et multum aurigæ negotii facessunt. Optandum certe ut obsequentem et firmum equum habens possit bravium assequi. Quando autem cogitur auriga trahere ipsum, et millies lapsum ne pungendo quidem erigit, etiamsi valde sit peritus, a victoria excidet. Ne despiciamus animam nostram, a corpore læsam; imo illam perspicaciorem efficiamus : alam ejus levem reddamus, molliora vincula ; sermonibus illam pascamus, frugalitate, ut sanum sit corpus, ut robustum, ut gaudeat, nec doleat. Ut nostra sic recte constituentes possimus summam virtutem attingere, atque æterna consequi bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVIII.

CAPUT XIII.

Et ipsi quidem missi a Spiritu sancto abierunt Seleuciam : et inde navigaverunt in Cyprum. Et cum venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in synagogis Judæorum. Habebant autem et Joannem ministrum[1].

I. Ordinati simul exierunt, et in Cyprum navigarunt, eo quod illic nullæ essent insidiæ, et verbum Dei jam disseminatum esset. Antiochiæ quidem jam multi erant. Phœnicia prope Palæstinam erat : Cyprus non item. Cæterum ne quæras quare, quando Spiritu moventur. Non solum enim Spiritu sunt ordinati, sed etiam missi. Et cum « Venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in syna» gogis Judæorum. » Vides illos cum omni diligentia verbum nuntiare primis illis, ne illos contentiosiores redderent? Et illi nonnisi Judæis loquebantur : hi vero ad synagogas abierunt. « Et cum perambulassent universam » insulam usque Paphum, invenerunt virum quemdam » magum pseudoprophetam, Judæum, cui nomen Barjesu, » qui erat cum proconsule Sergio Paulo, viro prudente : » qui, accersitis Barnaba et Saulo, desiderabat audire ver» bum Dei. Resistebat autem illis Elymas magus, sic enim » interpretatur nomen ejus, quærens avertere proconsulem » a fide[2]. » Rursum magus judæus sicut Simon. Et considera ipsum, dum aliis prædicabant, non multum indignantem, sed cum proconsulem adiissent. Quod autem in

[1] Act. XIII, 4, 5. — [2] Ibid. 6-8.

proconsule mirum est, quod illius magia præoccupatus, voluerit Apostolos audire. Sic et Samaritani fecerunt, et ex comparatione victoria apparet, et magia vincitur. Ubique vana gloria et amor principatus causæ malorum sunt. « Saulus autem, qui et Paulus, repletus Spiritu sancto, » intuens in eum, dixit : O plene omni dolo et omni fal» lacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis » subvertere vias Domini rectas? Et nunc ecce manus Do» mini super te, et eris cæcus, non videns solem usque ad » tempus[1]. » Hic nomen illius mutatur post ordinationem, id quod etiam Petro accidit. Et vide, non contumelia est, sed increpatio. Petulantes enim et impudentes sic oportet increpare. « O plene omni dolo, inquit, et omni fallacia, » fili diaboli, inimice omnis justitiæ. » Hic revelat ea quæ in mente ille habebat, dum salutis obtentu proconsulem perderet. « Non desinis, inquit, subvertere vias Domini. » Et fide dignus est. Non contra nos decertas et pugnas, ait, sed vias Domini rectas subvertis, et cum encomio hæc dicit : « Et nunc ecce manus Domini super te, et eris cæ» cus. » Quo ipse reductus est signo, hoc et illum vult reducere. Et illud, « Usque ad tempus, » non punientis dictum est, sed convertentis. Nam si punientis esset, illum in perpetuum fecisset cæcum. Nunc vero non hoc agit, sed ad tempus, ut proconsulem lucretur. « Et confestim ce» cidit in eum caligo et tenebræ ; et circuiens quærebat qui » ei manum daret. Tunc proconsul, cum vidisset factum, » credidit admirans super doctrina Domini[2]. » Jure certe. Nam eum qui magia præoccupatus erat, hac pœna doceri par erat. Sic Ægyptii magi olim a pustulis eruditi sunt. Perpende autem illos non istic moram trahentes, utpote proconsule jam credente, neque adulatione et honore emolliti sunt, sed statim operi se dediderunt, et in trans-

[1] Act. XIII, 9-11. — [2] Ibid. 12.

marinam regionem se contulerant. « Et cum e Cypro na-» vigassent Paulus et qui cum eo erant, venerunt Pergen » Pamphyliæ. Joannes autem discedens ab eis, reversus » est Jerosolymam. Illi autem pertranseuntes Pergen, ve-» nerunt Antiochiam Pisidiæ : et ingressi synagogam die » sabbatorum, sederunt[1]. » Rursum in synagogas habitu Ju-dæorum ingressi sunt, ne impugnarentur vel pellerentur : et ita totum perficiebant. « Post lectionem autem legis et » Prophetarum, miserunt principes synagogæ ad eos di-» centes : Si est in vobis sermo exhortationis ad plebem, » dicite[2]. » Jam hinc quæ Paulum spectant discimus; cum antea non pauca de Petro didicerimus. Sed quæ superius dicta sunt exploremus. « Et cum venissent Salaminam, » prædicabant verbum Dei » in metropoli Cypri. Per annum manserunt Antiochiæ. Oportebat illo abire, nec semper hic sedere. Majoribus opus habebant doctoribus. Vide quomodo Seleuciæ non moras trahant, scientes a vicina civitate multum utilitatis accepisse Seleucienses, sed illic etiam festinant ad ea, quæ magis urgebant. Nam ut vene-runt ad metropolim insulæ, proconsulem emendare stude-bant. Quod autem non ex adulatione dicatur, « Erat cum » proconsule, viro prudente, » ex re ipsa disce; quomodo non multis sermonibus opus habuerit, quomodo voluerit ipsum audire. Et nomina civitatum recenset, ostendens quod, quoniam nuper verbum receperant, opus erat con-firmari illos ut in fide manerent. Quare frequenter illas adeunt. Perpende quomodo nihil mago dixerit, donec ille occasionem daret. Sed verbum Domini solum annuntia-bant. Quia enim alios attendentes videbat; id unum ille in scopo habebat, ne ille persuaderetur. Et cur non aliud signum fecit ? Quia nullum huic par erat, quod inimicum caperet,

[1] Act. XIII, 13, 14. — [2] Ibid. 15.

II. Et vide : primo objurgat, et tunc punit. Ostendit autem illum juste pati cum dicit : « O plene omni dolo ! » hoc est, nihil dolo vacuum habens. Et recte dicit : « Omni » dolo. » Simulabat enim. « Fili diaboli : » nam opus illius agebat. « Inimice omnis justitiæ. » Hæc enim vere erat omnis justitia. Mihi videtur hoc dicens, vitam illius redarguere. Ut autem ostenderet hæc verba non ab ira proficisci, prius dixit. « Repletus Spiritu sancto ; » hoc est, operatione. « Et nunc ecce manus Domini super te. » Non ultio erat, sed medela. Ac si diceret. « Non ego facio, » sed, « Dei manus. » Vide ut alienus est a fastu. « Eris cæcus, » non videns solem usque ad tempus. » Hoc dicit, ut det illi pœnitentiæ locum. Nusquam enim volebant ex tristibus conspicui esse, si hæc inimicos invaderent ; si suos autem, secus ; et quidem merito. Cum vero de alienis ageretur, non item, ne putaretur res ex necessitate et timore proficisci. Cæcitatis vero signum fuit quod ductores quæreret. Deinde videt cæcitatem proconsul, et statim credit : neque simpliciter, sed obstupescens. Vidit enim non hic verba dari, neque fallaciis rem agi. Vide quantum doctrinæ amorem habuit, qui tantum gerebat principatum. Non dixit Magus Paulus : « Non desinis subvertere proconsulem ; » sed, « Vias Domini, » quod magis erat ; ne videretur adulari. Cur vero Joannes recedit ab eis ? nam ait : « Joannes recedens ab eis, reversus est Jerosolymam. » Quia longius deinceps iter suscipiebant. Quamvis ipse minister esset : illi vero periculum subirent. Rursus Pergen venientes, prætercurrunt alias civitates : nam ad metropolim Antiochiam festinabant. Et vide quam compendio narret scriptor. Sederunt, inquit, in synagoga die sabbatorum, ut sermoni viam pararent. Nec priores loquuntur, sed invitati, et quasi hospites provocati. Si autem non ibi mansissent, sermo non habitus fuisset. Hic primo præ-

dicat Paulus. Et vide ejus prudentiam : ubi sermo sparsus fuerat, prætercurrit; ubi vero nullus fuerat, diutius manet; ut et ipse scribens dicit : « Sic autem studui evange-» lizare, non ubi nominatus est Christus[1]. » Hoc vero magnæ fortitudinis erat. Vere a principio admirabilis vir fuit, crucifixus, in acie positus, sciebat quanta potiretur gratia, par induxit studium. Non succensuit Joanni : non enim hujus erat ; sed operi hærebat. Non formidavit, non timuit in media multitudine conclusus. Vide quomodo providetur ne Paulus prædicet in Jerusalem. Sufficiebat hoc audire quod credidisset. Prædicantem vero non tulissent propter odium : et procul migrat ubi notus non erat. Primo magum redarguit, et qualis esset aperuit : quodque talis esset, signum probavit. Hoc signum erat ejus animæ cæcitatis; ad tempus patitur, ut pœnitentiam agat. Bene autem in sabbato Paulus intravit in synagogam, quando omnes congregati erant. « Et post lectionem, inquit, Legis » et Prophetarum, miserunt principes synagogæ dicentes : » Viri fratres, si est in vobis sermo exhortationis ad popu-» lum, dicite. » Vide illos tunc sine invidia copiam facere : postea vero non item. Si hoc voluissetis, magis oportebat exhortari. Sed, o principatus amorem ! o vanam gloriam ! quomodo omnia subvertit et perdit. Contra domum, contra mutuam salutem stare suadet : ita cæcos efficit, ut doctores quærantur. Utinam saltem hoc, utinam doctores quærerent. Verum hoc non quærunt, sed sibi ipsis totum committunt. Neminem sinit videre : sicut caligo et nebula ingruit, nec sinit inspicere. Quam defensionem habebimus, qui per vitium illud, vitium aliud superamus ; sed non per timorem Dei? Verbi gratia, multi qui simul lascivi et avari erant, per parcimoniam lasciviam superarunt; alii contra ex lascivia pecunias contempserunt. Rur-

[1] Rom. xv, 20.

sum alii vana gloria capti, ambo illa vitia prostravere, pecunias sine modo insumentes, et frustra continentes. Alii rursum vanæ gloriæ admodum cupidi, hoc vitium contempserunt, multa fœda passi et propter amores et propter pecunias. Alii rursum ut iram explerent suam, innumera damna subiere, et nihil aliud curaverunt, quam ut voluntatem suam ad effectum deducerent. Et quod passio potuit, non potuit apud nos Dei timor. Et quid passionem dico? Quod pudor humanus potest, non potest Dei timor. Multa et recte facimus et peccamus præ hominum pudore: Deum vero non timemus. Quot præ pudore opes effuderunt? Quot frustra ambierunt amicis in malo servientes? Quot in amicorum gratiam sæpissime peccaverunt?

III. Si ergo et affectus et pudor humanus et ad peccata et ad bona opera nos possunt inducere, frustra dicimus non nos posse: possumus enim si volumus: velle autem omnes oportet. Dic mihi: Cur non potes gloriam vincere, cum alii eamdem formam, eamdem vitam habentes, ipsam vincant? Cogita Deum, cogita supernam gloriam: confer illam cum præsentibus, et statim ab hac gloria resilies. Si omnino gloriam expetis, eam quæ vere gloria est concupisce. Quæ gloria est, cum infamiam pariat? Quæ gloria, quando inferiorum honorem cupere cogeris et illo opus habere? Honor est majorum gloria frui. Si omnino gloriam diligis, eam potius ama quæ a Deo est. Si illam amans hanc spernas, hanc videbis ignobilem. Quandiu illam quæ a Deo est non videris, neque hanc videbis, quam turpis nempe sit, quam ridicula. Ut enim qui malæ, deformis fœdæque mulieris amore capti sunt, donec illam amant, non possunt ejus deformitatem videre, affectu judicium obscurante; ita et hic quandiu affectu detinemur, cernere non possumus quantum sit malum. Quomodo ergo, inquies, ab eo liberabimur? Cogita eos qui innumeras opes insump-

serunt, et nihil hinc fructus tulerunt. Cogita mortuos, qui tantam adepti sunt gloriam, sed instabilem, quæ periit et evanuit. Cogita nomen tantum esse, non rem. Nam quid est gloria, quæso? Da definitionem aliquam. Apud omnes admirationi esse, inquies. An jure, an injuria? Si injuria, non erit illud admiratio; sed accusatio, adulatio, calumnia. Si autem jure, id possibile non est. Vulgus enim recto caret judicio; sed illos miratur, qui suis serviunt concupiscentiis. Et si vultis, illos attendite, qui meretricibus omnia sua dederunt, qui aurigis, qui saltatoribus. At non hos, inquies, dicimus; sed justos, rectos, qui magna possunt præstare bona. Utinam vellent, et statim bona perficerent: nunc vero nihil hujusmodi faciunt. Quis, quæso, justum et rectum nunc laudat? Contrarium certe accidit. Quid frigidius justo, si præclarum quid agens vulgi gloriam expetat? Hoc enim agit, ac si quis pictor optimus regis imaginem pingens, imperitorum laudes excipiat. Alioquin autem qui humanam spectat gloriam, a virtutum exercitio cito desistet. Nam si ad laudes illorum inhiet, hæc faciet quæ ipsis placebunt, non quæ sibi. Quod ergo jam vobis consilium dederim? Deo animum adhibere, satis habere si laudemur ab illo, omnia ipsi placita facere, et bona operari, ad nullam rerum humanarum inhiare: hoc enim et jejunium, et orationem, et eleemosynam pessumdat, atque omnia nostra bona evacuat. Quod ne patiamur, fugiamus hoc vitium. Unum solum respiciamus, laudem a Deo, illius approbationem, communisque Domini commendationem. Ut vita præsento in virtute transacta, promissis bonis cum diligentibus eum potiamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIX.

CAPUT XIII.

Surgens autem Paulus, et manu silentium indicens dixit : Viri Israëlitæ, et qui timetis Deum, audite : Deus plebis hujus elegit patres nostros, et plebem exaltavit, cum essent advenæ in terra Ægypti, et cum brachio excelso eduxit eos ex ea[1].

I. Vide Barnabam cedentem Paulo, ut et Joannem ubique Petro. Ille duxit eum ex Damasco, quamvis venerabilior esset; sed ad communem utilitatem spectabant. « Et » surgens, inquit, et manu silentium indicens. » Mos hic Judæis erat : ideo sic illos alloquitur. Vide quomodo sermoni viam paret. Primo laudat illos, magnamque ostendit Dei erga ipsos providentiam. Per hæc verba, « Qui timetis » Deum, » incipit. Non dixit, « Proselyti, » quod erat calamitatis nomen. « Deus plebis hujus elegit patres nostros et » populum. » Vide quomodo hominum communem Deum, ipsorum proprie Deum dicat, et ostendat beneficia magna jam olim ipsis collata, sicut et Stephanus. Hæc autem faciunt, ut doceant illos, quod pro more suo nunc filium suum miserit. Sicut et Christus de vinea dixit, sic et ille loquitur. « Exaltavit in peregrinatione in Ægypto, et cum » brachio excelso eduxit eos ex ea. » Atqui contrarium accidit (17) ; sed multitudine aucti sunt; imo et miracula propter illos facta sunt. Et Prophetæ memorant ubique ea quæ facta sunt in Ægypto. Et vide quomodo tempora calamitatum prætercurrat, et nusquam crimina in medium affe-

[1] Act. XIII, 16, 17.

rat; sed Dei benignitatem, illa relinquens ipsis cogitanda. « Et per quadraginta annorum tempus mores eorum sus- » tinuit in deserto[1]. » Deinde habitationem terræ dicit. « Et » destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distri- » buit eis terram eorum[2]. » Et multum intercessit tempus, quadringentorum et quinquaginta annorum. « Et quasi » post quadringentos et quinquaginta annos dedit eis Judi- » ces, usque ad Samuëlem prophetam[3]. » Hic ostendit ipsum varie providisse rebus illorum. « Et exinde postulave- » runt regem[4]. » Nec memorat ingratum illorum animum; sed ubique Dei clementiam. « Et dedit illis Saül filium Cis, » virum de tribu Benjamin annis quadraginta. Et amoto » illo, suscitavit eis David in regem : cui testimonium per- » hibens dixit : Inveni David filium Jesse, virum secundum » cor meum, qui faciet omnes voluntates meas[5]. » Non parvum hoc, quod ex Davide Christus esset. Deinde Joannem inducit testificantem dicens : « Hujus Deus ex semine » secundum promissionem eduxit Israëlis Salvatorem Je- » sum : prædicante Joanne ante faciem adventus ejus bap- » tismum pœnitentiæ omni populo Israël. Cum impleret » autem Joannes cursum suum dicebat : Quem me arbitra- » mini esse? Non sum ego : sed ecce venit post me, cujus » non sum dignus calceamenta pedum solvere[6]. » Et Joannes testificatur, non simpliciter; sed gloriam a se depellens, etiamsi omnes gloriam ipsi referrent. Non par res est autem nullo dante repellere, et omnibus tribuentibus honorem rejicere, neque simpliciter, sed cum tanta demissione. « Viri fratres, filii generis Abrahæ, et qui in vobis » timent Deum, vobis verbum salutis hujus missum est. » Qui enim habitabant Jerusalem et principes eorum hunc » ignorantes, et voces Prophetarum, quæ per omne sabba-

[1] Act. XIII, 18. — [2] Ibid. 19. — [3] Ibid. 20. — [4] Ibid. 21. — [5] Ibid. 22. — [6] Ibid. 23-25.

» tum leguntur, judicantes, impleverunt. Et nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt a Pilato ut interficeretur[1]. » Ubique hoc ostendere satagunt, bonum ipsorum hoc proprium esse, ne tanquam alienum considerantes fugiant, eo quod crucifixissent eum. « Hunc, inquit, ignorantes. » Itaque ignorantiæ peccatum erat. Vide quomodo illos leniter defendat. Neque hoc tantum; sed etiam ita fieri oportuisse adjicit. Ne quis vero diceret: «Unde manifestum est illum resurrexisse? » dicit etiam: Testes illius sunt. Deinde rursum ex Scripturis rem confirmat. « Cumque consummassent omnia quæ de illo scripta erant, » deponentes de ligno posuerunt eum in monumentum. » Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die, qui visus » est per dies multos iis, qui simul ascenderunt cum eo de » Galilæa in Jerusalem, qui sunt testes ejus ad plebem. Et » nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros re» promissio facta est. Quia hanc Deus adimplevit nobis » filiis eorum, resuscitans Jesum, sicut et in Psalmo secundo » scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quod » autem suscitavit eum a mortuis, non ultra reversurum in » corruptionem, ita dixit: Quia dabo vobis sancta David » fidelia. Ideo et in alio dicit: Non dabis Sanctum tuum » videre corruptionem. David enim in sua generatione cum » administrasset voluntati Dei, dormivit, et appositus est ad » patres suos, et vidit corruptionem. Quem vero Deus sus» citavit a mortuis, non vidit corruptionem[2]. » Vide hunc vehementius disserentem. Hoc nunquam Petrus dixit. « Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc nobis » remissio peccatorum annuntiatur, et ab omnibus, a qui» bus non potuistis in lege Moysis justificari. In hoc omnis » qui credit justificatur. » Deinde hoc terribile: « Videte » ergo ne superveniat vobis quod dictum est in Prophetis.

[1] Act. XIII, 26-28. — [2] Ibid. 29-37.

» Videte contemptores, et admiramini, et disperdimini, quia » opus operor ego in diebus vestris, quod non credetis si » quis enarraverit vobis [1]. »

II. Vide quomodo nectit sermonem ex præsentibus, ex Prophetis, ex semine secundum promissionem. Verum supra dicta exploremus. « Viri fratres, filii generis Abrahæ: » a patre ipsos appellat. « Vobis sermo salutis hujus missus » est. » Hic illud, « Vobis, » non Judæos separatim respicit; sed dat illis potestatem avellendi se ab iis, qui cædem perpetrarunt, quod ex sequenti palam est. « Nam qui habita- » bant, inquit, Jerusalem, hunc ignorantes, et voces Pro- » phetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, judicantes, » impleverunt. » Magna accusatio, si frequenter audientes non attenderint. Sed nihil mirum. Nam dicta illa circa Ægyptum et desertum, satis erant ad ingratum illorum animum demonstrandum. Et quomodo ignorarunt, inquies, cum Joannes dixerit? Quid mirum, cum Prophetæ quoque sæpe clamaverint? Hinc alia accusatio : « Et nulla » causa mortis inventa. » Id quod ignorantiæ non erat. Penamus enim quod eum pro Christo non habuerint, cur occiderunt? « Et petierunt, inquit, a Pilato ut interficeretur. » Cumque consummassent omnia quæ de illo scripta erant, » deponentes de ligno, posuerunt in monumentum. » Vide quam hoc illis curæ fuerit. Modum mortis dixit, et Pilatum in medium adducit. Ut simul et manifesta passio sit ex tribunali; simulque ut illi gravius accusentur, quod alienigenæ viro tradiderint. Neque dixit : « Conquesti sunt; » sed, « Postularunt, » nulla causa inventa illum occidendi; ita ut palam sit illos gratiam accepisse Pilato nolente, quod clarius dicit Petrus, « Judicante illo dimitti [2]. » Multum amabat illos Paulus. Et vide, non moratur in ingrato patrum animo; sed ipsis timorem incutit. Stephanus certe

[1] Act. XIII, 38-41. — [2] Id. III, 13.

hoc jure facit, utpote occidendus, non docens, et ostendens legem jam solvi. Hic vero non item, sed minatur et terret solum. « Deus autem suscitavit illum a mortuis. Qui » visus est, inquit, multis diebus iis qui cum eo ascende» rant a Galilæa in Jerusalem. » Vide hunc ab ipso Spiritu motum, et passionem et sepulcrum sæpe memorantem. « Et nos vobis annuntiamus, inquit, eam, quæ ad patres nostros » repromissio facta est, » id est, promissionem patres acceperunt; vos rem ipsam. Deinde post quam testem adduxerat Joannem, cum diceret : « De semine hoc secundum promis» sionem adduxit Israëli salutem ; « Prædicante Joanne ante » faciem adventus ejus baptismum pœnitentiæ Israël; » deinde inducit illum iterum dicentem : « Quem me arbitramini » esse ? Non sum ego. » Deinde Apostolos quoque inducit resurrectionis testes, dicens : « Qui sunt testes illius ad ple» bem. » Deinde Davidem idipsum testificantem cum dicit : « Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem[1]. » Neque enim vetera per se ipsa tam firma esse videbantur, neque hæc sine illis : per utraque certe sermonem firmat. Quia enim metu tenebantur, quod illum occidissent, et conscientia alienabat illos, non quasi ad Christicidas loquuntur, nec quasi alienum, sed quasi proprium ipsis bonum tra derent. Optatissimum illis erat nomen Davidis. Ideo ponit illud; ut vel sic saltem illum suscipiant, ac si diceret filium ejus regem ipsis futurum esse : igitur ejus frenum ne abjiciatis. Quid sibi vult illud : « Dabo vobis sancta David » fidelia? » Firma, inquit, quæ nunquam peritura sint. Neque in his moratur, utpote cum his jam credant. Sed minatur supplicium, et transit ad id quod eis optabile erat, cum ostendisset abrogatam esse legem, atque in eo quod utile erat moratur, quod nempe magna transgressoribus mala futura essent. Deinde iterum Davidem cum laude

[1] Psal. xv, 10.

memorat : « David, inquit, in sua generatione cum admi-» nistrasset voluntati Dei, appositus est ad patres suos. » Sicut et Petrus ipsum memorans dicebat : « Liceat dicere » cum fiducia de patriarcha David. » Nec dicit mortuum esse, sed appositum esse ad patres suos, id quod dictu suavius erat. Et vide quomodo nusquam bona ipsorum opera ponat, sed quæ reprehensibilia erant. Nam quod petiissent et accepissent, magna illorum accusatio erat. Hinc beneficia Dei recenset. Elegit, inquit, exaltavit, educavit. Hæc vero non eorum, sed Dei laudes sunt. Davidem autem solum celebrat, quia ex ipso Christus. Ingressum vero Joannes vocat dicens : « Ante faciem ingressus ejus : » incarnationem nempe Christi, et ejus cum carne adventum. Sic Joannes Evangelium scribens, ad illum sæpe confugit : magnum enim illi nomen erat in toto orbe. Et vide : non dicit illud ex se ipso ; sed illius affert testimonium.

III. Vides-ne quomodo ostendere studeat rem ex œconomia quadam geri. Sed audiamus quid Apostoli dicentes persuaserint. « Crucifixus est. » Quid hoc incredibilius? sepultus est ab illis, quibus salutem promisit : sepultus peccata magis quam lex ipsa remittit. Ideo non dixit : « A quibus noluistis ; » sed, « A quibus non potuistis in lege Moysis » justificari; in hoc omnis credens justificatur : » infirmitatem legis ostendens. Recte autem addidit illud, « Omnis ; » ut declararet quisquis sit credens. Nulla enim ex illis utilitas, nisi aliquod adsit beneficium. Ideo demum ponit remissionem, hinc quod majus est colligens, et ostendens, id quod non poterat lex facere, hoc clare per mortem fecisse eum, qui passus est. Itaque bene dicebat : « Qui sunt testes ejus » ad plebem. » Illum qui occidit, inquit : neque tales essent nisi divina virtute firmarentur. Neque enim ad eos, qui occiderunt, talia testificati sunt, nec ad homicidas. Illud vero : « Ego hodie genui te, » dixit, quod ad hoc etiam alia se-

quantur. Et cur non addidit testimonium, quo persuaderentur, per eum remissionem peccatorum futuram esse? Quia illud interim curabat ostendere, quod resurrexisset. Hoc autem in confesso cum esset; illud hinc indubitatum fuit, nempe remissionem peccatorum fieri. Alioquin volebat illos in boni illius desiderium inducere. Non ergo derelictio erat mors ejus, sed prophetiæ impletio. Historias commemorat, quas ignorantes innumera passi sunt mala. Et hoc subindicat in fine dicens : « Videte contemptores, » et respicite. » Et vide quomodo illud utpote asperum succidat. « Ne vobis superveniat, inquit, quod aliis dictum » est. Quia opus ego operor, quod non credetis, si quis » narraverit vobis. » Ne miremini quod incredibile videatur esse : et hoc item superius dictum est. Hoc etiam jure nobis dicatur : « Videte contemptores, » iis qui resurrectionem non credunt. Etenim res Ecclesiæ pessime habent etiamsi putetis in pace esse. Hoc quippe grave est, quod in malis cum simus, id ignoremus. Quid dicis? Ecclesias tenemus, possessiones, alia omnia, collectæ fiunt, quotidie adest populus, et contemnimus? At non inde Ecclesiam probaveris. Sed unde, inquies? Si pietas est : si cum lucro domum quotidie recedimus; si cum fructu vel modico vel magno : si legem non utcumque et perfunctorie implevimus. Quis melior effectus est ex conventibus mensis unius? Hoc est quod quæritur : nam hoc ipsum quod benefactum putatur, infeliciter factum est : cum his ita gestis, nihil amplius lucramur. Atque utinam nihil amplius; nunc enim in deterius vergimus. Quid fructus ex collectis carpitis? Si quid certe fructus carperetis, jam olim omnes oporteret philosophice vivere, cum bis per hebdomadam tot Prophetæ vos alloquantur, cum tot Apostoli, Evangelistæ : omnibus salutaria dogmata proponentibus, quæ possint mores vestros accurate componere.

Miles ad tyrocinium veniens, in bellicis fit peritior: athleta palæstram adiens fit exercitatior ad pugnam: medicus ad doctorem accedens fit expertior, plura scit, plura discit. Tu quid lucratus es? non loquor iis, qui per annum, sed iis qui a prima ætate conventibus affuerunt. An hoc putatis esse pietatem quod frequenter ad synaxim accedatis? Hoc nihil est, nisi quid fructus referamus. Nisi quid colligamus; melius esset domi manere. Etenim majores nostri Ecclesias nobis exædificarunt, non ut ex domibus congregatos vos simul ostendant: hoc enim et in foro et in balneis, et in pompa perinde fit; sed ut discipulos et doctores una congregantes, illos horum ope meliores efficiant, lex solum perfunctorie servata res nostræ factæ sunt: consuetudo mera res est. Venit Pascha, magnus tumultus, magnæ turbæ: non enim dixerim, multi homines: illud enim non vere hominum est opus. Transiit festum, tumultus est minor, quies tamen infructuosa. Quot sunt pervigilia? quot sacri cantus? Et quid hinc amplius? Imo pejus accidit. Multi enim propter vanam gloriam hoc faciunt. Quantum putatis me in visceribus discruciari, dum video omnia dolium in pertusum effundi? Sed omnino dicetis mihi: « Scripturas scimus. » Et quid hoc? Si illas operibus exhibeatis, hoc lucrum est, hoc utile. Officina tinctoria est Ecclesia: si semper abeatis nulla accepta tinctura, quæ utilitas huc frequenter convenire? Majus quippe damnum est. Quis iis legibus quid adjecit, quas a patribus accepit? Exempli causa: solet quispiam memoriam facere matris, vel uxoris, vel filii: hoc facit sive audiat, sive non audiat a nobis, a consuetudine et a conscientia allectus. Ideo-ne indignaris, inquies? Absit; imo multum gaudeo; sed vellem illum quidpiam ex concione nostra lucrari: et quod consuetudo fecit, id etiam a nobis fieri, et aliam consue-

tudinem induci. Alioquin quid frustra laboro, si in iisdem mansuri estis? Si nihil vobis synaxes afferant boni.

IV. Etiam, inquies, precamur. Et quid hoc sine operibus? Audi Christum dicentem : « Non omnis qui dicit mihi : » Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui » facit voluntatem Patris mei, qui est in cœlis[1]. » Sæpe statui ego silere, videns nihil ex sermonibus nostris vobis lucri accedere. Forte tamen accedit, et ego quod insatiabilis et cupidus sim, idipsum patior quod ii qui circa pecunias insaniunt. Nam sicut illi, quantumvis accumulent, nihil se putant habere; sic et ego, quia salutem vestram admodum cupio, donec videro vos profecisse, nihil me fecisse puto, quod multum desiderem ut ad ipsum culmen ascendatis : vellem ita se habere; idque ex affectu meo, non ex vestra ignavia proficisci. Sed timeo ne forte bene conjectem. Persuasum enim habeatis oportet, si qua in tanto tempore utilitas provenisset, nobis jam dicendi finem faciendum fore. Sic vobis non opus esset verbis, cum ea quæ jam dicta sunt ita sufficiant, ut et alios moderari possint; si quidem illis absentibus quædam vobis utilitas accederet. Quod vero perpetuo monitis opus habeatis, id certe nihil aliud indicat, quam quod vestra non recte se habeant. Quid ergo faciendum? Non enim objurgandum est tantum. Obsecro et oro, ne id solum spectetis, ut in Ecclesiam veniatis; sed ut etiam domum regressi, accepto contra vitia pharmaco, si non a nobis, saltem a Scripturis, congruentia habeatis remedia. Exempli causa : est quis iracundus? Attendat lectionibus Scripturarum, et omnino quid reperiet vel in historia, vel in monitis. In monitis, cum dicitur : « Momentum furoris ejus ruina ipsi[2] » ; et, « Vir » iracundus non modestus[3], » et similia. Iterum vero, « Vir » linguosus non dirigetur[4]. » Rursumque Christus, « Qui iras-

[1] Matth. VII, 22.— [2] Eccli. I, 19.— [3] Prov. XI, 25.— [4] Psal. CXXXIX, 12.

» citur fratri suo sine causa [1]. » Iterumque Propheta : « Iras-» cimini, et nolite peccare [2]. » Et, « Maledictus furor eorum, » quia pertinax [3]. » In historiis vero, ut cum audis Pharaonem ira magna incensum, itemque Assyrium, qui hac de causa perierunt. Rursum qui amore pecuniæ captus est, audiat nihil avaro iniquius esse. Ilic enim et animam suam venalem exhibet; cum dicat Christus. « Non potestis Deo » servire et mammonæ [4] : » Et Apostolus, « Radix omnium » malorum est avaritia [5] ; » Et Propheta, « Divitiæ si affluant, » nolite cor apponere [6], » multaque alia similia. Ex historiis, habetis Giezi, Judam, principes Scribarum, et quod dona excæcent oculos sapientium. Alius est superbus? audiat illud : « Deus superbis resistit [7] ; et, « Principium super-» biæ peccatum [8] » et, « Omnis sublimis corde impurus apud » Dominum [9]. » Et in historiis, respicite diabolum, aliosque omnes. In summa; non enim possumus omnia recensere; singuli suorum vulnerum pharmaca ex Scripturis divinis deligant : si non totum simul, partem unam hodie, partem crastina die, et sic omnia abluite. Et circa pœnitentiam, et circa confessionem, circa eleemosynam, circa æquitatem, castitatem cæteraque omnia, exempla reperies. « Hæc » quippe omnia scripta sunt ad institutionem nostram [10], » inquit. Si itaque in admonitionem nostram circa omnia disserit, attendamus ut par est. Quid frustra nos ipsos decipimus? Timeo ne de nobis dicatur : « Defecerunt in vani-» tate dies nostri, et anni nostri cum festinatione [11]. » Quis nos audiens abscessit a theatris? Quis ab avaritia destitit? quis ferventior factus est ad eleemosynam? Vellem scire non vanæ gloriæ causa, sed ut alacrior fierem, videns egregium laborum fructum. Nunc autem quomodo operi

[1] Matth. v, 22. — [2] Psal. iv, 4. — [3] Gen. xlix, 7. — [4] Matth. vi, 24. — [5] 1 Tim. vi, 10. — [6] Psal. lxi, 10. — [7] Jacob. iv, 6, et 1 Petr. v, 5. — [8] Eccli. x, 14. — [9] Prov. xvi, 5. — [10] Rom. xv, 4. — [11] Psal. lxxvii, 33.

manum admovebo; tot doctrinæ imbres demissos videns, et segetes in eadem mensura nobis manentes, nec majores esse fructus? Domum aræ tempus adest, quo adhibetur ventilabrum. Timeo ne totum sit fœnum : timeo ne omnes in caminum conjiciamur. Præteriit æstas, venit hyems. Sedemus juvenes et senes propriis capti vitiis. Ne mihi dicas : Non scortor. Quæ enim utilitas si non scortaris quidem, sed avarus es? Passer etsi non ex omni parte, sed a pede tantum teneatur, ita perit, in laqueo irretitus, nec prosunt ade capto pede. Sic et tu; non captus es per fornicationem : sed captus avaritia : captus certe es. Non quæritur quomodo captus sis, sed quod captus sis. Ne dicat juvenis : Non sum avarus; sed forte fornicaris. Et quæ utilitas? non possent enim omnia vitia in una ætate reperiri; sed discreta illa sunt, idque per Dei benignitatem, ne si simul invadant, superari nequeant, et gravius nobis certamen exhibeatur. Quantæ ignaviæ non fuerit, ne separata quidem vitia posse vincere, sed per singulas ætates vinci, atque altum sapere in iis, quæ non ex nostro studio, sed ex ipsa ætate sopiuntur? Non videtis aurigas, quanta diligentia et exercitatione, quantis laboribus utuntur, quot cibis aliisque omnibus, ut ne dejiciantur de curru? Vide quanta sit ars. Nam vir robustus, ne unum quidem equum sæpe moderari possit; dum adolescentulus arte utens, duos facile moderatur et ducit. Et apud Indos ingens illa et formidabilis bellua elephantus, puero quindecim annorum cum magna alacritate cedere dicitur. Cur hæc a me dicta sunt? Quia si elephantas et equos feros studio et arte domamus; multo magis affectus nostros qui in nobis sunt vincemus. Undenam resolvimur per totam vitam? Nunquam artem illam curavimus. Nunquam otii tempore, a certamine vacantes, apud nos disseruimus quidnam utile sit. Tunc nos in curru stantes quis videat, cum certamen

instat. Ideo ridiculi sumus. Annon sæpe dixi : Exerceamur cum domesticis ante tentationem? Adversus pueros sæpe domi exasperamur. Illic iram sedemus, ut illa apud amicos facilitate usi appareamus. In aliis quoque omnibus si exerceremur, non utique in certaminibus ridiculi essemus. Nunc autem arma quidem sunt, exercitia et studia in artibus et certaminibus; in virtute minime. Non auderet agricola vineam aggredi, nisi prius recte in cultura exercitatus; neque gubernator ad gubernacula sedere, non ante probe exercitatus; nos vero inexperti cum simus, primas tenere volumus. Oporteret tacere, oporteret cum nullo communicare vel negotio, vel sermone, donec possemus feram, quæ in nobis est, cicurare. Annon fera omni ferocior adversum nos pugnat et furor et concupiscentia? Ne in forum pergas cum hisce feris, donec illis frenum apte immiseris, donec illas cicuraveris. Non vides istos homines, qui mansuetos leones per forum circumducunt, quantum lucrentur et in admiratione sint, quia irrationabili feræ tantam mansuetudinem indidere? Si vero repente ferociat leo, omnes qui in foro sunt abigit, et ductor ejus periclitatur, aliisque perniciei causa est. Et tu ergo leonem prius cicura, tuncque circumduc illum; non ut pecuniam accipias; sed ut lucrum referas, cui par nullum est. Nihil enim par est mansuetudini, quæ et possidentibus et utentibus admodum utilis est. Hanc sectemur, ut possimus virtutis viam accurate emensi, æterna consequi bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXX.

CAPUT XIII.

Exeuntibus autem illis, rogabant ut sequenti sabbato loquerentur sibi verba hæc [1].

I. Vidisti-ne Pauli prudentiam? Non tunc tantum in admiratione fuit; sed etiam iterum audiendi desiderium immisit illis, cum semina quædam injecisset ac nondum absolvisset, neque verbis finem fecisset, ut illos sibi conciliaret ac benevolos redderet; neque omnia simul ingerendo nauseam pareret. Dixerat remissionem peccatorum per hunc ipsis annuntiari: quomodo autem, non declaravit. Post hæc iterum sui ipsius mentionem facit primum. Vides-ne quanta alacritas? Sequebantur illos, inquit. Cur illos non statim baptizavit? Non erat tempus. Persuadere oportebat, ut firmi manerent. « Cumque dimissa esset sy» nagoga, secuti sunt multi Judæorum, et colentium adve» narum Paulum et Barnabam: qui loquentes suadebant » eis ut manerent in gratia Dei. Sequenti vero sabbato pene » universa civitas convenit audire verbum Dei. Videntes » autem turbas Judæi, repleti sunt zelo, et contradicebant » iis, quæ a Paulo dicebantur, contradicentes et blasphe» mantes [2]. » Vide nequitiam percussam, dum alios percutit. Hoc ipsos clariores reddebat, quod illi contradicerent. Primo itaque sua sponte rogabant. « Contradicentes, in» quit, et blasphemantes. » O petulantiam! propter quæ illos approbare oportebat, propter ea illi contradicunt.

[1] Act. XIII, 42. — [2] Ibid. 43-45.

« Tunc constanter Paulus et Barnabas dixerunt : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei : sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æterna vita, ecce convertimur ad Gentes [1]. » Vides-ne quomodo per contentionem magis extenderunt prædicationem, et magis illi se contulerunt ad Gentes, postquam ratione reddita, apud congeneres suos sese culpa immunes comprobarunt ? Nec dixit : « Indigni estis ; » sed, « Indignos vos judicatis, » ut non onerosus sermo esset. « Ecce convertimur ad Gentes : « Sic enim præcepit nobis Dominus : Posui te in lucem » Gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ [2]. » Ut enim Gentes hæc audientes non contristarentur, quasi ex illorum studio bona ipsæ non assequerentur, adducit prophetiam dicens : « Dedi te in lucem Gentium, ut sis in » salutem usque ad extremum terræ. Audientes autem Gen» tes. » Hoc illos alacriores reddebat, quod iis illi fruerentur, quibus alii frui debebant. Judæos autem hoc magis mordebat. « Audientes autem, inquit, Gentes, gavisæ sunt : » et glorificabant verbum Domini. Et crediderunt quotquot » erant præordinati in vitam æternam [3]. » Hoc est, præfiniti a Deo. Vide quomodo ostendit utilitatis celeritatem. « Disseminabatur autem verbum Domini per universam » regionem [4] ; id est, divulgabatur. Ac si diceret : « Non contenti zelo, opera etiam addiderunt. » Vide quomodo pulsi et zelo incensi, alia magna efficiunt. Sese namque appararunt, ut liberius agerent, et ad Gentes venirent. Et audi quomodo. « Constanter agentes Paulus et Barnabas » dixerunt : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei. » Sed quia repellitis illud, ecce convertimur ad Gentes. » Sed vide in hac fiducia servatum modum, et jure quidem. Nam si Petrus sese defendebat ; multo magis hi defensione

[1] Act. XIII, 46. — [2] Ibid. 47, et Isaï. XLIX, 6. — [3] Act. XIII, 48. — [4] Ibid. 49.

opus habebant, nemine ipsos istuc vocante. Cum dixit autem « Primum, » ostendit illis etiam prædicari oportuisse, et cum dixit; « Necessarium, » arguit ipsis etiam necessarium fuisse, « Sed quoniam repellitis. » Non dixit: « Væ vobis; » neque, « Puniemini; » sed, « Convertimur ad » Gentes. » Vides-ne quanta moderatione plena sit fiducia illa? « Judæi autem concitaverunt mulieres religiosas et » honestas, et primos civitatis: et excitaverunt persecutio- » nem in Paulum et Barnabam: et ejecerunt eos de finibus » suis [1]. » Vides-ne quantum profecerint qui adversabantur prædicationi: in quantam impudentiam illas adduxerint? « At illi, excusso pulvere pedum in eos, venerunt Ico- » nium [2]. » Hic terribile illud fecerunt quod jusserat Christus dicens: « Et si quis vos non receperit, egressi excutite » pulverem pedum vestrorum [3]. » Illi vero non temere hoc fecerunt; sed postquam ejecti sunt ab illis. Cæterum neque hoc Discipulis nocuit, sed magis perseverarunt in verbo. Ideo hoc declarans adjecit. « Discipuli autem re- » plebantur gaudio, et Spiritu sancto [4]. » Magistri namque ærumna, Discipuli fiduciam non tollit, sed alacriorem illum reddit. « Factum est autem Iconii ut simul introirent » in synagogam Judæorum, et loquerentur, ita ut crede- » rent Judæorum et Græcorum copiosa multitudo [5]. » Rursum in synagogas introëunt. Vide quomodo non timidiores effecti sint, cum dixissent: « Convertimur ad Gentes. » Ex abundanti tamen illis excusationem tollunt; « Ita ut cre- » derent, inquit, Judæorum et Græcorum copiosa multi- » tudo. » Verisimile est enim illos etiam Græcis prædicasse. « Qui vero increduli fuerunt Judæi, suscitaverunt » et ad iracundiam concitaverunt animas Gentium adver- » sus fratres [6]. » Simul ergo etiam Gentes excitarunt,

[1] Act. XIII, 50. — [2] Ibid. 51. — [3] Matth. X, 14; Marc. VI, 13, et Luc. IX, 5. — [4] Act. XIII, 52. — [5] Id. XIV, 1-4. — [6] Ibid. 2.

quasi non satis essent ipsi. Cur igitur istinc non exierunt? Quia non pellebantur : sed tantum impugnabantur. « Multo » igitur tempore demorati sunt fiducialiter agentes in Do- » mino, testimonium perhibente verbo gratiæ ipsius, dante » signa et prodigia fieri per manus eorum [1]. » Hoc fiduciam addebat ; imo fiduciam addebat ipsorum alacritas. Ideo namque rarius signa faciebant. Quod autem auditores crederent, inter signa reputandum : aliquid enim operabatur dicendi libertas. « Divisa est autem multitudo civitatis : » quidam erant cum Judæis, quidam cum Apostolis [2]. » Non parum addit ad occasionem quod scindantur. Hoc erat quod dicebat Christus : « Non veni pacem mittere, » sed gladium [3]. Cum autem factus esset impetus gentilium » et Judæorum cum principibus suis, ut contumeliis affi- » cerent et lapidarent eos, intelligentes confugerunt ad ci- » vitates, quæ circumerant Lycaoniæ, Lystran et Derben, » et universam in circuitu regionem, et ibi evangelizantes » erant [4]. »

II. Rursum quasi data opera extendere volentes prædicationem, postquam augmentum accepit, iterum illi pelluntur. Vide ubique persecutiones magna operari bona, et persequentes vinci, pulsos vero splendidos effici. Nam ut venit Lystram, miraculum magnum patravit, erecto claudo, et magna voce. Quomodo autem, audi. « Et qui- » dam vir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex » utero matris suæ, qui nunquam ambulaverat. Hic audi- » vit Paulum loquentem : qui intuitus eum, et videns quia » fidem haberet ut salvus fieret, dixit magna voce : Surge » super pedes tuos rectus. Et exilivit, et ambulabat [5]. » Cur magna voce? Ut turbæ crederent. Vide autem : diligenter attendebat dictis Pauli : hoc enim sibi vult illud,

[1] Act. XIV, 3. — [2] Ibid. 4. — [3] Matth. x, 34. — [4] Act. XIV, 5, 6. — [5] Ibid. 7-9.

« Audivit. » Vides-ne philosophiam? nihil ex claudicatione Jæsus in audiendi studio. « Qui intuitus eum, videns quod » fidem haberet ut salvus fieret. » Jam ex proposito allectus erat : etsi in aliis contrarium factum sit. Cum enim prius corpora curaverant, tunc animas curabant. Hic vero non sic curatus est. Videtur mihi Paulus ad animam respexisse. « Et exilivit, inquit, et ambulabat. » Perfectæ sanitatis signum erat quod ambularet, « Turbæ autem cum » vidissent quod fecerat Paulus, levaverunt vocem suam » lycaonice dicentes : Dii similes facti hominibus descen- » derunt ad nos. Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum » vero Mercurium : quoniam ipse erat dux verbi. Sacerdos » quoque Jovis, qui erat ante civitatem illorum, tauros et co- » ronas ante januas afferens, cum populis volebat sacrifi- » care [1]. » Sed hoc nondum erat manifestum : sua enim voce loquebantur dicentes : « Dii similes facti hominibus » descenderunt ad nos. » Ideo nihil illis dicebant. Cum autem coronas viderunt, tunc egressi sciderunt vestimenta sua. « Quod ubi audierunt apostoli Barnabas et Paulus, » conscissis vestibus suis exilierunt in turbam clamantes, » et dicentes : Viri, quid hoc facitis? et nos similiter ut vos » passibiles sumus homines [2]. » Vide illos ubique a gloriæ studio mundos : non modo non desiderantes, sed oblatam depellentes : ut et Petrus dicebat : « Quid nos intue- » mini, quasi propria virtute vel pietate fecerimus hunc » ambulare [3] ? » Hi quoque idipsum dicunt. Joseph etiam dicebat de somniis : « Nonne a Deo manifestatio eorum [4] ?» Et perinde Daniel : « Et mihi non in sapientia, quæ » in me est, revelatum est [5]. » Et Paulus hoc ubique dicit, ut hoc loco : « Et ad hæc quis sufficit ? » et rursum : « Non quod sufficientes simus a nobis ipsis cogi-

[1] Act. XIV, 10-12. — [2] Ibid. 13, 14. — [3] Id. III, 12. — [4] Gen. XL, 8. — [5] Dan. II, 30.

» tare, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est[1].» Sed superiora repetamus. Non sine causa turbæ ipsis hæserunt. Sed quomodo? Rogabant ut ipsis eadem iterum loquerentur, et operibus studium declarabant. Vide ubique rogantes, nec simpliciter recipientes, vel adulantes. Ideo dicebat: « Qui colloquentes cum eis, persuadebant » eis permanere in gratia Dei. » Cur non antea contradicebant? Quia interim monitores quiescebant. Vides-ne ubique illos ex passione moveri? Nec modo contradicebant, sed etiam blasphemabant. Malitia enim nusquam gradum sistit. Sed vide dicendi libertatem. « Vobis, inquit, » oportebat primum loqui verbum: quia vero repellitis il- » lud. » Nihil contumeliose dictum. Quod etiam in Prophetis fiebat: « Ne loquamini, inquit, loquela. Quia vero » repulistis illud, » inquit, non nos. Non enim in nos contumelia vestra vertitur. Ne quis enim ex pietate putet illud esse, « Indignos vos judicatis, » ideo prius dixit: « Re- » pellitis illud; » et tunc addit, « Convertimur ad gentes. » Multa plenum mansuetudine dictum. Non dixit: «Derelinquimus vos, » ostendens posse adhuc illos converti. Et hoc non propter vestram contumeliam factum est: ita enim præceptum est nobis. Oportebat quidem gentes audire, verum hoc non a nobis, sed a vobis factum est, quod a nobis fieri oportebat. « Sic enim, inquit, præcepit nobis » Dominus: Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem; » id est, in cognitionem quæ sit ad salutem, non simpliciter gentium, sed omnium gentium. Hoc enim significat, cum dixit: « Quotquot erant præordinati in vitam æternam. » Et hoc indicium est illos secundum voluntatem Dei assumi. Ordinati dicit, ut ostendat id non per necessitatem fieri. « Quos enim præscivit, inquit, et prædestinavit[2]. » Non jam in civitate dispersi erant; sed etiam in regione. Au-

[1] 2 Cor. III, 5. — [2] Rom. VIII, 29.

dientes enim Gentiles, et ipsi paulopost accesserunt. « Judæi vero concitarunt mulieres religiosas, et persecu- » tionem excitavere. » Perpende eos rerum a mulieribus gestarum auctores esse. « Et ejecerunt eos a finibus suis; » non ab urbe tantum, sed et a regione tota. Deinde hoc terribilius est : « Discipuli autem, inquit, repleti sunt gau- » dio et Spiritu sancto. » Vidisti-ne naturam Evangelii virtutem habentem multam? « Ad iracundiam concitave- » runt, inquit, animas gentium adversus fratres; » id est, calumniati sunt Apostolos, de millibus eos accusarunt, et illos simplices maligne affecerunt.

III. Et vide quomodo ubique totum Deo referat. « Multo » tempore, inquit, demorati sunt, fiducialiter agentes in » Domino, testimonium perhibente verbo gratiæ ipsius. » Ne quid hic imminutum putes. Cum enim dicerent : « Qui » testimonium dedit sub Pontio Pilato, » tunc fiducia osten- debatur. Hic autem de populo loquitur. Non expectarunt igitur, sed viderunt impetum. « Et confugerunt ad civitates » Lycaoniæ, Lystram et Derben et universam in circuitu » regionem. » Ubi furorem suum exercere licebat illis. Ita- que in regiones pergebant, nec tantum in urbibus versa- bantur. Vide quoque gentium simplicitatem, et Judæorum nequitiam. Operibus declarabant gentiles se dignos esse qui audirent : sicque illos ob sola signa honorabant. Alii ut deos colebant; alii ut perniciosos pellebant. Et alii qui- dem non modo prædicationi non obsistebant, sed etiam dicebant : « Dii hominibus similes facti descenderunt ad » nos; » Judæi vero scandalizabantur. « Et vocabant, inquit, » Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium. » Opinor as- pectu venerabilem fuisse Barnabam. Non parva hæc tenta- tio ex immoderato studio prodiit. Verumetiam hinc Apos- tolorum virtus ostenditur. Et vide quomodo omnia ubique Deo referant. Hos et nos imitemur, nihil nostrum esse

putemus : quandoquidem ne ipsa quidem fides nostra est, sed magis Dei : audi Paulum dicentem : « Et hoc non ex » nobis, Dei donum[1]. » Ne itaque altum sapiamus, nec inflemur, cum homines simus, terra et cinis, fumus et umbra. Dic enim mihi, cur altum sapis? Eleemosynam dedisti et pecunias effudisti? Et quid hoc? Cogita si noluisset te Deus divitem facere : cogita eos qui inopia premuntur. Imo cogita quot ipsa corpora impenderunt, et postquam innumera erogaverant, se ipsos miseros dixerunt. Tu propter te ipsum dedisti, Christum propter te : tu quod debebas reddidisti, Christus nihil tibi debebat. Vide quam incertum sit futurum, et ne altum sapias, sed time : ne virtutem ex arrogantia minuas. Vis vere magnum quidpiam facere : ne unquam præsumas tanquam de magnis operibus. At virgo es? Verum illæ quoque virgines erant, et propter crudelitatem et inhumanitatem nihil profuit ipsis virginitas. Nihil humilitati par : hæc mater est, radix, nutrix, fulcimentum, et vinculum bonorum. Sine illa abominandi, execrandi et impuri sumus. Esto enim quis, si placet, qui mortuos suscitet, claudos erigat, leprosos mundet cum arrogantia : nihil hoc impurius, nihil magis impium, nihil scelestius. Nihil tui ipsius esse reputa. Facultatem verbi et doctrinæ gratiam habes? ne ideo te putes plus quam alios habere. Ideo maxime te humiliari oportet, quia pluribus dignatus es donis. Cui enim plus dimittitur, plus diliget[2]. Itaque humiliari te oportet, quia, aliis prætermissis, tibi annuit Deus. Hac de causa time. Sæpe enim hoc tibi perniciei causa est, nisi vigilaveris. Cur altum sapis? Quia verbis doces? sed facile est philosophari verbis : doce me per vitam tuam : hæc est optima doctrina. Dicis modestia opus esse, et hac de re longum texis sermonem, atque oratoria sine obice verba profundis? At melior

[1] Ephes. II, 8. — [2] Luc. VII, 47.

te est ille, dicet quispiam, qui hoc operibus me docet. Non enim ita insinuari solent animis disciplinæ verbis, ut operibus. Nam nisi opera habeas, non modo non prodes verbis, sed etiam magis noces. Melius est tacere. Quare? Quia rem mihi impossibilem proponis. Cogito enim, si tu qui hæc dicis, non facis, multo magis me venia dignum esse, qui nihil dico. Ideo ait Propheta : « Peccatori autem » dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas[1] ? » enim hoc nocumentum est, cum quis recte docens verbis, doctrinam factis impugnat. Hoc multorum in Ecclesiis fuit causa malorum. Propterea ignoscite, quæso, quod sermo hac in re longius excurrat. Multi multa faciunt, ut in medio stantes longum proferant sermonem : et si plausum multitudinis assequantur, perinde gaudent ac si regnum obtinuissent : si vero cum silentio dicendi finem faciant, gehenna ipsis gravius et onerosius est tale silentium. Hoc Ecclesias subvertit, quod vos non quæratis verba compunctionis; sed quæ oblectent, et sono et verborum compositione, ac si cantores et citharœdos audiretis. Et nos frigide ac misere vestros affectus sequimur, quos excindere oporteret.

IV. Idipsumque facimus, ac si pater molli puero, etsi infirmanti, frigidam placentam, et quæ solum oblectant porrigat; utilium vero nullam curam habeat. Deinde a medicis objurgatus, ad excusationem dicat : « Quid faciam? » Flentem puerum ferre nequeo. » Miser, infelix et proditor. Neque enim hunc patrem dixerim. Quam melius esset, illum parvo tempore tristitia affectum, perfectæ sanitati restituere, quam temporaneam gratiam perpetui mœroris causam facere! Hoc et nos facimus, dum elegantem orationem frustra quærimus, harmoniamque, ut placeamus, non ut prosimus; ut admirationi habeamur, non ut doceamus; ut oblectemus, non ut compungamus; ut cum plausu et

[1] Psal. xlix, 16.

laudibus discedamus, non ut mores componamus. Credite mihi, non abs re dicenti, cum prædicans laudibus excipior, illo quidem tempore humanum quid patior. Cur enim vera non dixerim? lætor et effundor; ubi vero domum reversus, cogito plaudentes nullum excepisse fructum; sed si quid utilitatis accipiendum erat, illud ex plausu et laudibus periisse, discrucior et ingemisco, lacrymor, ac si omnia frustra dixerim ita affectus; mihique ipsi dico: quæ mihi ex sudoribus utilitas, cum auditores nihil ex verbis meis utilitatis percipere voluerint? Sæpeque cogitavi legem proferre plausus prohibentem, et persuadere vobis ut cum silentio audiatis, et cum decenti modestia. Sed sustinete, quæso, et credite mihi: ac si placet, hanc firmemus legem: ne cui auditorum liceat loquentem plausibus interpellare; sed si admirari voluerit, silens admiretur: nemo prohibebit; omnis cura, omne studium sit, ut dicta excipiantur. Quare applausistis? Hac de re legem pono: vos vero ne audire quidem sustinetis. Id multorum causa bonorum erit, philosophiæque disciplina. Externi philosophi disserebant, nemine unquam plaudente; et Apostoli concionabantur, neque uspiam legitur ipsos loquentes ab auditoribus fuisse plausu interpellatos. Magnum hoc nobis lucrum erit: sed stabilius illud, et cum silentio omnes audiamus, omniaque dicamus. Etiamsi post plausum discederemus, quæ audivimus retinentes, neque sic etiam utilis laus esset. Verum non ulterius disquiram, ne quis me rusticitatis accuset. Quia vero nihil hinc lucri, imo potius damnum, solvamus impedimentum, animæ saltus illos tollamus excindamusque. Christus in monte concionatus est; et nemo quidpiam dixit, donec fidem dicendi fecit. Nihil damni facio iis qui plaudere vellent, imo id efficio ut magis admirentur. Multo melius est cum silentio audientem, in mente et memoria omni tempore plau-

dere, domi, in foro; quam amissis omnibus domum redire vacuum, nullam habentem plausuum causam. Quomodo enim non ridiculus erit auditor? quomodo non adulator et irrisor putabitur, qui recte locutum esse doctorem declarat, nec quid dixerit proferre potest? Hoc adulationis est. Nam ei qui citharœdos et tragœdos audit, id jure accidit, utpote qui nesciat similia proferre. Ubi autem nec cantus nec modulatio adest, sed sententiæ solum et philosophiæ virtus, quæ cuivis dicere et enuntiare facile est; quomodo non dignus objurgatione est, qui ne causam quidem dicere potest cur concionantem laudaverit. Nihil ita decet Ecclesiam, ut silentium et modestia. Tumultus ad theatra pertinet, ad balnea, ad pompas, ad forum. Ubi vero talium dogmatum doctrina est, ibi tranquillitas, quies, philosophia et portus magnus esse debet. Hæc, oro et obsecro, omnes sciatis. Omnes circum modos exploro, quibus potero vestris prodesse animabus. Non exiguus ille mihi modus videtur, qui non vobis tantum, sed etiam mihi proderit. Non sinet nos prosterni, neque laudes et gloriam amare, neque oblectantia loqui, sed utilia : neque in compositione et elegantia dictorum, sed in vi sensuum omni temporis momento versari. Ingredere in pictoris officinam, et illic multum observabis silentium. Et hic etiam esto. Nam hic quoque regias pingimus imagines, et nullam privati hominis, ob coloris virtutem. Quid hoc est? Rursum plauditis? Annon facilis res videtur, hocque non ex natura, sed ex consuetudine nondum facere didicisse? Stilus ergo nobis est lingua, artifex Spiritus sanctus. Dic mihi : in mysteriis an tumultus an turbatio est? Cum baptizamur, cum alia omnia facimus, annon quies et silentium omnia detinent? Hæc in cœlo pulchritudo dispersa est. Ideo apud gentiles male audimus, quasi ad ostentationem et ambitum omnia faciamus. Sed si hoc cohibeatur, etiam primarum

sedium amor extinguetur. Sufficit, si quis laudes amat, si post concionem illas assequatur, cum fructus colliget. Rogo hanc firmemus legem; ut cum omnia secundum Dei placitum fecerimus, ejus clementia dignemur, gratia et miserationibus unigeniti ejus Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXI.

CAPUT XIV.

His auditis, apostoli Barnabas et Paulus, conscissis vestibus suis, exilierunt in turbam clamantes, et dicentes : Viri, quid hæc facitis? Nos similes vobis passibiles sumus homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt[1].

I. Vide Apostolos omnia cum vehementia facientes. Sciderunt vestes, exilierunt, clamarunt; quæ fiebant omnia ex affectu aversantes, et luctus signa dantes. Luctus quippe vere erat, luctus non consolabilis, siquidem voluissent pro diis haberi, et idololatriam inducere, quam solutum venerant. Illud porro erat diaboli machinamentum. At illi non quiescunt; sed quid? « Nos similes vobis passi- » biles sumus homines, » inquiunt. Statim ab initio malum subverterunt. Non dixerunt simpliciter, « Homines; » sed, « Sicut vos. » Deinde ne viderentur deos venerari, audi quid adjiciant. « Annuntiantes vobis ab his vanis converti

[1] Act. XIV, 13, 14.

» ad Deum vivum, qui fecit cœlum et terram, et mare, et » omnia quæ in eis sunt. » Observa illos nunquam memorare Prophetas, neque dicere, qua de causa, cum sit omnium creator, gentes reliquit suis frui legibus? « Qui in » præteritis generationibus dimisit omnes gentes ire vias » suas[1]. » Quod dimiserit, dicit; cur autem dimiserit, non addit; interim in eo quod urgebat subsistit : Christi nomen nusquam ponens. « Et quidem non sine testimonio » semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, nobis dans » pluvias, et tempora fructifera, implens cibo et lætitia » corda nostra[2]. » Vide, non vult accusationem eorum augere; sed potius docet illos ut omnia ad Deum referant. Didicerant enim non ita studendum esse aliquid Deo dignum dicere, ut auditoribus utile quid preferre. Vide quomodo latenter accusationem ingerat. Etenim si hoc faciebat, oportebat plecti eos, qui tot bonis fruentes, ipsum non ut nutritorem agnoscebant. Verum non palam dicit, sed subindicat. « De cœlo nobis, inquit, dans pluvias. » Sic et David dicebat : «A fructu frumenti, vini et olei sui mul» tiplicati sunt[3]. » Et sæpe de creatione disserens, hoc in medium adducit. Jeremias autem primo creationem, deinde providentiam pluviarum dicit; itaque inde edoctus ait : « Implens cibo et lætitia[4]. » Cum liberalitate alimentum; nec modo ad frugalitatem et usum. « Et hæc dicentes vix » sedaverunt turbas, ne sibi immolarent[5]. » Et in hoc maxime admirationi fuerunt. Vides-ne eos satis habuisse, quod insaniam illam avertissent? « Supervenerunt autem » ab Antiochia et Iconio Judæi : et persuasis turbis, lapi» dantesque Paulum, traxerunt extra civitatem, existiman» tes eum mortuum esse[6]. » Vere diaboli filii : non in civitatibus modo suis, sed extra illas hoc faciebant, et tanto

[1] Act. XIV, 15. — [2] Ibid. 16. — [3] Psal. IV, 7. — [4] Jerem. V, 24. — [5] Act. XIV, 17. — [6] Ibid. 18.

studio curabant prædicationem de medio tollere, quanto Apostoli illam firmare conabantur. « Et persuasis, inquit, » turbis, lapidatum Paulum traxerunt extra civitatem. » Hic impletur illud : « Sufficit tibi gratia mea ; nam virtus mea » in infirmitate perficitur[1]. » Majus hoc erat, quam claudum erigere. Gentiles quidem ut deos habebant ; hi vero persuadentes turbis traxerunt illum, neque enim verisimile est omnes in eorum admiratione fuisse. Et vide, in eadem ipsa civitate, in qua sic in admiratione fuerunt, gravia patiuntur. Et hoc quoque videntibus proderat. Quod autem hac de causa pati permitteretur, audi illum hoc ipsum declarantem. « Ne quis me existimet supra id quod videt in » me, aut aliquid audit ex me[2]. Circumdantibus autem » eum Discipulis, surgens intravit civitatem[3]. » Vides-ne alacritatem? Vides-ne desiderium fervens et accensum? In eamdem rursus intravit civitatem ; ut ostenderetur ipsum, sicubi recessit, id fecisse quod vellet verbum inserere, et quod non oporteret furorem illorum succendere. Hæc non minus quam signa conspicuos illos reddebant, et majus gaudium pariebant. Nusquam vero dicit ipsos reversos esse gaudentes quod signa fecissent ; sed quod digni habiti fuissent pro nomine ejus contumeliam pati[4] : nam et hoc a Christo edocti fuerant dicente : « Nolite gaudere quia dæ- » monia vobis subjiciuntur[5]. » Verum enim ac sincerum gaudium hoc est, aliquid pati pro Christo. Deinde in civitates illas omnes venerunt, in quibus periclitati fuerant. « Et postera die profectus est cum Barnaba in Derben. » Cumque evangelizassent civitati illi, et docuissent mul- » tos, reversi sunt Lystram et Iconium et Antiochiam, con- » firmantes animas Discipulorum, exhortantesque ut per-

[1] 1 Cor. XII, 9. — [2] 2 Ibid. 6. — [3] Act. XIV, 19. — [4] Id. V, 41. — [5] Luc. X, 20.

» manerent in fide, et quod per multas tribulationes oportet » nos intrare in regnum Dei[1]. »

II. Hoc dicebant, hoc monstrabant, « Confirmantes, in- » quit, animas Discipulorum. » Ita confirmati sunt, imo sunt appositi. Prædicabant ergo ne in offendiculum caderent. Et quasi de industria hoc fit, non tantum per Apostolos, sed etiam per Discipulos; ut discant statim ab initio, et prædicationis vim, et ipsos etiam oportere talia pati; ut fortiter stent, non modo ad signa inhi ntes, sed multo magis ad tentationes. Ideo et ipse dicebat. « Idem certa- » men habentes, quale et vidistis in me, et exaudistis[2]. » Persecutiones frequentes erant : ubique bella, pugnæ, lapidationes. Qualis adhortatio? Quomodo persuadebant, dum in principio tribulationes dicerent? Deinde et alia consolatio. « Et cum ordinassent illis per singulas ecclesias pres- » byteros, et orassent cum jejuniis, commendaverunt eos » Domino, in quem crediderunt[3]. » Vidisti-ne fervorem Pauli? « Cum orassent, inquit, cum jejuniis, commendave- » runt eos Domino. » Vide; cum jejuniis ordinationes. Rursus jejunium, purgatio animarum nostrarum. « Transeun- » tesque Pisidiam, venerunt in Pamphyliam, et loquentes » verbum in Perge, descenderunt in Attaliam[4]. » Nam ne Discipulorum animi conciderent, quod illi qui dii existimati fuerant, talia paterentur, ingressi sunt ad illos, et allocuti sunt eos. Et vide; prius in Derben exit, dans illis respirandi locum a furore, et tunc rursus venit Lystram, Iconium et Antiochiam : furentibus illis cedens, sedatos vero adiens. Vides eos non omnia per gratiam, sed etiam per proprium studium administrasse. « Et inde navigave- » runt Antiochiam : unde erant traditi gratiæ Dei, in opus » quod compleverunt[5]. » Cur rursus Antiochiam veniunt?

[1] Act. XIV, 20, 21. — [2] Philip. I, 30. — [3] Act. XIV, 22. — [4] Ibid. 23, 24. — [5] Ibid. 25.

Ut annuntient ea quæ illic facta sunt. Alioquin vero hinc magna res administratur. Oportebat enim jam cum fiducia prædicare gentibus. Veniunt ergo hæc nuntiaturi, ut scire possint; et tunc providetur, ut veniant ii qui prohibebant cum gentibus versari; ut deinde magnam ex Jerosolymis fiduciam adepti, fidenter abirent. Vel aliter, ostendit eorum mores non arrogantiam sapere. Veniunt enim ut et fiduciam suam exhibeant, quod absque illis prædicassent gentibus, et obedientiam, quod ad illos rem referant. Neque enim quod talia fecissent arroganter egerunt. « Unde erant traditi, inquit, gratiæ Dei : » etiamque Spiritus dixerat; sed ea quæ sunt Spiritus, sciebat esse Filii. Una enim potestas, sicut natura Filii et Spiritus est una. « Cum autem venissent et congregassent Ecclesiam, retu» lerunt quanta fecisset Deus cum illis : et quia aperuisset » gentibus ostium fidei. Commorati sunt autem illic non » parvo tempore cum Discipulis[1]. » Jure quidem : cum magna enim civitas esset, doctoribus opus habebat. Jam superiora repetamus. Ipso spectaculo terruerunt illos scindentes vestimenta sua. Hoc et Jesus Nave fecit in populi clade. Ne ergo putes hoc illis et illorum statu indignum esse : neque enim aliter cohibuissent tantum impetum, non aliter incendium extinxissent. Cum ergo opus fuerit talibus : ne recusemus agere. Si ergo sic agentes vix suaserunt illis, si non hoc fecissent, quid non futurum erat? Nam si hoc non fecissent, putatum fuisset illos altum sapere et honorem ambire. Et perpende sermonem in tali increpatione moderatum, admiratione simul et stupore plenum. Hoc maxime illos cohibuit, quod dicerent : « Et » nos similes vobis homines passibiles sumus, annuntian» tes vobis ab his vanis converti ad Deum, » ac si dicerent : « Homines quidem sumus, his autem majores : hæc quippe

[1] Act. XIV, 26, 27.

mortua sunt. » Vide illos non confutantes modo, sed etiam docentes, et nihil de invisibilibus loquentes. « Qui fecit, » inquit, cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis » sunt. » Testes illos dixit annos. O insaniam judaïcam! Ausi sunt ingredi ad populum, sic Apostolos honorantem, ausi sunt invadere et lapidare Paulum. Extra civitatem autem traxerunt, forsan timentes illum. « Et orantes, in- » quit, cum jejuniis commendaverunt illos Domino. » Et docuerunt jejunandum esse in tentationibus. Non dixerunt quanta ipsi fecerant; sed quanta Deus fecisset cum illis. Videntur mihi tentationes dicere. Non sine causa, nec ad quiescendum istuc venerant; sed Spiritus providentia ducti, ut prædicatio gentium firmaretur. Et cur, inquies, nec in Cypro, nec in Samaria presbytores fecerunt? Quia hæc prope Apostolos erat, Cyprus vero prope Antiochiam: et verbum invalescebat. Hic vero multa consolatione opus habebant, maxime gentiles, qui multum doceri debebant. Venerunt docentes, quia jure ordinati fuerant a Spiritu. Et vide fervorem Pauli. Non interrogat an oporteat loqui gentibus; sed statim loquitur: ideo dicebat, « Non acquievi » carni et sanguini[1]. »

III. Magnum vere bonum tribulatio, ac magnæ et generosæ animæ opus. Quot postea crediderunt, et nullus ita fulsit? Ita nobis ubique alacritate opus est, multoque fervore, anima ad mortem parata. Alio enim modo non possumus regnum consequi, nisi per crucem. Ne decipiamus nosmetipsos. Si enim in bello servari nequit, qui deliciatur, pecuniis studet, cauponatur ignavusque est; multo minus in hoc bello. Annon putatis esse nunc bellum omnium gravissimum. « Non est nobis, inquit, pugna adver- » sus sanguinem et carnem[2]. » Et prandentibus, et ambulantibus, et lavantibus adest inimicus. Non novit enim

[1] Galat. I, 16. — [2] Ephes. VI, 12.

tempus induciarum, nisi somni, imo etiam tunc sæpe impugnat, et immittit cogitationes, atque a somniis lasciviores efficit. Nos autem, quasi parva res sit pro qua ipse pugnat, non sobrii sumus, neque surgimus, neque respicimus multitudinem adversariarum nobis potestatum. Non cogitamus hoc ipsum maximæ infelicitatis esse. Sed tot conclusi bellis, ac si pax esset, deliciamur. Credite mihi, graviora nunc adsunt, quam quæ Paulus passus est. Tunc illum lapidibus impetierunt; nunc verbis impetimur, quæ lapidibus graviora sunt. Quid ergo factu opus? Id quod ille fecit. Lapidantes enim se odio non habuit : sed post quam illum traxerant, regressus est in civitatem, benefacturus iis, qui se ita læserant. Si tu quoque contumeliosum, et te injuste lædentem tuleris, lapidatus esse dici potes. Ne dixeris : « Neminem læsi. » Quem enim læsit Paulus ut lapidaretur? Regnum annuntiabat, ab errore reducebat, ad Deum adducebat. Hæc digna sunt coronis, proclamatione, innumeris bonis, non lapidibus : et tamen ille contraria passus est. Hæc quippe splendida est victoria. « Et traxe» runt eum, inquit. » Te quoque sæpe trahunt. Sed ne irascaris, imo mansuete prædica verbum. Te contumelia affecit? Tace et benedic, si potes, et sic tu quoque prædicasti verbum, docuisti modestiam et mansuetudinem. Multos novi non tam vulneribus, quam verborum plagis sauciari : nam illud quidem vulnus corpus suscipit, hoc anima. Sed ne doleamus, imo dolentes sustineamus. Non videtis pugiles, quorum capita vulnerata, dentes excussi, strenue ferre dolores? Hic vero non opus est stridore et morsu. Recordare Domini tui, et pharmacum statim apposuisti : recordare Pauli. Cogita te, qui percussus es, vicisse; illum vero, qui percussit, victum esse, et sic totum curato. Momentum est : ne tu quoque rapiaris, et totum perfecisti : ne movearis, et totum extinxisti. Magna consolatio est

aliquid te pro Christo pati. Cur prædicas sermonem fidei, sed prædicas sermonem philosophiæ. At, inquies, quanto magis ille mansuetum videbit, tanto magis instabit. Propterea igitur doles, quod ille tibi mercedem augeat? At inutilis est, inquies? Hæc pusillanimitatis tuæ excusatio est. Alio modo modo inutilis erit, si te ulciscaris. Si sciret Deus illos inutiles fore si non te ulciscaris, non hoc præcepisset; sed dixisset : « Te ipsum ulciscere. » Verum novit hoc tibi utilius fore. Ne pone legem divinæ contrariam : illi obtempera. Non es tu melior eo qui fecit nos. Dixit : « Fer contumelias. » Tu vero dicis : « Contumeliam rependo, ut non sim inutilis. » Tu ergo majorem curam habes, quam ille? hæc verba ex passione, acerbitate, et arrogantia proficiscuntur, ac contraria sunt legi Dei. Etiamsi enim læderent, annon obtemperandum erat? Cum quidpiam Deus præcipit, ne ponamus nos legem contrariam. « Responsio, inquit, submissa avertit iram[1]. » Hoc ergo facit submissa, non contraria. Si tibi prodest, illi quoque prodest. Si vero tibi nocet, qui correcturus illum es, multo magis illi nocebit. « Medice, cura te ipsum[2]. » Maledixit? tu lauda. Conviciatus est? tu encomiis celebra. Insidiatus est? bene fac tu : contraria rependo, si tandem salutem ejus curas. Ac ne velis vulnus tuum ulcisci. At, inquies, sæpe patientiam meam expertus, deterior evasit? Hoc non te, sed illum spectat. Vis scire quanta passus sit Deus? Aras illius subverterunt, Prophetas occiderunt : et omnia pertulit. Annon poterat fulmen demittere? Sed post quam Prophetas, quos miserat, occiderunt, tunc Filium suum misit : quando magis impie agebant, tunc majus beneficium contulit. Et tu si quem exasperatum videris, tunc magis cede : ille namque furor majori eget consolatione. Quanto graviorem contumeliam infert,

[1] Prov. xv, 1. — [2] Luc. iv, 23.

tanto majori mansuetudine opus est : ac sicut febris quando magis instat, tunc plus opus habet cedente; sic et ille qui irascitur. Quando fera magis exasperatur, tunc omnes fugimus; sic et irato cedamus. Ne putes hoc honorem esse, alioquin feram honoraremus. Ergo-ne furentes honoramus, cum declinamus? Minime. Ignominia hoc est et contumelia, imo non ignominia et contumelia; sed misericordia et benignitas. Non vides nautas, quando vehementer flat ventus, demittere vela, ne demergatur navis? Equitem non vides cum abripit equus, cedentem nec retinentem, ne sponte vires absumat.

IV. Hoc et tu facito. Furor ignis est, flamma ardens materia egens. Ne igni escam suppedites, et cito malum extinguis. Ira non per se vim habet, nisi alius ipsam alat. Nullam tu excusationem habes. Ille furore detinetur, nec scit quid facit. Tu qui illum intueris, cum in paria incidens, neque hinc sapientior evadis, quam veniam mereris? Si in convivium quis veniens in vestibulo quempiam videret ebrium indecore agentem, deindeque ipse in paria incideret, nonne post illum ebrius factus minus venia dignus esset? Ita et hic dicendum. Ne putemus posse ad defensionem dici : « Non ego cœpi. » Hoc contra nos est, quia neque illum videntes, temperatiores facti sumus. Quemadmodum si quis dicat : « Ego non primus occidi. » Ideo namque pœna dignus es, quia exemplum videns, non te cohibuisti. Si videres ebrium vomere, distrahi, dirumpi, oculis torvis respicere, immunditia mensam replere, omnes illum fugere, deindeque in paria incideres, annon magis culpandus esses? Talis est iracundus. Magis venas inflat, quam is qui vomit, oculos inflammat, viscera discerpit, vomit verba illo cibo impuriora, indigesta omnia loquitur, nihilque perfectum : non enim sinit ira, sed sicut illic sæpe immoderati humores stomachum turbantes om-

nia evacuant; ita et hic calor nimius animam concutiens, non sinit tegere quæ silere oporteret; sed dicenda et non dicenda effundit, non audientes, sed semetipsum deturpans. Sicut igitur vomentes fugimus, sic et iratos fugiamus. Quid faciemus? Pulvere vomitum tegamus, tacendo canes vocemus, ut vomitum edant. Scio vos hæc cum nausea audire. Sed tunc sic vos affici velim, cum illa fieri videtis, nec de re illa oblectari. Immundior est contumeliosus cane revertente ad vomitum suum. Si enim post quam semel evomuit, cessaret, non esset cani similis : si vero rursum eadem ipsa evomat, palam est eum eadem ipsa comedisse. Quid illo abominabilius? Quid impurius illo ore qui tales mandit escas? Atqui hoc opus est naturæ, illud minime; imo et hoc et illud contra naturam est. Quomodo? Non enim secundum naturam est sine causa contumeliam inferre, sed contra naturam. Igitur nihil ut homo loquitur; sed alia ut fera, alia ut furens. Quemadmodum ergo corporeus morbus præter naturam est, sic et hic morbus. Et quia præter naturam est, si in illo moretur, paulatim perit; si secundum naturam moretur, non peribit. Mallem convivari cum homine lutum edente, quam cum talia loquente. Annon videtis porcos stercus edentes? sic et isti. Quid enim fœdius verbis quæ loquuntur contumeliosi? Hi curant nihil sanum loqui, nihil purum; sed si quid fœdum, si quid turpe, id agere et effari. Quodque gravius est, dum sese deturpant, alios se deturpare putant. Quod enim sese deturpent, inde liquet. Ne mihi enim eos, qui mendacia loquuntur, alleges. Sed sit quædam insignis meretrix, sive quis alius ex scena, qui cum alio pugnam conserat. Hinc ille ipsi ista loquatur; hic rursum eadem repetat, uter magis contumelia afficitur? Nam ille quidem quod penes se habuit audivit; hic vero quod non habuit. Itaque illi nihil accessit turpitudinis; huic vero

plurimum. Sed sint quædam edita opera, quæ solus ille contumeliosus noverit. Deinde, qui ante tacuerat, contumeliam efferat; sic idem ipse magis contumelia affectus est. Quomodo? Præco malitiæ factus, infidelitatis famam accipit, et omnes subito se incusantes videbit, ac talia ubique loquentes. Si enim, inquient, homicidii conscius erat, omnia enuntiare oportebat. Omnesque illum quasi ne homo quidem sit aversantur, odio habent, feram esse dicunt immanem : huic vero magis ignoscunt, quam illi. Non enim perinde eos, qui vulnera habent odio habemus, atque illos qui ea revelare cogunt. Ita et hic contumelia affecit, non illum modo, sed etiam se ipsum et audientes, communemque hominum naturam, perculsit auditorem : nihil boni fecit. Ideo dicit Paulus : « Si quis bonus sermo » ad ædificationem ,ut det gratiam audientibus[1]. » Bona loquentem habeamus linguam, ut simus desiderabiles et amabiles. Verum eo usque malitiæ pervenerunt omnia, ut de quibus erubescere oporteret, de iis plerique glorientur. Hæc plerumque minitantur quidam : « Non poteris linguam meam ferre. » Hæc mulieris verba sunt, vetulæ ebriæ et indecoræ, eorum qui forum frequentant, lenonis. Nihil turpius his verbis, nihil viro indignius, nihil muliebrius, quam in lingua robur habere, in conviciis altum sapere, ut ii qui in pompis agunt, ut mimi, parasiti, adulatores. Porci magis, quam homines sunt, qui de talibus gloriantur. Cum oporteret te ipsum defodere; cum oporteret, si quis ea tibi testificaretur, testimonium fugere quasi inimicum et non virile. Tu vero præco contumeliarum es; sed nihil lædere poteris eum qui male audit. Quamobrem rogo, cogitantes quanta sit nequitia, de qua et gloriantur quidam, resipiscamus, emendemus eos qui sic insaniunt : hos eliminemus e civitate consessus, linguam ornemus

[1] Ephes. IV, 29.

nostram, et ab omni maledicto liberemus, ut possimus a peccatis purgati, supernam benevolentiam nobis conciliare, et Dei clementia dignari, gratia et miserationibus Unigeniti ejus, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXII.

CAPUT XV.

Morati sunt autem ibi tempu non modicum cum Discipulis [1]. Et quidam descendentes de Judæa, docebant fratres : Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysis, non potestis salvari [2].

I. Vide ubique transitum ad gentes necessario a Judæis inductum. Antehac accusatus rationem reddebat, et excusantis more omnia loquebatur; id quod sermonem magis acceptum reddebat. Deinde Judæis aversantibus, venit ad gentes. Hic iterum videns aliam altercationem, legem statuit. Quia enim, utpote a Deo docti, indiscriminatim omnibus loquebantur, hoc Judæos qui aderant ad zelum provocavit. Nec modo circumcisionem docebant, sed etiam sine illa salutem haberi non posse dicebant. Cui rei contraria docere oportebat, nempe si circumcidamini, salutem consequi non potestis. Vides-ne frequentes tentationes intus et foris. Recte autem providetur hoc fieri Paulo præsente : ut contradicat. Non dixit Paulus : « Quid enim? annon sum fide dignus post tot signa? » sed propter illos

[1] Act. XIV, 27. — [2] Id. XV, 1.

morem gessit. Et vide, discunt omnes eaquæ in gentes facta erant, etiamque Samaritani, et gaudent. « Facta ergo sedi- » tione et quæstione non minima Paulo et Barnabæ adversus » illos, statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas, et qui- » dam alii ex illis ad Apostolos et presbyteros in Jerusalem » super hac quæstione. Illi ergo præmissi ab Ecclesia pertran- » sibant Phœnicem et Samariam narrantes conversionem » gentium : et faciebant gaudium magnum omnibus fratri- » bus. Cum autem venissent Jerosolymam, suscepti sunt » ab Ecclesia, et ab Apostolis et senioribus, annuntiantes » quanta Deus fecisset cum illis [1]. » Vide cum quanta œco- nomia res geratur. « Surrexerunt autem quidam de hæresi » Pharisæorum, qui crediderant, dicentes : Quia oportet » circumcidere eos, præcipere quoque servare legem Moysi. » Convenerunt que Apostoli et seniores videre de verbo hoc. » Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit » ad eos : Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus » Deus in vobis elegit per os meum audire gentes verbum » Evangelii, et credere [2]. » Vide Petrum jam olim separatum a negotio et hactenus judaïzantem. « Vos scitis, » inquit : forte aderant ex iis qui olim accusaverant illum circa Cor- nelium, et ingressi sunt cum illo : ideo illos adducit tes- tes. « Ab antiquis diebus elegit in vobis Deus. » Quid est, « In vobis ? » vel in Palæstina, inquit, vel præsentibus vo- bis. « Per os meum. » Vide quomodo ostendat Deum per se locutum, et nihil humanum. « Et cordium cognitor Deus » testificatus est ipsis. » Ad spirituale testimonium adducit illos. « Dans illis Spiritum sanctum, sicut et nobis [3]. » Vide quomodo ubique gentes exæquat. « Et nihil discernit inter » nos et illos, fide purificans corda eorum [4]. » A fide sola, inquit, eadem consecuti sunt. Et hæc illis monita dantur; imovero hos docere potest fide sola esse opus, et non

[1] Act. xv, 2-4. — [2] Ibid. 5-7. — [3] Ibid. 8. — [4] Ibid. 9.

operibus vel circumcisione. Neque enim hæc dicunt tantum ut gentium causam agant; sed etiam illos instituunt ut discedant a lege. Sed tamen nondum hæc dicunt. « Nunc » ergo cur tentatis Deum imponere jugum super cervices » Discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus. Sed per gratiam Domini Jesu credimus » salvari quemadmodum et illi [1]. » Quid est illud. « Tentatis » Deum? » Cur non creditis, inquit, Deo? Cur tentatis eum, quasi non possit fide servare? Itaque infidelitatis est legem inferre. Deinde ostendit eam illis non fuisse utilem : et totum in legem non in illos rejicit, atque accusationem succidit. « Quod non potuimus nos, inquit, et patres nostri » portare. Sed per gratiam Domini Jesu credimus salvari, » quemadmodum et illi. » Quanta virtute plena sunt hæc verba? quæ Paulus multis in Epistola ad Romanos dixit, eadem et hic dicit. « Si enim Abraham, inquit, ex operibus » justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum [2]. » Vides-ne hoc illos magis instituere, quam gentes defendere? Sed si quidem absque ulla occasione hæc dixisset, forte non suspectus esset. Initio autem hinc sumpto, deinde sine metu loquitur. Et vide quomodo ubique omnia, quæ inimici moverunt, illis prosint. Nisi enim illi movissent, hæc dicta non fuissent; nec etiam quæ sequuntur. Hinc discunt, quod etiamsi gentes adduci noluissent, non tamen esse illas despiciendas. Sed supra dicta exploremus. « In » vobis, inquit, elegit, et ab antiquis diebus. » Hoc dicit, ostendens id olim non nunc fuisse. Non parum autem est quod etiam Judæis credentibus hoc avertatur. Duobus vero id quod dicit confirmatur, et tempore et loco. « Et quod ele» git. » Bene, sicut in ipsis, non dixit : « Voluit, » sed, « Ele» git. » Undenam id liquet? A Spiritu, inquit. Deinde ostendit non gratiæ tantum, sed etiam virtutis testimonium hoc

[1] Act. xv, 10, 11. — [2] Rom. iv, 2.

illis esse, quod nihil minus ipsis præbeat. Nihil enim, inquit, discernit inter nos et illos : ergo cor ubique quærendum. Et opportune dixit : « Cordium cognitor Deus testificatus est ipsis [1] ; » sicut et illic. « Tu, Domine, cordium » cognitor omnium, ostende. » Quia enim hoc vult, vide quid inferat. « Nihil discernit inter nos et ipsos. » Cum illorum testimonium diceret, tunc magnum illud effatus est, quod Paulus ait : « Neque circumcisio quid valet, neque præ» putium [2]. Et ut duos condat in semetipso. » Horum omnium semina in concione Petri habentur. Et non dixit : « Inter eos qui ex circumcisione ; » sed, inter nos, id est, Apostolos. Deinde ne videatur contumelia esse illud, « Nihil, adjicit : » Fide purificans corda eorum, » et hinc tollit suspicionem. Expurgavit primo sermonem, et tunc ostendit non malam legem, sed illos infirmos esse.

II. Vide quomodo terribiliter desinat. Nihil ex Prophetis loquitur ipsis ; sed ex præsentibus rebus, quarum ipsi testes erant. Jure et illi postea testificantur, et sermonem roborant ex iis quæ jam facta sunt. Et vide : in Ecclesia permittit primo quæstionem moveri, et tunc loquitur. Quia igitur non memoravit circumcisos, sed gentes : illud enim paulatim insinuatum, firmius evadebat ; illud vero tentantis erat an possit post legem servare ; vide quid faciat. Ostendit illos in periculo esse, siquidem id quod non potuit lex, potuit fides : illa vero cadente, necesse est illos in perniciem ire. Nec dixit : « Increduli estis, » quod molestius fuisset, cum maxime res evicta fuisset. Jerosolymis igitur ex gentibus nulli erant, Antiochiæ autem fuisse constat. Ideo commigrant, nec modico tempore istic manent. Insurrexerunt autem quidam de Pharisæis, adhuc ambitionis morbo laborantes, et volentes sibi hærere eos qui ex gentibus erant. Atqui et Paulus in lege doctus erat, neque ta-

[1] Act. I, 24. — [2] 1 Cor. VII, 19.

men sic erat affectus. Postquam autem inde venerat, jam dogma accuratius erat. Nam si ii, qui Jerosolymis sunt, nihil hujusmodi præcipiunt, multo minus hi. Vides-ne quotquot principatum non ambiunt, in fide gaudere? Non ambitiosæ igitur erant narrationes, neque ad ostentationem, sed ad defensionem prædicationis gentibus factæ. Ideo nihil dicunt eorum quæ cum Judæis sibi evenerant. Magna erat pertinacia Pharisæorum, qui etiam post fidem, legem tuebantur, nec obtemperabant Apostolis. Sed vide, quam mansuete nec cum auctoritate loquantur: hæc quippe ambitiosa sunt magisque animo infiguntur. Vides-ne nusquam esse verborum ostentationem; sed per res ipsas agi et per Spiritum sanctum? Attamen cum tot indicia haberent, adhuc mansuete loquuntur; sed vide, non veniunt accusaturi eos qui Antiochiæ erant: sed illinc iterum occasionem sumunt. Sic meditabantur aliis præesse, qui Apostolis nescientibus reprehensi sunt. Attamen nihil horum illi protulerunt; at ubi probarunt, tunc vehementius scribunt. Magnum certe ubique bonum æquitas: æquitatem dico, non frigiditatem; æquitatem, non adulationem. Hæc enim multum inter se distant. Nihil Paulum exasperabat, nihil Petrum. Cum habes demonstrationes, cur irasceris? An ut illas enerves? Non potest unquam iratus persuaderi. Etiam heri de ira disseruimus; nihil vetat quominus etiam hodie: frequens forte hortatio quidpiam efficiet: nam pharmacum vim habens curandi vulnus, nisi frequenter apponatur, totum perdit. Ne putetis vos condemnari ex frequenti hujusmodi oratione; si enim vos condemnarem, non concionarer. Nunc vero sperantes vos multum hinc lucraturos esse, hæc loquimur Utinam nulla esset alia concionandi occasio vel cura, quam quomodo vitia nostra superemus. Quomodo enim non absurdum fuerit, regibus in deliciis viventibus, et tanto honore, nihil aliud curæ esse

vel in mensa, vel alio quovis tempore, quam quomodo inimicos vincere oporteat, et ea de causa quotidie conventus agere; duces ac milites allegere, tributa exigere : et in civilibus rebus has duas tantum res necessarias esse putare, ut inimici vincantur, et sui in pace degant; nos vero ne per somnium quidem de his tractare; sed quomodo agrum emamus, quomodo servos, quomodo opes augeamus, quotidie sine nausea curemus : de rebus autem nostris et vere nostris, nec loqui, neque alios dicentes audire velimus? Qua de re ergo vis disseratur? An de prandio? sed hæc ad coquos verba pertinent. An de pecuniis? sed hæc negotiantium sunt, et mercatorum. An de ædificiis? sed hæc architectorum et latomorum sunt. An de terra? sed hæc ad agricolas. Nobis vero nullum aliud est opus, quam quomodo divitias paremus animæ. Ne ergo fastidiosus vobis sermo sit. Cur enim nullus accusat medicum quod semper de medicina loquatur, neque alios artifices quod de arte sua disserant? Si namque vitia nostra sic domita essent, ut non ultra monitis opus haberent, jure quis nos incusaret quod ad ostentationem loqui vellemus. Imo neque sic. Nam etiamsi emendata essent, sic quoque monendum esset, ne recideremus. Etenim medici non ægros tantum, sed etiam bene valentes alloquuntur, librosque habent super ea re, ut et morbos curent, et valetudinem servent. Itaque etsi sani essemus, neque sic absistere oporteret; sed omnia facere ut valetudinem servaremus.

III. Cum autem ægrotemus, duplex est verborum necessitas, tum ut a morbo liberemur, tum ut liberati, ne rursum incidamus. Ergo curandi methodum nunc tractamus, nec de sanitate agitur. Quomodo quis malum hoc vitium excindet, quomodo vehementem sedabitis febrem? Videamus unde orta sit, et causam tollamus. Unde oriri solet? Ex arrogantia et tumore multo. Hanc ergo causam

tollamus, morbusque sublatus erit. Quid est arrogantia? Unde nascitur? Forte namque jam aliud principium adire periclitamur. Igitur quam sermo indicabit viam, illam sequemur, ut malum radicitus evellamus. Unde ergo oritur arrogantia? ex eo quod nostra non exploremus; sed de natura quidem terræ, etsi agricolæ non simus, curiose inquiramus, et de natura plantarum, de natura auri, etsi mercatores non simus, de vestimentis, deque omnibus; de nobis autem, deque natura nostra, ne minimum quidem curamus. Et quis, inquies, ignorat naturam suam? Multi, et forte, paucis exceptis, omnes. Et, si placet, hinc ducam argumentum. Dic enim mihi, quid est homo? si quis interroget. Qua in re differt a brutis? Quomodo cognatus est cœlestibus? Quid potest ex homine fieri? An poteris recte respondere? non quidem puto. Sicut enim in materia quadam, sic et in homine, materia quidem est homo : potest autem fieri et Angelus, et bestia. Annon videbitur extraneus hic sermo? Atqui sæpe illum in Scripturis audistis. De quibusdam enim hominibus dicebatur : « Angelus Domini est; » et « Ex labiis ejus quærent judi» cium; » et rursum, « Mittam Angelum meum ante faciem » tuam[1]. » Ex quibusdam vero, « Serpentes, genimina » viperarum[2]. » Demum secundum cujusque usum potest fieri et Angelus et homo. Quid dico Angelus? etiam Dei filius. Nam ait : « Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi om» nes[3]. » Quodque majus est, potestatem accepit, ut fiat et homo et Angelus, et Dei filius. Et est homo Angeli creator. Fortasse vos hoc dictum perturbavit? Sed audite Christum dicentem : « In resurrectione neque nubent, » neque nuptui tradentur; sed sunt sicut Angeli[4]; » et rursum, « Qui potest capere, capiat[5]. » In summa virtus

[1] Malach. II, 7, et III, 1. — [2] Matth. XII, 34. — [3] Psal. LXXXI, 6. — [4] Luc. XX, 36. — [5] Matth. XIX, 15.

Angelos facit : virtus in nostra potestate est, ergo Angelos possumus creare, etsi non natura, certe proposito. Virtute namque absente, nihil proderit si quis etiam Angelus natura fuerit : id quod ex diabolo liquet, qui ante Angelus fuit. Virtute autem præsente, nihil damni est hominem esse natura, ut ex Joanne, qui homo erat, et ex Elia liquet, qui in cœlum ascendit, ex omnibusque qui eo abituri sunt. Hi namque licet corporei, non prohibentur habitare cœlum, illi vero incorporei licet, non potuerunt in cœlo manere. Nemo igitur angatur vel indignetur contra naturam quasi ab illa impediatur; sed contra propositum voluntatis. Leo diabolus effectus est ex incorporeo. Ecce, inquit, « Adversarius noster diabolus tanquam » leo rugiens circuit quærens quem devoret[1]. » Nos Angeli a corporibus. Ut enim si quis pretiosa inventa materia, cum non sit artifex, et illam despiciat, magno afficitur damno; sive margaritas, sive uniones, sive quid simile repererit; sic et nos, si ignoremus naturam nostram, admodum illam dispiciemus; si noscamus, multum adhibebimus studium, et magnum lucrum reportabimus. Ex hac enim regium fit indumentum, ex hac domus regia, ex hac regia membra. Ne natura nostra abutamur in damnum nostrum. Nos parum minores Angelis fecit[2], ex morte, inquam; sed parum illud jam recepimus. Nihil igitur prohibet quominus statim angeli simus, si velimus. Velimus ergo, velimus, et nos ipsos exercitantes gloriam referamus Patri et Filio et Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 1 Petr. v, 8. — [2] Psal. VIII, 6.

HOMILIA XXXIII.

CAPUT XV.

Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus dicens : Viri fratres, audite me. Simeon narravit quomodo primum Deus visitavit, ut sumeret ex gentibus populum in nomine suo. Et huic consonant sermones Prophetarum[1].

I. Hic episcopus erat in Jerosolymitana Ecclesia[2] : ideoque postremus loquitur. Et impletur illud : « In ore » duorum vel trium testium stabit omne verbum[3]. » Vide autem et hujus prudentiam, qui ex novis et ex veteribus Prophetis sententiam suam confirmat. Non enim poterat aliquod opus ostendere ut Petrus, ut Paulus. Et bene provisum est, ut ab illis hæc fierent, qui non habitaturi erant Jerosolymis; et hic, qui Jerosolymitanos docebat, nec obnoxius illis esset, nec illorum sententiæ oppositus. Et quid dicit. « Viri fratres, audite me. Simeon narravit. » Quidam dicunt hunc illum esse qui a Luca memoratur; alii alium cognominem; sive hic, sive ille sit, non ulterius inquirendum, sed ea quæ dicit ut necessaria excipienda sunt. « Viri fratres, » inquit. Magna viri modestia et perfectior est hæc concio, quæ scilicet finem rebus imponat. « Quomodo primum Deus visitavit ut sumeret ex gentibus » populum nomine illius. Et huic consonant sermones Pro» phetarum. » Quia ille a tempore notus erat, nec fide

[1] Act. xv, 13-15. — [2] Vide D. Guillon, tom. xiii, p. 196-199. — [3] Deut. xvii, 6.

dignus habebatur, quod antiquus non esset; veterem quoque prophetiam inducit dicens : « Sicut scriptum est : » Postea revertar et reædificabo tabernaculum David quod » decidit, et erigam illud : ut requirant cæteri hominum » Dominum : et omnes gentes, super quas invocatum est » nomen meum, dicit Dominus, qui facit hæc omnia[1]. » Quid ergo? An erecta est Jerosolyma? annon potius diruta fuit? sed non his de rebus ipse loquitur. Et quam dicit erectionem? Eam quæ post Babylonem. « Nota a sæculo » sunt Deo omnia opera sua[2]. » Deinde quam fide dignus sermo sit innuit, quia nihil novum, sed ab initio omnia præstituta sunt : sequitur sententia. « Propter quod ego » judico non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur » ad Deum; sed scribere ad eos ut abstineant se a conta- » minationibus simulacrorum, et fornicatione, et suffocato, » et sanguine. Moyses enim a temporibus antiquis per » omnes civitates habet qui prædicent eum in synagogis, » ubi per omne sabbatum legitur[3]. » Quia illi non audierant de lege, merito hæc imperat de lege, ne videatur illam abrogare. Et vide quomodo non sinat eos hæc ex lege audire; sed ex se ipso dicens : « Judico ego, » id est, a me ipso, non quia audivi ex lege. Demum commune dogma profertur. « Tunc placuit Apostolis et senioribus, » et omni Ecclesiæ, eligere viros ex eis, et mittere Antio- » chiam cum Paulo et Barnaba, Judam qui cognominaba- » tur Barsabas, et Silam, viros primos in fratribus. Scri- » bentes per manum eorum hæc[4]. » Vide illos non temere illa statuere; sed ut sententia fide digna sit, mittunt hos a se, ut suspecti non essent Paulus et socius. Et vide quam graviter illos objurgantes scribant : « Apostoli, seniores et » fratres iis, qui sunt Antiochiæ, in Syria et in Cilicia fra-

[1] Amos. IX, 11, et Act. XV, 16, 17. — [2] Ibid. 18. — [3] Ibid. 19-21. — [4] Ibid. 22, 23.

» tribus qui ex gentibus, salutem. Quoniam audivimus » quia quidam ex nobis turbaverunt vos, verbis evertentes » animas vestras, dicentes ut circumcidamini et servetis » legem, quibus non mandavimus [1]. » Sufficiens erat accusatio temeritatis illorum, et digna Apostolorum æquitate, nihil majus ultra dicentium. « Placuit nobis collectis in » unum eligere viros et mittere ad vos, cum charissimis » nostris Barnaba et Paulo, viris qui tradiderunt animas » suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi [2]. » Itaque ostenditur non tyrannice rem agi, omnibus hæc placere, et hæc cum deliberatione scribi. Electos, inquiunt, viros ex nobis. Deinde ne videatur ex calumnia Pauli et Barnabæ illos mitti; perpende laudes ipsorum : « Viris, inquiunt, » qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri » Jesu Christi. Misimus ergo Judam et Silam, qui et ipsi » vobis verbis referent eadem. Visum est enim Spiritui » sancto et nobis [3]. » Nihil ergo humanum, si Spiritus hæc statuat. « Nihil ultra imponi vobis oneris. » Rursum onus vocant legem. Hinc de illis ipsis rationem reddunt. « Nisi hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis » simulacrorum, et suffocato, et fornicatione et sanguine, » a quibus custodientes vos, bene agetis [4]. » Hæc nova lex non præcipit. Nusquam enim de his locutus est Christus : sed a lege hæc sumunt. « Et suffocato, » inquit. Hic cædem cohibet. « Illi ergo dimissi venerunt Antiochiam, et » congregata multitudine, tradiderunt epistolam. Quam » cum legissent, gavisi sunt super consolatione [5]. » Postea ut ostendat quomodo illos consolati sint, subdit. « Judas » autem et Silas et ipsi, cum essent Prophetæ, verbo plu- » rimo consolati sunt fratres, et confirmaverunt. Facto » autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace a » fratribus ad Apostolos [6]. »

[1] Act. xv, 24.— [2] Ibid. 25, 26.— [3] Ibid. 27, 28.— [4] Ibid. 29.— [5] Ibid. 30, 31. — [6] Ibid. 32, 33.

II. Non ultra seditiones et pugnæ : ideoque confirmatis illis, cum pace abierunt. Adversus Paulum enim contentiosiores erant : ac deinde Paulus docet. Sic nullus fastus erat in Ecclesia, sed bene constituta omnia. Et vide : post Petrum Paulus loquitur, et nemo reprimit; Jacobus expectat, nec exilit : illi enim principatus concreditus erat. Nihil hic Joannes, nihil alii Apostoli loquuntur, sed tacent, nec indignantur; sic vana gloria vacui animi erant. Sed superiora repetamus. « Post quam tacuerunt, inquit, respon» dit Jacobus dicens : Simeon narravit quomodo primum » Deus visitavit. » Initio vehementius Petrus loquebatur; hic vero mansuetius. Ita semper faciendum est ei, qui in magna potestate est et onerosa, aliis mittenda; ipse autem mitius agere debet. Recte dixit : « Simeon narravit, » quasi ille aliorum referat sententiam. Vide quomodo hoc antiquum esse ostendat. « Ut sumeret, inquit, ex gentibus populum » nomini suo. » Non solum elegit, sed etiam nomini suo; id est, gloriæ suæ. Non pudet nomen suum ex assumptione gentium gloriam vocare. Hæc enim major est gloria. Hic vero quid magnum subindicat. Quodnam illud? Hi, inquit, ante omnes : postea vero. « Convertam me et reædificabo » tabernaculum David, quod decidit. » Si quis accurate exploret, Davidis regnum nunc stare inveniet. Nam cum ex eo prognatus regnet, stat ubique regnum ejus. Quid prosunt enim domicilia et urbs, si subditi non sint? Et quid damni ex urbis excidio, cum omnes etiam animas suas impendere velint? Itaque non modo stat; sed et omnium splendidissimum factum est : nam per totum nunc orbem celebratur. Illud evenit, ergo et hoc evenire oportet. Ubi autem dixit, « Reædificabo, » causam addit : « Ut requirant » cæteri homines Dominum. » Si ergo ideo erecta est civitas propter eum, qui ex ipsis, palam est reædificatæ civitatis causam fuisse gentium vocationem. Quinam sunt reliqui?

Illi qui tunc relinquebantur. Sed vide illum et ordinem custodire, et secundos illos inducere. « Dixit Dominus, » qui facit hæc omnia. » Non modo dicit, sed et facit. Ergo Dei opus est vocatio gentium. Aliud erat quod quærebatur, quod clarius dicebat Petrus : « Non oportet illos cir- » cumcidi. » Cur ergo hæc concionaris? Sane non hoc dicebant illi, quod credentes non admittendi essent, sed quod cum lege admittendi. Et hoc etiam Petrus bene concionatus est. Sed quia illud maxime omnium auditores turbabat, hoc etiam ille curat. Et vide id quod oportebat lege statui, non servandam esse legem, id Petrus induxit : Quod vero nostrum est, id jam olim susceptum fuit : hoc dicit iste, et versatur in eo, de quo nihil Scriptum erat; ut per rem concessam illorum curata mente, hoc etiam opportune induceret. « Ideo ego judico non inquietari eos » qui ex gentibus convertuntur; » id est, non avertendos esse. Nam si Deus vocavit, et illæ observationes avertunt, contra Deum pugnamus. Et recte dixit, « Qui ex gentibus » convertuntur, » declarans supernam de illis Dei providentiam, ipsorumque obsequentiam vocanti obtemperantium. Quid sibi vult illud, « Judico ego? » id est, cum potestate dico rem ita esse. « Sed scribendum ipsis esse ut » abstineant, inquit, ab immolatis idolorum a fornica- » tione, a suffocato et sanguine. » Hæc enim licet corporalia, observatu necessaria sunt, quia magna pariebant mala. Ne quis vero objiciat : Quare non Judæis etiam talia scribimus? adjicit : « Moyses a temporibus antiquis per omnes » civitates habet qui prædicent eum; » id est, Moyses illis frequenter loquitur : hoc sibi vult enim illud, « Per omne » sabbatum legitur. » Vide quantum se attemperet. Ubi nihil nocuit, doctorem illis instituit, et gratiam largitus est, nihil impedientem, permittens Judæis ut illum per omnia audiant, et gentiles ab eo abducens. Deinde ex iis,

quibus videbatur ipsum honorare et suis doctorem constituere, gentes ab illo abduxit. Cur ergo ab illo noo discunt? ob inobsequentiam suam. Hinc ostendit ipsis nihil ultra observandum esse. Quod si non scribamus, non est quod illi debeant aliquid amplius observare; sed quod illi hæc dicentem habeant. Nec dicit : « Ne scandalizemus eos, neque subvertamus, » ut Paulus Galatis dixit [1]; sed, « Ne » inquietemus : » id quod nihil aliud opus indicat, quam obturbationem. Sic totum solvit. Et videtur quidem etiam legem servare, quod ex illa hæc assumat; sed solvit illam, quod hæc sola assumat. Atqui sæpe illis de his locutus est; sed ut videretur etiam legem honorare : et hæc non quasi a Moyse dicens, sed quasi ab Apostolis : et ut multa faceret præcepta, unum divisit. Hoc illos maxime sedavit. Ex providentia vero dissensio facta est, ut post dissensionem firmius esset dogma. « Tunc placuit Apostolis, inquit, » viros primarios in fratribus mittere. » Non vulgares, sed præcipuos mittunt electos; iis qui Antiochiæ erant, inquit, in Syria et in Cilicia, ubi morbus ortus fuerat.

III. Vide quomodo nihil molestum contra illos dicant, sed id unum spectent, ut recte res curetur. Hoc enim efficiebat, ut qui illic seditionem moverant, confiterentur. Non dixerunt; « Seductores et perniciosi, » et his similia. Licet ubi opus est hoc faciat Paulus, ut cum dicit : « O » plene omni dolo [2] ! » Hic vero cum emendati essent, non erat opus. Et vide : non hoc ponunt : « Quidam ex nobis jusserunt vos legem servare. » sed, « Turbaverunt vos ver- » bis evertentes. » Nulla magis propria dictio erat. Nullus ita dixit : « Animas, quæ jam firmatæ erant, inquit, subvertentes, quasi in ædificio, quæ ab illis facta erant ponentes. « Quibus, inquit, non præcepimus. Placuit ergo » nobis una collectis unanimiter cum dilectis. » Si dilecti,

[1] Galat. I, 7. — [2] Act. XIII, 10.

non contemnent eos. Si tradiderunt animas, ipsi quoque fide digni sunt. « Misimus ergo, inquit, Judam et Silam, » et ipsos verbo annuntiantes hæc. » Oportebat enim ut non Epistola sola compareret, ne dicerent ipsos extorsisse, et alia pro aliis dixisse. Laus Pauli et socii eorum ora obstruxit. Ideo namque neque Paulus solus neque Barnabas solus venit; sed etiam alii de Ecclesia, ne utervis suspectus esset, quia dogma illud amplexus erat, neque ii tantum qui ab Jerosolymis. Ostendit quam fide digni sint: Non exæquantes se, inquit: neque enim ita insaniunt. Ideoque addidit illud, « Hominibus qui tradiderunt animas » suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi. » Et cur dixit: « Visum est Spiritui sancto et nobis. » Atqui sufficiebat dixisse, « Spiritui sancto. » Sed illud, « Spiritui sancto » ponitur, ne putarent humanum quid esse; illud vero, « nobis, » ut discerent ipsos etiam admittendos esse, licet in circumcisione essent. « Nihil ultra, inquiunt, vobis » imponi onus. » Hæc dicunt, quia ad infirmos sermo erat, et formidolosos. Ideoque et hoc adjicitur. Ostendit autem non indulgentiæ sermonem esse, ut parcerent illis ut infirmis; imo contra. Magnus enim doctorum pudor fuisset: id enim superfluum fuisset onus. Vide brevem Epistolam nihil redundans habentem, nec apparatum, nec syllogismos, sed præceptum. Erat enim lex Spiritus. Sæpe hoc vocant onus. « Congregata multitudine tradiderunt Epis- » tolam. » Post Epistolam et ipsi verbis exhortantur. « Hac item re opus erat, ut ab omni suspicione liberarentur. Et » ipsi, inquit, cum essent Prophetæ, sermonibus multis » exhortati sunt fratres. » Quam fide digni essent hic ostenditur. Potuisset et Paulus; sed hos adesse opus erat. « Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum » pace. » Non jam seditio, non jam aversio. Hic mihi videtur illos dexteram accepisse, ut ipse ait: « Dexteras dede-

» runt mihi et Barnabæ communionis [1]. » Postea dicit : « Nihil mihi addiderunt. » Ejus namque sententiam confirmarunt, laudaverunt eam et mirati sunt. Ostendit hoc posse humanis ratiociniis conspici, nec solum a Spiritu, quia admiserunt peccatum correctu difficile. Tales quippe res non egent Spiritu. Ostendit cætera non esse necessaria; imo superflua esse : siquidem hæc necessaria. « Ab his » si servaveritis vos ipsos, inquit, bene facitis. » Declarat nihil ipsis deesse, sed hoc sufficere. Poterat et sine litteris, sed ut lex ita scripta esset, Epistolam mittunt. Et iterum, ut legi obtemperarent, et illis dicebant, et illi hoc faciebant, et cum pace. Verum ne offendiculo nobis sint hæretici. Vide enim in principio prædicationis quot offendicula : non dico ea quæ ab iis qui foris; illa quippe nihil erant; sed quæ intus. Primo Ananias : deinde murmur; hinc Simon magus; postea, ii qui Petrum accusabant ob Cornelium; sub hæc, fames; demum hoc ipsum caput malorum. Neque enim potest bonum quodpiam esse, quin sit etiam aliquod malum. Ne itaque turbemur, si quidam scandalizentur; sed et pro his gratias agamus Deo, quia nos probatiores efficit. Neque enim afflictiones tantum, sed etiam tentationes nos splendidiores reddunt. Qui enim, nemine in errorem inducente, veritati hæret, non vehemens veritatis amator fuerit; sed qui multis retrahentibus hæret, ille clarus. Quid ergo? an hac de causa fiunt scandala? Non dico quod Deo hoc faciente : absit; sed quod ille per illorum nequitiam nobis benefaciat : nam ipse illa fieri nunquam voluisset. « Da illis, inquit, ut unum sint [2]. » Cum autem scandala fiunt, nihil ipsis nocent; sed etiam prosunt illis; sicut et Martyribus inviti prosunt, qui illos ad martyrium trahunt. Non utique a Deo ad hoc impelluntur. Sic et hoc loco, ne videamus quod multi scandali-

[1] Galat. II, 9. — [2] Joan. XVII, 21.

zentur. Hoc indicium est dogma esse eximium, quod multi simulent et imitentur. Neque enim simularent nisi bonum esset. Et hoc jam vobis palam faciam.

IV. Unguenta, quæ fragrantia sunt, a multis adulterantur, ut, verbi gratia, folium amomi. Quia enim rara sunt et necessaria, multa spuria fiunt. Nemo igitur voluerit rem vilem adulterare. Vita pura multos habet qui se adulterent. Nemo simulare se velit improbum, sed potius monachum. Quid ergo gentilibus dixerimus? Venis gentilis et ait, Volo fieri Christianus : sed nescio cui adhæream. Multæ apud vos sunt pugnæ, seditiones et tumultus. Quod dogma eligam? quod præferam? singuli dicunt : « Ego veritatem dico. » Cui credam, qui nihil Scripturarum sciam? Et illi utrinque idem proferunt. Sane hoc multum pro nobis. Nam si quidem diceremus nos ratiociniis credere, merito turbareris. Si vero Scripturis nos credere dicamus, iisque simplicibus et veris, facile tibi fuerit judicare. Si quis cum illis consentit, Christianus est; si pugnat cum illis, hic procul est a canone. Quid ergo si ille veniens dixerit sic habere Scripturam, tu vero alio modo dixeris, et diverse interpretemini Scripturas sensus illarum distrahentes? Tu igitur, dic mihi, mentem ne habes ac judicium? Et quomodo possim, inquiet, cum nesciam dijudicare vestra? discipulus esse volo; tu vero me jam doctorem facis. Si hæc dixerit, quid respondebimus? quomodo illi persuadebimus? Interrogemus an hoc sit obtentus : interrogemus an gentiles damnet. Omnino quidpiam dicet : neque enim non damnatis illis, ad nostra accedet. Interrogemus qua de causa condemnet; non enim temere condemnat. Manifestum est dicturum esse, quia numina illa sunt creaturæ, nec esse illa increatum Deum. Recte. Si hoc apud alias hæreses inveniat, contrarium vero apud nos, quo opus est sermone? Omnes confitemur Christum esse Deum.

Sed videamus qui pugnent, qui non pugnent : Nos qui dicimus esse Deum, digna Deo loquimur, quod potestatem habeat, quod non sit servus, quod sit liber, quod a se ipso omnia faciat. Ille vero contra. Rursum interrogo : Si medicinam discere velis, num obiter et perfunctorie, quæso, ea quæ dicuntur suscipies. Atqui multa apud illos sunt dogmata. Si ergo simpliciter omnia quæ audies accipias, hoc viri non esset : si autem judicio et mente valeas, quod bonum verumque est omnino scies. Filium nos dicimus, et quod verum est dicimus. Illi vero dicunt quidem, sed non confitentur. Ut vero clarius loquar : illi quosdam habent, a quibus appellantur, hæresiarchæ certe nomen : sic singulæ hæreses. Nobis vir nullus nomen indidit ; sed ipsa fides. Verum hoc prætextus obtentusque est. Cur enim, quæso, quando vestem empturus es, quamvis in arte textoria imperitus, non illa profers verba : Emere nescio ; me decipiunt ; sed nihil non agis ut discas ? Etiamsi quidvis aliud emere cupias, omnia curiose perquiris : hic vero ita loqueris. Itaque sic loquens, nihil omnino suscipies. Sit enim aliquis nullum omnino dogma habens ; si dicat ille id quod tu de Christianis dicis : tanta multitudo hominum est, et varia habent dogmata ; alius gentilis est, alius Judæus, alius Christianus : nullum amplecti dogma oportet, illi enim inter se pugnant. Ego discipulus sum, judex esse nolo, neque ullum dogma condemnare. Non jam ille prætextus locum habet. Ut enim adulterinum ejicere potuisti ; sic poteris huc accedens quid sit utile explorare. Nam qui nullum dogma condemnat, hoc facile dicet : qui vero damnat, etsi nihil eligat, progressu temporis poterit videre quid oporteat. Ne prætextus quæramus : omnia quippe facilia sunt. Vis ostendam tibi hæc prætextum esse ? Scis quæ facienda, quæ non facienda ? Cur ergo non quæ facienda sunt facis, sed quæ non facienda ? Fac

illa ; et recta ratione quære a Deo, et ipse tibi omnino revelabit. « Deus enim, inquit, non est personarum accep-» tor[1] ; » sed in omni gente qui timet Deum, et facit justitiam, acceptus illi est. Non potest is, qui absque præjudicata opinione audit, non persuaderi. Ut enim si regula quædam esset, ad quam omnes dirigi oporteret, non multa consideratione opus esset, sed male metientem facile deprehenderemus ; ita et nunc. Quomodo ergo non vident? Multa id efficiunt, præjudicata opinio, humanæque causæ. Hoc etiam de nobis, inquies, illi dicunt. Quomodo? Num ab Ecclesia nos excidimus? num hæresiarchas habemus? num ab hominibus nomen accipimus? Num dux quispiam nobis est, ut illis Marcion, illis Manichæus, illis Arius, illis alius hæresis princeps? Quod si nos cujuspiam nomen feramus ; at non habemus sectæ auctores ; sed præfectos et gubernatores Ecclesiæ. Non habemus magistros super terram : absit ; unum habemus in cœlis. Illi quoque, inquies, hæc obtendunt. Verum habent nomen, quod illos accusat, illorumque ora obstruit. Multi fuere gentiles, et nullus hæc interrogavit : et apud philosophos hæc erant, et nullus eorum, qui rectam sectam haberent, prohibitus est. Cur non dixerunt quando hæc movebant, quod et hi et illi Judæi essent, et utri obtemperare oportet, sed ut oportebat obtemperarunt? Et nos ergo Dei legibus obtemperemus, et omnia ut ipsi placita sunt faciamus, ac secundum ejus voluntatem vivamus, dum in præsenti vita degimus, ut in virtute præsenti transacta vita, promissa diligentibus se bona consequamur, et cum iis, qui ipsi placuerunt honoremur, gratia et benignitate unigeniti Filii ejus et sanctissimi vivificique Spiritus, unius et veræ Deitatis, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Act. x, 34.

HOMILIA XXXIV.

CAPUT XV.

Paulus autem et Barnabas morabantur Antiochiæ docentes, et evangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini. Post aliquot autem dies dixit ad Barnabam Paulus: Revertentes, visitemus fratres per universas civitates, in quibus prædicavimus verbum Domini, quomodo se habeant [1].

1. Vide iterum quanta humilitate sermonem cum aliis communicent. Et jam quidem reliquorum Apostolorum consuetudinem descripsit nobis Lucas, ostendens alios suaviores indulgentioresque esse, alios exactiores et austeriores. Diversa namque sunt dona. Quod autem hoc quoque sit donum liquet. Sed illud quidem aliis hominum moribus competit; hoc autem aliis. Etsi commutarentur, inutilia forent. Videtur quidem quædam esse dissensio: totum vero œconomia est. Illud enim fit, ut unusquisque locum qui sibi conveniat occupet. Alioquin vero, non oportebat ut omnes pari essent honore; sed ut alius præesset, alius subditus esset: et hoc etiam providentiæ opus est. Cyprii namque nihil tale exhibuerant, quale Antiocheni et reliqui: et illi mitiore, hi severiore magistro opus habebant. « Barnabas autem volebat secum assumere et » Joannem, qui cognominatur Marcus. Paulus autem roga- » bat, ut qui decessisset ab eis de Pamphylia, et non esset » cum eis in opus, non debere recipi. Facta est igitur dis-

[1] Act. xv, 35, 36.

» sensio, ita ut discederent ab invicem ; et Barnabas qui-» dem assumpto Marco navigaret in Cyprum ; Paulus vero » electo Sila profectus est, traditus gratiæ Dei a fratribus[1]. » Sic et in Prophetis diversas sententias comperimus, et varios mores ; verbi gratia Elias austerus erat, Moyses mitis, Hic igitur vehementior est Paulus : sed sic tamen vide mansuetudinem ejus : « Rogabat, inquit, ut qui discessis-» sent ab eis de Pamphylia, non debere recipi. » Ut enim dux exercitus nollet bajulum semper habere sordidum ; sic neque Apostolus. Hoc etiam alios docuit, et illum emendavit. Ergo-ne improbus Barnabas ? Minime. Imo valde absurdum esset id putare. Quomodo non absurdum esset ob rem adeo levem, illum dicere improbum ? Sed vide primum hinc nihil mali provenisse ; si cum integris gentibus sufficere possent, separati sint ; imo etiam hinc magnum prodiisse bonum. Deinde, si hoc non accidisset, non facile separari voluissent. Tu vero mireris velim, quod Lucas hoc non celaverit. Sed si separari oportebat, inquies, saltem sine dissensione. At hinc maxime humana ostenduntur. Nam si in Christo oportebat fieri, multo magis hic. Alioquin vero dissensio non mala est quando de talibus quispiam contendit, et cum justa ratione. Si certe eorum quisquam quæ sua erant vel honorem quærens exasperatus esset, bene improbaretur : si vero uterque docere instituereque volens, alter hac, alter alia via processit : quod crimen fuerit ? Multa ex humana mente faciebant. Non enim erant lapides aut ligna. Et vide Paulum accusantem et causam dicentem. Reverebatur enim Barnabam præ humilitate multa, qui in tantis rebus sibi consors et secum fuerat. Sed non ita reverebatur, ut officium negligeret. Uter ergo melius consulucrit, non est nostrum pronuntiare. Interim vero magna fuit œconomia : siquidem hi secundam visitationem assecuturi erant, alii nullam. Non sine

causa autem Antiochiæ morati sunt ; sed docebant. Quid docebant ? Quid evangelizabant ? Alios quidem fideles, alios nondum tales. Quia enim innumera scandala erant, opus erat ilorum præsentia. In hac quæstione observandum non in quo dissenserint ; sed in quo mutuo consenserint. Sic majus bonum ex separatione prodiit, atque inde ortum est. Quid ergo ? Inimici-ne recesserunt ? Absit, vides enim postea Barnabam multis laudibus a Paulo celebrari in Epistolis. « Dissensio, inquit, facta est, » non inimicitia, neque contentio. Tantum valuit dissensio, ut separarentur ; et jure quidem. Nam quod uterque putabat utile fore, postea non admisisset, eo quod simul essent.

II. Mihi videtur illam separationem prudenter esse factam, illosque mutuo dixisse : « Quandoquidem ego nolo, tu autem vis ; ut ne pugnemus, loca distribuamus. » Itaque multum sibi mutuo cedentes hoc faciebant. Volebat Barnabas stare quod Paulus decreverat, ideo recessit ; volebat similiter Paulus quod illi placebat ; ideoque et ipse recedit. Utinam nos quoque tales separationes admitteremus, ut ad prædicandum abiremus. « Paulus autem, inquit, » electo Sila profectus est, traditus gratiæ Dei a fratribus. » Admirabilis est hic vir et valde magnus. Plurimum vero Marco profuit hæc pugna. Pauli namque severitas convertit illum, benignitas autem Barnabæ fecit ut ne relinqueretur. Itaque pugnant quidem, ad unum vero finem lucrum pertingit. Paulum enim videns velle discedere, multum exterritus, se ipsum damnavit : iterumque Barnabam videns ita sibi patrocinantem, valde illum dilexit, et ex doctorum pugna emendatus est Discipulus, tantum abfuit ne id offendiculo ipsi esset. Si enim pro suo id fecissent honore, jure offensus fuisset ; sin pro ipsius salute, et si propter id unum contendunt, ut ostendant eum, qui ipsum honoravit, bene consuluisse, quid absurdum?

III. Vide Pauli prudentiam : non prius ad alias transit urbes, quam eas, quæ verbum acceperant, visitasset. « Per- » ambulabat autem Syriam et Ciliciam confirmans eccle- » sias[1]. Pervenit autem Derben et Lystram[2]. » Etenim stultum est temere currere. Hoc et nos faciamus. Primos primum instruamus, ne illi impedimento sint posterioribus. « Visitemus, inquit, fratres, quomodo se habeant, » hoc scilicet jure ignorabat; ut veniens fratres inviseret. Vide illum semper vigilem et sollicitum, nec desidem sedere, etsi innumera subiret pericula. Vides non ex formidine Antiochiam venisse. Etenim ut medicus ægrotos adibat : et visitandi necessitatem declaravit dicens : « In quibus præ- » dicavimus verbum. » Recessit Barnabas, et non ultra socius fuit. « Electo, inquit, Sila, et traditus gratiæ Dei. » Quid hoc est? Precati sunt, Deo supplicarunt. Vide ubique orationem fratrum magna posse. Ac deinceps pedes ambulabat, ut in itinere videntibus se prodesset, et jure quidem. Nam cum festinarent, navigabant; nunc vero non item. « Et ecce Discipulus quidam erat illic nomine Timo- » theus, filius mulieris Judææ fidelis, patre gentili. Huic » testimonium bonum reddebant fratres, qui Iconii et Lys- » tris erant. Hunc voluit Paulus secum proficisci : et assu- » mens circumcidit eum propter Judæos, qui erant in illis » locis. Sciebant enim omnes quod pater ejus erat genti- » lis[3]. » Vere stupore digna est Pauli prudentia. Qui tantopere pugnaverat propter circumcisionem, qui omnia moverat; et non prius destitit, donec rem perficeret, confirmato dogmate, circumcidit Discipulum. Non modo alios non cohibet, sed hoc et ipse facit. Nihil Paulo prudentius : omnia, ut conducerent spectans, nihil temere et ex præjudicata opinione agebat. « Hunc voluit, inquit, secum pro- » ficisci. » Hoc mirabile est quod assumpserit eum : « Propter

[1] Act. xv, 41. — [2] Id. xvi, 1. — [3] Ibid. 1-3.

» Judæos, inquit, qui erant in illis locis. » Hæc causa circumcidendi fuit. Non enim tulissent audire verbum ab incircumciso. Et cur? Vide præclarum opus. Circumcidit, ut circumcisionem tolleret. Dogmata enim prædicabat Apostolorum. Vides-ne pugnam, et per pugnam ædificationem? Non ab aliis impugnabantur; sed ipsi contraria facientes, ita Ecclesiam ædificabant. Dogma afferebant non circumcidendi, et circumcidit. « Et abundabant, inquit, » numero quotidie. » Vidisti-ne utilitatem circumcisionis? Deinde non moratur ibi, quippe qui visitandi gratia venisset. Sed quid? Ultra procedit. « Cum autem pertransirent » civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant de» creta ab Apostolis et senioribus, qui erant in Jerusalem. » Itaque Ecclesiæ confirmabantur fide, et abundabant nu» mero quotidie. Transeuntes autem Phrygiam et Galatiæ » regionem, prohibiti sunt a Spiritu sancto loqui verbum » in Asia. Relicta Phrygia et Galatia, in mediam regionem » festinabant. Cum venissent autem in Mysiam tentabant » ire in Bithyniam, et non permisit eos Spiritus[1]. » Quare prohibiti fuerunt non dicit, sed tantum prohibitos fuisse, nos docens ut solum obtemperemus, nec causas inquiramus : ostendensque illos multa humano more fecisse. « Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troa» dem : et visio per noctem Paulo ostensa est. Vir quidam » erat Macedo, stans, deprecans eum et dicens; Transiens » in Macedoniam, adjuva nos[2]. » Cur visio, et cur Spiritus sanctus ipse non jussit? Volebat eos hoc quoque modo attrahere. Etenim sanctis quoque visiones per somnium apparuerunt : et initio quoque ipse visionem habuit hominis ingredientis et imponentis sibi manus. Deinde ideo ipsum illo trahit, ut prædicatio extenderetur. Alioquin vero propter hoc prohibetur morari in aliis civitatibus, Christo ip-

[1] Act. XVI, 4-7. — [2] Ibid. 8, 9.

sum urgente. Hi namque Joanne fruituri erant multo tempore, et fortasse non multum habebant opus. Illo autem migrare oportebat, et pertransiens demum proficiscitur. « Ut autem visum vidit, statim quæsivimus proficisci in » Macedoniam, certi facti quod vocasset nos Deus evange- » lizare eis. Navigantes autem a Troade recto cursu veni- » mus in Samothraciam : sequenti die Neapolim, et inde » Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ civitas, colo- » nia. Eramus autem in hac urbe diebus aliquot conferen- » tes[1]. » Sic illi etiam Christus apparet dicens, quia Cæsari oportet te sisti[2]. Deinde loca recenset, historiam quippe texens, et ostendens ubinam moratus sit : indicatque illum in majoribus moratum, alias præteriisse. Dignitas est civitatis coloniam esse. Sed superiora repetamus. Necessitatem Barnabæ imponit dicens : « Visitemus civitates in qui- » bus annuntiavimus verbum. » Licet non oporteret rogare eum, quem postea accusaturus erat.

IV. Hoc etiam circa Deum et Moysem legimus. Ille rogat, Deus irascitur; ut quando dicit : « Si pater ejus ex- » puisset in faciem ejus[3] ; » et rursum. « Dimitte me, et » iratus delebo populum hunc[4]. » Et Samuël quando lugebat Saülem[5]. Per utrumque enim magna eveniunt bona. Sic et nunc ille irascitur, sed non iste. Hoc apud nos item evenit. « Et dissensio, » apposite, ut ille erudiretur : nec videretur rem esse scenam. Neque enim qui semper cesserat, hic non cessisset : qui ita Paulum amabat, ut antehac quæreret cum Tarsi, et ad Apostolos ipsum introduceret, et eleemosynam communem faceret, et quod ad dogma attinet communiter susciperet. Itaque non propter hanc rem iratus fuisset. Sed separantur, ut doceant, et per separationem eos qui doctrina sua egebant instituant :

[1] Act. XVI, 10-12. — [2] Id. XXVII, 24. — [3] Num. XII, 14. — [4] Exod. XXXII, 32. — [5] 1 Reg. XV, 35.

Ut etiam alibi facit dicens : « Vos autem ne defatigemini » bonum facientes[1] : » et alios quoque increpat. Jubet autem bene facere erga omnes. Hoc etiam in consuetudine habemus. Hic autem mihi videntur alii quoque indignati esse in Paulum, et postea ille, ipsis seorsim adductis omnia facit, monet, hortatur. Multa potest concordia, multa charitas ; etiamsi pro re magna roges, etiamsi indignus sis : propter propositum audieris, ne timeas. « Perambulabat, » inquit, civitates. Et ecce erat Discipulus nomine Timo- » theus, qui testimonium habebat a fratribus, qui erant » Lystris et Iconii. » Magna fides Timothei, qui ab omnibus testimonium habet. Quando discessit Barnabas, alterum ipsi parem invenit : De hoc inquit : « Memor lacrymarum » tuarum, et fidei tuæ non simulatæ, quæ inhabitavit » primo in avia tua Loïde, et in matre tua Eunice[2]. Et as- » sumens, inquit, illum circumcidit. » Qua de causa, ipse addit dicens : « Propter Judæos qui erant in locis illis. » Ideo ergo circumciditur; vel etiam propter patrem, qui gentilis manebat. Ergo non circumcisus erat. Vide jam solutam legem. Quidam autem putant illum post prædicationem tantum esse, sed forsan hoc non est. « Ab infantia » enim, inquit, sacras Litteras nosti. » Illud igitur est dicen- » dum; vel fortasse, quia illum ordinaturus erat episcopum, et non decebat incircumcisum esse, jam autem gentibus nihil tale servandum erat. Neque hoc parvum erat; quando post tantum tempus hoc illis offendiculo erat. Initium abrogationis erat quod gentiles hæc non servarent, neque hinc læderentur, nihil minus haberent circa fidem : sponte demum desistebant. Quia igitur prædicaturus erat, ne dupliciter pungeret Judæos, hunc circumcidit, quamvis ex dimidio tantum esset, patre gentili, matre fideli. Attamen quia magnum erat opus hoc quod inter gentes hoc

[1] Thess. III, 13. — [2] 2 Tim. 1, 4, 5.

ageret; non curavit illud; oportebat enim verbum disseminari. Ideo et ipse illum circumcidit. Hic etiam vide dum e contrario videtur agere, magnum peractum bonum : « Et » abundabant numero, inquit. » Vides-ne quomodo non solum nihil nocuerit circumcisio, sed et plurimum profuerit? Ut autem visionem vidit, statim, inquit, « Quæsivimus » proficisci in Macedoniam, certi facti quod vocasset nos » Deus. » Vide, non jam per Angelum, ut Philippo, ut Cornelio. Sed quid? Per visionem apparet ipsi deinceps humano more, non divino. Ubi enim facilius erat persuadere, humanius; ubi magna vis desiderabatur, divinius. Nam ubi prædicare festinabat solum, ibi somnium ipsi apparet; ubi vero prædicare non permittebatur, ibi Spiritus revelat. Sic et illi Petro : « Surgens, descende. » Non enim facilia operabatur Spiritus, sed satis erat ipsi somnium. Josepho quoque facile credenti somnium apparet. Aliis vero visio. Ita et Cornelio et huic ipsi. « Et ecce, inquit, vir » Macedo stans, obsecrans et dicens. » Non dixit; « Præcipiens, » sed, « Obsecrans; » id est, pro iis qui curatione opus habebant. Quid est, « Certi facti? » hoc est conjectantes, inferentes. Nam quod Paulus viderit, et nemo alius, et quod prohibitus sit a Spiritu, et quod in terminis essent, ex his omnibus hæc inferebant. Alioquin navigatio illud indicabat. Neque enim multum tempus erat, quo in illam Macedoniæ radicem venerant. Atque ita « Dissensio » utiliter provisa fuit. Neque enim alias Spiritus sanctus operatus esset, neque Macedonia verbum suscepisset. Tantus vero ille profectus signum erat, rem gestam non fuisse humanam. Atqui non dixit Barnabam exacerbatum fuisse; sed inter illos dissensio fuit : si hic exacerbatus non est, neque ille.

V. Hæc cum sciamus, ne perfunctorie illa excipiamus; sed discamus et instituamur. Neque enim temere scriptum

est : « Magnum malum est ignorare Scripturas. » A quibus juvari oporteret, ab iis lædimur. Sic frequenter pharmaca vim medendi habentia, cum ejus usum nesciunt qui illa adhibent, nocent ac pessumdant : et arma, quæ possunt tueri, nisi quis recte circumponat, iis utentem perimunt. Causa vero est, quod omnia magis quæramus, quam animæ utilitatem : et alia magis spectemus, quam utilitatem nostram. Domus certe firmitatem sæpe quærimus, nec patimur illam vetustate nutantem vel labentem videre, neque a tempestate periclitantem. De anima vero nulla cura. Sed etiamsi fundamenta ejus infirma videamus; licet et structuram et tectum perinde habere; nullam horum rationem habemus. Item si armenta habeamus, quid illis prosit quærimus ductoresque ac medicos, omnemque lapidem movemus. Domos curamus, et eos quibus hæc commissa sunt hortamur, ut non temere vel perfunctorie jumenta abigant, neque onera imponant, vel intempesta nocte educant, vel alimenta venumdent, multæque leges apud nos sunt ad utilitatem jumentorum. De anima ratio nulla. Verum quid dico de brutis, quæ nobis utilia sunt ? Multi sunt qui pasceres habent ad nihil utiles, sed qui solum recreant, multæque sunt circa illos leges, nihilque negligitur vel omittitur : omniaque magis curamus, quam nos ipsos. Sic omnibus sumus ignobiliores. Si quis contumeliose nobis dixerit, canis, dolemus. Cum vero nos ipsi nobis contumeliam inferimus, non verbo, sed re, nec tantam animæ curam habemus, quam canum, nihil nos pati putamus. Videte quantis omnia plena sint tenebris. Quot sunt qui student, ne canes plus æquo exsatientur; ut sint veloces et venatorii premente fame; de se vero nihil sollicitudinis habent, neque sibi præcipiunt, ne deliciis dent operam. Et bruta quidem philosophari docent; se vero in brutorum feritatem labi patiuntur. Ænigma est

hæc res. Et ubinam sunt animalia philosopha, inquies? Annon tibi videtur magnæ esse philosophiæ, cum canis, premente fame, post quam in venatu cepit, a præsenti esca abstinet, et, urgente fame, dominum expectat? Pudeat vos, ventres docete vestros, ut ita sint philosophi. Nulla vobis excusatio est: cum naturæ irrationabili, quæ nec loquitur, nec ratiocinatur, tantam philosophiam indere possis, multo magis poteris tibi ipsi. Quod enim ex humana diligentia, non ex natura, proficiscatur liquet; alioquin oporteret omnes canes hoc habere. Estote saltem sicut canes. Vos me cogitis hinc exempla ducere. Oportuisset enim a cœlestibus. Quia vero si tale quidpiam dixero; dicitis illa magna esse: ideo nihil cœlestium memoro. Si dixero Paulum, dicitis illum fuisse Apostolum. Ideo non dico Paulum. Si dixero hominem, dicetis: Ille potuit. Ideo neque hominem dico, sed bestiam, et bestiam quæ hoc non ex natura sua habet, ne dicatis ipsam ex natura habere, non ex proposito suo quodque mirum est, non proposito suo, sed cura tua. Non quod fatigata, non quod cursu discerpta, non quod proprio labore parta hæc cogitet: sed his omnibus foras missis, jussum domini servat, et ventre fit superior. Etiam, inquies, expectat enim laudari, expectat majore frui mensa. Dic igitur tibi ipsi, canem spe futuræ voluptatis, præsentem despicere; tu vero non vis spe futurorum bonorum præsentia contemnere. Sed ille quidem novit, si intempestive et præter placitum domini cibum degustet, illo etiam privandum esse, nec paratam escam habiturum esse, sed plagas pro cibo accepturum. Tu vero ne hoc quidem potes videre: et quod ille a consuetudine didicit, hoc tu ratione non emendas. Imitemur canes. Hoc dicuntur et accipitres et aquilæ facere; et sicut inter feras et capreas canes, sic hi inter aves faciunt: hi vero etiam ex humana philosophia. Hæc nos

damnare possunt, hæc nos capere. Aliud dicam : equos agrestes et indomitos, calcitrantes et mordentes, brevi tempore ita periti erudiunt, ut eques insidens ex composito incessu oblectetur. Animam vero incomposite incedentem nemo curat ; sed exilit illa, calcitrat, deorsum trahitur ut puer, indecore millies agit, nemoque ipsi camum injicit et retinacula pedum, vel frena, neque admittit illa peritum equitem, Christum dico. Ideo omnia susdeque posita sunt. Cum enim canes doceas ventri imperare, et furorem leonis edomes, et ferociam equi, et doceas aves loqui : annon absurdum fuerit brutis naturis rationabilia opera indere, in rationabilia vero irrationabilium vitia inducere. Nulla nobis, nulla certe venia est. Omnes qui bene agunt tam fideles, quam infideles, nos accusabunt. Nam et infideles bene agunt, et feræ canesque; soli homines minime. Sed et nos ipsi nos accusabimus, qui, cum volumus, recte agimus; cum vero negligimus, pertrahimur. Nam ex iis etiam, qui nequissimi sunt, multi sæpe, cum vellent, sunt mutati. In causa est, ut dixi, quia circuimus ea quærentes quæ aliis utilia sunt, non nobis. Si domum extruxeris splendidam, domus commodo studes, non tuo. Si equum bonum curaveris, similiter. Nemo curat ut sit anima bona : quamvis si illa bona sit, non sit illis opus; si bona non sit, nulla ex illis utilitas. Sicut enim cum de sponsa agitur, sive lecti sint ex velaminibus aureis, sive chori mulierum formosissimarum, sive rosæ adsint et coronæ; sive sponsus formosus, sive ancillæ, sive amicæ cunctæque decoræ sint, si illa deformis sit, nulla utilitas; ut neque damnum, si illa pulchra sit; imo contra : nam si deformis sit, a formosis lædetur; si formosa, a deformibus juvabitur. Sic et anima, si pulchra sit, non modo nullo horum opus habet, sed etiam illa obumbrat pulchritudo ejus. Philosophum enim non sic in divitiis, ut in pauper-

tate fulgentem videbimus : nam si dives sit, multi opibus ascribunt virtutem, utpote nullo egentem : si vero sit inops, omnino splendet, nec turpe quidpiam agere cogitur; nec quispiam cum illo de philosophiæ corona contendit. Animam igitur ornemus, si divites esse velimus. Quæ utilitas, si mulæ albæ sint, pingues et obesæ; tu vero, qui sedes, gracilis, scabiosus et deformis? Quod lucrum, si strata mollia et pulchra, varietate arteque plena; anima vero pannis laceris induta, vel nuda et fœda? Quod lucrum, si equus composito gradu incedat, et tripudiantem magis referat, quam incedentem, et post hujusmodi choream sponsali sit ornamento decoratus, eques vero plus quam claudus claudicet, et plus quam ebriosus quis furiosusque distortus sit manibus pedibusque. Dic mihi, si quis tibi daret equum pulchrum, et corpus tuum distorqueret, quæ utilitas? Nunc animam distortam habes, nec curas. De nobis ipsis, quæso, tandem solliciti simus; ne nos omnibus ignominiosiores constituamus. Si quis nos conviciis incessat, mordemur dolemusque; cum vero nos reipsa contumeliis afficimus, non convertimur. Resipiscamus vel sero tandem, ut possimus, post quam animam curaverimus, et virtutem coluerimus, æterna consequi bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXV.

CAPUT XVI.

Die autem sabbatorum egressi sumus urbe versus fluvium, ubi putabatur oratio esse : et sedentes loquebamur mulieribus, quæ convenerant. Et quædam mulier nomine Lydia purpuraria, civitatis Thyatirenorum, colens Deum, audivit : cujus Dominus cor aperuit, ut attenderet iis quæ dicebantur a Paulo [1].

I. Vide rursus Paulum judaïzantem, et a tempore et a loco. « Ubi putabatur, inquit, oratio esse. » Neque enim tantum ubi synagoga erat, sed etiam foris precabantur : quasi locum quempiam assignantes, quia Judæi crassiores erant ; die autem sabbatorum, quando verisimile erat turbam convenire. « Et sedentes loquebamur mulieribus, quæ con» venerant. Et mulier quædam nomine Lydia, purpuraria, » civitatis Thyatirenorum, colens Deum, audivit : cujus » Dominus cor aperuerat, ut attenderet iis quæ dicebantur » a Paulo. » Vide rem a fastu alienam. Mulier et humilis erat, ut palam est ab arte. Sed vide philosophiam ejus. Primo quidem hoc ipsi datur testimonium, quod coleret Deum, deinde quod invitaret Apostolos. « Cum ergo bap» tizata esset et domus ejus, deprecata est dicens : Domini » mei, si judicastis me fidelem Domino esse, introite in » domum meam, et manete. Et coëgit nos [2]. Ut autem bap» tizata est, inquit, illa et domus ejus. » Considera quomodo suaserit omnibus. Deinde vide prudentiam, quomodo obsecret Apostolos, quam humilia proferat verba, cum quanta

[1] Act. xvi, 13, 14. — [2] Ibid. 15.

sapientia. « Si judicatis me, inquit, fidelem Domino. » Nihil » ad persuadendum aptius : quem non emollirent hæc verba? Non rogavit, non precata est tantum, non eorum arbitrio rem reliquit, sed etiam coëgit. Id enim significat illud, « Coëgit nos », id est, his verbis. Vide quomodo statim fruc- » tum ferat, et lucrum magnum putet vocationem. Quod me fidelem judicaveritis liquet ex eo quod mihi tanta mysteria tradideritis, non traditurі, nisi me talem judicassetis. Nec ausa est antea invitare, sed postquam baptizata est. Hinc ostendens se non alio modo persuasuram fuisse. Cur Paulus et socii nolebant, sed renuebant, ita ut cogerentur? Ut illam ad majus studium concitarent, vel quia dixit Christus : « In quamcumque civitatem intraveritis, quis » sit dignus interrogate, et illic manete [1]. » Itaque omnia per œconomiam faciebant. « Factum est autem eun- » tibus nobis ad orationem, puellam quamdam haben- » tem Pythonem obviare nobis, quæ quæstum magnum » præstabat dominis suis divinando. Hæc subsecuta Pau- » lum, et nos, clamabat dicens : Isti homines servi Dei ex- » celsi sunt, qui annuntiant nobis viam salutis [2]. » Cur et dæmon talia locutus est, et Paulus prohibuit? Et ille maligne, et hic prudenter agebat : volebat enim non fide dignum reddere. Nam si testimonium ejus Paulus admisisset, multos etiam fideles decepisset, ut ab illo approbatus. Ideo illos prædicat, ut sua stabiliat, et demissius se gerit ad perniciem. Primo itaque non admisit Paulus, sed respuit, nolens tam facile signa edere : quia vero perseverabat illa multis diebus, et opus monstrabat : « Hi homines servi Dei » altissimi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis ; » tunc præcepit illi ut exiret. « Dolens autem Paulus et conver- » sus, spiritui dixit : Præcipio tibi in nomine Jesu Christi » exire ab ea. Et exiit eadem hora. Videntes autem domini

[1] Luc. x, 7. — [2] Act. xvi, 16, 17.

» ejus quia exivit spes quæstus eorum, apprehendentes Pau-
» lum et Silam, adduxerunt in forum ad principes, et offeren-
» tes eos magistratibus dixerunt : Hi homines conturbant
» civitatem nostram, cum sint Judæi, et annuntiant mo-
» res, quos non licet nobis suscipere neque servare, cum
» simus Romani [1]. » Ubique malorum causæ pecuniæ sunt. O paganorum inhumanitatem? volebant puellam dæmoniacam esse, ut pecunias colligerent. « Apprehendentes, » inquit, Paulum et Silam dicebant : Hi homines contur-
» bant civitatem nostram. » Quid facientes? cur non ante traxistis eos ? « Judæi cum sint, » inquiunt. Ita nomen illud male audiebat. « Et annuntiant mores, quos non
» licet nobis suscipere neque servare, cum simus Ro-
» mani. » Rem in læsæ majestatis crimen vertunt. « Et si-
» mul insurrexit turba contra illos. » O insipientiam ! Non examinarunt, non deliberarunt; quamvis eo edito miraculo adorare oporteret, et illos pro servatoribus et beneficiis habere. Nam si pecunias volebatis, cur tantis inventis divitiis non accurristis? Posse dæmonas fugare, splendidiores reddit, quam ipsis obtemperare. Ecce signa, sed pecuniarum cupiditas plus valuit. « Et magistratus scissis
» tunicis eorum, jusserunt eos virgis cædi. Et cum multas
» eis plagas imposuissent, miserunt eos in carcerem præci-
» pientes custodi ut diligenter custodiret eos [2]. » Itaque Paulus totum fecit, et miracula et doctrinam : periculorum vero consors fuit Silas. Quid est, « Dolens autem Paulus? » Malitiam, inquit, dæmonis videns, ut ipse alibi dicit : « Non
» enim cogitationes ejus ignoramus [3]. » Cur non dixerunt; « Dæmonem ejecerunt, in Deum impie egerunt; » sed, » Crimen læsæ majestatis intentant. » Hic se victos videbant. Sic et de Christo dicebant : « Non habemus regem nisi
» Cæsarem. Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari [4].

[1] Act. xvi, 18-21. — [2] Ibid. 22, 23. — [3] 2 Cor. ii, 11. — [4] Joan. xix, 14.

» Et conjecerunt eos, inquit, in carcerem. » Magnus furor. « Qui cum tale præceptum accepisset, conjecit illos in » interiorem carcerem, et pedes eorum strinxit ligno [1]. » Vide, ille eos in interiorem conjecit carcerem : et hoc ex providentia factum. Quia enim miraculum magnum futurum erat, idoneus locus ad rem evulgandam extra urbem statuitur, tentationibus et periculis vacuus. Vide quomodo hic scriptor studia recensere non erubescat. Certe cum quies esset, magis attendebant iis quæ dicebantur, neque urbs illa Philippensium magna erat. Hæc et nos scientes, neminem erubescamus. Apud coriarium manet Petrus, apud purpurariam Paulus : ubi est fastus ? Igitur Deum precemur, ut cor aperiat. Deus autem corda quæ voluerint aperit : at excæcata corda videre est. Sed superiora repetamus. « Mulier, inquit, purpuraria, cujus Dominus cor aperuit, » ut attenderet iis quæ dicebantur a Paulo. » Aperire itaque Dei est; attendere vero illius : res igitur erat et divina et humana. « Cum autem baptizata fuisset, inquit, depre- » cata est dicens : Si judicastis me. » Vide : et baptizatur, et recipit Apostolos post tantam supplicationem, majorem quam illam Abrahami. Nec dicit aliud indicium, quam illud quo servata fuerat. Non dixit : « Si magnam, si piam » mulierem judicastis me ; » sed quid ? « Fidelem Domino. » Si Domino, multo magis vobis, nisi dubitetis. Nec dixit : «Apud me, » sed, « In domo mea manete ; » ut ostenderet se hoc cum magna alacritate facere. Vere fidelis mulier. Dic vero mihi, quis est hic dæmon ? Deus, inquies, Python, a loco sic vocatur. Vides-ne etiam Apollinem esse dæmonem ? Et quia volebat illos in tentationes injicere, ut magis excitaret, ad hoc loquendum induxit.

III. O sceleste, et scelestissime ! Si ergo nosti illos viam salutis annuntiare, cur non egrederis lubens ? Sed idipsum

[1] Act. XVI, 24.

quod Simon volebat, cum diceret, « Date mihi ut cui im-» posuero manus accipiat Spiritum sanctum[1] : » hoc et iste faciebat; quia videbat illos celebrari, ita simulat, hac ratione sperans se relinquendum esse in corpore, si eadem prædicaret. Si vero apud hominem, « Non est spe-» ciosa laus in ore peccatoris[2], » multo magis apud dæmonem. Si ab hominibus testimonium non accipit Christus, nec a Joanne; multo minus a dæmone. Prædicare enim non est hominum, sed Spiritus sancti. Quia igitur arroganter faciebant clamantes, clamore se stuporem allaturos sperabant dicentes : « Ili homines conturbant civitatem » nostram : » Quid dicis? Credis-ne dæmoni? Cur non hic etiam credis? Ille dicit, « Servi Dei altissimi; » tu dicis, « Conturbant civitatem nostram; » ille dicit, « Annun-» tiant nobis viam salutis; » tu vero dicis, « Tradunt nobis » mores, quos non licet suscipere. » Vide illos neque dæmoni aures præbentes, sed unam spectantes avaritiam. « Traxerunt, inquit, eos in forum ad principes : et cu-» currit plebs adversus eos. » Vide illos non respondere, nec sese purgare; ut majore sint digni admiratione. Nam ait : « Cum infirmor, tunc potens sum. Sufficit tibi gratia » mea; nam virtus mea in infirmitate perficitur[3]. » Itaque ex mansuetudine admirabiles erant. Quanto diligentior custodia erat, tanto miraculum splendidius. Fortasse sic seditionem sedare volebant, quia videbant instantem turbam; plagis furorem sistere volebant. Cum autem in carcerem conjecerunt, et præceperunt accurate servari, causam audire volebant. « Et strinxit ligno » inquit, ac si diceret, in nervo. Quot lacrymis digna sunt quæ nunc aguntur? Illi mala patiebantur, nos in deliciis agimus, nos in theatris, unde pernicies accidit et submergimur, dum quietem undique quærimus, nec pro Christo volumus

[1] Act. VIII, 19. — [2] Eccli. XV, 9. — [3] 2 Cor. XII, 9.

vel convicia sustinere, vel etiam verba. Hæc frequenter in memoriam revocemus, obsecro, quanta illi passi sint, quanta sustinuerint; quomodo nec turbati, nec offensi sint. Dei opus exequebantur, et hæc passi sunt; non dicebant: « Cur non prædicamus, nec nobis præsidium affert Deus? » Sed et hoc illis proderat, et absque ope ex ipsa re constantiores reddebat, fortiores, imperterritos. » Tribulatio, inquit, patientiam operatur[1]. » Ne, quæso, fluxam et dissolutam quæramus vitam. Ut enim hic duplex bonum est, quod fortiores fiant, et quod magna sit merces; sic ibi duplex malum, quod molliores evadant, et quod ad nullam utilitatem, sed in malum. Nihil enim inutilius homine qui in otio et deliciis totum transigit tempus. Vir, inquit, non probatus, etiam reprobus; reprobus non in his tantum certaminibus, sed etiam in aliis omnibus. Res est inutilis desidia : atque in ipsis deliciis nihil ita fructu carens ut deliciari : id enim fastidium parit. Neque tanta est ciborum desidiæque voluptas; sed omnia defluunt, et avolant. Ne hanc quæramus. Si enim considerare voluerimus, uter suavius agat, qui laborat et in ærumnis vivit, an qui deliciatur; illum suavius vivere deprehendemus. Nam primo illius corpus enerve et ineptum est. Deinde corporis sensus non sunt sinceri neque sani; sed molles, et languidi; ubi vero sic res habet, neque sanitatis voluptas apparet. Quis equus utilis, qui deliciatur, an qui exercetur? Quæ navis, quæ navigat, an quæ otiatur? Quæ aqua, quæ fluit, an quæ quiescit? Quod ferrum, quod movetur, an quod nihil operatur? Annon illud quidem splendet, et argento simile est; hoc autem rubigine consumitur et inutile est, atque ex materia sua quidpiam amittit? Tale quidpiam accidit otiosæ animæ. Rubigo quædam illam pervadit, et splendorem corrodit, cæteraque

[1] Rom. v, 4.

omnia. Qua arte quis hanc rubiginem absterserit? Erumnarum cote. Illæ utilem reddunt animam, et in omnibus expeditam. Quomodo enim, quæso, poterit vitia succidere, hebetata acie, et quasi plumbum reflexa? Quomodo diabolum confodiet? Cui non est ingratus homo qui pinguedini studet, ac velut phoca trahitur?

III. Non hoc dico de iis qui natura tales sunt; sed de iis qui ex ciborum deliciis talia sibi corpora parant, cum natura sua graciles essent. Ortus est sol, radios ubique splendidos effudit, singulos ad opera excitavit. Agricola sumpto ligone exit; ærarius malleum apprehendit, singuli artifices quæ sibi congruunt: et quemque invenies instrumenta sua tractantem. Mulier colum vel texturam arripit. Ille autem summo mane quasi porcus ad pascendum ventrem exit, quærens quomodo lautam paret mensam. Atqui brutorum est tantum a summo mane cibum adire, quia ad nihil utilia sunt, nisi ad mactationem. Illa vero quæ dorso gestant, et operi apta sunt, ipsa quoque noctu ad opus egrediuntur. Hic autem a lecto surgens sole forum replente, et omnibus labore satiatis, surgit se distendens quasi porcus saginatus, post quam optimam diei partem in tenebris consumpsit. Deinde multo tempore in lecto sedet, nec ferre potest sæpe vespertinam cruditatem, in his consumpta maxima temporis parte. Hinc sese exornat, et procedit turpitudinis spectaculum, nihil habens hominis, sed omnia hominiformis bestiæ: oculi hiant; vinum os olet, misera anima quasi in lectum conjecta, ob illatam sine modo ciborum sarcinam, carnis pondus circumferens sicut elephas. Deinde veniens in locis sedet, taliaque dicit et facit, ut melius esset dormire illum, quam vigilare. Si gravia nuntientur, puella quavis mollior est; si suavia, puelli cujusvis tenerior, frequentissime oscitat. Omnibus prostat mala inferre volentibus,

si non hominibus, certe affectibus. Talem hominem facile excitant ira, concupiscentia, invidia, omnia. Omnes adulantur, omnes ministrant, molliorem solito reddentes animam : et quotidie prodit cum magna accessione morbi. Si in negotiorum difficultatem incidat, pulvis et cinis redditur : nihilque ei sericæ vestes prosunt. Hæc non sine causa a nobis dicuntur; sed ut doceamus ne quis otiose et inutiliter vivat. Otium namque et deliciæ, ad opus inutiles, ad gloriam solum et ad voluptatem sunt. Quomodo non omnes talem hominem damnent, domestici, amici, cognati? Quis non jure dicat : Pondus terræ hic est, frustra in mundum prodiit; imo non frustra, sed in malum capitis sui, in perniciem suam, in damnum aliorum? Quid dulcius otio videmus? Illud enim est quod quæritur, otium et vacatio. Et quid ingratius fuerit homine nihil habente quod operetur? Quid fœdius, quid miserius? Annon hoc innumeris pejus est vinculis, oscitare semper in foro sedentem, ac prætereuntes spectare? Anima quippe ex natura habens ut semper moveatur, quietem non fert. Ad operandum Deus hoc animal fecit, secundum naturam ejus est quod operetur, contra naturam quod sit otiosus. Ne ab ægris rem exploremus, sed operis experimentum capiamus. Nihil otio, nihil desidia deterius. Ideo nobis Deus laborandi necessitatem imposuit. Omnibus quippe nocet otium, ipsisque corporis membris. Nam oculus sit non operetur, itemque os, venter et quodvis membrum, in extremum incidit morbum : sed nihilita labore eget ut anima. Sicut autem otium malum est, ita quoque operatio non congruens. Quemadmodum enim si quis non edat, in dentibus læditur; si quæ non competunt edat, ut obstupescant efficit; ita et hic, sive non operetur, sive operetur quæ non oportet, vim amittit suam. Ergo utrumque fugere studeamus, et otium, et

opus otio gravius. Quodnam illud est? Avaritia, ira, invidia, contentiones, cædes, æmulationes, et reliqua vitia. Ab his vacare debemus, et virtutum operationem cum omni diligentia persequi, ut promissa consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXVI.

CAPUT XVI.

Media autem nocte Paulus et Silas orantes laudabant Deum, et audiebant eos vincti. Subito vero terræ motus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia, et universorum vincula soluta sunt [1].

I. Quid his par fuerit animabus? virgis cæsi multas plagas acceperant, contumelias et extrema pericula subierant, in ligno vincti erant, in carcere interiori: et ne sic quidem somnum capere volebant: sed pervigilium agebant. Videtis quantum sit afflictio bonum? Nos autem in mollibus lectis sine ullo terrore per totam dormimus noctem. Forte ideo pervigilium agebant, quia hoc in statu erant. Non illos somni tyrannis cepit; non dolor inflexit, non timor consternatos reddidit. Sed hæc multo magis illos excitabant, et multa replebant voluptate. « Media » autem nocte, inquit, orantes laudabant Deum: audie» bant autem illos vincti. » Novum enim et stupendum vi-

[1] Act. XVI, 25, 26.

debatur esse. « Subito vero terræ motus factus est magnus, » ita ut moverentur fundamenta carceris. Et statim aperta » sunt ostia omnia, et universorum vincula soluta sunt. » Terræ motus factus est, ita ut custos excitaretur a somno; et ostia aperta sunt, ita ut res esset mirabilis. Hæc vincti non videbant; alioquin fugissent omnes. « Expergefactus » autem custos, et videns januas apertas carceris, evaginato » gladio, volebat se interficere, æstimans fugisse vinctos. » Clamavit autem voce magna Paulus dicens: Nihil tibi » mali feceris. Universi enim hic sumus [1]. » Admiratus est magis benignitatem Pauli: obstupuit fortitudinem, quod cum fugere posset, non fugerit, et quod ipsum a cæde coluerit. « Petito autem lumine, introgressus est, et tremefactus procidit ante Paulum et Silam. Et producens eos » foras, dixit: Domini, quid me oportet facere ut salvus » fiam [2]. » Vides-ne quanta illum ceperit admiratio? « At » illi dixerunt: Crede in Dominum Jesum Christum, et » salvus eris tu et domus tua. Et locuti sunt ei verbum Do» mini, et omnibus qui erant in domo ejus [3]. » Quia statim locuti sunt illi, declararunt misericordiam erga illum. « Et » assumptis illis in eadem hora noctis, lavit plagas eorum: » et baptizatus est ipse, et omnis domus ejus continuo. » Cumque perduxisset eos in domum suam, apposuit men» sam et exultavit cum tota domo credens Deo [4]. » Lavit eos, quasi gratiam rependens, et sic illos honorans. « Et » cum dies factus esset, miserunt magistratus lictores, di» centes: Dimitte homines illos [5]. » Cognoverant forte factum magistratus, et non audebant per se ipsos dimittere. « Nuntiavit autem custos carceris verba hæc Paulo di» cens: Miserunt magistratus ut dimittamini. Nunc igitur » exeuntes, ite in pace. Paulus autem dixit eis: Cæsos nos

[1] Act. xvi, 27. 28. — [2] Ibid. 29, 30. — [3] Ibid. 31, 32. — [4] Ibid. 33, 34. — [5] Ibid. 35.

» publice, indemnatos homines Romanos miserunt in car-
» cerem : et nunc occulte nos ejiciunt ? Non ita, sed ve-
» niant, et ipsi nos ejiciant. Nuntiaverunt autem magistra-
» tibus lictores hæc verba. Timueruntque audientes quod
» Romani essent. Et egressi deprecati sunt eos, et eductos
» rogabant ut egrederentur e civitate. Egressi autem de
» carcere, ingressi sunt ad Lydiam ; et visis fratribus,
» exhortati sunt eos, et profecti sunt [1]. » Etiam magistratibus denuntiantibus Paulus non exit, forte propter Lydiam, et alios fratres ; vel ut terreat illos, ne putarentur rogatu suo dimissi fuisse ; ut etiam aliis fiduciam inderent. Triplex, dilecti, crimen erat : quod Romanos, quod non damnatos, quod publice in carcerem conjecissent. Vides illos plurima humano more fecisse. Exquiramus noctem illam, cum noctibus nostris comparando ; ubi comessationes, ebrietas, lascivia : ubi somnus a morte nihil differens : ubi vigiliæ somno ipso graviores. Alii enim dormiunt ita ut nihil sentiant ; alii miserabiliter vigilant, dolos struentes, de pecuniis curantes, ut ulciscantur eos qui se læserunt studentes, inimicitias meditantes, verba contumeliosa transacto die secum reputantes : sic iræ ignem succendunt, et intolerabilia perpetrant. Perpende quomodo Petrus dormiebat, illud per dispensationem factum est. Angelus enim advenit, neminemque rem gestam scire oportebat ; et merito quidem, ut ne custos carceris se ipsum interficeret. Et cur non aliud signum factum est ? Quia illud maxime ipsum attrahere et confirmare poterat, siquidem ille periclitaturus erat, nisi ita factum esset. Non enim ita signa trahunt, ut ea quæ ad salutem nostram attinent. Ne videretur terræ motum per se factum esse, secutum est id quod ipsi testimonio esset ; et noctu accidit. Nihil enim ad ostentationem faciebant, sed ad salutem. Non malus erat

[1] Act. xvi, 36-40.

carceris custos. Conjecerat illos in interiorem carcerem, quod ita sibi jussum esset, non motu suo. Et cur non ante clamavit Paulus? Perturbatione plenus erat homo, nec admisisset verba. Ideo cum vidisset illum sese interfecturum, præoccupat et clamat, dicens: « Omnes hic sumus. » Ideoque ille petito lumine insiliit, et ante Paulum et Silam procidit. Ad pedes vincti procidit custos. Et eduxit illos foras, dixitque: « Domini, quid me oportet facere, ut » salvus sim? » Quidnam dixerunt? Vide illum non ob hoc diligere, quod servatus esset, sed quod de virtute obstupesceret.

II. Vides quid illic, quid istic factum sit? Illic puella liberata est a maligno spiritu, et in carcerem conjecerunt eos, quod illam a dæmone liberassent; hic solum januas apertas ostenderunt: et aperuit januas cordis illius: solvit vincula duplicia, accendit lumen illud: nam et in corde ejus lux fulgebat. Et insiliit et procidit, nec interrogat quomodo res facta sit, quid factum sit; sed statim ait: « Quid » me oportet facere ut salvus sim? » Quid ergo Paulus? « Crede in Dominum Jesum Christum, et salvus eris, in» quit, tu et domus tua. » Hoc maxime homines allicit, quod et domus salva sit. « Et locuti sunt ei verbum, et » omnibus qui erant in domo ejus. » Lavit eos, et lotus est. Illos quidem a plagis abluit, ipse a peccatis ablutus est; nutrivit, et nutritus est. « Et exultavit, » inquit. Atqui nihil erat nisi verba tantum et spes bona. Hoc signum erat, credidisse illum, sibi omnia remissa fuisse. Quid custode carceris pejus? Quid crudelius? Quid ferocius? Attamen cum multo illos suscepit honore. Non quod servatus esset gavisus est; sed quod Deo crederet. « Crede, inquit, in » Dominum. » Ideo dixit, qui credidit Deo, ut ne videretur quasi damnatus et peccator solvi. Idcirco dicunt: « Cæsos nos publice indemnatos homines conjecerunt in

» carcerem ; » ut non modo gratiæ, sed etiam ipsorum esset opus. Vide ut varia dispenset gratia. Quomodo ille egressus est, quomodo hic, etsi uterque Apostolus esset. « Timuerunt, » inquit. Timent quia Romani sunt, non quia injuste conjecerunt. Et rogaverunt illos ut exirent ex civitate. Hanc petiere gratiam. Illi vero ut venerunt ad Lydiam et confirmarunt eam, sic profecti sunt. Non oportebat enim hospitalem illam in agone et sollicitudine relinquere. Egressi autem sunt, non illis obtemperantes, sed ad prædicationem festinantes, cum civitas per miraculum illud satis adjuta fuisset. Non oportebat ultra manere. Nam miraculum majus apparet magisque clamat post profectionem eorum qui ipsum patraverant. Etenim custodis carceris fides pro voce erat. Quid huic rei par ? Ligatur et solvit duplex vinculum. Ligantem se solvit per hoc quod ipse ligatus sit. Hæc vere sunt gratiæ opera. Nunc ergo, inquit, egressi, ite in pace; id est, cum securitate, nihil timentes; vel aliter, id sine periculo fieri volunt, ne post hæc accusentur. Et non dicunt : « Cæsos nos conjecerunt in carcerem, quia miracula operati eramus : » neque enim his attendebant; sed quod illorum animos concutere poterat, « Indemnatos, inquit, et Romanos. » Hujus vincti semper memores simus, et non miraculi. Quid dicent gentiles ? Quomodo vinctus cum esset, suasit vincienti ? Et quem, inquiunt, persuaderi oportebat, nisi scelestum hominem, miserum, qui mentem non haberet, mille malis onustum, et captu facilem? Hæc insuper proferunt; « Quis credidit, nisi coriarius, purpuraria, eunuchus, custos carceris, servi et mulieres ? » Quid ergo dicere poterunt quando eos, qui in dignitatibus erant, producemus, centurionem, proconsulem, alios ex illo ad hoc usque tempus, imperatores, reges ?» Ego vero aliud majus dico; viliores illos dispiciamus. Ecquid ibi mirum, inquies. Hoc certe mirum. Nam

si quidem de rebus vulgaribus crederet, non mirum esset : cum vero de resurrectione, de regno cœlorum, de vita philosophica quis popularibus loquetur, et persuadebit, hoc mirabilius erit, quam si sapientibus persuasisset. Cum enim non est periculum, et quis suadet, e re stultitiam in medium proferunt. Quando autem quis dixerit servo secundum te : si mihi credas, periclitaris, omnes habebis tibi inimicos, oportet te mori, mille subire mala ; sicque illius animam capiat : non jam ex insipientia est. Nam si dogmata voluptatem haberent, jure quis hoc diceret. Si vero id quod nollent philosophi discere, servus discat, majus est miraculum. Et si vultis, coriarium ipsum in medium adducamus, et videamus quid ipsi Petrus loquatur ; vel si placet, ipsum custodem carceris. Quid ergo ipsi dicit Paulus? Christus resurrexit : est resurrectio mortuorum et regnum, et statim persuasit facile credenti. Quid ergo? De vita nihil dixit, quod sapere oporteat, quod pecuniis imperare, quod non esse inhumanum oporteat, quod bona sua eroganda sint aliis? Neque enim hæc credidisse insipientis esset, sed magni animi. Esto enim ipsi dogmata ex insipientia acceperint ; vitam illam philosophicam suscipere an insipientis esset? Itaque quanto magis insipiens esset ille qui obtemperaret, et tamen ea susciperet, quæ philosophis persuadere philosophi non possent, majus esset miraculum : maxime vero cum mulieres et servi persuadentur, et per opera hæc exhibent, quæ nec Platones, nec alii omnes ulli persuadere potuerunt. Et cur nulli dico? nec sibi ipsis quidem. Nam Plato quidem persuasit pecunias non esse contemnendas, qui tantas facultates, et opes annulosque aureos et phialas possedit (18). Quod vero gloriam popularem despicere non oporteret, Socrates ipse, qui tantopere philosophabatur, ostendit, qui omnia ad gloriam faciebat. Et si quidem illius sententiarum periti essetis, multum his

de rebus sermonem moverem, ostenderemque multam apud illos esse ironiam, siquidem discipuli ejus dictis credere fas sit : et quomodo a vana gloria omnes ejus litteræ argumentum habeant.

III. Sed missis illis, nobis ipsis loquamur. Nam supradictis hoc quoque addendum, quod cum suo periculo his obtemperarent. Ne igitur impudens sis; sed cogita illam noctem, lignum, hymnos : et hoc nos facere studeamus. Et aperiemus nobis, non carcerem, sed cœlum. Si precemur, cœlum ipsum aperire poterimus. Elias certe clausit et aperuit cœlum precibus. Est quoque in cœlo carcer : «Quæcumque, inquit, ligaveritis super terram, erunt ligata »et in cœlo [1]. »Precemur noctu, et hæc vincula solvemus. Quod enim preces peccata solvant, nobis vidua persuadeat, illeque amicus qui intempesta nocte perseverat et pulsat : persuadeat et Cornelius : «Orationes tuæ, inquit, et eleemo»synæ tuæ ascenderunt in conspectu Dei [2]. »Persuadeat nobis Paulus dicens : «Quæ autem vere vidua est et solita»ria, speravit in Deum, et perseverat in precibus nocte et »die [3]. »Si de vidua infirma muliere hæc ille dicit, multo magis de viris et jam locutus sum vobis et nunc dicam. Excitemur nocte; etiamsi non multas orationes emittas, unam emitte cum vigilantia, et sufficit. Nihil amplius peto. Si non media nocte, saltem diluculo. Ostende noctem non modo corporis esse, sed etiam animæ. Ne sinas illam inutiliter transire; sed Domino hanc vicem rependе; imo ipsa in te revertitur. Dic mihi : si in grave negotium incidissemus, quem non precaremur? Et si petitionem cito impetraremus, utique respiraremus. Quis tibi daret ut is, a quo gratiam petis, gratiam tibi haberet quod peteres? Quis tibi daret, ut non circuires, quærens a quo peteres, sed paratum invenires? nec aliis opus haberes per quos

[1] Matth. xvi, 19. — [2] Act. x, 4. — [3] 1 Tim. v, 5.

peteres? Quid hoc majus est? Hic quippe tunc maxime facit, cum non alios rogamus; ut sincerus amicus, tunc maxime nos objurgat, quod non ejus amicitiæ fidamus, cum alios adhibemus qui ipsum precentur. Sic et nos facimus iis, qui nos rogant, tunc maxime iis gratiam largimur, quando per se ipsos, non per alios, ad nos accedunt. Quid ergo, inquies, si offenderim? Offendere desine et lacrymas funde; sic accede, et cito imprimis illum placatum invenies. Dic tantum : Offendi : dic ex animo et sincera mente, et soluta sunt omnia. Non adeo cupis remitti tibi peccata, ut ille cupit. Quod autem tu non cupias, cogita; neque enim vigilias suscipis, neque pecunias effundis : ille vero, ut peccata nostra dimitteret, Unigenito non pepercit, genuino Filio ejusdemque throni consorte. Vides-ne eum magis cupere ut remissionem peccatorum consequaris? Ne ergo segnes simus, nec procrastinemus. Clemens est et bonus : solum ansam illi præbeamus; et hoc ut nos non inutiles simus, etiamsi nobis ille sine hac conditione remitteret. Sed ut nos in ministris nostris millia confingimus et componimus, sic et ille ad salutem nostram facit. « Præ» occupamus faciem ejus in confessione[1], » quia bonus et clemens est. Si vero non invocaveris in veritate, nec ex corde dicere velis : Dimitte; sed ex ore tantum, quid ipse faciet? Quid est invocare in veritate? cum alacritate, ex animo sincero; ut de unguentis dicitur : Sincerum est, nihil adulterinum habet. Sic et illic, qui vere ipsum invocat, et precatur, perseverat semper, nec desinit, donec accipiat. Qui vero perfunctorie agit, et sic legem implet, non invocat in veritate. Quisquis sis, ne dicas tantum : Peccator sum; sed cura ut ab hac existimatione te liberes. Ne dicas tantum, sed et doleas; si doles, operam adhibes; si non operam adhibes, non doles. Si non doles, irrides. Quis

[1] Psal. xciv, 2.

dicens ægroto, non omnia agit ut sanetur? Magnum telum est oratio. « Si vos, inquit, nostis bona data dare filiis ves- » tris, quanto magis Pater vester[1] ? » Cur non vis accedere? Te amat, plus potest quam omnes : et vult et potest. Quid impedit? Nihil. Ergo cum fide accedamus. Accedamus dona offerentes quæ vult, injuriarum oblivionem, benignitatem, mansuetudinem. Etsi peccator sis, cum fiducia ab ipso remissionem peccatorum petes, si possis ostendere hoc ipsum a te factum esse. Si vero justus sis, nec injuriarum oblivionem habeas, nihil tibi prodest. Non potest qui proximo dimisit non plenam veniam consequi. Sine ulla comparatione clementior nobis est Deus : hoc cuivis palam est. Quid dicis? Si dixeris : Læsus fui, iram domui, furoris vim pertuli propter præceptum tuum, annon et ipse dimittet? Omnino certe dimittet. Itaque animam purgemus ab injuriarum memoria. Sufficit hoc nobis ut exaudiamur, ac vigilanter et cum perseverantia precemur; ut copiose ejus clementia fruentes, promissa assequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Luc. xi, 13.

HOMILIA XXXVII.

CAPUT XVI.

Cum autem perambulassent Amphipolim et Apolloniam, venerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga Judæorum. Secundum consuetudinem autem Paulus introivit ad eos : et per sabbata tria disserebat eis de Scripturis : adaperiens et insinuans, quia Christum oportuit pati, et resurgere a mortuis : et quia hic est Christus Jesus, quem ego annuntio vobis[1].

I. Rursus parvas prætercurrunt civitates, et ad majores festinant, quod inde quasi ex fonte verbum deberet in vicinas urbes manare. Pro more autem suo intravit Paulus in synagogam Judæorum; quamvis dixerat, « Convertimur » ad gentes[2], » non relinquebat illos; sed magno illos studio prosequebatur. Audi enim illum dicentem : « Fratres, » beneplacitum cordis mei, et precatio ad Deum pro » Israël est ad salutem[3] ; » et, « Cupiebam anathema esse » a Christo pro fratribus meis[4]. » Hoc autem faciebat propter promissionem Dei et gloriam, et ne hoc offendiculum esset gentibus. « Et per sabbata tria disserebat eis de » Scripturis, adaperiens et insinuans, quia Christum opor- » tuit pati et resurgere a mortuis : et quia hic est Jesus » Christus, quem ego annuntio vobis. » Vides illum ante omnia passionem prædicare? Sic illi non erubescebant, sed sciebant hoc salutre esse. « Et quidam ex eis credide- » runt, et adjuncti sunt Paulo et Silæ : et de colentibus » gentilibus multitudo magna, et mulieres nobiles non

[1] Act. XVII, 1-3. — [2] Id. XIII, 46. — [3] Rom. X, 7. — [4] Id. IX, 9.

» paucæ[1]. » Summam dixit concionis; ita alienus est a superfluitate, nec ubique conciones totas recitat. « Zelantes » autem Judæi increduli; assumentesque de vulgo viros » quosdam malos, et turba facta concitaverunt civitatem. » Et invadentes domum Jasonis, quærebant eos producere » in populum. Et cum non invenissent eos, traxerunt Ja- » sonem et quosdam fratres ad principes civitatis, claman- » tes : Ili sunt qui urbem concitant, et huc venerunt : » quos suscepit Jason. Et hi omnes contra decreta Cæsaris » faciunt; regem alium dicentes esse Jesum[2]. » O accusationem ! rursus violatæ majestatis accusant eos, dicentes, inquiunt, esse alium regem Jesum. « Concitaverunt autem » plebem et principes civitatis audientes hæc. Et accepta » satisfactione a Jasone et a cæteris, dimiserunt eos[3]. » Admirandus ille vir erat, qui pericula adibat, et emiserat eos. « Fratres vero confestim per noctem dimiserunt Pau- » lum et Silam in Beræam. Qui cum venissent, in syna- » gogam Judæorum introierant. Hi autem erant nobiliores » eorum qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum » cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc » ita se haberent[4]. » Nobiliores, inquit, id est mansuetiores : et vide, non perfunctorie, sed accurate scrutabantur Scripturas. Id enim significat illud, ἀνέκρινον; volebant quippe ex ipsis certiores fieri de passione, jam enim crediderant. « Et multi quidem crediderunt ex eis, et mulieres » gentiles honestæ, et viri non pauci. Cum autem cogno- » vissent in Thessalonica Judæi, quia et Berææ prædica- » tum est a Paulo verbum Dei, venerunt et illic commo- » ventes multitudinem. Statimque tunc Paulum dimiserunt » fratres, ut veniret usque ad mare. Silas autem et Time- » theus remanserunt ibi[5]. » Vide illum et cedentem et ins-

[1] Act. XVII, 4. — [2] Ibid. 5-7. — [3] Ibid. 8, 9. — [4] Ibid. 10, 11. — [5] Ibid. 12-14.

tantem, multaque humano more facientem. « Qui autem »deducebant Paulum perduxerunt eum usque Athenas. Et »accepto mandato ab eo ad Silam et Timotheum, ut »quam celeriter venirent, profecti sunt[1]. » Sed superiora repetamus. « Per sabbata tria, inquit, loquebatur eis, »aperiens ex Scripturis. » Recte, quando vacabant. Sic Christus semper faciebat, a Scripturis ubique disserens, nec semper signa faciens. Quia enim in hoc contrarii erant, et quasi deceptorem et præstigiatorem ipsum calumniabantur; ideo ipse a Scripturis disserit. Nam qui per sola signa persuadere conatur, jure suspectus est. Qui vero ex Scripturis persuadet, non venit in illam suspicionem. Et sæpe invenimus cum doctrina persuadere. Cum autem Antiochiæ doceret, congregata est ad illum civitas. Ita magnum quoddam hoc est, nec signum minus, sed sane maximum. Et ne putarent se totum posse, permittit Deus ut pellantur. Duo enim hinc proveniebant. Non altum sapiebant quasi ipsi superassent, neque terrebantur ut rei; ita ex œconomia erat quod vocarentur. « Colentium gentilium, inquit, multitudo, et ex gentili»bus honestis mulieribus, et ex viris non pauci credide»runt. » Illi vero contra. Quomodo autem qui dicit : « Ut »nos ad gentes, illi autem ad circumcisionem[2], » cum Judæis disserebat? Hoc ex abundanti faciebat. Sed si Judæis disserere oportebat, quomodo rursum dicebat : « Qui »enim operatus est illi in circumcisionem, operatus est »mihi inter gentes? » Sicut etiam illi gentibus loquebantur, licet ad circumcisionem segregati, ita et hic sæpius cum gentibus agebat, nec tamen Judæos negligebat; ut ne viderentur divisi esse.

II. Et quomodo, inquies, prius in synagogas intrabat? Sed gentilibus persuadebat per Judæos, et ex iis quæ Ju-

[1] Act. XVII, 15. — [2] Galat. II, 9.

dæis dicebat. Sciebat enim hoc gentilibus ad fidem adducendis idoneum esse. Ideo dicebat : « In quantum ego sum » gentium Apostolus [1]. » Epistolæque ejus omnes contra Judæos certamen præferunt. « Quia Christum, inquit, » oportebat pati. » Si pati oportebat, ergo et resurgere ; hoc enim longe mirabilius est, quam illud. Si enim eum, qui nihil injuste egerat, morti tradidit, multo magis suscitavit illum. « Judæi autem increduli, assumptis forensi- » bus quibusdam, turbarunt civitatem, » inquit. Itaque plures erant gentiles. Et assumentes quosdam, quia non se putabant satis esse Judæi ad seditionem. Et quia rationabilem causam non habebant, ex tumultu semper hæc omnia perficiunt, et assumptis improbis hominibus. « Non » inventis autem illis, inquit, traxerunt Jasonem. » O tyrannidem ! Ab ædibus sine causa illos trahebant : « Hi » omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium di- » centes esse Jesum. » Quia illi nihil decretis contrarium dicebant, nec civitatem concitabant, in aliud illos crimen ducunt, et læsæ majestatis falso accusant. Et quid timetis, siquidem mortuus est ? Vide quomodo persecutiones ubique prædicationem promoveant : « Hi autem erant nobi- » liores eorum qui sunt Thessalonicæ, » id est, nihil mali faciebant. Sed alii quidem crediderunt ; hi vero contrarium faciunt turbantes illos. Multi autem ex illis et ex gentilibus mulieribus crediderunt. Hic rursus gentiles credunt. Tu vero mihi considerес velim, ipsos per œconomiam fugisse, non præ metu. Alioquin enim finem fecissent prædicandi, nec magis exacerbassent. Sed hinc duo eveniebant : et illorum furor extinguebatur, et prædicatio augebatur. Condigne autem de illorum tumultu dicit, venisse eos illic turbas concitantes, infrenem illorum furorem subindicans. Statim vero Paulum emiserunt fratres, ut

[1] Rom. xi, 13.

iret, inquit, quasi ad mare. Hic jam Paulum solum mittunt : metuebant enim ne quid ipsi mali accideret. Hæc ipsis summa verum erat : sic non ubique gratia operabatur; sed sinebat illos humana agere, illos excitans et expergefaciens, atque in sollicitudinem injiciens. Vide ergo, usque Phi ippos servavit eos; inde vero non item. « Et ac» cepto mandato, inquit, ad Silam et Timotheum, ut quam » celerrime venirent ad eum, profecti sunt, » Idque merito : etiamsi enim Paulus esset, opus habebat illis. Igitur in Macedoniam bene a Deo impellebantur. Clara namque jam erat Græcia; alioquin et alia præter necessitatem faciebat. Christus jusserat ex Evangelio vivere : hic autem non faciebat. Christus non misit illum baptizare; hic vero baptizabat : vide quomodo conferendus omnibus erat. Petrus ad circumcisionem, hic ad gentes, ad majorem partem. « Et accepta, inquit, satisfactione a Jasone, dimiserunt » eos. » Vide quomodo, satisfactione data, Jason Paulum emisit; et ita animam suam pro illo posuit. « Hi, inquit, » erant nobilissimi Thessalonicensium; » id est, virtute et fide erga Deum. « Qui susceperunt verbum cum omni ala» critate, inquit, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se » haberent. » Non temere ex impetu et zelo : atqui major urbs erat, et forenses homines erant ibi. Mirum autem non est, si in majore civitate pejores sunt. Certe in majore pejores esse verisimile est; ubi multæ sunt turbarum occasiones. Ut enim in corpore, cum morbus est gravior, plus habet materiæ et alimenti; ita et hoc loco, quod et Iconii factum est, et nunc quoque. Et egreditur Paulus; ut et aliorum perniciei pœnas dent. Ideo dicebat Paulus : « Prohibentibus nos loqui gentibus [1]. » Et cur istic, inquit, non manserunt? Cur non signa fecèrunt? Nam si illic, ubi lapidatus est, mansit multo tempore; multo magis hic ma-

[1] 1 Thess. II, 16.

nendum erat. Quare? Non semper volebat Deus illos hæc signa facere. Neque enim minus signum est sine signis vincere, quam signa facere. Itaque, sicut nunc, absque signis prævalet; sicut tunc sæpe volebat vincere. Itaque nec Apostoli ad signa currebant, et ipse ait: « Nos autem prædicamus » Christum crucifixum [1]. » Signa quærentibus et sapientiam, hæc damus, quæ nec cum signis persuaderi possunt: et persuademus. Itaque magnum illud signum erat. Vide ergo jam extensa prædicatione, quam cito currant ad signa. Oportebat enim jam propter credentes plura esse signa, quam alibi: itaque fiunt: sed recedendo et accedendo illa faciebant. « Emiserunt illum, inquit, quasi ad » mare. » Quare? Ut non possent illum facile apprehendere. Ita enim magnum quid se præstare putabant, sicque bene rem gesserunt ac perfecerunt. Interim illum eruere volebant.

III. Vide quanta Discipuli erga præcipuos utebantur cura: at non sicut nunc divisi sumus; dividimur namque parvi et magni: inter nos alii extolluntur, alii invident: ideoque invident, quia nos inflamur, nec patimur æqualiter agere cum illis. Idcirco in corpore concentus est, quia non est inflatio: non est autem inflatio, quia sic membra disposita sunt, ut aliud alio opus habeat. Caput pedibus opus habet, et pedes capite. Et hoc nobis fecit Deus, neque sic sustinemus. Oporteret enim, etiamsi hoc non esset, charitatem esse. Annon auditis externos qui nos calumniantur, quando dicunt: « Utiles amicitiæ; laïci nobis opus habent nos vero rursum propter illos sumus? » Sic nec doctor, nec princeps esset, si non adessent discipuli et subditi; neque facerent quæ sua sunt: non enim possent. Quemadmodum et terra agricola, et agricola terra opus habet; ita et hic. Quam enim mercedem habet doctor, qui non po-

[1] 1 Cor. i, 23.

test ostendere ab se edoctos? Quam ii qui docentur, qui non optima fruuntur doctrina? Itaque alter altero opus habemus, et principes subditis : et dux obsequentibus. Principes namque multorum gratia sunt. Nemo enim sufficit per se ipsum aliquid operari; sive ordinare oporteat, sive consilia et sententias explorare, sed honoratiores illi sunt a cœtu et multitudine. Exempli gratia, pauperes dantibus egent, dantes accipientibus. « Vos mutuo consideran» tes, inquit, ad incitationem charitatis et bonorum ope» rum. » Ideo plura potest Ecclesiæ cœtus : et quod singuli per se non possunt, cum aliis juncti possunt. Ideo hic maxime necessariæ sunt preces pro orbe, pro Ecclesia quæ in finibus est, pro pace, pro iis qui sunt in calamitate. Et hoc Paulus indicat dicens : « Ut ejus quæ in nobis est do» nationis in personis multis per multos gratiæ agantur pro » nobis[1]. » Hoc est, ut multis gratia conferatur. At sæpe illorum preces requirit. Vide quid dicat Deus et Ninivitis : « Ego vero non parcam urbi, ubi sunt plus quam centum » viginti millia[2] ? Ubi duo vel tres, inquit, congregati fuerint » in nomine meo, ibi sum in medio eorum[3]. » Si autem duo multum possunt, quanto magis plures? Si vero etiam unus possit; at non æqualiter. Cur unus es? Cur multos non facis? Cur non es auctor charitatis? Cur non amicitiam paras? Maximam virtutis laudem non habes. Sicut enim cum ex pacto mali sunt quidam, magis irritant Deum; sic in concordia bonos esse magis oblectat. Non eris, inquies, cum multis in malum. « Omnes declinaverunt, simul inutiles » facti sunt[4], » et facti sunt quasi cantantes in nequitia sua. Para tibi amicos præ domesticis, præ aliis omnibus. Si pacificus, est filius Dei, quanto magis is qui amicitias parat? Si is qui reconciliat, filius Dei vocatur, qui reconciliatos amicos facit, quo non erit dignus munere? Hanc

[1] 2 Cor. I, 11. — [2] Jon. 4. — [3] Matth. XVIII, 19. — [4] Psal. XIV, 3.

faciamus negotiationem; inimicos mutuo amicos reddamus : et eos, qui nec inimici nec amici sunt, congregemus, et ante omnes, nosmetipsos. Quemadmodum enim qui domi inimicitiam habet, et cum uxore sua dissidet, non est fide dignus ut alios reconciliet; sed audiet. « Medice cura » te ipsum[2] ; » sic et iste audiet. Quæ igitur nobis est inimicitia? Animæ cum corpore, malitiæ cum virtute. Hanc solvamus, hoc tollamus bellum : et tunc cum pace alios alloquemur, et cum multa fiducia, non accusante nos conscientia nostra. Pugnat ira cum mansuetudine; pugnat pecuniarum amor cum ipsarum contemptu; pugnat invidia cum benignitate. Hoc solvamus bellum, hos dejiciamus inimicos, hæc erigamus tropæa, in civitate nostra pacem conciliemus. Civitas quippe nobis est, et administratio, et cives et extranei multi; sed peregrinorum ejectionem faciamus; ut ne domestici corrumpantur. Nec alienum nec nothum dogma ingrediatur, nullaque carnalis sententia. Annon videmus quomodo si quis inimicus in urbibus capiatur, quasi explorator judicatur? Ergo peregrinos eliciamus; imo non peregrinos modo, sed etiam inimicos. Si quem videamus, tradamus principi menti, cogitationem, barbaram quidem, sed civili veste indutam. Multæ namque nobis insunt cogitationes hujusmodi, natura quidem inimicæ, sed ovili vellere indutæ. Quemadmodum et Persæ, sublata tiara, braccis, calceisque barbaricis, veste nobis usitata induti, corpore rasi, et nobis consueta lingua loquentes, habitu bellum occultant. Sed si tormenta statim adhibueris, cum qui latet manifestas. Ita hic facito, hanc cogitationem millies explora, et cito videbis barbaricum sensum. Ut autem vobis exemplo monstrem hujusmodi exploratores, quos submittit diabolus ut nostra dispiciant; age unum exuamus et ad tribunal diligenter examinemus,

[2] Luc. IV, 23.

et si placet, quosdam ex iis, quos Paulus deprehenderat, adducamus : « Quæ sunt, inquit, rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione et humilitate, et non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis[1]. » Exempli causa; Judaïsmum volebat diabolus inducere; itaque si ipsum per se induceret, non persuaderet. Vide igitur quomodo illum apparavit. Oportet, inquit, abstinere corpus. Hoc philosophia est; non admittere cibum, sed cavere. Hoc humilitas est. Et nunc item cum hæreticis volebat nos ad creaturam deducere. Vide igitur quomodo dolum paravit. Si dixisset : « Creaturam adora, » captus fuisset. Sed quid ait? « Deus creatus est. » Sed nudam exponamus judicum calculo Scripturarum apostolicarum sententiam; illo ducamus eum. Ipsi agnoscent et prædicationem et loquelam. Multi plurimum lucrantur, ut habeant quod dent pauperibus. Injusta lucra, et hæc cogitatio gravis est; sed exoneremus illam. Confutemus, ut ne capiamur : sed omnes diaboli machinas effugientes, possimus sana dogmata strenue retinentes, secure præsentem transigere vitam, et promissa consequi bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Colos. II, 24.

HOMILIA XXXVIII.

CAPUT XVII.

Paulus autem cum Athenis eos expectaret, incitabatur spiritus ejus in eo, videns idololatriæ deditam civitatem. Disputabat igitur in synagoga cum Judæis et colentibus, et in foro per omnes dies, cum iis qui aderant[1].

I. Vide Paulum majores a Judæis[2], quam a gentibus tentationes habentem. Athenis autem nihil tale patitur; sed res tota in risum cessit, etiamsi aliquos persuaserit. Apud Judæos autem multa gravia : adeo erant irritati. Ideo ait: «Paulus autem cum Athenis eos expectaret, inci» tabatur spiritus ejus in eo, videns idololatriæ deditam » civitatem. » Jure incitatur : nusquam enim tot idola videre erat. « Disputabat igitur in synagoga cum Judæis et » colentibus, et in foro per omnes dies, ad eos qui ade» rant. » Vide, iterum cum Judæis disserit, undique ora comprimens eorum qui dicerent ipsum, relictis Judæis, ad gentiles se convertisse. Mirum quod philosophi non deriserint, sic statim contumeliose loquentem, neque a prædicatione resilierint dicentes : «Procul hoc est a philosophia :» quia nihil fastus habebat. Alioquin autem dicta nec capiebant, nec intelligebant. Quomodo enim intellexissent, cum alii Deum esse corpus, alii voluptatem esse felicitatem dicerent? « Quidam autem Epicurei et Stoïci disserebant cum » eo; et quidam dicebant : Quid vult seminiverbius iste » dicere? alii vero : Novorum dæmoniorum videtur annun-

[1] Act. XVII, 16, 17. — [2] Vide D. Guillon, tom. XI, p. 340-346.

» tiator esse, quia Jesum et resurrectionem annuntiabat » eis[1]. » Nam resurrectionem Deum quemdam esse putabant, utpote soliti fœminas colere. « Et apprehensum eum » ad Areopagum duxerunt dicentes : Possumus scire quæ » est ista nova, quæ a te dicitur, doctrina? Nova enim quæ- » dam infers auribus nostris. Volumus ergo scire quidnam » velint hæc esse[2]. » Duxerunt illum ad Areopagum, non ut discerent ; sed ut punirent, ubi erant judicia sanguinaria. Vide ergo quomodo, sub spe discendi et ubique novam doctrinam incusant. Loquacium civitas illa erat. « Athenienses autem omnes, et advenæ hospites, ad nihil » aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi. » Stans autem Paulus in medio Areopagi ait : Viri Athe- » nienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video. Præte- » riens enim et videns simulacra vestra, inveni aram, in » qua scriptum erat : Ignoto Deo. Quem ergo ignorantes » colitis, hunc ego annuntio vobis[3]. » Ac si illos laudaret, videtur nihil molestum dicere. Quasi superstitiosiores, inquit, vos video ; id est, quasi pios. « In qua scriptum » erat : Ignoto Deo. » Quid est hoc? Athenienses, quia per multa tempora acceperant Deos, etiam extraneos ; nempe templum Minervæ, Pana, aliosque aliunde : timentes ne forte quis alius nondum notus sibi esset, qui tamen coleretur alibi, ad majorem securitatem, huic quoque aram erexerunt. Quia vero non erat manifestus Deus, inscriptum erat, Ignoto Deo. Hunc ergo Jesum Christum esse Paulus dicit, imo potius universorum Deum. « Quem ergo » ignorantes, inquit, colitis, hunc ego annuntio vobis. » Vide quomodo ostendat ipsos jampridem ipsum accepta- visse. Nihil extraneum, inquit, nihilque novum affero : hoc illi perpetuo dicebant. Quæ est ista nova abs te prolata doctrina? Nova enim quædam ingeris auribus nostris. Sta-

[1] Act. xvii, 18. — [2] Ibid. 19, 20. — [3] Ibid. 21-23.

tim ergo eorum suspicionem tollit, et dicit : « Deus qui » fecit mundum et omnia quæ in illo sunt, hic cœli et terræ » cum sit Dominus[1]. » Deinde ne putent unum ex multis esse, hoc corrigit sic loquens : « Non in manufactis templis » habitat, nec manibus colitur humanis, indigens aliquo[2]. » Vides-ne quomodo paulatim philosophiam inducit, quomodo irridet gentilium errorem? « Dans vitam, et spiritum » et omnia. Fecitque ex uno sanguine omne genus homi- » num habitare super universam faciem terræ[3]. » Hoc Dei proprium est. Vide ergo annon hæc de Filio etiam dici possint. « Cœli, inquit, et terræ Dominus : » quæ illi putabant Deos esse. Et creationem declarat et homines. « De- » finiens statuta tempora et terminos habitationis eorum, » quærere Deum, si forte contrectent eum, aut inveniant, » quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. In ipso » enim vivimus, et movemur et sumus, sicut quidam Poë- » tarum vestrorum dixerunt : Ipsius enim et genus sumus[4]. » Hoc Aratus poëta dixit. Vide ut demonstrationes afferat et ab iis quæ ipsi fecerant dixerantque. « Genus ergo cum si- » mus Dei, non debemus æstimare auro et argento, aut » lapidi sculpturæ artis et cogitationis hominis Deum esse » similem[5]. » Atqui, ideo, inquies, debemus. Minime : neque enim nos, neque animæ nostræ similes. Cur ergo non statim philosophice locutus est, nec dixit : « Deus incorporeus natura, invisibilis est et sine figura? » Quia superfluum videbatur hoc dicere hominibus, qui nondum didicerant unum esse Deum. Ideo missis illis, in eo quod jam quæritur insistit et ait : « Et tempora quidem hujus igno- » rantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, ut » omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem, » in quo judicaturus est orbem in justitia, in viro, in quo

[1] Act. XVII, 24. — [2] Ibid. 25. — [3] Ibid. 26. — [4] Ibid. 27, 28. — [5] Ibid. 29.

» statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mor-» tuis[1]. » Vide : post quam eorum mentem concusserat, cum diceret : « Statuit diem, » illosque terruerat; tunc opportune hoc inducit, « Suscitans eum a mortuis. » Sed superiora repetamus. « Cum Athenis illos expectaret Pau-» lus, incitabatur, inquit, spiritus ejus in eo. » Non iram vel indignationem hic significat incitatio illa, sed vigilantiam et zelum, ut et alibi : « Facta est, inquit, dissensio in-» ter illos[2]. »

II. Vide autem quomodo provideatur, ut invitus illic maneat expectans illos. Quid ergo est, « Incitabatur? » id est, excitabatur : ab ira et indignatione procul erat hoc donum. Non ferebat, sed tabescebat. « Disputabat ergo in » synagoga cum Judæis, inquit, et colentibus. » Vide rursus contra Judæos disputantem. Colentes autem vocat proselytos. Dispersi namque erant Judæi ubique ab adventu Christi; simul ex illa soluta lege, simulque homines pietatem docebant. Sed nihil illi lucrabantur, nisi tantum calamitatum suarum testimonia habentes. « Quidam autem » Epicurei et Stoïci philosophi disserebant cum eo. » Non jam legibus suis utebantur Athenienses, utpote Romanis subjecti. Et unde volebant illi disputare? Quia videbant alios disserentes, et virum in existimatione haberi. Et vide statim contumeliose : « Animalis enim homo non suscipit » ea quæ sunt Spiritus[3]. Novorum dæmoniorum, inquiunt, » videtur annuntiator esse. » Dæmonia deos suos vocabant. Erant enim civitates idolis plenæ. « Apprehensum illum in » Areopagum duxerunt, dicentes. » Cur in Areopagum ipsum traxerunt? Ut perterrefacerent : ibi enim capitales causas judicabant. « Possumus scire quæ sit nova illa, quæ » a te dicitur, doctrina? nova enim quædam infers auribus » nostris. Athenienses autem omnes, et ibi versantes pere-

[1] Act. 30, 31. — [2] Id. xv, 39. — [3] 1 Cor. II, 14.

» grini, in nullo alio tempus terebant, quam ut quidpiam » novi dicerent vel audirent. » Hic vero indicatur eos etiamsi in hoc semper versarentur, ut loquerentur vel audirent, tamen illa putasse nova, quæ nunquam audierant. « Stans » autem Paulus in medio Areopagi ait : Viri Athenienses, » per omnia quasi superstitiosiores vos video. Præteriens » enim et videns simulacra vestra. » Non dixit : « Dæmonas ; » sed viam parat sermoni ; ideo dicit : « Superstitiosiores vos » video , » propter aram. « Deus, inquit, qui fecit mundum » et omnia quæ in eo sunt. » Una voce omnia philosophorum dogmata subvertit. Epicurei namque omnia per se existere dicebant, et ex atomis constare ; Stoïci vero corpus et conflagrationem. Hic vero dicit mundum et omnia quæ in eo sunt, opus esse Dei. Vides-ne brevitatem, et in brevitate claritatem? Et vide quænam ipsis nova viderentur : quod Deus mundum fecisset : quæ nunc infima plebs scit ignorabant Athenienses, et Atheniensium sapientes. Si namque fecit, utique Dominus est. Vide quid dicat esse argumentum deitatis, nempe creationem ; id quod etiam Filius habet. Nam id ubique dicunt Prophetæ, Dei esse creare. Non vero sicut illi dicebant, alium Conditorem, nec Dominum esse ; materiam non factam esse supponentes. Hic demum ænigmatice quod suum est dicit et firmat, quod vero illorum est purgat. « Non in manufactis, » inquit, habitat. » Habitat quidem in templis ; at non in talibus, sed in anima humana. Vide : corporalem sustulit cultum. Quid ergo? Annon habitabat in templo Jerosolymorum? Non utique : sed operabatur. Quomodo ergo colebatur manibus humanis apud Judæos? Non manibus, sed mentibus. Nam illa non sic quærebat quasi iis opus haberet : « Numquid manducabo, inquit, carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo[1] ? » Deinde cum

[1] Psal. xlix, 13.

dixisset : « Neque manibus humanis colitur indigens aliquo; » quia hoc non satis erat, nullo egere, ut dixerat; nam divinum quidem illud est, sed aliud requiritur; adjicit : « Ipse dans » omnibus vitam et Spiritum et omnia. » Duo Divinitatis indicia exhibet, quod nullo indigeat, et quod omnibus omnia præbeat. Huc confer omnia quæ de Deo Plato philosophatus est, quæ Epicurus, et hæc omnia illis comparata nugæ sunt. « Dans, inquit, vitam et spiritum. » Ecce animæ quoque ipsum Creatorem facit, non Genitorem. Vide rursum quomodo destruat sermonem de materia : « Fecitque, inquit, ex uno sanguine omne genus homi- » num, habitare super omnem faciem terræ. » Hæc meliora illis, et confutant atomos materiamque. Hic ostendit non esse partitum, neque hominis animam, ut illi dicunt (19); non esset enim hoc esse Conditorem. Cum dicit autem non manibus humanis coli Deum, subindicat illum animo et mente coli. « Hic, inquit, cœli et terræ » cum sit Dominus. » Non ergo dæmones illi partiti et plures. « Deus, qui fecit mundum et omnia quæ in illo sunt. » Cum prius ostendisset quomodo mundus sit factus, tunc declaravit, quod non in manufactis habitet, ac si diceret : « Si Deus, omnia utique fecit; si non fecit, non Deus. » Dii, inquit, qui cœlum et terram non fecerunt, pe- » reant. » Multo majora, quam illi, dogmata inducit. Atqui nondum magna dixit; nondum enim tempus erat. Sed quasi pueris loquitur de creatione, de dominatione, de non indigentia.

III. Cum dixisset autem illum ex uno sanguine omne genus hominum fecisse, omnium causam bonorum manifestavit. Quid huic sublimitati par? Nam mirabile quidem est ex uno tot fecisse; quod autem omnes ille simul contineat, adhuc longe mirabilius. « Dans, inquit, omnibus spi- » ritum et vitam. » Quid est, « Definiens præstituta tempora,

» et terminos habitationis eorum : quærere Deum si forte » attrectent eum, aut inveniant. » Non cogitur quis, inquit, circuire et quærere Deum. Vel si non hoc, quia decrevit ut Deus quæratur. At non semper hoc faciendum definivit, sed præstitutis temporibus. Hoc vero dicit ostendens, neque nunc quærentes invenisse, etiamsi ita manifestus esset ut inveniri posset; ac si quid in medio positum palpemus. Neque enim hic erat cœlum, alibi non; neque in hoc tempore erat, in alio non. Itaque et omni tempore, et in omnibus terminis potest inveniri. Sic dispensavit ut quæreretur, ut nec loco nec tempore prohibeamur. Certe hoc ipsum illis maxime profuisset, si quidem voluissent, quod ubique sit cœlum et stet omni tempore. Ideo sic dicit : « Quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum; » sed » prope sit omnibus; hoc est, non modo vitam et spiritum dedit, sed et omnia. Verumetiam quod caput est omnium, ad sui cognitionem traxit, hæc dando per quæ possimus illum invenire et apprehendere. Sed noluimus quærere, etsi ad pedes esset. « Non longe, inquit, ab unoquoque nos- » trum. » Papæ, omnibus prope esse dicit, qui sunt in orbe terrarum. Quid hoc majus? Vide quomodo « partitos » confutet. Quid dico procul? Ita prope est, ut sine ipso non vivatur. « In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus. » Quasi corporeo exemplo hujusmodi quidpiam dicit : sicut impossibile est ignorare aërem ubique diffusum, non procul ab unoquoque nostrum esse, imo et in nobis esse; ita etiam et omnium creatorem. Vide quomodo omnia ipsius esse dicat : providentiam illius esse dicit, conservationem, quod ab illo sint omnia, operandi vim habeant, et non pereant. Nec dixit per illum; sed quod propius est, in illo. Nihil tale dixit Poëta ille. « Ipsius enim, inquit, genus su- » mus. » Sed ille de Jove dixit : hic vero de Creatore hoc accipit : nec eumdem ipsum indicat ille : absit, sed quæ

de illo dicta erant, Deo cui competebant ascribens : nam aram hujus esse dixit, non illius, quem ipsi colebant. Quædam enim dicta et facta sunt ad verum Deum pertinentia; verum nesciebant Græci ad eum pertinere, sed de alio intellexerunt. Dic enim mihi, de quo proprie dicatur : Ignoto Deo; de Creatore, an de dæmone ? Utique de Creatore : etiamsi illum quidem ignorarint, hunc vero noverint. Similiter etiam quod omnia fecerit, de Deo proprie dicitur, non de Jove, scelesto et execrando homine ac præstigiatore : Paulus certe non simili atque ille modo dixit : « Ipsius enim et genus sumus; » absit; sed alia mente; genus enim ejus nos esse dixit; hoc est domesticos, proximos, et quasi quis dixerit, propinquos et vicinos. Ne enim rursus dicerent : « Nova ingeris auribus nostris; » Nihil enim sic hominibus contrarium; Poëtam in medium adducit. Neque dixit : « Non debetis putare auro aut argento Deum esse similem, o scelesti et execrandi! » Sed mitius; hoc non debemus æstimare, inquit, sed « Super hoc. » Quidnam est « Super hoc? » Deus. Sed neque hoc : est enim efficaciæ nomen, sed interim hoc : at non dicimus Deum huic esse similem. Quis enim dixerit? Vide quomodo incorporeum introducit. Mens enim quando suspicatur corpus, etiam distantiam imaginatur. « Genus ergo cum simus Dei, non » debemus, inquit, existimare auro aut argento aut lapidi, » sculpturæ artis et cogitationis hominis Deum esse simi- » lem. » At dixerit quispiam, non hoc putamus : cur ergo hoc dicit? Sed ad multitudinem loquebatur ipse, ac sic bene dixit. Nam si nos secundum animam non sumus illis similes, multo minus Deus. Interim adducit illos a suspicione. Non modo sculpturæ artis non est similis Deus; sed neque ulli alii humanæ cogitationi subjicitur : nam vel ars vel mens invenit. Ideo sic dicit. Si id quod ars vel mens hominis invenit Deus est, et si in lapide substantia

Dei, quomodo ergo si in ipso vivimus, ipsum non invenimus? Duplex ergo est accusatio, et quod illum non invenerint, et quod tales invenerint. Mens per se ipsam nusquam fide digna est. Sed post quàm illorum animos sic exagitavit, ostenditque inexcusabiles illos esse; vide quid subdat. « Tempora quidem ignorantiæ despiciens, nunc annun- » tiat omnibus hominibus ubique ut pœnitentiam agant. » Quid ergo? Nemo-ne illorum pœnas dat? Nemo certe eorum qui pœnitentiam agere velint. De his loquitur, non de iis qui defuncti sunt; sed de iis quibus annuntiat. Non exigit, inquit, a vobis rationem. Non dixit: « Ille despexit; » non dixit: « Ille permisit; » sed, « Vos ignorastis. » Despexit; id est, non exigit pœnas quasi a supplicio dignis. Nec dicit: « Sponte male egistis. » Sed hoc per superiora monstravit, ut ubique pœnitentiam agant dicens. Hic totum orbem insinuavit.

IV. Vide quomodo illos abducat a pluralitate deorum. « Quia statuit diem, inquit, in qua judicaturus est orbem » in æquitate. » Vide rursus orbem dicit, sic homines vocans. « In viro in quo statuit suscitans eum a mortuis. » Vide quomodo iterum passionem manifestavit, resurrectionem memorans. Quod autem verum sit judicium, palam est ex resurrectione; inde enim id arguitur. Et quod omnia vera sint, inquit, palam est ex eo quod resurrexerit. Quodque omnibus hanc præbuerit fidem, quod resurrexerit ex mortuis, et hoc denique manifestum est. Hæc dicta sunt Atheniensibus, et opportune nobis etiam dicantur, omnibus ubique agendam pœnitentiam esse, quia definivit diem in quo judicaturus est orbem. Vide etiam quomodo illum judicem inducat, et mundi providentiam habentem, benignum, misericordem, potentem, sapientem, omniaque prorsus, quæ sunt Creatoris, habentem; quæ dicta sunt demonstrantur ex eo quod a mortuis resurrexerit. Pœniten-

tiam ergo agamus. Omnino enim judicari oportet. Si non resurrexit Christus, non judicamur; si resurrexit, omnino judicamur. In hoc enim et mortuus est, ut et vivis et mortuis imperet[1], inquit. Et rursum. « Omnes enim asta- » bimus ante tribunal Christi, ut unusquisque referat se- » cundum ea quæ fecit[2]. » Ne putetis hæc verba solum esse: ecce et resurrectionem omnium memoravit. Neque enim aliter judicatur orbis. Etiam illud, « Suscitans eum a mor- » tuis » de corpore dictum est: ipsum enim mortuum erat, hoc ceciderat. Apud gentiles, sicut creatio, ita et judicium contemnitur. Hæc autem puerorum commenta sunt, et ebriorum hominum. Sed nos qui hæc accurate didicimus, aliquid utile faciamus, studeamusque familiares esse Christo. Usquequo ejus inimici erimus? Usquequo minus suaviter erga illum affecti erimus? Absit, inquies? cur hæc dicis? Nollem hæc dicere, nisi vos faceretis. Nunc vero quæ utilitas ex silentio, cum res ita perspicue clament? Quomodo igitur illum diligemus? Sexcenties dixi, sed nunc quoque dicam. Modum invenisse mihi videor magnum et mirabilem. Postea quam omnia Dei opera communia nobiscum reputavimus, quæ tot tantaque sunt ut enumerari non possint, et pro iis omnibus gratias ipsi egimus; quæ singulis nostrum contulit cogitemus omnes, et quotidie in mentem revocemus. Quoniam igitur hæc magnam vim habent, unusquisque nostrum secum reputet, et accurate exploret, num aliquando in periculum lapsus inimicorum manus effugerit, et quasi in libro Dei beneficia descripta habeat. Exempli causa: Num aliquando ante lucem viam capessens, periculum effugerit: num cum iniquis congressus hominibus, superior evaserit; num in morbum lapsus, desperantibus omnibus, convaluerit. Multum enim hoc valet ad Deum nobis propitium reddendum. Nam si Mardo-

[1] Rom. XIV, 9. — [2] Ibid. 10.

chæus ille, ubi rex in mentem revocavit beneficia illa ab ipso sibi præstita, ita acceptus illi fuit, ut ad illum gloriæ splendorem veniret, multo magis nos si memores fuerimus, et si duo illa diligenter exploremus, quid nos peccaverimus in Deum, et quæ nobis ille beneficia contulerit; sic et nos grati erimus, et omnia effundemus. Sed nemo hæc secum reputat; verum sicut de peccatis loquimur, dicentes nos peccasse, nulla facta speciatim peccatorum recensione; sic et de beneficiis Dei loquentes, dicimus Deum nos beneficio affecisse, nec speciatim beneficia exploramus: non dicimus, ubi, quanta, quo tempore. Sed ab hinc multam adhibeamus diligentiam. Nam si quis etiam vetera repetere potest, omnia accurate in mentem revocet, quasi magnum reperturus thesaurum. Hoc etiam nobis utile est ut non desperemus. Nam cum viderimus ipsum sæpe nobis patrocinatum esse, non desperabimus, nec putabimus nos abjectos fuisse; sed magnum accipiemus pignus ejus erga nos providentiæ, cum cogitaverimus nos peccantes non puniri, sed ejus patrocinio frui.

V. Dicam ego aliquid quod a quopiam audivi. Erat quidam puer, quem contigit cum matre in agro esse, cum nondum quindecim annorum esset: tunc gravi et corrupto ingruente aëre, utrumque febris invasit. Erat autem autumni tempestas. Tunc mater urbem ingredi præoccupavit. Puer vero a medicis jussus illuc manere, cum febris flagraret, cœpit gargarizare, apud se ratiocinans, putansque sic febrim extingui posse, si nihil omnino alimenti acciperet. Utpote puer, ex intempestiva contentione nihil accepit. Ut autem ad urbem venit, lingua paralysi tacta est, ita ut diu non loquens, nihil articulatim pronuntiare posset. Sed legebat quidem, et magistros multo tempore adibat; sed frustra et absque signo ullo. Omnis ergo spes ab illo exciderat, materque ejus multum dole-

bat. Multa medici, multa alii excogitarunt, sed incassum: donec benignus Deus linguæ vinculum curavit, tuncque convaluit, et pristinam loquendi facultatem accepit. Narravit autem ipsius mater, cum puerulus esset, ipsum in nare morbum habuisse, quem vocant polypum, medicosque desperavisse, optasseque matrem ut moreretur, patremque ipsi maledixisse; adhuc enim vivebat: omniaque anxietate plena erant. Ille vero tussiendo, ex mucore feram illam spiritus impetu ex naribus ejecit, omniaque gravia soluta sunt. Hoc sedato malo, fluxus per oculos acer et viscosus fluens, tales tamque crassas lemas efficiebat, ut pellicula pupillæ obduceretur, quodque grave erat, excitatem minabatur, omnesque furiosam illam dicebant. Sed hoc etiam morbo per Dei gratiam cito liberatus est. Et hæc quidem audivi, quæ vero ipse scio narrabo vobis. Mota est tyrannorum suspicio in civitate nostra, dum adhuc adolescens essem. Militibusque omnibus circum civitatem foris positis, forte libellos quærebant præstigiarum et magicos. Et qui scripserat librum, incompactum projecit in flumen, captusque est. Et cum ab illo requireretur, dare non potuit; sed per urbem vinctus ducebatur; auctis vero indiciis et probationibus pœnas dedit. Tunc ego, cum in Martyrium (20) ire vellem, transibam per hortos juxta flumen cum alio quodam, qui ut vidit supernatantem librum, primo se linteum videre putavit, ac descendens recepit: ut accessit vero, librum esse vidit, et descendens cepit. Ego vero contendebam, quasi de re communi reperta, ridebamque. Sed videamus, inquit ille, quid sit: revolutaque paginæ parte, magica descripta invenit. Accidit autem eodem tempore militem transire. Hinc vero socius illo occultato abiit, et timore tabescebat. Quis enim credidisset nos e flumine illum sustulisse, cum omnes etiam non suspecti detinerentur? Abjicere non audeba-

mus, ne videremur; pari timore cohibebamur ne divideremus. Deo tamen juvante, projecimus, et ab extremis periculis erepti sumus. Innumera dicere possem, si vellem: hæc autem in vestri gratiam dixi; ut si quis, si non in paria, in alia tamen incidat, eorum memoriam semper servet. Verbi gratia, si lapis in te conjectus, teque recta impetens, non in te incidat, hujus semper sis memor. Hoc nobis magnam Dei amicitiam conciliat. Si enim cum recordamur hominum, qui nos servarunt, magnopere dolemus, si non possimus ipsis vicem rependere; multo magis Deo gratias habere oportet, idque utile est. Si itaque volumus non nimium dolere, dicamus: « Si bona suscepimus a Domino, annon mala feremus[1]? » Et Paulus ideo dicebat unde liberatus esset, ut alios admoneret. Vide et Jacobum quomodo illa omnia in mente habuit; ideo dicebat: « Angelus, » qui eripuit me a juventute mea[2]. » Sed cogitemus non solum quod eruerit, sed etiam quomodo et qua in re. Vide igitur illum speciatim beneficia commemorantem. « In » virga mea, inquit, transivi Jordanem[3]. » Judæi vero etiam eorum, quæ majoribus suis evenerant, semper memores erant, repetentes ea, quæ in Ægypto acciderant. Et nos ergo multo magis eorum, quæ nobis acciderunt, memores simus: quoties in angustias et calamitates incidimus. Et nisi Deus manum porrexisset, jamdiu periissemus. Hæc cogitantes omnes et quotidie repetentes, gratias semper Deo agamus, et in communi omnes gloriam ipsi referamus, neque illum celebrare cessemus, ut grati animi magnam recipiamus mercedem gratia et miserationibus unigeniti ejus Filii, cum quo et una Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Job. II, 10. — [2] Gen. XXVIII, 16. — [3] Id. XXXII, 10.

HOMILIA XXXIX.

CAPUT XVIII.

Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, alii quidem irridebant; alii vero dixerunt : Audiemus te de hoc iterum. Et sic Paulus exiit de medio eorum[1].

1. Cur Paulus, cum sic persuasisset, ut Athenienses dicerent, « Audiemus te de hoc iterum, » cumque nulla essent pericula, festinat Athenienses relinquere? Forte sciebat se non multum lucri facturum. Alioquin etiam a Spiritu Corinthum ducebatur. « Quidam vero viri adhærentes »ei, crediderunt : in quibus et Dionysius Areopagita, et »mulier nomine Damaris, et alii cum eis[2]. Post hæc au»tem egressus Paulus Athenis, venit Corinthum : et inve»niens quemdam Judæum nomine Aquilam, Ponticum »genere, qui nuper venerat ex Italia, et Priscillam uxorem »ejus; eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Ju»dæos Roma; accessit ad eos. Et quia ejusdem erat artis, »manebat apud eos, et operabatur. Erant autem scenofac»toriæ artis[3]. » Jure Corinthum, ut dixi, a Spiritu ducitur, in qua manere oportebat. Athenienses enim, etsi novæ concionis amatores essent, non attendebant tamen. Neque enim id curabant; sed ut semper quid dicendum haberent: id quod etiam fecit ut secederent. Si hoc autem illis in more erat, cur accusant illum; « Novorum dæmoniorum »annuntiator esse videtur?» Sed hæc valde obscura illis esse videntur. Attamen persuasit Dionysio Areopagitæ, et

[1] Act. XVII, 32. — [2] Ibid. 33. — [3] Id. XVIII, 1-3.

aliis quibusdam. Nam qui de vita recte agenda curabant, cito verbum acceperunt : cæteri vero non item. Videtur ergo Paulus satis habuisse, quod fidei semina jecisset. Major enim pars vitæ illius jam transacta erat. Nam sub Nerone consummatus est. A Claudio autem tunc bellum contra Judæos moveri incipiebat, procul quidem, atque ut verisimile est, ut sese emendarent; ac Roma, ut pestiferi, pellebantur. Ideo ex dispensatione divina fit ut Paulus vinctus illuc ducatur, ut ne quasi Judæus pellatur, sed quasi sub militibus agens, ut in custodia sit. « Et man» sit, inquit, apud illos. » Papæ, quam justitiam invenit, ut cum illis habitet : quia enim hic potissimum oportebat illum non accipere, ut ipse ait : « Ut in quo gloriantur, » inveniantur sicut et nos[1], » providetur ut illic maneat. « Et » disputabat in synagoga per omne sabbatum. Suadebatque » Judæis et Græcis. Cum venissent autem de Macedonia » Silas et Timothæus, coarctabatur Spiritu Paulus, testifi» cans Judæis Christum Jesum[2] ; » id est, molesti erant illi, insurgebant in eum. Sic illi agebant; quid vero Paulus? Relinquit eos, multumque terret. « Non ultra necessarium erat, inquit, vobis loqui verbum, sed obscurius loquitur. » « Contradicentibus autem eis et blasphemantibus, excu» tiens vestimenta sua dixit eis : Sanguis vester super ca» put vestrum : mundus ego : ex hoc ad gentes vadam. Et » migrans inde, intravit in domum cujusdam, nomine » Justi, colentis Deum, cujus domus erat conjuncta syna» gogæ. Crispus autem archisynagogus credidit Domino » cum tota domo sua. Et multi Corinthii audientes, cre» debant et baptizabantur[3]. » Vide quomodo iterum, cum dixisset, « Ab hoc tempore, » non illos tamen negligit, itaque hoc dixerat, ut illos excitaret. Et postea venit ad Justum, cujus domus erat conjuncta synagogæ. Vicinus erat,

[1] Cor. XI, 12. — [2] Act. XVIII, 4, 5. — [3] Ibid. 6-8.

ut ex vicinia zelum haberent, si vellent. « Crispus autem, » inquit, archisynagogus credidit Domino cum tota domo » sua. » Et hoc utique satis erat ad illos adducendos. « Dixit » autem Dominus per visionem in nocte Paulo : Noli timere; » sed loquere, et ne taceas, quia ego tecum sum, et nemo » insurget in te ut noceat tibi : quia populus est mihi multus » in hac civitate[1]. » Vide quot rationibus illi suadet : et quomodo quod illum maxime erigebat, hoc ultimo dicit : « Quia populus est mihi multus in hac civitate. » Quomodo ergo insurrexerunt in eum, dixerit quispiam? At non prævaluerunt, sed ad proconsulem tantum duxerunt. « Sedit » autem ibi annum unum et sex menses, docens apud eos » verbum Dei. Gallione autem proconsule Achaïæ, insur- » rexerunt uno animo Judæi in Paulum, et adduxerunt eum » ad tribunal, dicentes : Quia contra legem hic persuadet » hominibus colere Deum[2]. » Vides-ne qua de causa illi semper publicas accusationes texebant? Vide jam quomodo, dicentibus illis, ipsum contra legem persuadere hominibus colere Deum, nihil horum curare proconsulem, imo potius Paulum defendere. Et audi quomodo respondeat. « Si quidem esset ad civitatem spectans iniquum aliquid » aut facinus pessimum, o Judæi, recte vos sustinerem[2]. » Æquitatis amans mihi vir ille videtur, idque manifestum est ex iis quæ prudenter respondet. « Cum Paulus, inquit, » os suum aperturus esset, dixit Gallio Judæis : Si quidem » esset injustum aliquid, aut facinus pessimum, o Judæi, » recte vos sustinerem. Si vero quæstio est de verbo et no- » minibus, et de lege vestra, vos ipsi videritis : Judex ego » horum nolo esse. Et abegit eos a tribunali. Apprehen- » dentes autem omnes Græci Sosthenem principem syna- » gogæ, percutiebant eum ante tribunal : et nihil eorum » Gallioni curæ erat[3]. » Hinc rursum viri æquitas monstra-

[1] Act. xviii, 9, 10. — [2] Ibid. 11-13. — [3] Ibid. 14-17.

tur. Cum enim ille verberaretur, non putavit id ipsi contumeliæ esse : adeo petulantes Judæi erant.

II. Sed superiora repetamus. « Audientes autem resur» rectionem mortuorum, alii quidem irridebant ; alii vero » dixerunt : Audiemus te iterum. » Quanta et quam sublimia audientes, ne attendebant quidem ; sed ridebant. Resurrectionem irridebant. Nam « Animalis homo non » percipit ea quæ sunt Spiritus [1]. Et sic, inquit, exiit Paulus » de medio eorum. Sic. » Quomodo ? Cum aliis persuasisset, ab aliis vero irrisus fuisset. « Secedens autem Athenis, » inquit, venit Corinthum. Et invento quodam Judæo, » cui nomen Aquila, qui Ponticus erat genere et nuper » venerat ex Italia, mansit apud illos et operabatur. » Vide quomodo lex jam solvi incipiat. Totonderat enim se postea, Judæus cum esset, in Cenchreis : in Syriam proficiscitur cum Paulo. Ponticus cum esset, nec Jerosolymam, neque in vicina loca venire festinabat, sed procul erat. Apud illum ergo manet, nec manere erubescit, imo ideo manet, quasi idoneum nactus diversorium, et quavis regia sibi commodius. Nec rideas hæc audiens, dilecte. Ut enim palæstra athletæ magis competit, quam strata mollia ; sic bellatori gladius ferreus, magis quam aureus. Et operabatur prædicans. Erubescamus nos qui etiam sine prædicatione vivimus otiose. « Disputabat autem, inquit, in Syna» goga per omne sabbatum, suadebatque Judæis et Græcis. » Contradicentibus autem eis, et blasphemantibus, » discessit ; hoc modo sperans illos allicere, discessit. Cur illa relicta domo, prope synagogam habitaturus venit ? annon illa de causa ? Neque enim ibi periculum videbat. « Testi» ficans illis : » non jam docet, sed testificatur. » Contra» dicentibus autem illis, inquit, et blasphemantibus, » excussis vestibus dixit : Sanguis vester super caput ves-

[1] Cor. II, 14.

» trum. » Hoc facit ut non verbo tantum, sed etiam opere terreat. Et vehementius disputat, utpote qui multis persuasisset. « Mundus, inquit, sum ego : ab hoc ad gentes » vadam. » Et nos igitur rei sumus sanguinis eorum qui nobis concrediti sunt, cum negligimus eos. Itaque cum dicit : « De cætero nemo mihi molestus sit [1], » ut exterreat loquitur. Non enim perinde terrebat illos supplicium, ut illud mordebat. « Et migrans inde, venit in domum Justi. » Transit, volens illis persuadere, quod ad gentes festinet. « Crispus autem archisynagogus, inquit, credidit Domino » cum tota domo sua. » Vide tunc fideles cum tota domo hoc fecisse. Post hæc autem alii quoque multi credentes baptizati sunt. Hunc Crispum dicit archisynagogum, de quo ait : « Nullum alium baptizavi, nisi Crispum et Gaïum [2]. » Puto autem hunc et Sosthenem dici, qui vir adeo fidelis fuit, ut percussus fuerit, et semper Paulo affuerit. « Noli » timere, sed loquere. » Ideo multo ibi tempore manet : id enim illi suasit multitudo, sed familiaritas Christi magis. Majus enim tunc erat periculum, multis credentibus et ipso archisynagogo. « Noli timere, inquit. » Hoc satis erat ad illum excitandum : quia timere deprehensus fuit ; sed ut nihil tale patiatur, nunc confortatur. Non enim semper illos male pati sinebat, ne infirmiores evaderent. Nihil enim ita Paulum mœrore afficiebat, ut increduli et contradicentes. Hoc ipsis periculis molestius erat. « Et ne » taceas, inquit, quia multus mihi populus est in hac civi- » tate. » Ideo fortasse illi Christus apparet. « Gallione autem, inquit, proconsule Achaïæ, insurrexerunt uno animo » Judæi in Paulum. » Vide, post annum et sex menses insurgunt in eum, quando jam non poterant suis uti legibus. Hoc maxime Corinthios extollebat, quod persuasi essent principem non sese demissurum esse. Non enim idem erat

[1] Galat. VI, 17. — [2] 1 Cor. I, 14.

ex contentione vincere, et discere ipsum hæc negotia nihil curare. Et perpende quam prudens ille esset. Non enim statim respondit, « Nihil curo. » Sed quid ? « Si quidem » esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, o Judæi, » recte vos sustinerem ; si vero quæstio est de verbis et no- » minibus et de lege vestra, vos ipsi videritis. Judex ego » horum nolo esse. Exclusit eos a tribunali : » splendida fuit victoria. « Apprehensum autem Sosthenem principem » synagogæ, percusserunt ante tribunal. Et nihil eorum » Gallioni curæ erat. » O turpitudinem, quam subiere ! « Et nihil eorum, inquit, Gallioni curæ erat ; » etsi totum in ejus contumeliam vergeret. Sed illi quasi potestate accepta percutiunt. Pudore affecti illegitimi furoris opus edentes. Et cur ille non vicissim percussit, etsi potestatem haberet ? Sed philosophari edocti erant. Nec vicissim percutit, ut judex edisceret, quis mansuetior esset. Hoc præsentibus non parum profuit. Docuit enim horum æquitas, illorumque ferocia, hæc judicis calculo opus habuisse. At hi omnia citra ordinem faciunt. Nec dixit ille : « Non oportet, » ne rursum percuterent illum, sed, « Nolo. Judex enim » horum esse nolo : » adeo æquitatis amans erat. Hoc et Pilatus dicebat de Christo : « Accipite eum vos, et secun- » dum legem vestram judicate [1]. » Ille secundum legem » volebat illos judicare : illi vero quasi ebrii et furibundi affecti erant. Ideo ille Athenis secessit. « Quia populus illic » erat multus. » Percutiebatur, et nihil dicebat.

III. Hunc et nos imitemur. Percutientibus mansuetudine vicem rependamus, silentio, patientia. Hæc vulnera sunt graviora ; major plaga et molestior est : non enim in corpore, sed in animo percuti grave est. Multos percutimus ; sed quia ut amicos, delectantur ipsi. Si vero quemvis cum contumelia percusseris, quia cor tetigisti, magnum intu-

[1] Joan. XVIII, 31.

listi mœrorem. Ita magis cor ipsum percutimus. Quod autem lenitas magis feriat, quam ferocia, age pro virili demonstremus. Clara enim demonstratio, opere fit et experimento. Si placet autem, illud examinemus, quamvis id jam sæpe fecerimus. In contumeliis nihil ita nos male afficit, ut spectantium calculus. Non enim par res est publice contumelia affici, atque seorsim. Sed illas facile ferimus contumelias, quæ in deserto, quæ nemine teste vel sciente inferuntur. Sic non contumeliæ natura est, quæ male afficit; sed cum palam infertur: ita ut si quis publice honoret et seorsim contumelia afficiat, ei gratiam habeamus: Itaque non in natura contumeliæ dolor est, sed in spectantium calculo; ne hinc in contemptum cadatur. Quid igitur si spectatores pro nobis sint? Annon tunc is, qui contumeliam infert illam accipit, cum spectatores pro nobis calculum ferunt? Dic mihi, utrum contemnunt illi, cum-ne qui contumeliam infert, an eum qui illam accipit et tacet? Animus certe suggerit illum esse qui contumeliam accipit. Nunc vero cum ab animi motu liberi sumus, perpendamus, ne tunc abripiamur. Utrum ergo damnamus omnes? Procul dubio contumeliam inferentem, etsi minor sit, insanire illum dicemus; si æqualis, desipere; si major, neque sic approbabimus. Uter, quæso, approbatione dignus est, qui turbatur, agitatur, efferatur, contra communem naturam sic affectus; an is qui in tranquillitate degit, in portu et in philosophia multa? Annon hic Angelo similis est, ille ne homini quidem? Ille namque ne propria quidem potest mala portare, ille vero fert etiam aliena. Hic ne se ipsum quidem ferre potuit; ille potuit et alium. Ille in naufragio est, hic in tuto navigat, ac secundo cursu navis fertur. Neque enim permisit furoris ventum in vela incidentem, animi navem submergere, sed lenis benignitatis aura, cum quiete multa illum in philosophiæ portum inducit. Et sicut in

navi, quæ submergitur, nautæ nesciunt quæ abjiciant, an suorum an alienorum deposita, sed omnium pariter jacturam faciunt, pretiosorum, et minime talium. Ubi vero tempestas sedata est, tunc secum reputantes quanta projecerint, lacrymantur, nec tranquillo aëre fruuntur, ob jacturam; ita et hic, cum spirat furor, et tempestas excitatur, nesciunt quæ debito ordine ejicere oporteat: ubi vero cessavit ira, tunc recogitantes quanta abjecerint, damnum considerant, et quietem non sentiunt, memores verborum, quibus se dehonestarunt, damnumque maximum passi sunt, non in pecuniis; sed in existimatione æquitatis et mansuetudinis. Veræ tenebræ sunt furor et ira. « Dixit insipiens in corde suo, inquit: Non est Deus[1].» Id forte de irato opportune dicatur. Dixit iratus : Non est Deus. Nam « Secundum multitudinem iræ suæ non quæ-»ret[2], inquit. »Pia enim cogitatio ingressa, omnes depellit et pulsat omnes tranversos agit. Nisi tu magis doleas, quam is cui contumelia infertur, infer illam ; etiamsi nullus sit qui accuset. Nisi conscientiæ tribunal te seorsim ductum millies verberet. Cum ergo audieris contumelia affectum, amarum nullum verbum protulisse, nonne hinc magis doles ? Dic mihi : quomodo hominem mitem, humilem, modestum mille conviciis onerasti ? Hæc frequenter dicimus, neque opere completa videmus. Homo cum sis hominem contumelia afficis ? servus conservum? Sed quid hoc admiror, quando multi Deum ipsum contumelia afficiunt ?

IV. Hoc vol*s contumelia affectis sit consolatio. Contumelia afficimini ? contumelia afficitur Deus ; convicia fertis ? convicia fert Deus. Conspuimini ? Sic et Dominus noster. In his ergo nobiscum est ; in contrariis non item. Neque enim unquam inique contumelia affecit ; absit, neque te-

[1] Psal. XIII, 1, 5. — [2] Id. IX, 25.

mere exprobravit, nec injuste agit. Itaque nos sumus qui consortes sumus, non vos. Contumeliam enim ferre Dei est; contumeliam vero temere inferre dæmonis. Videte duas partes. « Dæmonium habes[1], » audivit Christus : alapa cæsus est a servo principis sacerdotum. Itaque qui contumelia injuste afficiunt, cum illis stant : merito. Nam si Petrus Satanas audivit, ob unum dictum, multo magis magis hi Judæi audient, cum Judæorum acta facient, ut et illi diaboli filii audierunt, quia diabolica faciebant. Contumelia afficis? quis es, dic mihi? Imo propterea contumelia afficis, quia nihil es. Nullus enim qui homo sit contumelia afficit. Atque ita quod in pugnis dicitur : Tu quis es, ex adverso oportebat dici, verbi gratia, contumelia affice, nihil enim es. Itaque dicentibus nobis : Qui es tu qui contumelia afficis? Te melior, audiemus utique. Atqui contrarium dici oportebat. Sed quia nos male interrogamus, ideo illi male respondent. Itaque nos in causa sumus. Ac si enim illi contumeliosi magni quidam viri essent, ita loquimur : Quis es qui contumeliam inferas? Ideo illi sic respondent. Contrarium verbo oportebat dicere. Contumelia afficis, contumelia affice, nullus enim es. Ad illos vero, qui contumelia non afficiunt, potius dicendum erat : Quis es, qui contumelia non afficis? humanam naturam trancendisti. Hoc nobilitas est, nihil illiberale loqui, etiamsi quis audire sit dignus. Dic vero mihi : quot non sunt digni ut occidantur? Neque tamen per se hoc judex facit; sed interrogat, neque per se ipsum. Si autem homini improbo judex non dignatur per se loqui, sed medio quopiam utitur, multo magis non oportet pares non contumelia afficere. Non enim ita illis præponendi erimus si illos contumelia afficiamus, ut si doceamur quod nos ipsos contumelia affecerimus. Malos ergo ideo contumelia affi-

[1] Luc. VII, 23.

cere non oportet, bonos autem alia quoque de causa, quod non contumelia digni sint; tertio autem quia contumeliosum esse non oportet. Nunc autem vide quanta fiant : contumelia et damno afficitur homo, necnon is qui lædit, et spectatores. Quid ergo? Num feras in medium accedere oportet, et rem dissolvere? hoc enim restat. Cum enim homines sunt ii qui in iniquitate delectantur, feris reconciliatio reservatur. Sicut enim heris domi pugnantibus, restat ut domestici illos reconcilient; hoc enim natura rei exigit, etiamsi forte hac ratione non fiat; sic et hoc casu, contumelia afficis; et jure quidem, non enim homo es. Ideo magnum quidpiam esse visa est contumelia, et magnis congruere : servis autem magis competit, ut bene loqui liberos decet. Sicut enim male facere ad illos pertinet, sic ad hos mala pati. Exempli causa, ancilla raptrix est quæ res domini raptim subripit : talis est et contumelia. Et ut quis dixerit, fur ingressus studiose ubique observat, aliquid auferre curans; sic et iste omnia circumspicit, ut aliquid eripiat. Alio forte exemplo ipsum depingemus : quemadmodum si quis vasa immunda domi furetur, et coram omnibus educat, non tam illum deturpat furtum, quam ipse semetipsum, dum hæc aufert; sic et iste, impura verba coram omnibus proferens, non alios verbis deturpat, sed se ipsum, talia proferens, fœdansque et se, et linguam et mentem. Idipsum enim fit, quando adversus malos pugnamus, ac si quis, in putredine versantem ut feriat, se ipsum coinquinet, manus in cœnum demittens. Hæc omnia, quæso, cogitantes, fugiamus hoc damnum, et bonam habeamus linguam, ut puri ab omni contumelia, possimus vitam præsentem diligenter transigere, et promissa diligentibus Deum bone consequi, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XL.

CAPUT XVIII.

Paulus autem cum adhuc mansisset dies multos fratribus valedicens, navigavit in Syriam, et cum illo Priscilla et Aquila, qui sibi totonderat in Cenchreis caput, habebat enim votum[1].

I. Vide quomodo lex soluta est : vide quomodo conscientia detinebantur. Judaïcum enim erat caput tondere ex voto. Attamen oportebat etiam sacrificium fieri : quod non est oblatum post verberatum Sosthenem. Oportebat abire illum, ideo et festinat. Et rogatus apud illos Ephesi manere, non annuit. Cur ergo rursus Antiochiam concedit? Nam « Ascendens, inquit, cum salutasset Ecclesiam, » descendit Antiochiam. » Humano quodam affectu civitatem illam prosequebatur. Ibi enim appellati sunt Discipuli Christiani. Ibi traditus est gratiæ Dei. Ibi dogmatis negotia perfecit. Et ille quidem in Syriam navigavit; illos vero Ephesi reliquit : et merito quidem, utpote docturos, qui tanto tempore cum illo versantes, multa didicerant : attamen nondum illos a consuetudine judaïca abduxerat. Ecce mulier idem quod viri facit et docet : propterea prohibetur in Asiam venire, ad ea, opinor, quæ magis urgebant impulsus. Vide namque illum hic rogatum ut maneret, nec morem gerentem, quia urgebatur ut discederet. Nec simpliciter illos reliquit, sed cum promissu revertendi. Quomodo autem, audi. « Devenitque, inquit, Ephesum, et » illos ibi reliquit. Ipse vero ingressus in synagogam, dis-

[1] Act. XVIII, 18.

» putavit cum Judæis. Rogantibus autem eis ut ampliori » tempore maneret apud illos, non annuit, sed valedixit » eis dicens : Oportet me omnino festum quod instat, agere » Jerosolymis. Iterum autem revertar ad vos, Deo volente : » et solvit ab Epheso. Et profectus Cæsaream, cum ascen- » disset, et salutasset Ecclesiam, descendit Antiochiam, » ibique aliquanto transacto tempore, exivit transiens deinde » per Galaticam regionem et Phrygiam, confirmans omnes » Discipulos[1]. » Vide, iterum venit ad loca, quæ ante adie- rat. « Judæus autem quidam Apollo nomine, Alexandrinus » genere, vir eloquens, devenit Ephesum, potens in Scrip- » turis[2]. » Ecce et eruditi prædicare nituntur, et demum Discipuli peregrinantur. Vides-ne incrementum prædica- tionis? « Hic erat edoctus viam Domini, et fervens Spiritu » loquebatur, et docebat diligenter ea quæ sunt Domini, » sciens tantum baptisma Joannis. Hic cœpit libere loqui » in synagoga. Audientes autem illum Aquila et Priscilla, » assumpserunt eum, et diligentius exposuerunt ei viam » Domini[3]. » Si hic baptisma Joannis tantum sciebat, quo- modo fervebat Spiritu? Spiritus enim non ita dabatur. Si autem qui post illum fuerunt opus habuere Christi bap- tismo, multo magis hic opus habuisset. Quid ergo dicen- dum? Neque enim sine causa utrumque posuit scriptor. Videtur mihi hunc esse unum ex centum viginti, qui cum Apostolis baptizati sunt. Vel si non ita sit, quod in Corne- lio in hoc quoque factum est. Sed non baptizatur, donec illi accuratius exposuerunt. Hoc mihi verum esse videtur, quia baptizari illum oportebat, quoniam duodecim alii nihil perfecte noverunt, neque ea quæ Jesum spectabant. Verisimile est autem ipsum baptizatum fuisse. Cæterum si Joannis Discipuli post acceptum baptisma denuo baptiza- bantur, oportebat etiam Discipulos hoc facere. « Cum vellet

[1] Act. XVIII, 19-23. — [2] Ibid. 24. — [3] Ibid. 25, 26.

» autem transire in Achaïam, exhortati fratres scripserunt » Discipulis ut reciperent illum : qui cum venisset, con- » tulit multum iis qui crediderant per gratiam. Vehementer » enim Judæos revincebat publice, ostendens per Scriptu- » ras Jesum esse Christum[1]. Factum est autem cum Apollo » esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus parti- » bus veniret Ephesum, et inveniret quosdam Discipulos, » dixitque eis : Si Spiritum sanctum accepistis credentes? » Illi autem dixerunt ei : Sed neque si Spiritus sanctus est » audivimus. Dixitque ad illos : In quo ergo baptizati estis? » Illi autem dixerunt : In Joannis baptismate. Dixitque » Paulus : Joannes quidem baptizavit baptismo pœnitentiæ, » populo dicens, ut in eum qui venturus erat post ipsum » crederent ; id est in Christum Jesum. Audientes autem » baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cum imposuis- » set illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super illos, » loquebanturque linguis, et Prophetabant. Erantque om- » nes viri quasi duodecim[2]. » Multum hi ab illo differebant, qui neque sciebant Spiritum sanctum esse. Hi igitur qui diligentius illi exposuerunt viam Domini, præmittunt etiam litterasque dant. Volebat igitur et ille in Achaïam venire. Antequam vero illum fratres exhortati essent, ac litteras ei dedissent, non recedit. « Qui ut venit, inquit, » contulit multum iis qui crediderant : vehementer enim » Judæos revincebat publice, ostendens per Scripturas Je- » sum esse Christum. » Hinc ostendit quam potens in Scrip- turis esset Apollo. Judæos enim vehementer reprimebat. Hoc enim sibi vult illud, « Revincebat. » Credentibus vero fiduciam indebat, ut in fide starent. « Factum est autem, » inquit, ut Paulus peragratis superioribus partibus, ve- » niret Ephesum. » Hæc autem juxta Cæsaream et cætera quoque : « Et inveniret quosdam Discipulos, dixitque eis :

[1] Act. XVIII, 27, 28. — [2] Id. XIX, 1-7.

» Si Spiritum sanctum accepistis credentes? » Quod autem hi non crederent in Christum, palam est ex eo quod dicant, « In eum qui venturus erat post ipsum, ut credant. » Neque dixit : « Nihil est baptisma Joannis ; » sed, « Imperfectum est. » Neque illud sine causa addidit; sed ut doceret suaderetque eis, ut in nomine Jesu baptizarentur, quod etiam faciunt, et Spiritum accipiunt et impositione manuum Pauli. « Cum imposuisset, inquit, illis manus Pau» lus, venit Spiritus sanctus super eos. » Itaque ii Spiritum accipiebant, quibus manus imponebat. Verisimile igitur est illos Spiritum habuisse, nec apparuisse, nisi ex operatione, et ex eo quod loquerentur linguis.

II. Sed ea quæ superius lecta sunt repetamus. « Paulus » autem navigavit in Syriam, inquit, et cum illo Priscilla » et Aquila, » quos, cum pervenisset Ephesum, ibi reliquit; vel quia nolebat illos circumducere, ideo reliquit; vel potius ut doctores manerent Ephesiis. Ipsi vero postea Corinthi habitarunt. De quibus etiam magnifice testificatur, et Romanis scribens salutat ipsos. Quare videtur mihi ipsos postea venisse Romam, utpote qui libenter frequentarent loca, unde ejecti fuerant sub Nerone. « Et descen» dens, inquit, Cæsaream, cum ascendisset et salutasset » Ecclesiam, descendit Antiochiam, exactoque ibi ali» quanto tempore, exiit, pertransiens Galaticam exinde » regionem et Phrygiam. » Videtur mihi fideles illic conventus egisse : non enim statim illos abstrahebant. Vide autem quomodo illos urgeat : et has regiones iterum pertransit, ut præsentia sua discipulos confirmet. « Judæus » vero quidam, inquit, Apollo nomine, venit Ephesum, » potens in Scripturis. » Homo diligens erat; ideoque peregrinabatur. « Qui cum venisset, inquit, in Achaïam, ve» hementer revincebat Judæos publice. » De quo Paulus

dicebat : « De Apollo autem fratre[1]. » Quod publice redarguebat, hinc fiducia ostendebatur ; quod vehementer, virtus enitebat ; quod ex divinis Scripturis ostenderet, experientia monstrabatur. Neque enim dicendi libertas aliquid perficit, si non adsit virtus. Ergo non sine causa Aquilam reliquit Ephesi. Sed propter Apollo forsan Spiritus hoc dispensavit, ut fortior ascenderet Corinthum. Et cur huic nihil fecerunt, in Paulum autem insurgunt? Sciebant illum Coryphæum esse ; vel quia magnum erat viri nomen. « Assumentes autem illum, inquit, Aquila et Priscilla, » diligentius exposuerunt ei viam Dei. » Vide quomodo omnia fide perficerentur, et nusquam invidia, nusquam livor. Aquila docet ; imo potius ipse docetur. Etenim aliquanto tempore cum illo versantes, sic edocti sunt, ut etiam alios docere possent. « Cum autem vellet ipse » transire in Achaïam, » inquit, scripserunt Discipulis ut reciperent eum. Cur litteras scribant indicat, ut illum recipiant, inquit. Et unde liquet illos, cum Ephesi essent, baptisma Joannis habuisse ? Quia interrogati ; « In quo » baptizati estis? » dicunt : « In Joannis baptismate. » Forsan tunc Jerosolymam se contulerant, et abierunt et baptizati sunt ; sed etiam baptizati, Jesum non sciebant. Nec dixit eis ; « Creditis in Jesum? » sed quid? « Si » Spiritum sanctum accepistis? » Sciebat enim quod non haberent. Et vult id illos dicere, ut scientes quid sibi deesset, id peterent. « Et imponente, inquit, illis Paulo » manus, venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur » linguis et prophetabant. » Ab ipso baptismo prophetant. Hoc autem Joannis baptisma non habebat, ideoque imperfectum erat. Ut porro his digni haberentur, præparavit illos. Itaque hoc volebat Joannes cum baptizabat, ut crederent in venturum post ipsum. Hinc ostenditur mag-

[1] Cor. xvi, 16, 12.

num dogma, quod qui baptizantur, perfecte a peccatis purgentur. Nisi enim purgarentur, Spiritum non acciperent, non statim charismatibus dignarentur. Et vide quod duplex tunc charisma sive donum fuerit, et linguæ, et prophetiæ. Recte autem dixit baptisma Joannis pœnitentiæ esse, non autem remissionis : erigens illos suadensque eis, hoc vacuum fuisse baptismum illum. Nam posterius baptismi opus erat remissio illa. Et quomodo qui Spiritum acceperant non docebant, cum Apollo, qui nondum acceperat, doceret? Quia non erant ita ferventes, nec instituti : ille vero et institutus erat, et admodum fervens. Mihi autem videtur multam in viro fuisse dicendi libertatem. Sed etsi accurate loqueretur de Jesu, accuratiore tamen doctrina opus habebat. Sic etsi nesciret omnia, ex fervore attrahebat Spiritum sanctum, ut etiam Cornelius. Fortasse multi desiderant, utinam etiam nunc esset Joannis baptisma! At multi virtutem negligerent; et forte crederetur singulos propter hoc non propter regnum cœlorum virtutem adire. Alioquin autem multi essent pseudoprophetæ, nec postea qui probati essent multum apparerent, nec beati prædicarentur qui fidem simpliciter susciperent. Ut ergo qui non viderunt, et crediderunt beati sunt, sic qui sine signis crediderunt, beati[1]. Dic enim mihi; annon exprobrabat Christus Judæis dicens : « Nisi signa videri» tis, non credetis[2]? » Itaque nihil hinc nobis damni, si nobis attendere voluerimus. Caput bonorum habemus per baptismum : peccatorum remissionem accepimus, sanctificationem, Spiritus participationem, adoptionem, vitam æternam. Quid amplius vultis? signa? sed cessaverunt. Fidem habes, spem, charitatem, quæ manent. Hæc quære : hæc signis sunt majora. Nihil par charitati. « Major om» nium est charitas[3], inquit. » Nunc vero charitas pericli-

[1] Joan. xx, 29.— [2] Id. iv, 48.— [3] 1 Cor. xiii, 13.

tatur. Solum quippe nomen ejus relictum est : opus vero nusquam; sed divisi sumus inter nos.

III. Quid igitur agendum ut connectamur? Nam reprehendere facile est; sed hoc dimidium tantum. Itaque monstrandum est quomodo nectatur amicitia. Hoc enim curandum, quomodo membra divulsa connectamus. Neque hoc tantum quærimus, an unam Ecclesiam vel unum dogma habeamus. Sed hoc grave est, quod cum in aliis mutuo communicemus, in necessariis non communicemus : et cum omnibus pacem habentes, inter nos dissentiamus. Perpende enim annon quotidie pugnas moveamus; sed quia sinceram et immobilem charitatem non habemus, ligaminibus opus est et oleo. Cogitemus charitatem tesseram esse Discipulorum Christi : et sine illa nihil valere alia; remque esse sine labore, si velimus. Etiam, inquies, hæc novimus. Sed quomodo id recte geretur? Quomodo fiet? Quomodo nos mutuo diligemus? Primo ea quæ charitatem tollunt de medio abjiciamus, et tunc illam statuemus. Nemo sit injuriarum memor, nemo invidus, nemo in malis gaudeat. Hæc dilectionem impediunt; non satis est ea quæ illam impediunt tollere; sed alia quæ illam statuant sunt ostendenda. Sirach ergo dicit ea quæ illam tollunt, et non ea quæ conciliant, exprobrationem esse, et mysterii revelationem, et plagam dolosam [1]. Sed illis utpote carnalibus merito talia proveniunt : nobis autem, absit. Non ab his vos inducemus, sed ab aliis. Nihil nobis est utile absque dilectione. Sint millia bona; quid inde lucri? Sint divitiæ, sint deliciæ absque amicis, quid hinc utilitatis? Nulla possessio etiam in sæcularibus hac pulchrior; ut nihil inimicis molestius est [2]. « Charitas operit multitudinem pec-» catorum; inimicitia autem etiam ea quæ non sunt suspicatur. Non sufficit non esse inimicum; sed oportet etiam

[1] Eccli. xxii, 27. — [2] 1 Petr. iv, 8.

amare. Cogita id Christum jussisse, et hoc sufficit. Etiam afflictio amicitias facit et copulat. Quid igitur, inquies, nunc? cum afflictio non est, quomodo erimus amici? Annon alios habetis amicos, quæso? Quomodo illorum estis amici? Quomodo perseveratis? Interim nemo inimicum habeat : non est hoc parum. Nemo invideat. Non licet non invidum accusare. Unum habitamus orbem omnes, iisdem alimur fructibus. Sed hæc parva sunt. Iisdem mysteriis, eadem spirituali esca fruimur. Hæc sane amicitiæ jura sunt. Quomodo igitur, inquies, ferventer affecti erimus? Quid facit corporum amorem? Corporis forma. Itaque et animas formosas efficiamus, erimusque mutuo amatores. Non oportet enim solum amare ; sed etiam amari. Primo id assequamur, ut amemur, et illud aliud facile erit. Quomodo amari poterimus? Simus pulchri et boni, et hoc operabimur, ut semper amatores habeamus. Nemo ita curet pecunias possidere, vel servos, vel domos, ut amari, ut bonum habere nomen. « Melius est nomen, quam divitiæ » multæ [1]. » Illud enim manet, hæ pereunt : et illud possideri potest, hæ vero minime. Nam qui malam habet famam, vix illam excutere poterit. Pauper vero a nomine cito dives erit. Sit quis dena millia talenta habens ; alius vero amicos centum ; hic illo opulentior erit. Ne igitur hoc obiter curemus, sed ut negotiationem quamdam utilem. Et quomodo, inquit, poterimus? « Faux dulcis multiplicat amicos, » et lingua gratiosa [2]. » Os bene loquens possideamus et mores puros. Non potest latere qui sic affectus est.

IV. Vide quanta amoris vincula externi excogitarint : adoptionem, viciniam, cognationes. Sed his omnibus nostra sunt majora. Hæc mensa venerabilior. Multi autem ex iis qui accedimus, neque nos mutuo novimus. Hoc multitudo facit, inquies. Nequaquam ; sed ignavia nostra. Ter

[1] Prov. XXII, 1. — [2] Eccli. VI,

mille, et quinquies mille erant illi, et omnes habebant animam unam. Nunc autem singuli fratrem suum ignorant, nec pudet eos multitudinem prætexere. Qui multos habet amicos, omnibus est inexpugnabilis, quovis tyranno fortior. Non ita illum alium satellites, ut hunc amici custodiunt : hicque clarior illo est. Ille namque a servis, hic ab æqualibus custoditur. Ille ab invitis et timentibus, hic a lubentibus nec metuentibus. Videreque est rem miram, in multis unum, et in uno multos. Atque ut in cithara diversi soni sunt, una vero symphonia, unusque musicus qui citharam pulsat; ita et hic : cithara quidem est charitas; soni vero, verba charitate plena, dum omnes simul unam eamdemque harmoniam et symphoniam efficiunt. Musicus est charitatis virtus. Ipsa dulce melos pulsat. Vellem vos in talem civitatem ducere, si fieri posset, ubi unus esset animus, et videres ibi symphoniam omni cithara et tibia suaviorem, nihilque absoni habentem. Hæc melodia et Angelos et Angelorum Dominum ac Deum delectat : hæc totum in cœlo theatrum excitat : hæc et dæmonum furorem compescit et affectuum impetum demulcet. Hæc melodia non modo affectus sedat; sed nec exurgere sinit, magnumque facit silentium. Sicut enim in theatro musicorum, omnes chorum cum silentio audiunt, nullusque ibi tumultus est; sic inter amicos, charitate pulsante, omnes affectus quiescunt et sedantur, ut feræ demulsæ et mitigatæ; sicut ubi inimicitiæ sunt, ibi omnia sunt contraria. Sed nihil jam de inimicitia loquamur, de amicitia tantum dicimus. Si quid temerarium dicas, nemo est qui insurgat in te, sed omnes ignoscunt; si quid facias, nemo suspicatur; sed magna est indulgentia : cadenti omnes prompte manum porrigunt : omnes ipsum stare curant. Murus vere inconcussus est amicitia, qui nec a diabolo capitur, nedum ab hominibus. Non potest in pericula incidere qui amicos habet multos.

Nulla adest iræ occasio, sed suavitatis tantum. In risu semper est ac deliciis : nulla ibi invidiæ occasio, nulla injuriarum memoria. Hunc vide et spiritualia et carnalia facile dirigentem. Quid huic par fuerit? Hic est ceu civitas undique muris cincta; ille vero alius quasi civitas sine muris. Magnæ sapientiæ est posse amicitias conciliare. Tolle amicitiam et omnia sustuleris, omnia confuderis. Si autem amicitiæ imago tantam vim habet, ipsa veritas quanta erit. Amicos ergo nobis paremus, obsecro, et hac arte quivis agatur. Et ecce, inquies, ego conor; ille vero non curat. Major tibi merces sic erit. Etiam, inquies; sed res tunc difficilior est. Quomodo, quæso : Ecce testificor et dico? Si decem tantum vos conjungeretis, et opus prædicandi sicut Apostoli vobis constituerctis, et sicut Prophetæ docebant, sic amicos facere studeretis, magnam vobis fore mercedem. Regias nobis imagines paremus : hoc enim discipulorum symbolum est. Et cur non majus quidpiam facimus, quam si nobis facultatem acquireremus mortuos suscitandi? Diadema et purpura regem indicant : si hæc non adsint, etiamsi aurea habeat vestimenta, nondum rex manifestatus est. Ita et tu nunc, hanc tibi tesseram facito, et tibi et aliis amicos parabis. Nemo qui ametur, odio habere velit. Discamus colores illos qui miscentur, quibus imago illa constituitur. Diserti simus : ne expectemus proximos. Ne dicas : « Si videro aliquem tardum, ego deterior fio. » Imo si videris, præoccupa, et ejus vitium extingue. Ægrum vides, et morbum auges? Hoc maxime et ante omnia præstemus, ut honore nos mutuo præveniamus, nec putes te minui cum putas alios te excellentiores : si ipsum honore prævenias, te ipsum magis honorasti, tibique honorem attraxisti. Ubique primas aliis concedamus. Nihil eorum quæ nobis illata sunt malorum recordemur; sed bonorum tantum. Nihil sic facit amicum ut grata

lingua, os bene loquens, anima sine fastu, vanæ gloriæ et honoris contemptus. Si hæc fecerimus, poterimus diaboli laqueis inaccessi esse; et virtutem accurate sectati, promissa diligentibus Deum bona consequi, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLI.

CAPUT XIX.

Ingressus in synagogam cum fiducia, loquebatur per tres menses disputans et suadens de regno Dei[1].

I. Vide ubique, ut se in synagogas immittit, et sic demigrat. Ubique enim ab illis volebat occasionem assumere, ut dixi. Nam gentes jam zelo fervebant, et libenter eum accipiebant; Judæi vero gentibus fidem suscipientibus pœnitentiam agebant. Volebat Discipulos illinc abstrahere, et ab illis incipere, ut ne cum illis congregarentur, neque sine causa hoc faciebat. Ideo frequenter cum illis disputabat, quia persuadebat. Ne igitur quia dicendi libertatem audisti, asperitatem putes. De utilibus rebus disputabat, de regno; quis non audisset? « Cum autem quidam indu» rarentur, et non crederent, maledicentes viam Domini » coram multitudine, discedens ab eis, segregavit Disci» pulos, quotidie disputans in schola tyranni cujusdam. » Hoc autem factum est per biennium; ita ut omnes, qui » habitabant in Asia, audirent verbum Domini Jesu, tam

[1] Act. XIX, 8.

» Judæi, quam Græci[1],» Viam merito vocabant prædicationem, vere enim hæc via est, quæ ducit ad regnum cœlorum. « In schola, inquit, tyranni cujusdam disputabat. » Et hoc factum est per biennium; ita ut omnes audirent » sermonem, tam Judæi, quam Græci. » Vides quantum profuit assidue urgere? et Judæi et Græci audiebant. « Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manus Pauli, ut » etiam super languidos deferrentur de corpore ejus sudaria et semicinctia, et recederent ab eis languores, et » spiritus nequam exirent ab eis[2]. » Non tangebant solum ferentes, sed accipientes imponebant. Ideo non sivit Christus illum ire in Asiam, hoc tempus observans, ut ego puto. « Tentaverunt autem quidam ex circumeuntibus Judæis exorcistis, invocare super eos qui habebant spiritus » malos nomen Domini Jesu, dicentes : Adjuramus vos per » Jesum, quem Paulus prædicat[3]. » Ita omnia faciebant lucri causa. Vide : credere quidem nolebant, sed per hoc nomen volebant ejicere dæmonia. Papæ, quantum erat nomen Pauli! « Erant autem quidam Judæi Scevæ, prin» cipis sacerdotum, septem filii, qui hoc faciebant. Res» pondens autem spiritus nequam dixit eis : Jesum novi, » et Paulum scio : vos autem qui estis? Et insiliens in eos » homo, in quo erat dæmonium pessimum, et dominatus » eorum, invaluit contra eos, ita ut nudi et saucii effuge» rent de domo illa. Hoc autem notum factum est Judæis » atque gentilibus, qui habitabant Ephesi[4]. » Igitur clam faciebant, deinde divulgata est illorum infirmitas. « Et ce» cidit timor super omnes illos, et magnificabatur nomen » Domini Jesu. Multique credentium veniebant, confiten» tes et annuntiantes actus suos[5]. » Quia tantam potestatem habebant, ut per dæmonia talia facerent, merito

[1] Act. XIX, 9, 10. — [2] Ibid. 11, 12. — [3] Ibid. 13. — [4] Ibid. 14-17. — [5] Ibid. 18.

hæc fiunt. « Multi autem ex iis, qui fuerant curiosa sectati, » contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus : et » computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam dena- » riorum quinquaginta millium. Ita fortiter crescebat ver- » bum Dei, et confirmabatur[1]. » Videntes autem ex his deinceps nihil sibi utilitatis fore, exusserunt libros. Quando ipsi dæmones hoc faciunt : non ergo nomen quidpiam facit, nisi cum fide dicatur. Bene ergo dicebat : « Qui credit in » me, majora faciet[2], » has umbras insinuans. Vide quomodo armis contra se ipsos usi sunt. « Et disputabat, in- » quit, in schola tyranni cujusdam per annos duos. » Ubi fideles erant, admodum erant fideles. Ita nihil magnum putabant esse Jesum, quando et Paulum addidere, quia ipsum hinc magnum quidpiam esse putabant. Hic mirari subit quomodo dæmon ille exorcistarum errori non cooperatus est ; sed redarguit illum, et scenam eorum patefecit. Mihi videtur valde succensuisse, ac si quis de extremis periclitans, a misero quodam et ærumnoso refutetur, et furorem suum totum in illum exonerare velit. Ne videretur enim nomen Jesu despicere, primo ipsum confessus, tunc potestatem accepit. Ut autem probetur non ex debilitate nominis, sed ex illorum fraude totum accidisse, cur non Paulo tale quidpiam contigit. « Et insiliens, inquit, » homo in illos. » Forte discidit illorum vestes, et capita dilaniavit. Hoc enim indicavit dicens : « Insiliens : » id est, cum impetu irruens ; ita ut hæc facere posset. Quid sibi vult, « Discedens ab eis, segregavit Discipulos? » Illorum, inquit, maledicentiam succidit. » Hoc autem facit et abscedit, quia nolebat illorum invidiam succendere, neque in majorem rixam incitare. Illud autem, « Fiducialiter » agebat, » dicit, significans ipsum ad pericula paratum, clarius, nec dogmata adumbrantem disputasse. Hinc dis-

[1] Act. XIX, 19. 20. — [2] Joan. XIV, 19.

cimus non nos immiscere cum maledicis, sed ab illis abscedere. Non maledixit ipse cum male audiret, imo potius quotidie disputabat : et hac maxime ratione multos sibi concilians, quod quamvis mala pateretur et audiret, non discederet, neque separaretur. Et observa, post quam tentatio ab externis cessavit, a dæmonibus incœpit. Videsne cæcitatem judaïcam? Cum viderent vestes ejus operantes, non advertebant. Quid hoc majus esse possit? At illis in contrarium res versa est. Si quis gentilium non credat, videns umbram hæc operantem credat. Sic ex eo quod ab illis discederet, maledici et qui dogma calumniabantur, superantur. Hoc enim viam vocavit. Ille vero discedit, ut neque Discipuli secederent, neque illos ad iram concitaret, ostendens illos ubique salutem repellere. Et jam illis non sese purgat, eo quod gentes ubique crederent. Et disputat, non quemvis locum quærens, sed ubi schola erat, quasi commodiorem, eo quod ibi congregarentur.

II. Papæ, quanta credentium virtus, et aliis quoque eadem ipsa facere conceditur! Quanta vero cæcitas eorum, qui etiam, dum virtus illa demonstraretur, in incredulitate manebant. Ut igitur Simon lucri causa gratiam Spiritus quærebat, sic et hi eadem de causa idipsum faciebant. Quanta cæcitas! et quare Paulus non increpat? Quia visum fuisset hoc ex invidia fieri, ideo res ita dispensatur. Sic et Christo accidit. Sed tunc non impediebatur, nam tunc initium rerum erat. Etenim et Judas fur non cohibebatur. Ananias vero et Sapphira interfecti sunt. Multi Judæi obsistentes, nihil passi sunt, Elymas vero excæcatus est. «Non enim, inquit, veni ut judicem mundum, » sed ut salvetur mundus[1]. » Vide rem execrandam. Judæi adhuc manentes ex ipso nomine lucrari volebant; itaque omnia ad gloriam et lucrum faciebant. Undique vide ho-

[1] Joan. III, 17.

mines non ita per utilia, ut per terribilia converti. Ex Sapphiræ exemplo terror incidit in Ecclesiam : et alii non audebant se conjungere illis. Hic sudaria et semicinctia accipiebant et sanabantur; et postea veniebant ut confiterentur peccata sua. Ex eo quod insiliret ostenditur dæmonum magna quædam vis, cum contra infideles agunt. Et cur non dixit spiritus malus : « Quis est Jesus? » sed inutilia verba protulit? Timebat ne ipse pœnas daret. Sciebat enim hujus nominis virtute concessum sibi fuisse ut illusores illos ulcisceretur. Cur autem miseri illi non dixerunt ei, « Credimus? » Timebant Paulum; quamvis multo clariores futuri erant, si Jesum Dominum agnovissent. Et alioquin id quod Philippis contigit, illos emendavit. Tu vero mihi considera quam modestus hoc loco sit scriptor, et quomodo historiam solum scribat, nec quempiam accuset. Hoc Apostolos mirabiles reddebat, et cujus essent filii dicit, et nomen et numerum, dans iis qui tunc erant, certum narrationis suæ indicium. Cur autem circuibant illi? Lucri causa, non ut verbum annuntiarent : quomode enim? Bene autem currebant postea, prædicantes per ea quæ patiebantur. Quare hoc declarans ait. « Et notum factum est omnibus tam Judæis, » quam gentilibus, qui habitabant Ephesi. » Nonne, quæso, hoc etiam eos, qui duriores erant, convertere debuit? sed non convertit; nec mireris. Malitiæ enim nihil est quod persuadeat. Age vero, hoc exorcistarum opus videamus quantæ sit nequitiæ. Cur autem hoc sub Christo non contigerit, alterius, non præsentis temporis est disquirere. Cæterum id jam pulchre et utiliter accidit. Videtur enim illos irridendi causa hoc fecisse : ideoque plectuntur; ita ut posthac nemo auderet temere hoc nomen proferre. Hoc fidelium multos ad confessionem deduxit, hoc et timorem ipsis incussit, maximumque hoc argumentum fuit Deum

omnia nosse. Prius quam a dæmonibus redarguerentur, se ipsos accusabant, timentes ne eadem paterentur; et jure quidem. Quando enim adjutores dæmones, accusatores illorum erant, non auxiliatores, qualis spes supererat, nisi confessio per opera? Vide quanta brevi postea mala eveniant post tot facta signa. Talis quippe est humana natura : statim beneficiorum obliviscitur. Annon meministis, idipsum etiam nostris temporibus accidisse? Dic enim mihi. Nonne, anno superiore, concussit Deus civitatem totam? Quid vero? Nonne omnes ad baptismum accedebant? Nonne scortatores, molles et corrupti homines, relictis domibus et habitaculis, conversi et pii effecti sunt? Ubi autem tres dies transierunt, rursus ad pristinam reversi sunt nequitiam. Unde hoc contingit? Ex ignavia multa. Ecquid mirum, si ubi res transierunt, quando imaginibus perpetuo manentibus hoc ipsum evenit? Quæ in Sodomis, dic mihi, nonne perpetuo manent? Quid ergo? An vicini propterea meliores facti sunt? Minime. Quid et filius Noë? nonne talis erat? Nonne tantam sub oculis habens solitudinem, malus tamen erat? Ne miremur ergo si his ita gestis non crediderunt, quando ipsa fides illis sæpe in contrarium et in nequitiam vertitur; ut quando dæmoniacum esse dicebant Dei Filium. Annon videtis hoc nunc etiam fieri, et multos homines serpentibus similes, incredulos et ingratos, qui, instar viperarum, cum beneficia accipiunt, beneficiis infesti sunt? Hæc a nobis dicta sunt, ut ne quis miretur, quod tot editis signis non omnes conversi sint.

III. Nostris quippe temporibus, acciderunt ea, quæ beatum Babylam spectant, quæ Jerosolymis gesta sunt; quæ in destructione templorum, neque tamen omnes conversi sunt. Quid opus est vetera recensere? Dixi vobis quid anno proximo acciderit, et nemo attendit; sed rursus paulatim defluxerunt et collapsi sunt. Stat semper cœlum

clamans se dominum habere, et hoc universum esse cujusdam opificis : de mundo loquor. Et dicunt quidam non ita esse. Quæ circa Theodorum anno proximo gesta sunt, quem non obstupefecerunt : et tamen nihil amplius factum est ; sed ad tempus pii effecti, eo reversi sunt unde pietatem inierant. Hoc etiam Hebræis tunc contigit. Ideo dicebat Propheta : « Cum occideret eos quærebant eum, » et revertebantur, et diliculo veniebant ad Deum [1]. » Ecquid oportet generalia illa proferre ? Quot in morbos inciderunt ? Quot surgentes polliciti sunt se mores in melius mutaturos, et tamen iidem ipsi manserunt ? Hoc maxime ostendit nobis naturalem nostram arbitrii libertatem, repentina nempe mutatio. Nam si naturalia mala essent, libertas non esset ; quæ enim ex natura et necessitate fiunt, mutare non possumus. Atqui mutamur, inquies. Annon videmus interdum eos, qui a natura habent ut videant, præ metu excæcatos ? Quoniam illud naturæ est ut reprimatur, cum natura altera advenit : ita secundum naturam nostram est, ut perterriti non videamus. Secundum naturam item est, ut majore adveniente metu alter metus recedat. Quid igitur, inquies, si temperantia secundum naturam sit, et metus invalescens illum ejiciat ? Quid igitur si ostendero ne quidem tunc quosdam esse temperantes, sed in metu etiam petulantes esse ? Annon hoc naturale est ? An vetera dicam ? An nova ? Quot in ipso timore manserunt ridentes, et nihil tale passi sunt ? Dic, quæso, Pharao nonne statim mutatus est, et ad pristinam recurrit nequitiam ? Hoc autem loco dæmoniacis, quamvis ipsi non ignorarent, dixerunt simpliciter : « Per Jesum adjuramus » vos, quem prædicat Paulus. » Per ea enim, quæ respondent, ipsos scire probatur. Jesum vero dicunt illi simpliciter, cum oportuisset dicere : Servatorem mundi, qui

[1] Psal. LXXVII, 38.

resurrexit. Sed noluerunt confiteri gloriam ejus. Ideo redarguit illos dæmon insiliens in eos, dicensque : « Jesum » novi, et Paulum scio ; » ac si diceret : « Vos non creditis, » sed illo abutentes nomine hoc dicitis. Igitur desertum templum est, expugnatu facilia arma. Itaque non estis præcones, inquit, sed mei estis. Magnus furor dæmonis. Potuissent hæc Apostoli facere; sed interim non faciebant. Nam qui imperabant illis qui talia in ipsos operabantur, multo magis ipsis imperassent. Vide quomodo illorum mansuetudo monstratur. Quia illi qui pellebantur talia faciebant, dæmones vero quibus serviebant contraria. « Jesum, inquit, novi : » ergo erubescite vos qui illum ignoratis. « Et Paulum scio. » Et hoc bene; noverat enim Dei esse præconem. Deinde insilit in eos, et vestes dilacerat ; ac si per opera diceret illis : « Ne putetis me ideo id facere quod illos contemnam. » Magnus timor dæmonis. Et cur non sine verbis istis vestes eorum discidit? Ita et furorem implevit, et errorem repressit. Timebat, ut dixi, inaccessam potestatem : et non tantum potuisset, si hoc non dixisset. Vide ubique dæmones gratiores, quam Judæos, nec audentes contradicere, vel accusare Apostolos, neque Christum. Illic dicunt : « Scimus te quis » sis, » et, « Cur venisti huc ante tempus torquere nos [1] ? » et rursum, « Scio te quis sis, Filius Dei; » hic vero, « Hi » homines, servi Dei excelsi sunt [2] ; » et rursum, « Jesum » novi, et Paulum scio. » Multum enim formidabant et tremebant sanctos illos. Forte quis vestrum audiens cupit hanc habere potestatem, ut ne ausint quidem dæmones adversus illum respicere, et sanctos illos ea de causa beatos prædicat, quia tantam habuere potestatem. Sed audiat Christum dicentem : « Nolite gaudere quia dæmonia vobis » subjiciuntur [3] ; quia sciebat omnes homines ob vanam

[1] Matth. VIII, 29. — [2] Act. XVI, 17. — [3] Luc. X, 20.

gloriam ea de re maxime gavisuros esse. Nam si id quod placitum Deo est quæris, et quod in communi prodest, alia major est via. Non ita magnum est a dæmone liberari, ut a peccato. Dæmon non impedit quominus regnum cœlorum consequamur, imo cooperatur, invitus quidem, sed tamen cooperatur, dum continentiorem reddit eum quem occupat. Peccatum vero e regno ejicit.

IV. At forte dicet quispiam : Absit, ut sic assequar continentiam. Neque ego velim ; sed alio modo, ut omnia facias ex amore Christi. Si vero hoc, quod absit, contingat, pro hoc est orandum. Si igitur dæmon non ejicit, peccatum vero ejicit, ab hoc liberari majus est beneficium. Ergo ab hoc proximum liberari curemus, et ante proximum, nos ipsos. Videamus ne dæmonem habeamus, diligenter nos ipsos examinemus. Dæmone gravius est peccatum. Ille namque humiles reddit. Annon videtis dæmoniacos, quando a morbo recreantur, quam sint demissi? quam mœsti? quomodo vultus pudore suffundatur? Quomodo non ausint obtueri? Vide absurditatem. Illi de iis quæ patiuntur erubescunt ; nos de actis nostris non erubescimus. Illi injuria affecti verentur ; nos injuria afficientes non veremur. Atqui illorum status non pudore dignus, sed misericordia et humanitate, venia, admiratione magna, innumeris laudibus, quando cum tali dæmone concertantes, omnia cum gratiarum actione patiuntur. Nostra vero digna sunt risu, pudore, accusatione, supplicio, pœna, extremis malis, gehenna, nullaque venia. Vides-ne peccatum dæmone deterius esse? Et illi quidem ex iis quæ graviter patiuntur, duplex lucrum reportant ; unum quod temperatiores sint, et magis philosophi ; alterum, quod cum hic peccatorum pœnas dederint, puri ad Dominum migrent. Nam hac de re sæpe disseruimus et ostendimus eos, qui hic puniuntur, si benigne ferant, magnam peccatorum sarcinam verisimiliter deponere. A

peccatis autem duplicia mala eveniunt : unum, quod offendamus; alterum, quod deteriores evadamus. Attendite dictis. Non in hoc tantum lædimur a peccato, quod peccemus; sed et in alio, quod anima habitum admittat; sicut et in corpore : clarius enim erit inde sumptum exemplum. Quemadmodum enim febricitans non in hoc solum læditur quod infirmetur, sed etiam quod post morbum sit infirmior, etiamsi ex diuturno morbo in bonam valetudinem redeat; sic et de peccato dicendum, licet sanemur, adhuc tamen egemus fortitudine. Vide namque mihi quempiam, qui contumelia affecerit, nec pœnas dederit. Non ideo solum lacrymari oportet, quod contumeliæ pœnas non dederit; sed etiam alia de causa lugendum. Quare? Quia impudentior effectus est animus. Singulorum enim peccatorum, post quam delictum peractum est et cessavit, virus quoddam in anima inscritur. Non audis quosdam dicentes, post quam a morbo recreati sunt : « Non ultra ausim aquam bibere, » licet sani sint. Sed morbus in hoc etiam læsit : et illi quidem mala passi, gratias agunt; nos autem dum bene habemus, Deum blasphemamus, et ægre ferimus. Plures enim invenias in sanitate ac divitiis hoc agentes, quam in paupertate et infirmitate. Instat enim dæmon quasi carnifex ardens minas intentans, sicut quidam pædagogus lorum erigens, et nusquam deflectere sinens. Quod si qui ne ita quidem sapiant, non dant illi pœnas. Non parum autem hoc est. Ut enim stulti, ut furiosi, ut pueri non dant pœnas, sic neque hi. Eorum enim, quæ inscienter acta sunt, nemo tam crudelis est ut pœnas repetat. Certe peccantes deterius affecti sumus quam dæmoniaci : sed non spumamus, nec pupillas distorquemus vel manus : utinam hoc in corpore pateremur non in anima. Vis tibi ostendam animam spumantem, impuram, et distortos oculos mentis? Cogita iratos et furore ebrios, qua

spuma non immundiora proferunt verba? profecto quasi fœtidum sputum emittunt. Et sicut illi nullum ex præsentibus norunt, sic neque hi. Obtenebrata enim illorum mente et distortis oculis, non amicum, non inimicum, non venerabilem, non despiciendum; sed omnes uno intuitu cernunt. Non vides hos tremere sicut illos. Sed non cadunt in terram? Verum anima eorum humi jacet; et cadit palpitans. Si enim recta staret, non pateretur illa quæ patitur. Annon videntur tibi abjectæ esse animæ, quæ vigilantiam suam perdiderint, ea quæ illi dicunt et faciunt animo ebrii? Est et aliud rarioris genus hoc gravius. Quodnam illud? Quando neque iram remitti sustinent; sed apud se alunt, quasi domesticum carnificem ulciscendi se cupiditatem. Illos enim primos hæc cupiditas hic perdit, ut futura præteream. Nam quantam putas esse tormentum hominis animo perculsi, singulis diebus meditantis quo pacto inimicum ulciscatur? Primo se ipsum punit, et inflatum plectit, contra se ipsum pugnans et incensus. Necesse enim est ignem semper in te ardere: et febrim tantum intendens, non sinis decrescere, putasque te illi malum inferre. Ipse vero te ipsum tabefacis, flammam semper vigentem gestans, nec sinens animam quiescere; sed efferatus semper in perturbatione et tempestate mentem retinens.

V. Quid hoc furore deterius, semper ita dolere, inflari, ardere? Tales enim sunt vindictam meditantium animæ. Ubi viderint eum, quem ulcisci cupiunt, statim concitantur; si vocem audierint, decidunt, tremunt. Si in lecto decumbant, mille sibi depingunt ultionis genera, suspendentes, torquentes inimicum illum. Ad hæc si illum clarum et conspicuum viderint; papæ quantum supplicium! Dimitte illi peccatum, teque a tormento exime. Cur semper cruciatus perseveras, ut illum semel ulciscaris et pu-

nias? Quid paras tibi hecticum morbum? Cur animum tuum liberari volentem detines? Ne usque ad vesperam maneat[1], inquit Paulus. Sicut enim tabes quædam et tinea, sic mentis nostræ radicem rodit. Cur feram includis in visceribus tuis? Melius esset serpentem et viperam in corde esse, quam iram et ulciscendi cupiditatem. Nam illa reptilia statim a nobis abscederent : hæc autem semper manet, semper dentibus laniat, virus immittit, molestarum cogitationum exercitum producit. At hæc facio, inquies, ne me rideat, ne contemnat. Miser homo et ærumnose, non vis a conservo irrideri; sed odio haberi a Domino tuo? Non vis despici a conservo; sed Dominum despicis? Despici ab illo non pateris, Deumque putas non indignari quod ipsum derideas, quod ipsum spernas, dum non vis ipsi obtemperare? Quod autem ille non te deridebit hinc manifestum est. Si ergo te ulciscaris, hinc magnus risus, magnus contemptus, nam pusillanimitatis est opus. Si vero dimiseris, magnum miraculum : magnanimitatis hoc opus est. At ille, inquies, id ignorat. Sciat Deus, ut majorem habeas mercedem. In fœnus date, inquit, iis, a quibus nihil accipere speratis[2]. Sic beneficia præstemus iis qui non sentiunt se beneficiis affici, ut ne vel laudem vel aliquid aliud nobis rependentes, mercedem nobis minuant. Cum enim nihil ab hominibus accipimus, tunc majora a Deo accipiemus. Quid autem risu dignius, quid frigidius anima quæ semper irascitur, et se vult ulcisci? Muliebre ac puerile propositum est. Nam ut illa contra inanimata etiam irascitur, et si pavimentum non percutiat, non remittit iram; ita et hi eos qui se afflixerunt ulcisci volunt, ergo et ipsi risu digni : nam iræ subjectum esse, puerilis est animi; iræ imperare, strenui viri est. Ergo non nos irridemur si philosophi simus, sed illi. Non est illud contempti-

[1] Ephes. IV, 26. — [2] Luc. XIX, 14.

bilium hominum, a passione non vinci : contemptibilium hominum est exterorum risum timere ; ita ut ideo extollaris, animi morbo subjiciaris, Deum offendas, et te ulciscaris. Hæc vere sunt risu digna. Hæc ergo fugiamus. Dicat se, qui nos sexcentis impetivit malis, nihil passum esse mali. Dicat se, si in nos iterum debacchetur, nihil esse passurum. Non aliter nostram prædicaret virtutem : non alia quæreret verba, si nos laudare vellet, quam hæc, quæ ut nos mordeat, profert. Utinam omnes hæc de me dicerent : « Frigidus homo et miser est : omnes ipsi contumeliam inferunt, et ipse fert ; omnes insiliunt, et ille non se ulciscitur. » Utinam adderent : « Neque si velit, potest, » ut mihi laus esset a Deo, et non ab hominibus. Dicat quod ob timiditatem non nos ulciscimur. Nihil hoc nobis nocet, quando Deus scit : sed thesaurum nostrum in majori ponit custodia. Si illos spectemus, ab omnibus excidemus. Ne videamus quid dicant, sed quid nos deceat. At illi, ne me quis irrideat, inquiunt, ne quidam glorientur. O stultitiam! Nemo qui me læserit me irrisit, inquiunt; id est, ultus sum illum. Atqui hac de causa irridendus es, quia ipsum ultus es. Undenam hæc verba inducta sunt, turpia et perniciosa, quæ vitam nostram et rempublicam subvertunt? Nonne quia Deo adversantia loquimur ? Quod enim Deo reddit æqualem, nempe non se ulcisci, id tu risum reputas esse. Nonne ideo risu digni sumus, et apud nos ipsos et apud gentiles, quod ita contra Deum loquamur? Volo quidpiam enarrare apud veteres gestum, non circa iram, sed circa pecuniam. Erat cuidam prædium, occultum thesaurum habens, inscio domino, quod ille vendidit. Emptor vero cum foderet ut plantaret, et curaret, depositum thesaurum invenit. Quod cum didicisset is, qui vendiderat, veniens emptorem cogebat ut thesaurum redderet, dicens se prædium vendidisse, non thesaurum. Ille contra

repellebat eum dicens se prædium cum thesauro emisse, et se hoc nihil curare. Res in litem inter ambos versa est; illo reddi sibi volente; alteroque negante. Incidentes autem in hominem quempiam litigabant; deindeque interrogarunt illum cui deberet thesaurus adjudicari. Ille vero non sententiam tulit : dixitque se litem soluturum esse, quod ipse dominus esset. Et illis annuentibus accepto thesauro, innumera deinde mala passus est : et re didicit jure illos ab hoc abstinuisse. Hoc et circa iram fieri oportet, ut et nos contendamus non esse sumendam ultionem, et qui læserunt contendant oportere se pœnas dare. Sed forsan hæc ridicula videantur. Quando enim hæc insania admodum occupat, qui modeste agunt irridentur, et inter insanientes multos, qui non insanit, videtur insanire. Quamobrem obsecro, feramus, nosque contineamus, ut possimus hoc pernicioso morbo liberi, regnum cœlorum assequi, gratia et miserationibus unigeniti Filii, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLII.

CAPUT XIX.

His autem expletis, proposuit Paulus in Spiritu, transita Macedonia et Achaïa ire Jerosolymam, dicens : Posquam fuero ibi, oportet me et Romam videre. Mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi Timotheum et Erastum; ipse remansit ad tempus in Asia. Facta est autem illo tempore turbatio non minima de via[1]. »

I. Satis moratus in illa civitate, vult iterum alio migrare : ideo mittit Timotheum et Erastum in Macedoniam : ipse vero manet Ephesi. Quomodo autem initio volens in Syriam abire, in Macedoniam revertitur? Ut ostendat se non omnia ex propria virtute facere. Jam prophetat dicens : « Oportet me Romam videre. » Hoc vero fortasse dicit ut consoletur eos, ut qui non maneat quidem, sed rursus vicinus eorum futurus sit, et prophetia Discipulorum animos excitat. Hinc mihi videtur Ephesi Corinthiis scribere ac dicere : « Nolo vos ignorare de tribulatione nostra, quæ » facta est in Asia[2]. » Quia enim promiserat se Corinthum esse venturum, quod moras traxerit sese purgat, et tentationem memorat, quæ Demetrium spectant enarrans. Hunc enim subindicat cum dicit turbationem non minimam de via. Rursus periculum; rursus turbatio. Vides-ne quam sit conspicuus? Facta sunt signa duplicia. Illi vero contradicebant. Sic per omnia res contexuntur. « Demetrius enim

[1] Act. XIX, 21-23. — [2] 2 Cor. 1, 8.

» quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas » Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum, » quos convocans, et eos qui hujusmodi erant opifices, » dixit : Viri, scitis quia ex hoc artificio est nobis quæstus. » Et videtis et auditis, quia non solum Ephesi, sed etiam » fere totius Asiæ, Paulus hic suadens, avertit turbam mul- » tam dicens : Non sunt dii, qui manibus humanis fiunt. » Non solum autem hæc periclitabitur nobis pars, ne in » confutationem veniat, sed et ne magnæ deæ Dianæ tem- » plum pro nihilo reputetur : destructurque majestas ejus, » quam tota Asia et orbis colit[1]. Facieus, inquit, ædes ar- » genteas Dianæ. » Et quomodo possunt ædes argenteæ fieri? Forte quasi ciboria parva. Magnus enim ipsi honor erat Ephesi. Ubi illorum incenso templo ita doluere, ut ne nomen quidem ejus, qui succenderat, proferri juberent. Vide ubique idololatriam a pecuniis constare. Et illi propter pecunias, et hic propter pecunias : non quasi religione periclitante, sed quasi quæstu materiam non habente. Et perpende viri malignitatem. Opulentus ille erat : et hinc illi non tantum damnum futurum erat; illis vero, utpote pauperibus multum, qui diurno quæstu victum pararent. Attamen hi nihil dicunt; sed ille tantum. Illos vero artis socios tumultus consortes assumit. Deinde etiam periculum exaggeravit dicens : « Hæc periclitatur nobis pars, ne » in confutationem incidat. » Hoc enim fere significat. Ab hac arte in famem delabi periclitamur. Etsi poterant dicta illa ipsos ad piam religionem adducere. Sed miseri ac viles cum essent, insurgunt magis, nec cogitant si hic homo talia possit, ut omnes convertat, et dii periclitentur, quantus est illius Deus? multo magis ipse nobis illa dabit pro quibus timemus; jam præoccupaverat illorum animos dicens : « Non sunt dii qui manibus humanis fiunt. » Vide pro

[1] Act. XIX, 24-27.

qua re indignentur gentiles; quia dixerat : « Qui ab homi-» nibus facti sunt, non sunt dii. » Ubique in artem sermonem convertit. Deinde quod maxime in angorem conjicere poterat, dicit, « Non solum hæc pars periclitatur; » id est, aliorum nobis nulla cura est; sed quod magnæ deæ Dianæ templum destrui periclitetur. Deinde ne videatur lucri causa hæc dicere, vide quid addat, « Quam orbis colit. » Vides-ne quomodo majorem ostendat Hauli virtutem, omnes ærumnosos et miseros illos ostendens, si homopulsus et tentoriorum artifex talia posset. Vide testimonia de Apostolis ab ipsis inimicis reddita. Illic quidem dicebant. « Ecce impletis Jerusalem doctrina vestra[1];» hic, « Futurum » est ut destruatur Dianæ majestas. » Tunc audiebant, « Qui » subverterunt orbem terrarum, hic adsunt;» nunc, « Pericli-» tatur nobis hæc pars in confutationem venire. » Sic Judæi de Christo dicebant : « Videte quod mundus post ipsum » vadat; » et, « Venient Romani et tollent nostram civita-» tem[2]. His autem auditis, repleti sunt furore. » Unde furor ille? Quando de Diana audierunt, quando de lucri jactura. Talis enim forensium mos est, levi de causa abripi et accendi. Idcirco cum examine omnia sunt agenda. Vide autem quam despiciendi essent; qui ab omnibus commoverentur. « His auditis repleti sunt ira, et exclamaverunt : » Magna Diana Ephesiorum. Et impleta est civitas confu-» sione, et impetum fecerunt uno animo in theatrum. » Rapto autem Gaïo et Aristarcho Macedonibus Pauli comi-» tibus, traxerunt illos[3]. »

II. Sine causa rursus invadunt, sicut Jasonem Judæi, et ubique sunt parati : ita nullam vel gloriæ vel famæ rationem habebant. « Paulo autem volente intrare in populum, » non permiserunt Discipuli. Quidam autem de Asiæ prin-» cipibus, qui erant ejus amici, miserunt ad eum rogantes

[1] Act. XVII, 6. — [2] Joan. XI, 19, et XII, 48. — [3] Act. XIX, 28, 29.

»ne se daret in theatrum[1]. »Rogant quia incondita turba erat, quæ cæco impetu omnia audebat. Et Paulus obtemperat. Neque enim erat vanæ gloriæ cupidus, vel ambitiosus. Alii itaque aliud clamabant. Erat quippe incompositus cœtus. Talis est turba populi; temere sequitur, sicut ignis in stipulam incidens. Plerique autem nesciebant cur convenissent. « De turba autem detraxerunt Alexandrum, pro» pellentibus eum Judæis[2]. » Propellebant Judæi ex divina dispensatione, ut nihil possent ultra contradicere. Hic propellitur, loquitur; et quid dicat audi. « Alexander autem » manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo. » Quem ut cognoverunt Judæum esse, vox facta est una » omnium, quasi ad duas horas clamantium : Magna Diana » Ephesiorum[4]. » Puerilis vere mens, quasi timentes ne extingueretur cultus eorum, frequenter clamabant. Ad duos annos illic sedit, et vide quot adhuc gentiles. « Cum autem » sedasset scriba turbas, dixit : Viri Ephesii. Quis est ho» minum qui nesciat Ephesiorum civitatem magnæ Dianæ » esse Neocoram et Diopetis[5] ?» Hoc furorem illorum extinxit; et de Diopete loquitur, quasi non sit res manifesta. Aliud sacrum ita vocabatur Diopetes : nempe idolum Dianæ Diopetes vocabant, quod ex Jove testa illa delapsa esset, nec ab homine facta fuisset. Vel aliud idolum apud illos sic vocabatur. « Cum ergo his contradici non possit, » oportet vos sedatos esse, et nihil temere agere. Adduxistis » enim viros hos neque sacrilegos, neque blasphemantes » deam vestram[5]. » Atqui totum mendacium est. Ista autem ad populum compescendum dixit. « Quod si Demetrius, et » qui cum eo sunt artifices habent adversus aliquem cau» sam, conventus forenses aguntur, et proconsules sunt, » accusent invicem. Si quid autem de aliis rebus quæritis,

[1] Act. XIX, 30, 31. — [2] Ibid. 33. — [3] Ibid. 34. — [4] Ibid. 35. — [5] Ibid. 36, 37.

» in legitimo conventu solvetur. Nam et periclitamur argui » seditionis hodiernæ, cum nulla sit causa, unde possimus » reddere rationem hujus tumultus. Et his dictis cœtum sol- » vit[1]. » Legitimum conventum dicit. Nam secundum legem tres conventus fiebant singulis mensibus : hic vero conventus illegitimus erat. Deinde terruit illos dicens : « Periculum » est ne accusemur seditionis. » Sed superius dicta repetamus. « His completis, inquit, proposuit Paulus in Spiritu, » transita Macedonia et Achaïa, ire Jerosolymam. » Non jam humana ratione agit, sed Spiritu, quo transire decrevit. Id enim sibi vult illud, « Proposuit, » et hic est dictorum sensus. Cur autem mittat Timotheum et Erastum non dicit. Videtur autem mihi etiam de hoc dici, « In Spiritu. » Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis re- » manere Athenis solis[2]. » Et vide, duos ex ministris suis misit, ut et adventum suum annuntiarent, et promptiores illos redderet. Maxime in Asia versatur : et merito. Illic enim erat magnus philosophorum cœtus. Et veniens, rursus illos alloquebatur : magna quippe illic erat superstitio. « Demetrius enim quidam, inquit, argentarius, collectis » istius artis opificibus dixit : Viri, scitis et videtis et audi- » tis ; » ita manifestum illud erat : « Quod hic Paulus suadens » subvertit multam turbam ; » itaque non violenter, si suasit. Ita persuadenda civitas est. Deinde adducit id quod illos mordebat : « Quod non sunt dii qui manibus humanis » fiunt. » Quid est hoc ? Subvertit, inquit, artem nostram. Ne vero cogitarent et dicerent, quod solus homo talia possit : et quod si tantum possit, illi obsequi oporteat, addidit : « Quam tota Asia et orbis colit. » Vocem suam putabant divino Spiritui obfuturam, cum Græci pueri essent. Ex hoc, inquit, opificio lucramur. Etsi ex hoc opificio vobis lucrum sit, quomodo homo vilis suadere potuit?

[1] Act. XIX, 38, 40. — [2] 1 Thess. III, 1.

Quomodo tantæ consuetudini prævaluit? Quid fecit? quid dixit? Non est Pauli, non est viri. Et hoc sufficit dixisse: « Non sunt dii. » Si ergo ita facile deprehenditur impia religio, jam olim damnatam oportebat; si vero solida sit, non tamc ito tolli potest. Non modo autem, inquit, hoc periclitatur nobis; ut vero quid majus dixerat hoc subdidit. « His » auditis repleti furore clamabant : Magna Diana Ephesio- » rum. » In singulis enim civitatibus dii proprii erant. Ac sic affecti erant, quasi voce sua cultum ejus restituerent, et quæ facta erant dissolverent.

III. Vide inconditam turbam. « Paulo autem, inquit, » volente intrare in populum, non permiserunt Discipuli. » Paulus igitur ingredi volebat concionandi causa. Persecutiones enim ad doctrinam captabat. Sed Discipuli non permittebant. Perpende quanta erga ipsum semper providentia utantur. Et ab initio ipsum eduxerunt, ne letalem acciperet plagam : quanquam audierant quod oporteret ipsum Romam videre; attamen prohibent : non sine providentia autem prænuntiavit, ne de re gesta turbarentur. Ita nolebant illum aliquid pati. « Et quidam principum Asiæ, » inquit, rogabant illum ne intraret in theatrum. » Promptum ejus animum videntes obsecrabant; adeo illum fideles omnes amabant. Et cur, inquies, Alexander voluit rationem reddere? Num et ipse accusabatur? Ut inventa opportunitate totum subverteret, et populi furorem extingueret. Vidisti-ne furorem tumultuosum? Bene et increpantis more scriba : « Quis est, inquit, qui nesciat Ephesiorum civita- » tem? » Sic dicit, de quo timebant, ac si diceret : « Nonne colitis illam? » Neque dixit, « Quis est qui non noverit Dianam; » sed « Civitatem nostram, » illos compescens. « Cum » ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse. » De his redarguit, ac si diceret : « Quid ergo quæritis, quasi hæc incerta essent? » Palam est contumeliam in deam illam

transire. Religionis obtentu, lucrum suum firmare volebant. Deinde leniter perstringit eos; ostendens illos absque ratione convenisse. « Et nihil, inquit, temere agere. » Ostendens eos petulanter egisse, hoc dixit : « Quod si Demetrius et qui cum eo sunt, habent adversus aliquem causam, proconsules sunt. » Hac de re culpat, ostendens non oportere, privatorum criminum causa, communem fieri conventum. « Nam periculum est, inquit, ne accusemur. » Hac re illos in angustias conjicit. Cum nulla sit causa, inquit, de qua possimus hujus tumultus rationem reddere. Vide quam prudenter vel infideles rationem reddant, et quam sapienter. Sic furorem extinxit. Ut enim facile accenditur, perinde facile extinguitur. « Et his dictis cœtum » solvit. » Vides-ne Deum tentationes permittere, ac per illas Discipulos excitare et vigiles reddere, ac ferventiores efficere? Ne ergo concidamus in tentationibus. Ipse namque exitum dabit, ut possimus sustinere. Nihil ita amicos devincit et conjungit ut ærumna; nihil ita fidelium amicos constringit et colligat. Nihil nobis doctoribus opportunius, ut dicta nostra audiantur. Auditor enim tranquille agens, mollis est et ignavus, et moleste ferre videtur oratorem : in ærumnis vero et angustiis positus, in multum audiendi desiderium incidit. Nam cum angitur animus, undique consolationem quærit; non minimam autem sermo affert consolationem. Cur ergo, inquies, Judæi, cum affligerentur, ex pusillanimitate non audiebant? Quia Judæi erant, semper imbecilles et miseri. Alioquin vero, magna ibi angustia erat; nobis autem de mediocri est sermo. Vide porro : expectabant illi liberari a malis præsentibus, et in graviora innumera incidebant. Hoc autem non leviter animum in mœrorem trahit. Ærumnæ nos ab hujus mundi affectu abstrahunt : statim vero mortem petimus, nec sumus corporis amatores; quod est philosophiæ pars maxima,

non deditum nec addictum esse præsenti vitæ. Afflicta anima non vult multis hærere; sed recreationem tantum quamdam et quietem amat. Optat a præsentibus eripi, etiamsi nihil aliud sit. Ut corpus defatigatum et in miseria versans, non vult amare, nec ventri servire, sed quiescere, et tranquille agere. Sic et anima innumeris macerata malis, ad quietem et tranquillitatem festinat. Illa vero, quæ in quiete agit, stupida est, turbatur, sublimis fertur. Hæc vero nihil ad quod inhiet, nihil fluxum habens, tota constringitur, nec sublime sapit. Illa fortior, hæc puerilior est. Illa gravior, hæc levior. Et sicut si quid in profundam aquam incidat, si leve sit fluctuat; sic et anima in gaudium multum incidens. Maxima vero peccata a multa voluptate nobis oriri videre est. Et, si placet, domos duas describamus; alteram nuptiarum, alteram luctus. In utramque mente ingrediamur. Videamus utra sit melior. Luctus domus invenietur philosophia plena; domus vero nuptiarum turpitudine. Vide namque; turpia illic verba sunt; risus inconditus, gressus incompositi, vestis et incessus turpitudine plenus, gestus insania et stultitia multa. In summa nihil ibi, quam risus et derisio. Non de ipsis nuptiis dico, absit; sed de iis, quæ nuptias comitantur. Tunc natura debacchatur, qui adsunt ex hominibus bruta fiunt, alii ut equi hinniunt; alii ut asini calcitrant; magna dissolutio, magna confusio: nihil strenuum, nihil generosum. Multa istic diaboli pompa, cymbala, tibiæ, cantica fornicationis et adulterii plena. At ubi luctus est non item. Sed omnia bene ordinata, magnum silentium, magna quies, magna demissio; nihil incompositum, nihil inordinatum; si quis loquatur, verba philosophiæ plena fundit: quodque mirum est, illo tempore, non viri solum, sed etiam domestici et mulieres philosophantur. Talis enim est luctus natura. Et videntur quidem lugentem consolari, plurima

autem dogmata proferunt philosophiæ plena. Preces statim ut hic sistat afflictio, multique sunt qui afflictum consolantur : et enumerationes mille fiunt eorum qui similiter lugent. Quid est enim homo? Naturæ nostræ perquisitio.

IV. Quid est ergo homo? Vitæ et vilitatis ejus accusatio : commemoratio futurarum rerum et judicii. Unusquisque autem recedit domum; qui a nuptiis, mœstus, quod non res prospera sit; qui a luctu, remissus et quietus, quia non similia passus est, et omni extincto ardore discessit. Sed quid? Vis carceres et theatra conferamus? Ille namquæ ærumnæ, hic voluptatis est locus. Age ergo videamus quæ ex utrisque contingant. Illic philosopia multa. Ubi enim mœror, ibi omnino philosophia. Qui antea dives erat, qui admodum inflatus; jam e vulgo quemvis se alloqui permittet, is, metu mœroreque igne vehementius in animam ejus incidente et duritiem emolliente, tunc humilis, tunc mœstus evadet, tunc sæcularem mutationem sentiet, tunc fortis erit ad omnia. In theatro autem omnia contraria sunt, risus, turpitudo, pompa diabolica, effusio, insumptio temporis, impensa dierum inutilis, apparatus ad absurdam concupiscentiam, adulterii meditatio, scortationis gymnasium, intemperantiæ schola, adhortatio ad turpitudinem, risus occasio, fœditatis exemplum. At non talis est carcer; sed illic humilitas, exhortatio, stimulus ad philosophiam, sæcularium contemptus : omnia conculcantur, omnia spernuntur, et metus quasi puero pædagogus adest, ad decora omnia illum instituens. Sed si vis iterum eadem loca alia ratione exploremus. Vellem occurreres viro ex theatro venienti, et alii cuipiam e carcere exeunti : videsque illius animam fastidientem, turbatam, vere vinctam; hujus vero, quietam, solutam, liberam. Ille namque ex theatro recedit, oculis captus theatralium amore mulierum, ferro durioribus vinculis

constrictus, id est, locis ipsis, verbis, gestibus. Qui autem e carcere exit, omnibus solutus, non jam se putat quidpiam pati, sua cum alienis comparans; quod non vinctus sit, id pro gratia habebit; res humanas despiciet, divites multos videns in calamitatibus, qui cum multa magnaque possint, istic ligantur. Etiamsi quid injuste patiatur, id tolerabit. Hujusce namque rei multa habet exempla: memoria repetet futurum judicium, et exhorrescet dum illa loca respiciet. Sicut enim hic in carcere inclusus, mitis erga omnes est; sic et illi ante judicium, ante futuram illam diem, erga uxorem, erga filios, erga domesticos, erunt mansuetiores. Sed a theatro non sic revertuntur; sed vir injucundius videbit uxorem, durus erit erga domesticos, erga filios asper, efferabitur adversus omnes. Magna mala civitatibus theatro pariunt; magna, nec scimus quanta. Si autem non fatigamini, examinemus illa risus loca; convivia dico: ubi parasiti et adulatores et magnæ deliciæ; et loca alia ubi claudi et mutili. Illic ebrietas, deliciæ, effusio; hic vero contraria. Vide et in corpore, quando pingue et vegetum est, tunc celerius in morbum cadit; cum vero castigatum est, non item. Ut autem id vobis clarius explicem; sit corpus sanguine et carnibus bene instructum ac vigens: hoc vel ex levi cibo poterit in febrim incidere, si quidem in otio sit. Sit et aliud, quod cum fame concertet et ærumnis; illud ab ægritudine difficilius capitur et superatur. Sanguis licet sanus sit in nobis, ex redundantia sæpe morbos peperit; si autem sit modicus, nec tamen sanus, facile curari potest. Sic et de anima dicendum, quæ in otio et in deliciis est, ad peccata proclivis fertur: nam arrogantiæ vicina est, voluptati, vanæ gloriæ, invidiæ, insidiis, sycophantiis. At non ea quæ in ærumnis et frugalitate degit: hæc enim ab iis omnibus liberatur. En quam ampla est nostra

civitas. Unde igitur nascuntur mala? Nonne a divitibus? annon a gaudentibus? Quinam ad tribunalia trahunt, quinam facultates dilapidant, an miseri et abjecti, an illi qui multum inflantur et gaudent? Ab anima et ærumnis versante non potest aliquid mali oriri. Illius lucrum novit Paulus, ideoque dicit : « Tribulatio patientiam operatur, » patientia probationem, probatio vero spem, spes autem » non confundit[1]. » Ne ergo concidamus in ærumnis; sed in omnibus gratias agamus, ut multum lucremur; ut probati simus apud Deum, qui ærumnas permittit. Magnum est afflictio bonum : et hoc a pueris nostris discimus; nam sine castigatione nihil utile puer didicerit. Nos vero magis quam illi afflictione opus habemus : nam si illi, cum animi motus sedati sunt, florent, multo magis nos, cum maxime tot tantisque detineamur : imo magis pædagogis egemus. Puerorum enim peccata non tanta sunt; nostra vero peccata maxima. Pædagogus noster est afflictio. Ne itaque illam attrahamus, et præsentem fortiter feramus, quæ semper est innumerorum causa bonorum; ut et Dei gratia fruamur, et bonis quæ reposita sunt iis qui diligunt illum; in Christo Jesu Domino nostro, cum quo Patri et Spiritui sancto, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Rom. v, 3.

HOMILIA XLIII.

CAPUT XX.

Postquam autem cessavit tumultus, vocatis Paulus Discipulis iisque salutatis, profectus est ut iret in Macedoniam [1].

I. Multa opus erat consolatione post tantum tumultum. Hoc ille curat, et ut Discipulos consoletur migrat in Macedoniam, deinde in Græciam. Et quod multum illos consolatus sit audi. « Cum autem perambulasset partes illas, » et exhortatus fuisset eos multo sermone, venit in Græciam. » Et cum ibi fuisset mensibus tribus, cum essent illi structæ » insidiæ a Judæis navigaturo in Syriam, consilium iniit, ut » reverteretur per Macedoniam. Comitatus est autem eum » usque in Asiam Sopater Berœensis, Thessalonicensium » vero Aristarchus et Secundus et Gaïus Derbæus et Ti- » motheus; Asiani vero Tychicus et Trophimus. Hi cum » præcessissent, nos expectarunt in Troade [2]. » Rursus persecutionem patitur a Judæis, et venit in Macedoniam. Quomodo autem Timotheum Thessalonicensem dicit? Non hoc dicit; sed hi, inquit, præcesserunt in Troadem, viam illi parantes. « Nos vero navigavimus post dies Azy- » morum a Philippis, et venimus ad eos Troadem in diebus » quinque, ubi demorati sumus diebus septem [3]. » Nam videtur mihi illum dies festos transigere curavisse in magnis urbibus. A Philippis navigat, ubi res illa circa carcerem contigerat. Tertia autem vice in Macedoniam venit, et multum testificatur de Philippensibus, ideoque illic demo-

[1] Act. XX, 1. — [2] Ibid. 2-5. — [3] Ibid. 6.

ratur. « Una autem sabbatorum, cum convenissemus ad » frangendum panem, Paulus disputabat cum eis profec- » turus ; protraxitque sermonem usque in mediam noc- » tem [1]. » Vide quemodo omnia post haberentur prædicationi. Pentecoste tunc erat, et dies dominica ; ille vero usque ad noctis dimidium sermonem protraxit, adeo Discipulorum salutem cupiebat, ut ne noctu quidem taceret ; imo tunc magis dissereret, quod quies tunc esset. Vide quam multum dissereret, etiam post ipsum cœnæ tempus. Sed festum turbavit diabolus, nec tamen prævaluit, cum auditorem in somnum demersit et dejecit : quod ut contigerit sic enarrat pergendo. « Erant autem lampades co- » piosæ in cœnaculo, ubi eramus congregati. Sedens autem » quidam adolescens nomine Eutychus super fenestram, » cum mergeretur somno gravi, disputante diu Paulo, ductus » somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum, et sublatus » est mortuus. Cum descendisset Paulus, incubuit super » eum, et complexus dixit : Nolite turbari, anima enim » ejus in ipso est. Ascendens autem frangensque panem et » gustans, satisque allocutus usque in lucem, sic profectus » est. Adduxerunt autem puerum viventem, et consolati » sunt non minime [2]. » Vide, quæso, theatrum ut erant una coacti. Congregatis enim Discipulis, inquit, etiamque signum perpende : in fenestra namque sedebat, inquit, et intempesta nocte. Tantum erat auditorum desiderium. Erubescamus nos, qui neque in die hoc facimus. Sed Paulus, inquies, tunc disserebat. Quid dicis ? Nunc quoque Paulus disserit, imo vero neque tunc neque nunc Paulus, sed Christus ; et nemo audit. Non fenestra nunc est, non fames, non somnus interturbat ; et tamen non audimus : non est angustia loci, non aliud quidpiam simile. Quodque mirum est, etiamsi adolescens esset, non erat

[1] Act. xx, 7. — [2] Ibid. 8-12.

piger, et somno gravatus non discessit, neque periculum formidavit, ne laberetur. Quod si dormitans deciderit, ne mireris, neque enim ex ignavia dormitabat, sed ex naturæ necessitate. Tu vero consideres velim illos tanto studio motos fuisse, ut etiam in tertio cœnaculo essent; nondum enim erat ecclesia. « Nolite turbari, inquit, anima » enim ejus in ipso est. » Non dixit: « Resurget, suscitabo enim illum; » sed quid? « Nolite turbari. » Vide quam sit a fastu alienus, quam ad consolandum pronus. « Ascendens, inquit, et frangens panem et gustans. » Hoc sermonem interpellavit, nec læsit. Vides-ne cœnæ frugalitatem? « Et gustans, inquit, satisque allocutus usque ad » lucem, sic profectus est. » Vides-ne quomodo pernoctarent? Tales erant mensæ, ut sobrii Discipuli abirent, et ad audiendum prompti. Quid nos a canibus differimus? Videte quantum sit discrimen. « Adduxerunt autem puerum » viventem, et consolati sunt non minime. » Magnam acci- » piunt consolationem, tum quia vivum acceperunt, tum quia signum factum est. « Nos autem ascendentes navim, » navigavimus in Asson, inde suscepturi Paulum. Sic enim » disposuerat ipse, per terram iter facturus. Cum autem con- » venissemus in Asson, assumpto eo venimus Mitylenem [1]. » Sæpe Paulus a Discipulis segregatur. Ecce namque jam ille pedes iter facit, illi vero navi: quod levius erat illis cedit, quod molestius ipse assumit. Pedes ibat, tum ut multa dispensaret, tum ut doceret illos ne ab se separarentur. « Et » inde navigantes, sequenti die venimus contra Chium, » sequenti vero appulimus Samum; et manentes Trogylii, » sequenti die venimus Miletum [2]. » Vide quomodo festinante Paulo pergunt, nec moras trahunt, sed prætereunt insulas. « Proposuerat enim Paulus transnavigare Ephesum, » ut neque mora illi esset in Asia. Festinabat autem si pos-

[1] Act. xx, 13, 14. — [2] Ibid. 15.

» sibile sibi esset, ut diem Pentecostes ageret Jerosa-» limis [1]. »

II. Quæ hæc festinatio ? Non propter festum, sed propter multitudinem. Simulque ad Judæos accedebat, quod festivitates coloret et inimicos rapere sibi cupiebat. Festinabat verbum annuntiare. Vide ergo quantum factum sit lucrum, omnibus præsentibus. Alias vero ne Ephesii negligerentur, alio dispensavit modo. Sed superius dicta repetamus. « Et » salutatis, inquit, Discipulis, profectus est ut iret in Mace-» doniam ; et exhortatus eos sermone multo, venit in Græ-» ciam. » Et sic rursum recreavit, magnam dans consolationem. Vide ubique illum sermone omnia perficientem, non vero signis. Navigaturum ait in Syriam. In causa erat Ecclesia et Jerosolyma ; sic desiderabat quæ illic erant ordinare. Atqui non magna Troas est, cur ergo per septem dies illic manent ? Magna fortasse erat secundum fidelium numerum. Et cum dies septem ibi mansisset, sequenti noctem in docendo insumpsit. Ita ægre ipse ab illis, illi ab ipso divellebantur. « Cum convenissemus, inquit, ad fran-» gendum panem. » Ipso tempore, quo esurire monstrabatur, nec erat illud intempestivum : sermo jamdiu cœptus extensus est. Ita ut cum non præcipue convenissent ad doctrinam, sed ad frangendum panem, ubi in sermonem incidit, doctrinam extendit. Vide quomodo mensæ Pauli omnes participes essent. Videtur mihi ipsum ad mensam sedentem disseruisse : nos docentem his omnia esse postponenda. Imaginamini domum illam in qua lampades erant, ubi turba, ubi Paulus medius disserebat, ubi fenestras multi occupabant, ut tubam illam audirent, et gratiosum vultum inspicerent. Quales fuisse auditores, et quantam hinc accepisse voluptatem putas ? Cur autem noctu disserebat ? Quia migraturus erat, et non ultra ipsum visuri

[1] Act. xx, 16.

erant. Verum non hoc illis, utpote infirmioribus dicit; sed aliis dicebat. Quin et patratum miraculum id efficiebat; ut semper noctis illius memoriam servarent. Magna auditorum voluptas, quæ etiam interturbata magis adaucta fuit; atque ita in doctoris gratiam casus ille evenit. Alioquin vero ignavos omnes ille increpaturus erat, qui mortuus est ut Paulum audiret. Et cur, inquies, singula recenset et unde venerint, et quo migrarint, et quare ille demoratus sit; ac quas etiam partes præternavigarit? Ut interim ostenderet illum lentiore cursu navigasse, idque humana ratione, atque etiam præternavigasse. « Proposuerat » enim præternavigare Ephesum, ut nec mora, inquit, illi » esset in Asia. » Bene : non enim potuisset, si illo venisset, præternavigare, quia noluisset contristare illos, qui ipsum precaturi erant ut maneret. Vel hac de causa certe, vel quod festinaret. « Festinabat enim, inquit, ut si possibile » esset diem Pentecostes ageret Jerosolymis. » Ideo igitur manere non poterat. Vide illum etiam humana ratione moveri, cupere, festinare, et sæpe optatum non assequi. Ideo autem hæc fiunt, ut ne putemus ea fuisse supra humanam naturam. Sancti quippe et magni illi viri ejusdem erant, cujus nos, naturæ; ejusdem voluntatis non item : ideoque sæpe gratiam attrahebant. Vide ergo quanta per se ipsos provideant. Ideo dicebat : « Ne demus occasionem volen- » tibus ; » et rursum, « Ut non vituperetur ministerium » nostrum [1]. » Ecce et inculpata vita, et multa indulgentia. Hoc appellatur œconomia, in culmine et fastigio virtutis esse, et humilitatem exhibere. Et audi quomodo is qui præcepta Christi transcenderet, omnium tamen humillimus esset. « Omnibus omnia factus sum, inquit, ut omnes » lucrifaciam [2]. » Ipse etiam in pericula se immisit, ut alibi ait : « In patientia multa, in tribulationibus, in ne-

[1] 2 Cor. VI, 3. — [2] Id. IX, 22.

» cessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus [1]. » Magnus item erat ejus amor erga Christum. Nisi enim ita fuisset, omnia superflua futura erant, et dispensationes, et inculpata vita, et pericula. « Quis infirmatur, inquit, » et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non » uror [2]. »

III. Hæc et nos, obsecro, verba sectemur, propter fratres nostros in pericula nos conjiciamus. Sive ignis, sive ferrum adsit, te ipsum conjice, dilecte, ut membrum tuum eruas. Conjice te, ne timeas. Discipulus es Christi, qui propter fratres suos animam posuit. Condiscipulus es Pauli, qui millia pati voluit pro inimicis et se impugnantibus. Zelo replearis. Imitare Moysem. Vidit ille injuste læsum, et ultus est. Regias delicias contempsit, et propter afflictos profugus fuit, erro, cognatis destitutus et domo. In aliena terra degit tanto tempore : nec se ipsum reprehendit, neque dixit : Quid hoc est? Regnum despexi, tantum honorem et gloriam : malui læsos ulcisci, idque Deus despexit : neque modo me in pristinum honorem non reduxit, sed etiam quadraginta annis in aliena terra dego. Bene scilicet : non enim mercedem accepi. Sed nihil horum vel dixit, vel cogitavit. Sic et tu facito. Etiamsi, dum beneficia præstas, aliquid patiaris, etiamsi ad multum tempus, ne offendaris, neque turberis : omninomercedem tibi Deus retribuet; quanto magis retributio differtur, tanto magis augentur fœnora. Habeamus ergo animam commiserationi deditam, condolere scientem. Nihil apud nos sit inhumanum, vel crudele. Si nihil possis afferre, lacrymare, ingemisce, de iis quæ fiunt dole. Hæc non tibi frustra cedenti. Si iis qui a Deo puniuntur condolere oportet, multo magis iis qui ab hominibus injuste patiuntur. « Non egre- » diebantur, inquit, Ænan ad plorandum domum suam vi-

[1] 2 Cor. VI, 4. — [2] Id. XI, 29.

» cinam[1]. Accipient dolorem pro eo quod ædificaverunt ad » derisionem[2]. » Hac de re accusat Ezechiel, quod non condoluerint. Quid dicis, Propheta? Deus punit, et ego condolerem iis qui puniuntur? Etiam : hoc enim vult is ipse qui punit. Neque enim ille puniendo oblectatur, imo potius dolet. Quia igitur ille qui punit non lætatur, neque tu læteris. Sed si juste, inquies, puniuntur, non dolere oportet? Etiam propter hoc dolendum quod digni supplicio visi fuerint. Dic vero mihi, cum videris filium tuum uri vel secari, nonne doles? Certe doles; et non dicis tibi ipsi : « Quid hoc? » Ad sanitatem sectio spectat, et pro liberatione est ustio. Attamen cum audis ululantem, nec dolores ferentem, doles. Nec sufficit illa sanitatis spes ad tollendam naturæ perturbationem. Ita et in istis, etiamsi ad sanitatem puniantur, attamen circa illos fraternum affectum exhibeamus, paternamque voluntatem. Sectiones et ustiones sunt pœnæ a Deo illatæ. Sed ideo flere debemus, quod ægrotaverint, quod tali opus habuerint medicina. Si quis pro coronis hoc patiatur, tunc ne doleas, ut Paulus et Petrus. Quando autem jure dat pœnas, tunc lacrymare, tunc ingemisce. Tales erant Prophetæ. Quapropter unus illorum dixit : « Hei mihi, Domine, delebis tu re » liquias Israël[3]? » Homicidas et scelestos sæpe plecti videmus, et cruciamur, dolemusque, nec dicimus : « Ne ultra modum. » Philosophi simus, misericordes, ut misericordiam consequamur. Nihil huic bono par : nihil ita humanum ostendit characterem, ut misericordia. Ideo leges carnificibus omnia permittunt, judicem cogentes tantum usque ad sententiam ulcisci; illos vero ad opus educunt. Ita etsi juste fiat, non est animi philosophi punire, sed alio opus est. Nam neque Deus per se ipsum punit, sed per Angelos. Carnifices ergo sunt Angeli? Absit, non

[1] Mich. I, 11. — [2] Ezech. XVI, 2. — [3] Ibid. IX, 8.

hoc dico; sed ultrices potestates sunt. Cum Sodoma subversa est, per illos omnia facta sunt; quando quæ in Ægypto acciderunt, per illos item. « Immissionem, inquit, » per Angelos malos[1]. » Cum ergo servare oportet, per se ipsum hoc facit. Ita et Filium suum misit ad salutem generis nostri. Et rursum. « Tunc, inquit, dicam Angelis : » Congregate mihi eos qui faciunt iniquitatem : et mittite » in caminum[2]. » De justis vero non sic : sed, « Qui recipit » vos, me recipit[3] ; » et rursum, « Ligate manus ejus et pe- » des : et mittite in tenebras exteriores[4]. » Vide illic servos qui ministrant. Cum autem beneficia præstanda, ipse præstat, ipse vocat : « Venite benedicti patris mei, perci- » pite paratum vobis regnum[5]. » Quando loquendum est cum Abraham, ipse venit : quando Sodomam abire oportet, servos mittit[6] : sicut judex qui exsuscitat punituros. Et rursum : « Euge serve bone et fidelis : quia super pauca » fuisti fidelis, super multa te constituam[7]. » Huic quidem ipse benedicit : illum vero improbum non ipse, sed servi ligant. Hæc cum sciamus, ne gaudeamus de iis qui puniuntur; sed doleamus. Hos lugeamus, hos fleamus; ut et ideo mercedem habeamus. Nunc vero multi etiam de iis qui injuste mala patiuntur gaudent. Sed non ita nos faciamus, omnemque commiserationem exhibeamus, compatiamur et condoleamus illis, ut et ipsi a Deo misericordiam consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. LXXVII, 49. — [2] Matth. XIII, 42 — [3] Id. X, 40. — [4] Id. XXII, 13. — [5] Id. XXIV, 25. — [6] Gen. XIX, 1. — [7] Matth. XXII, 13.

HOMILIA XLIV.

CAPUT XX.

A Mileto autem mittens Ephesum, vocavit presbyteros Ecclesiæ. Qui cum venissent ad eum, dixit eis : Vos scitis a prima die, quæ ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino vobiscum, cum omni humilitate et multis lacrymis, et tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum; quomodo nihil subtraxerim utilium, quin annuntiarem vobis, et docerem vos publice et per domos; testificans Judæis atque gentilibus in Deum pœnitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum[1].

I. Vide quam urgeat ad præternavigandum, nec negligat, imo omnibus provideat, accersens principes, et cum illis sermonem habens. Et admiratione dignum est, quomodo in necessitate positus magna quædam de se dicendi, conetur modestia uti. Sicut enim Samuël traditurus imperium Saüli, Judæis dicit : « Num quidpiam a vobis ac» cepi, vos testes estis et Deus[2]. » Et David, cum fides non haberetur ei, ait : « In ovili eram pascens oves patris mei : » et cum venit ursus, manibus ipsum discerpsi[3]. » Imovero Paulus Corinthiis ait : « Insipiens fui : vos me coëgistis[4]. » Deus quoque id ipsum facit : non simpliciter de se ipso dicens; sed quando ei non creditur, beneficia profert. Vide ergo quid hic faciat. Primo illorum testimonium

[1] Act. xx, 17, 21.— [2] 1 Reg. III, 4.— [3] Ibid. XVII, 34.— [4] 2 Cor. XII, 10.

affert. Ne putes hæc ad fastum dici, auditores dictorum testes advocat, quod minime ipsis mentiatur. Hæc doctoris virtus est, quando bonorum operum testes habet discipulos. Quodque mirum est, non unam, et alteram diem in hoc insumpsit, sed annos plurimos. « Vos enim scitis, » inquit, quomodo vobiscum per omne tempus fuerim. » Vult igitur ipsos hortari ut fortiter ferant omnia, et separationem suam, et futuras tentationes, ut de Moyse et de Jesu legimus. Et vide quid addat : « Quomodo vobiscum » per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni » humilitate. » Vide quid maxime principes deceat, « Odien» tes, inquit, superbiam. » Id quod maxime principibus competit, eo quod facillime in arrogantiam tollantur. Hæc virtus est bonorum hypothesis, ut et Christus dicebat : « Beati pauperes spiritu[1]. » Nec solum cum humilitate dixit ; sed cum omni humilitate. Multæ enim sunt species humilitatis : est humilitas in verbo, in opere, erga principes, erga subditos. Vultis dicam vobis humilitatis modos? Sunt qui erga humiles sunt humiles, erga sublimes vero sublimes. Hoc autem non est humilitas. Sunt etiam alii non tales; sed erga utrosque humilitatem et sublimitatem servant. Quod etiam maxime humilitatis est. Docturus ergo illos talia ; ut ne videretur arroganter efferri ; prius fundamentum ponit, suspicionem tollens. « Nam si cum omni humilitate fui, inquit, non ex arrogantia hæc dico. » Deinde mansuetudinem declarat. « Vobiscum, inquit, fuerim serviens » Domino, » illos boni operis socios ostendens. Sic ubique societas bona est. Communia ergo facit bona opera, et nihil sibi tribuit eximium. « Quid enim, inquies, an contra Deum arrogans esse potuit? » Atqui multi sunt qui contra illum arrogantes sunt. Hic vero ne contra Discipulos suos quidem arrogans erat. Hoc bonum doctoris est opus, ex bonis

[1] Matth. v, 3.

operibus suis Discipulos moderari. Deinde fortitudinem suam ostendit, quam carptim præterit. « Cum multis lacry-» mis et tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Ju-» dæorum. » Vides-ne quomodo de gestis doleat? Hic vero commiserationem suam videtur indicare : mœrebat enim pro percuntibus, pro facinorosis. Nam de sibi illatis malis gaudebat. Erat enim ex illorum choro, qui gaudebant « Quia digni habiti erant pro nomine Jesu contumeliam » pati[1]. » Et rursus alibi dicit : « Nunc gaudeo in passionibus » meis pro vobis[2] ; » et rursum : « Nunc momentanea levi-» tas tribulationis supra modum æternum gloriæ pondus » operatur nobis[3]. » Verum hæc ex modestia dicit. Hic autem ostendit fortitudinem suam, nec tam fortitudinem, quam patientiam, ac si diceret : « Male patiebar, sed vobiscum : » quodque gravius est a Judæis. Hic vide characterem doctrinæ ; et charitatem ponit et fortitudinem. « Quod nihil subterfugerim, » inquit; copiam simul et sedulitatem ostendit. « Eorum quæ utilia essent. » Bene certe dixit. Erant enim quæ discere non oportebat, ut enim quædam occultare, invidiæ fuisset, sic omnia dicere stultitiæ : ideo addidit, « Eorum quæ utilia essent : ostendens se non modo dixisse ; sed etiam docuisse ; nec quasi perfunctorie. Quod autem hoc significet audi sequentia, « Pu-» blice et per domos ; » et magnum laborem et studium perseverantiamque declarans. « Testificans Judæis atque genti-» libus. « Non vobis solum, inquit, sed etiam gentilibus. Hic loquendi libertas adest : etiamsi nihil proficiamus, ait, dicere tamen oportet : illud enim est testificari, quando non attendentibus loquimur : nam testificari hoc ut plurimum significat. « Testor, inquit Moyses, cœlum et » terram[4] ; » Et nunc Paulus : « Testificans Judæis atque » gentilibus in Deum pœnitentiam. »

[1] Act. v, 41. — [2] Colos. I, 24. — [3] 2 Cor. IV, 17. — [4] Deut. IV, 26.

II. Quid testificaris? Ut vitæ studium habeatur; ut pœnitentiam agant, et ad Deum accedant. Neque enim Judæi noverant illum, quod Filium ignorarent, et quod nec opera haberent, nec fidem in Dominum Jesum. Cur ergo hæc dicis? cur hæc commemoras? Quid factum est? An quid accusandum suppetit? Postquam illorum mentem exagitavit, tunc adjicit : « Et nunc ecce alligatus ego Spi» ritu vado in Jerusalem, quæ in ea ventura sunt mihi ig» norans : nisi quod Spiritus sanctus per civitates mihi » testificatur dicens : Quoniam vincula et tribulationes me » manent. At nihil horum vereor, neque anima mea cha» rior est mihi, ut consummem cursum meum cum gaudio, » et ministerium quod accepi a Domino Jesu, ut testificer » Evangelium gratiæ Dei[1]. » Cur hæc dicit? Ut illos semper paratos reddat ad pericula et occulta et manifesta; ita ut in omnibus Spiritui obtemperent. Ostendit autem se ad magna adduci. Cæterum, inquit, « Spiritus sanctus per » civitates mihi testificatur dicens. » Ut ostendat se lubentem abire, et ne vinculum aut necessitatem esse putes, per civitates dicit. Deinde subjicit : « Non ita pretiosum habeo animam meam servare, ut consummare cursum meum cum gaudio, et ministerium verbi, quod accepi a Domino Jesu. » Vides-ne non lamentantis esse verba, sed modeste agentis, ac docentis illos, et compatientis in iis quæ fiebant? Non dixit : « Angimur, » sed ferre necesse est : sed neque, censeo. Hoc item dicit, non sese extollens, sed illos docens, per priora quidem humilitatem, per hæc vero fortitudinem et loquendi libertatem; ac si diceret : « Non amo illam præ hac : pretiosius habeo consummare cursum et testificari; » nec dixit prædicare, docere : sed quid? « Testificari Evangelium gratiæ Dei. » Quid molestius dicturus est : « Mundus ego sum a sanguine omnium. » Ideo

[1] Act. xx, 22-24.

præparat et ostendit nihil reliquum esse. Quia igitur illis totum onus et sarcinam impositurus erat, prius illorum animum emollivit, dicens : « Nunc ecce ego scio quod non » amplius videbitis faciem meam[1] ; » deinde subdidit : « Mundus sum a sanguine omnium. » Duplex est dolor, et quod faciem ejus non essent visuri, et quod illi omnes. « Non amplius, inquit, videbitis faciem meam vos omnes, » per quos transivi prædicans regnum. » Itaque jure testificor vobis : utpote non ultra affuturus, « Quia mundus » sum a sanguine omnium ; non enim subterfugi quominus » annuntiarem vobis omnem voluntatem Dei[2]. » Vides quomodo terret, et laborantes illorum animas afflictasque atterit? Bene quia necessarium erat. « Non enim subter- » fugi, inquit, quominus annuntiarem vobis omnem vo- » luntatem Dei. » Ergo qui non dicit, reus est sanguinis ; id est, cædis. Nihil hoc terribilius. Ostendit eos, si non id fecerint, reos esse sanguinis. Et videtur quidem rationem reddere, illos autem terret. « Attendite igitur vobis et uni- » verso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, » ut pascere tis Ecclesiam Dei, quam acquisivit per pro- » prium sanguinem[3]. » Vides? Duo præcepit. Igitur neque alios corrigere solum habet quidpiam lucri. « Timeo enim, » inquit, ne, aliis prædicans, ipse reprobus efficiar[4] ; » neque sui solius curam habere. Nam qui se ipsum amat, quæ sua sunt tantum quærit, et similis est ei, qui talentum defodit. Hæc dicit, non quod pretiosior sit nostra salus, quam gregis ; sed quia si nobis ipsis attendamus, tunc et grex lucrum habet. « In quo vos Spiritus sanctus » posuit episcopos, ut pascere tis Ecclesiam Dei. » Vide quantæ necessitates. « A Spiritu ordinationem habetis, » inquit. Id enim sibi vult illud, « Posuit. » Una hæc est necessitas. Deinde, « Ut pascatis Ecclesiam Dei. » Ecce et se-

[1] Act. xx, 25. — [2] Ibid. 26, 27. — [3] Ibid. 28. — [4] 1 Cor. ix, 27.

cunda et tertia, « Quam acquisivit sanguine suo, » inquit. Multum ostendit, dum dicit pretiosam rem; nec de parvis rebus esse periculum. Siquidem Dominus pro Ecclesia, neque sanguine suo pepercit : nos autem fratrum salutem contemnimus. Et ille quidem ut inimicos reconciliaret, sanguinem effudit : tu vero neque amicos retinere potes. « Ego enim scio hoc, quod ingredientur post discessionem » meam lupi graves in vos, non parcentes gregi[1]. » Rursus alio modo illos versat, a futuris : ut quando alibi dicit : « Non est nobis lucta adversus sanguinem et carnem[2]. » Quia ingredientur, inquit, post discessionem meam lupi » graves in vos. » Duplex malum : quod ipse non adsit, et quod futurum sit, ut alii instent. Cur ergo abis, si hoc prævidisti? Spiritus me trahit, inquit.

III. Et vide, non simpliciter dixit « : Lupi, » sed addit, « Gra- » ves, » illorum vehementiam et petulantiam subindicans. Quodque gravius est; hos ex illis ipsis surrecturos esse dicit. Quod certe gravissimum est cum civile excitatur bellum. Et recte dicit, « Attendite, » ostendens rem maxime curandam esse : Ecclesia namque est et magnum periculum. Sanguine enim illam redemit : ac multum duplexque bellum est : hæc ergo significavit dicens; « Et ex vobis » ipsis surgent viri loquentes perversa, ut abducant Disci- » pulos post se[3]. » Deinde quia admodum illos terruit, cum lupos graves dixit, , et ex ipsis surrecturos esse qui loquerentur perversa; quasi quodam quærente, quomodo igitur? et quæ custodia erit, adjicit : « Vigilate memores quod per » triennium non cessaverim nocte dieque monere unum- » quemque vestrum[4]. » Vide quam insolita dicat; cum lacrymis, nocte dieque, unumquemque. Non enim si multos vidisset, eis pepercisset, sed sciebat etiam pro una anima omnia esse facienda. Sic ergo illos congregavit. Hoc vero

[1] Act. xx, 29. — [2] Ephes. vi, 12. — [3] Act. xx, 30. — [4] Ibid. 31.

significat; satis sunt ea quæ feci, per triennium mansi, confirmati, sufficienter radices fixerunt. Cum lacrymis, inquit. Vides-ne lacrymas ideo fundendas esse? Hæc et nos faciamus. Non dolet improbus, dole tu, forte et ipse dolebit. Ut cum videt æger medicum cibum sumentem, etiam ipse incitatur, ita et hic erit. Si te viderit lugentem, emollietur : bonus vir et mitis erit. Nesciens, inquit, quæ mihi eventura sint. Quid ergo? Ideo-ne abis? Minime; sed probe scio quod vincula et tribulationes me maneant. Quod tentationes me expectent novi. Quales vero, nescio, id quod gravius erat. Ne putetis ergo me deplorantem hæc dicere; non tam pretiosam habeo animam meam. Ut illorum animum excitet hoc dicit : utque suadeat illis non modo non fugere, sed etiam fortiter ferre. Ideo rem illam vocat cursum et ministerium, tum ut ex cursu splendorem ostendat, tum ut ex ministerio officium. Minister sum, inquit, nihil plus habeo. Illos autem consolans, ne doleant quod ipse male patiatur, ubi dixit se hæc cum gaudio sustinere, et fructum ostendit, tunc quod molestum erat inducit. Hoc autem facit, ut ne animam illorum obruat. Quodnam autem illud est? « Et ex vobis ipsis exurgent » viri loquentes perversa. » Quid ergo, dixerit quispiam, tantum-ne te ipsum putas, ut si abeas, nos moriamur? Non hoc dico, inquit, quod absentia mea id efficiat. Sed quid? « Insurgunt quidam ex vobis. » Non dixit : « Propter discessionem meam; » id est, profectionem : quanquam jam illud evenerat. Si autem evenerat, multo magis postea eventurum erat. Hæc causa sequitur, « Ut abducant Disci» pulos post se. » Itaque propter nihil aliud hæreses sunt, quam propter hoc. Post sequitur consolatio. « Quam ac» quisivit, inquit, per proprium sanguinem. » Si proprio sanguine acquisivit, prævalebit certe. « Nocte et die non » cessavi, inquit, cum lacrymis monens. » Hæc nobis jure

dicantur. Videturque proprie sermo doctores spectare : est autem et Discipulis communis. Ad quid enim ego loquor, moneo, lacrymor die ac nocte, si Discipulus non obtemperat? Ne putet enim quis id satis esse ad defensionem, quod sit Discipulus, licet non cedat; ideo postquam dixit, « Testificor, pergit » : « Non enim subterfugi quominus » annuntiarem vobis. » Igitur hoc solum doctoris est, annuntiare, prædicare, docere, non subterfugere, nocte et die annuntiare. Cum autem his peractis, nihil plus agitur, scitis quid reliquum sit. Deinde alia sequitur defensio : « Purus sum a sanguine omnium. » Ne putetis vero hæc nobis tantum dici; nam vos etiam hic sermo spectat, ut dictis attendatis, ut ne a concione recedatis. Quid faciam? Ecce quotidie clamando dirumpor : Abscedite a theatris : et multi nos irrident. Abstinete a juramentis, ab avaritia. Innumera monemus; et nemo audit. At noctu hoc non ago? Vellem etiam noctu hoc facere, et ad mensas vestras, si quidem liceret, et dum a plurimis divisim detineor adesse, et vos alloqui. Sed si vel semel in hebdomada vos vocemus, segnes estis : et alii quidem non venitis : alii vero nihil lucri referentes abitis. Quid non faceretis si frequentius hoc ageremus? Quid faciemus? Multi, ut bene novi, nos irrident, quod de iisdem semper sermonem habeamus: ita sumus in fastidio. Hujus autem rei non nos in causa sumus; sed auditores. Nam qui bene agit, semper gaudet eadem ipsa audiens, ac si laudes suas audiret. Qui vero non vult recte agere, molestia se impeti putat, et si bis solum audiat, sæpius audisse sibi videtur. « Mundus sum, » inquit, a sanguine omnium. »

IV. Hoc dicere Paulo competebat; nos autem id proferre non audemus, quod multorum nobis conscii simus. Ille quippe, qui semper vigilabat et astabat, qui omnia pro salute Discipulorum sustinebat, id congruenter dicere

poterat. Nos autem illud Moysis dicemus : « Iratus est mihi » Dominus propter vos, quia in multa peccata adducitis » etiam nos[1]. » Cum autem animo deficimus videntes vos nihil proficere, annon major pars virium nostrarum concidit? Quid enim, quæso, factum est? Ecce per gratiam Dei nos triennium jam habemus, non quidem nocte et die hortantes, sed post tres sæpe dies, aliquando post septem hoc facientes. Quid amplius factum est? Objurgamus, increpamus, lacrymamur, dolemus, etsi non palam, at in corde. Illæ autem lacrymæ his multo leviores sunt. Illæ namque aliquam dolentibus afferunt consolationem; hæ vero dolorem augent et constringunt. Sic quando quis in mœrore degit, nec potest dolorem efferre, ne videatur vanam gloriam appetere, majora patitur, quam si illum efferret. Nisi quis me putaret auram superfluam captare, quotidie me videres fontes lacrymarum emittere. Harum vero consciæ sunt domuncula et solitudo. Credite namque mihi, de salute mea desperavi : et dum vestra lugeo, non cesso etiam mala mea plangere. Sic vos mihi omnia estis. Si sentiam vos in virtute augeri, præ voluptate mala mea non sentio; sin nihil proficere videam, præ mœrore rursum mea missa facio. Lætus quidem sum de bonis vestris, licet mille malis onustus; mœstus de tristibus, quæ vobis accidunt, etsi innumera essent præclare gesta mihi. Quæ spes enim doctori grege corrupto? Qualis vita? Qualis expectatio? cum qua fiducia stabit ante Deum? Quid dicet? Ponamus enim ipsum non reprehendi, neque pœnas dare, sed esse mundum a sanguine omnium, ita quoque incurabilia patietur. Quia licet patres pro filiis non incusandi sint, tamen dolent et cruciantur. Nihil-ne, inquies, ipsis prodest, vel patrocinatur, quod ipsi vigilent pro animabus nostris? Sed vigilant ut rationem reddituri : quod quibus-

[1] Deut. III, 26.

dam videtur esse terribile. Mihi autem hoc curæ non est, si vos pereatis. Dem, non dem rationem de vobis, id non mihi utile est. Utinam vobis salutem nactis, dem ego de vobis rationem, et accuser quod officium meum non impleverim. Non enim ita curo ut per me vos servemini, ut curo ut a quovis servemini. Non nostis spiritualium partuum tyrannidem, quomodo is qui ita parturit, millies in frusta concidi peroptat, potius quam unum ex genitis perire vel corrumpi videat? Undenam id vobis persuadebimus? non alio certe modo, quam ex iis quæ vobis contingunt absolvemur. Possumus et nos dicere nos nihil subterfugisse, attamen dolemus; et quod doleamus hinc palam est, quod tanta paremus et excogitemus. Etsi potuissemus dicere : « Quid mihi curæ est? Ego quod meum erat feci. Ego mundus sum a sanguine. » At hoc non sufficit ad consolationem. Si posset cor nostrum discindi et patere, videretis vos omnes illic esse in magna latitudine, mulieres, filios, viros. Tanta quippe est charitatis virtus, animam cœlo latiorem reddit. « Capite nos, inquit Paulus. » Neminem læsimus, non anguste in nobis estis[1]. » Hoc et nos nunc dicimus : « Capite nos. » Totam in se Corinthum ille habebat, et dicebat : « Dilatamini et vos, non in an- » gustia estis[2]. » Sed hoc non ego dicere possem. Nam bene novi, quod vos me diligatis et capiatis. Sed quid lucri, vel ex mea vel ex vestra charitate, quando ea quæ Dei sunt in vobis non recte procedunt? hinc majoris causa doloris, majoris perniciei occasio. In nullo possum vos incusare. « Testor enim vobis, quia si fieri potuisset, oculos vestros » eruissetis et dedissetis mihi[3]. » Vicissim daremus non modo Evangelium, sed etiam animas nostras. Amamur et redamamus. At non hoc quæritur. Amemus ergo Christum primo. Primum quippe mandatum est : « Diliges Dominum

[1] 2 Cor. VII, — [2] Ibid. VI, 13. — [3] Gal. 3, IV, 15.

» Deum tuum. Secundum autem huic simile, et proximum » tuum sicut te ipsum[1]. » Secundum tenemus, primo nobis est opus; primo admodum opus est et mihi et vobis. Habemus illud, sed non ut oporteret. Diligamus illum. Scitis quanta reposita sit merces iis qui Christum diligunt. Amemus illum cum fervore animi, ut ejus benevolentia fruentes, præsentis vitæ tempestatem fugiamus, et promissa diligentibus cum bona consequi dignemur, gratia et misericordia unigeniti ejus Filii cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLV.

CAPUT XX.

Et nunc, fratres, commendo vos Deo, et verbo gratiæ ipsius, qui potest ædificare et dare hæreditatem vobis in sanctificatis omnibus [2].

I. Quod in Epistolis, hoc et in consiliis agit : ab admonitione in orationem desinit. Quia enim illos valde terruit dicens : « Lupi graves in vos ingredientur, » ne consternaret et perderet animos, vide consolationem, « Et nunc, » inquit. Ita dixit, hinc ostendens se quasi semper hoc agere. « Commendo vos, fratres, Deo, et verbo gratiæ ipsius, » id est, gratiæ ejus, atque ita bene dixit. Noverat enim quod gratia salvos faciat. Frequenter ipsis gratiam commemorat, ut debitores studiosiores reddens, et confidere suadens. « Qui potest vos superædificare. » Non dixit; « Ædificare; » sed, « Superædificare, » ostendens ipsos

[1] Matth. xxii, 37, et Marc xii, 30. — [2] Act. xx, 32.

jam ædificatos fuisse. Deinde futuræ spei meminit dicens : « Et dare vobis hæreditatem in sanctificatis omni-» bus. » Postea rursum admonitio. « Argentum, inquit, vel » aurum vel vestem nullius concupivi [1]. » Radicem malorum tollit, avaritiam. Argentum, inquit, vel aurum. Non dixit : « Non accepi, » sed, « Neque concupivi. » Nondum hoc magnum est, sed quod sequitur magnum. « Vos scitis » quia necessitatibus meis et iis qui mecum sunt, ministra-» verunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic » laborantes oportet suscipere infirmos [2]. » Vide illum opere manuum utentem, nec leviter, sed laborantem. « Necessi-» tatibus meis, et iis qui mecum sunt, ministraverunt ma-» nus istæ. » Hoc admonendo dicitur. Et vide cum quanta dignitate ; non enim dixit : « Ut pecuniis superiores sint, » sed quid? « Suscipere infirmos. » Non dixit, omnes, sed infirmos. « Et recordari verbi Domini, quod dixit : Beatius est » dare, quam accipere [3]. » Ne quis putaret ad illos dictum esse, et se exemplar illis dare, ut alibi ait : « Exemplar dan-» tes vobis [4], » subdit sententiam Christi dicentis : « Beatius » est dare quam accipere. » Oravit quoque super illis monens, illudque opere ostendit. « Et cum hæc dixisset, po-» sitis genibus cum omnibus illis oravit [5]. » Oravit, non utcumque, sed cum multa compunctione. Magna consolatio ; et cum diceret : « Commendo vos Domino, » consolabatur. « Magnus autem fletus factus est omnium, et procumben-» tes super collum Pauli, osculabantur eum, dolentes » maxime in verbo quod dixerat, quod amplius faciem ejus » non essent visuri. Et deducebant eum ad navem [6]. » Dixit, « Venient lupi graves ; » dixit, « Mundus ego sum a » sanguine omnium. » Hæc utraque terribilia, quæ possent mœrorem afferre ; maximeque hoc illos cruciabat, quod

[1] Act. xx, 33. — [2] Ibid. 34, 36. — [3] Ibid. — [4] Philip. III, 17. — [5] Act. xx, 36. — [6] Ibid. 37, 38.

audissent se non ultra visuros ipsum esse : et hinc agon gravissimus. « Deducebant, inquit, illum ad navem. » Sic amabant illum, sic affecti erga illum erant. « Cum autem » factum esset ut navigaremus abstracti ab eis, recto cursu » venimus Coum, et sequenti die Rhodum, et inde Pata- » ram : et inventa navi trajiciente in Phœnicen, ea con- » scensa solvimus. Ubi autem apparuit Cyprus, relicta illa » ad sinistram, navigavimus in Syriam, et venimus Ty- » rum [1]. » Vide : venit in Lyciam, et trajiciens in Phœ nicen, relicta Cypro, Tyrum navigavit : nam illic navis exoneranda erat : hæc causa fuit cur Tyrum irent. « Inven- » tis autem Discipulis, mansimus ibi diebus septem : qui » Paulo dicebant per Spiritum ne ascenderet Jerosoly- » mam [2]. » Vide : prophetant illi afflictiones. Provisum autem fuit ut et illi dicerent : ne quis putaret hæc frustra et jactandi causa Paulum dixisse. Iterum autem illic orantes, se mutuo reliquerunt. « Et expletis diebus profecti ibamus, » deducentibus nos omnibus cum uxoribus et filiis usque » foras civitatem. Et positis in littore genibus oravimus. Et » cum valefecissemus invicem, ascendimus in navim. Illi » vero redierunt ad propria. Nos autem navigatione expleta » a Tyro descendimus Ptolemaïdem ; et salutatis fratribus, » mansimus die uno apud illos. Sequenti vero die profecti » venimus Cæsaream, et ingressi in domum Philippi evan- » gelistæ, qui erat unus ex septem, mansimus apud illum [3]. » Cæsaream, inquit, venientes, apud Philippum, qui erat unus ex septem, mansimus. « Huic autem erant quatuor » filiæ prophetantes [4]. » Sed non istæ prædicunt, Paulo licet prophetarent, sed Agabus : et quomodo audi. « Et cum » maneremus per dies aliquot, venit a Judæa propheta no- » mine Agabus. Et cum venisset ad nos, tulit zonam Pauli : » et alligans sibi pedes et manus dixit : Hæc dicit Spiritus

[1] Act. xxi, 1-3. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 5-8. — [4] Ibid. 9.

» sanctus : virum cujus est zona hæc, sic alligabunt in Je-» rusalem Judæi, et tradent in manus gentium [1]. » Qui olim » famem prædixerat, hic ait : « Virum cujus est zona hæc, » sic alligabunt. » Quod Prophetæ faciebant, oculis futura describentes, cum de captivitate dicebant, ut Ezechiel : hoc et iste fecit; et quod grave erat : « In manus gentium » tradent. Quod cum audissemus, rogabamus nos et qui » loci illius erant, ne ascenderet Jerosolymam [2]. » Et multi orabant ne abiret, neque sic audivit. « Respondit vero Pau-» lus : Quid facitis flentes et affligentes cor meum ? Ego enim » solum alligari, sed etiam mori in Jerusalem paratus sum » pro nomine Domini Jesu. Et cum ei suadere non posse-» mus, quievimus dicentes : Voluntas Domini fiat [3]. »

II. Vides ? ut ne audiens putes ex necessitate illud esse, « Alligatus Spiritu vado ; » neve ipsum ignorantem incedisse credas; ideo hæc prædicuntur. At illi quidem flebant; hic vero consolabatur, dolens de lacrymis eorum. « Quid » facitis, inquit, flentes et affligentes cor meum » ? Nihil Paulo amantius. Quia lacrymantes videbat, dolebat, qui in propriis tentationibus nihil patiebatur. Me in hoc læditis, inquit. Numquid ego doleo ? Tunc quieverunt quando dixit : « Quid facitis affligentes cor meum ? Super vobis ploro, inquit, non super passionibus meis : pro illis etiam mori volo : » Sed supra dicta repetamus. « Argentum, vel aurum, » vel vestem nullius concupivi, inquit : vos scitis quia ne-» cessitatibus meis et iis qui mecum sunt, ministraverunt » manus istæ. » Non ergo Corinthi tantum hoc fecerunt qui corrumpebant Discipulos, sed etiam in Asia. Nusquam hoc Ephesiis improperat. Quare ? quia non incidit in necessitatem. Sed et Corinthiis dicit : « Non infracta est gloriatio » mea in regionibus Achaïæ [4]. » Nec dixit : « Non dedistis » mihi » sed, « Argentum vel aurum, vel vestem non concu-

[1] Act. xxi, 10, 11. — [2] Ibid. 12. — [3] Ibid. 13, 14. — [4] 2 Cor. xi, 5.

» pivi ; » ne videretur id esse eo quod illi non dedissent. Neque dixit : « Nullius concupivi necessaria ; » at ne videretur accusatio illorum esse ; sed illud subindicat, se jure non accepisse qui et alios nutriret. Vide quam studiose operaretur nocte et die colloquens cum lacrymis, singulos admonens. « Omnia ostendi vobis, inquit, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos. » Hoc cum dixisset, iterum timorem incussit. Hoc autem indicat : « Non potestis ad ignorantiam confugere. Operibus ostendi sic oportere laborare. » Nec dixit malum esse accipere ; sed melius esse non accipere. « Memores esse, inquit, sermonis » Domini, quem dixit : Beatius est dare, quam accipere. Et ubinam dixit ? Forte illud sine scripto tradiderunt Apostoli ; vel ex aliis quis colligere possit. Etenim ostendit fiduciam in periculis, commiserationem erga subditos, doctrinam cum loquendi libertate, humilitatem, paupertatem. Hoc autem est paupertate majus. Nam si illic ait, « Vende » quæ habes, si vis perfectus esse [1], » cum non modo nihil accipiat ; sed etiam alios nutriat, quid huic rei conferendum ? Primus gradus igitur est, sua abjicere ; secundus, sibi sufficere ; tertius, aliis quoque ; prædicantem et potestatem accipiendi habentem, nihil accipere. Itaque iis qui nihil haberent hic multo melior erat. Ac recte dixit : « Sic » oportet suscipere infirmos. » Hoc enim est commiserationis erga infirmos, ex propriis dare laboribus ; ex alienis vero, non modo non bonum, sed etiam periculosum. « Et » procumbentes super collum ejus, inquit, flebant. Hoc illorum erga ipsum affectum ostendebat. Procumbebant autem in collum, utpote qui postremos amplexus darent, et multam ex concione dilectionem hausissent, et amicitiam. Nam si nos cum vulgo discedimus, ingemiscimus, etsi sciamus nos iterum conventuros, quomodo illi non sine

[1] Matth. XIX, 21.

doloris affectu a Paulo avulsi fuissent. Ego Paulum quoque flevisse puto. « Abstracti, » inquit : violentiam monstrat, cum dicit, « Abstracti ab eis. » Et merito, in navim enim illi conscendere non poterant. Quid est, « Recto cursu ve- » nimus in Coum? » ac si diceret, « Non circuivimus, neque aliis in locis moras traximus. « Sequenti vero die Rhodum. » Vide festinantem. « Et inventa navi trajiciente in Phœni- » cem. » Forte navis illic tunc erat, et in eam conscende- runt, non inventa alia, quæ iret Cæsaream. « Ubi autem » apparuit Cyprus, relicta illa ad sinistram. » Hoc non sine causa dictum est; sed ut ostenderet, ne prope quidem il- lam accedere voluisse, cum recto cursu in Syriam perge- rent; ita nempe festinabat. Deinde « Venimus Tyrum, in- » quit. « Inventisque Discipulis, mansimus cum illis. » Cum essent prope Jerosolymam, non jam currunt; sed etiam manent apud fratres septem diebus. Vide jam dies enume- rat. Post azyma in Troadem venerunt diebus quinque : deinde ibi dies septem; suntque dies duodecim. Deinde in Assum, Mitylenem, contra Chium in Trogylium, in Sa- mum, Miletum. Dies omnes sunt octodecim. Postea in Coum, in Rhodum, Pataram, sunt viginti et una dies. Deinde istinc per dies quinque Tyrum; ut sint dies viginti sex. Ibi postea septem dies; sunt dies triginta tres, hinc Ptolemaïdem una die, sunt triginta quatuor. Deinde Cæ- sareæ manet pluribus quam alibi diebus. Et tunc demum inde illos abducit Propheta. Sic completur dies Pentecos- tes, et ibi illam peragit. Vide illum quando Spiritus non prohibebat obsequentem. Dicebant, « Ne des te in theatrum, » et non dedit. Sæpe illum educebant, et morem gessit. Per fenestram iterum effugit. Et nunc, ut ita dicam, innume- ris rogantibus et Tyri et Cæsareæ, flentibus, et innumera gravia prædicentibus, non cedit : quamvis non modo gra- via prædicerent; sed etiam per Spiritum prædicerent. Si

ergo Spiritus jussit, cur contradicebant? Quia nesciebant Spiritus scopum. Alioquin vero adhortationem illam per Spiritum non faciebant. Non modo enim gravia prædicebant, sed addebant non ascendendum esse, parcentes illi. « Et perfectis diebus, inquit, » id est, expletis. Dies autem dicit præstitutos. « Deducentibus nos omnibus cum uxoribus et liberis. »

III. Vide quanta consolatio esset. Et rursus orantes divelluntur. Etiam Ptolemaïde uno die manent, Cæsareæ vero plurimis diebus. Et quia audivit se innumera gravia passurum esse, tunc festinat, non sese in pericula conjiciens; sed putans Spiritus esse præceptum. « Post dies » autem hos, inquit, præparati ascendebamus in Jerusalem; » id est, acceptis iis quæ ad iter necessaria erant. « Venerant autem nobiscum et ex Discipulis a Cæsarea : » adducentes secum apud quem hospitaremus, Mnasonem » quemdam Cyprium antiquum discipulum. Et cum venissemus Jerosolymam, libenter exceperunt nos fratres[1]. » Et vide : non dixit Agabus : « Paulum ligabunt, » ne videretur ex pacto dicere; sed « Virum cujus est zona hæc. » Ergo zonam habebat. Quia vero suadere non poterant, ideo flebant; deinde quieverunt. Vides philosophiam? vides amoris affectum? « Quievimus, inquit, dicentes : » Voluntas Domini fiat. Adducentes, inquit, apud quem » hospitaremur. » Igitur non in Ecclesia. Tunc enim, cum pro dogmatibus ascendebant, in Ecclesia hospitabantur; nunc vero apud discipulum quemdam antiquum. Ostendit jam fuisse longum prædicationis tempus : unde mihi videtur in Actis multos annos succidere, et quæ urgebant tantum dicere. Quid sibi vult illud, « Voluntas Domini fiat? » Dominus, inquit, est, quod placitum est in oculis suis faciet. Quiescunt autem illi, neque cogunt illum. Forte

[1] Act. xxi, 15-17.

gnari esse voluntatem Dei, quod ex Pauli fervore conjectabant. Nam alioqui non tantus Pauli fervor fuisset, neque Deus permisisset, qui semper illum a periculis eruerat. Sic nolebant Ecclesiæ oneri esse, cum alius esset qui illos hospitio susciperet, neque honorem exigebant. « Libenter, inquit, exceperunt nos fratres. » Res tunc in pace erant apud Judæos, nec bellum ut prius erat. « Ducentes, inquit, apud quem hospitaremur. » Paulum ille hospitio excipiebat. Dicet fortasse vestrum quispiam : « Si quis mihi Paulum hospitio excipiendum offerret, id prompte et alacriter facerem. » Ecce Pauli Dominum tibi hospitio excipere licet, et non vis. Nam ait, « Qui suscipit unum ex his minimis, me suscipit[1]. » Quanto minor est frater, tanto magis Christus per ipsum advenit. Nam qui magnum quempiam excipit, per vanam sæpe gloriam id agit; qui vero parvum, pure propter Christum. Licet tibi etiam patrem Christi excipere, et non vis. Nam ait : « Hospes eram et collegistis me. » Et iterum : « In quantum fecistis uni ex his minimis, mihi fecistis[2]. » Etsi Paulus non sit, si fidelis sit et frater, etiamsi minimus, Christus tamen per illum advenit. Aperi domum, excipe. « Qui recipit Prophetam, inquit, mercedem Prophetæ recipiet[3]. » Ergo qui recipit Christum, recipiet mercedem Christi peregrinantis. Ne fidem neges verbis ejus, sed esto fidelis. Ipse dixit : « Per illos ego advenio; » et ut ne sis incredulus, supplicium decernit non recipientibus, honores recipientibus; non hoc facturus, nisi ille vel honoratus vel contumelia affectus ipse esset. Suscepisti me, inquit, in diversorio tuo, suscipiam te in regnum Patris mei. Solvisti mihi famem, solvam tibi peccata. Vidisti me vinctum, videri te faciam solutum : vidisti me peregrinum, faciam te civem cœlorum. Dedisti mihi panem, do tibi regnum totum, ut illud

[1] Matth. xviii, 5. — [2] Ibid. xxv, 35. — [3] Ibid. x, 41.

hæres accipias et possideas. Ait enim : « Venite, possidete » paratum vobis regnum[1]. » Non dicit : « Accipite, » sed, « Possidete, » quod dicitur de iis qui vere possident, ut cum dicimus : Hoc hæreditate possedi. Fecisti mihi in occulto, ego prædicabo in manifesto. Et tua quidem dico, quia gratiæ erant, mea vero debiti sunt. Quia enim tu cœpisti, inquit, ego sequar. Non pudet me fateri collata mihi beneficia, nec a quibus me liberaveris, a fame, nuditate, errore. Vidisti me ligatum, non videbis gehennæ ignem. Vidisti me infirmum, non videbis tormenta nec supplicia. O manus vere benedictæ, quæ talibus ministeriis serviunt, quæ dignantur ministrare Christo! Pedes in carceres euntes propter Christum, facile contemnunt ignem ; vincula non experiuntur manus, quæ ligatum illum viderunt. Induisti veste, et indueris veste salutari. Fuisti cum illo in carcere, et in regno cum illo eris. Hæc confitetur non erubescens, sed sciens te illum invisisse. Nesciebat Patriarcha se Angelos excipere[2], et tamen excipiebat. Erubescamus, obsecro : in meridie sedebat in terra aliena, nondum pedis vestigium habebat cum peregrinus esset, et peregrinos excipiebat peregrinus : civis enim cœlorum erat. Ideo nec peregrinus erat, cum in terra esset. Non magis quam ille peregrini sumus, qui peregrinos non excipimus. Domum non habebat, et tabernaculum ipsi diversorium erat. Et vide quam lautus sit. Vitulum mactavit, et farinam miscuit. Audi fervorem : per se et per uxorem hoc facit. Perpende quam sit a fastu alienus; adorat et obsecrat.

III. Hæc quippe omnia oportet habere eum qui peregrinos excipit : fervorem, hilaritatem, liberalitatem. Hospitis enim animus erubescit et pudibundus est : et si non gaudium monstret exceptor, quasi despectus abscedit,

[1] Matth. xxv, 34. — [2] Gen. xviii, 3.

ac sic excepisse deterius est, quam si non excepisset. Ideo adorat, ideo se excipere dicit, ideo sellam offert. Quis enim dubitasset, videns hoc illi opus esse? Annon nos quoque in terra aliena sumus? Sed si velimus, poterimus illum imitari. Quot hospites sunt ex fratribus? Est communis domus Ecclesiæ, quam Xenona vocamus. Curiose inquirite etiam vos, sedete ad fores, venientes suscipite; si non in domos vestras, illis aliter necessaria suppeditate. Quid ergo, inquies, an Ecclesia non habet? Habet; sed quid hoc ad vos? An si a communibus Ecclesiæ pecuniis alantur, id vobis prodesse poterit? An si alius precetur, tu non debes precari? Cur non dicis, quid enim? Annon sacerdotes precantur? Cur ego orabo? At ego, inquies, do isti, qui non potest illo venire. Da saltem illi. Quod enim quærimus hoc est, ut omnino detur. Audi quid dicat Paulus.: « Ut et iis, quæ vere viduæ sunt sufficiant, et ne » gravetur Ecclesia[1]. » Ut vis fac : solum fac. Ego vero non dico, ut non gravetur Ecclesia; sed, ut non tu graveris. Hac enim ratione nihil facies, omnia ei remittens. Ideo commune domicilium est ab Ecclesia assignatum, ut hæc non dicas. Sed sumptus habet Ecclesia, inquies : pecunias habet et reditus. Dic mihi, an sumptus non habet quotidianam impensam non habet? etiam, inquies. Cur ergo non adjuvas mediocritatem ejus? Me pudet hæc dicere. Cæterum non cogo. Si quis putat lucrum esse quæ dicuntur, faciat sibi xenodochium in domo : istic lectum statue, istic mensam et lucernam. Quomodo non absurdum fuerit, si veniant milites, habere vos assignata domicilia, magnam gerere curam, omniaque ipsis subministrare, quia illi bellum hoc sensibile depellunt : hospites vero ubi deversentur non habere? Vince Ecclesiam. Vis nos rubore perfundere? Hoc fac : liberalitate supera.

[1] Tim. v, 16.

Habe domicilium quo Christus diversetur. Dic, hæc est cellula Christi : hæc domus illi seposita est; etiamsi vile domicilium sit, non dedignatur. Nudus et hospes Christus circuit, tecto solum egens; saltem huic præsta : ne sis crudelis nec inhumanus, neque in rebus sæcularibus ita vehemens, in spiritualibus vero frigidus. Hoc committatur famulo omnium fidelissimo, et is mutilos, mendicos, et eos qui sine tecto sunt introducat. Hæc dico ut ad pudorem moveam. Oporteret enim sursum domi illos recipere; sin nolis, saltem infra, ubi muli, ubi famuli, Christum recipe. Forte exhorrescitis audientes. Quid ergo si ne hæc quidem feceritis? Ecce hortor, ecce dico. Hoc vobis curæ sit. At sic non vultis? Ergo alio modo facite, sunt multi pauperes utriusque sexus. Segregate omnino, ut ibi aliquis maneat. Sit saltem domus custos pauper. Sit tibi murus et sepes, scutum et hasta. Ubi est eleemosyna, eo non audet accedere diabolus, neque malum quodpiam. Ne, quæso, despiciamus tantum lucrum. Nunc vero currui quidem assignatus locus est, et basternis alius : Christo autem erranti nullus. Abraham ubi ipse manebat, ibi hospites recipiebat. Et uxor quasi ancilla stabat; illi vero quasi domini. Nesciebat se Christum, se Angelos recipere; si scivisset, omnia erogasset. Nos vero licet sciamus a nobis Christum excipi, non tantam exhibemus curam, quantam ille, qui putabat se homines recipere. At multi sunt, inquies, deceptores et ingrati. Et hinc tibi major merces, quando nomine Christi accipis. Si nosti esse deceptores, ne recipe domi; sin non nosti, cur temere accusas? Ideo dico : Eant in xenodochium. Quæ vero defensio, quando ne eos quidem quos novimus recipimus, sed omnibus fores claudimus? Sit Christi pandocheum nostra domus, repetamus ab illis mercedem, non argentum; sed ut faciant domum nostram Christi receptaculum. Circum-

cursemus undique, trahamus, venatum abripiamus; majus beneficium accipimus, quam damus. Non jubeo mactare vitulum, da panem egenti, vestem nudo, tectum hospiti. Ne autem hæc prætexas : est domicilium Ecclesiæ commune : illuc mittito, et tu suscipies. Nam ille etiam eorum quæ a famulis acta fuerant mercedem habuit. Ita erant instituti illius pueri. Currebant, nec murmurabant sicut nostri : illos enim pios reddiderat. In bellum traxit, nec murmurabant; ita philosophi erant. Omnium enim curam gerebat ut sui ipsius. Ac fere ut Job dicebat : « Similiter formati sumus in eodem ventre[1]. » Itaque et nos curemus salutem nostram, et magnam habeamus domesticorum sollicitudinem, ut sint probi et vigiles. Sit etiam domesticus noster in iis quæ ad Deum spectant institutus. Non erit postea virtus nobis difficilis, si illos probe instituamus; sicut in bello, cum milites sunt bene ordinati, dux facile pugnat : contra vero si non ita sit. Nautis item consentientibus, gubernator nullo negotio gubernacula regit; ita si sint famuli recte instituti, non facile exacerbaberis, non objurgabis, non irasceris, non conviciaberis. Fieri quoque potest ut famulos reverearis, si sint admirabiles : ipsique te juvabunt et ad bona hortabuntur. Ab his autem omnibus, omnia Deo placita erunt, et sic tota domus implebitur benedictione. Et sic ea quæ Deo placent facientes, magno fruemur superno præsidio, quod nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Job. XXXIII, 6.

HOMILIA XLVI.

CAPUT XXI.

Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Jacobum, omnesque presbyteri aderant. Quos cum salutasset, narrabat per singula quæ Deus fecisset in gentibus per ministerium ipsius [1]. »

I. Hic frater erat Domini et episcopus Jerosolymorum, vir magnus et mirabilis. Ad hunc ingreditur Paulus, sicut et ante etiam ad illum mittitur : et quomodo, audi. « Se- » quenti autem die, inquit, introibat Paulus nobiscum ad » Jacobum. » Vide quam sit a fastu alienus. « Omnesque » presbyteri aderant, quos cum salutasset, narrabat per » singula, quæ fecerat Deus in gentibus per ministerium » ipsius. » Iterum illis quæ ad gentes spectabant enarrat ; non vanæ gloriæ studio, absit; sed ut Dei clementiam ostenderet, et multa ipsos impleret lætitia. Vide ergo quomodo audientes Deum glorificarent. Non illum extulerunt vel mirati sunt ; sed Deum glorificabant : ita enim narrabat ut illi rem ascriberet. « At illi cum audissent, magnifi- » cabant Deum, dixeruntque ei. Vides, fratres, quot sunt » millia in Judæis qui crediderunt ? Et omnes æmulatores » sunt legis. Audierunt autem de te, quia discessionem do- » ceas a Moyse, eos qui inter gentes sunt omnes Judæos, » dicens eos non debere circumcidere filios suos, neque » his consuetudinibus incedere [2]. » Vide cum quanta et hi modestia loquantur [3]. Non quasi episcopus cum auctori-

[1] Act. XXI, 19. — [2] Ibid. 20, 21. — [3] Hic permixtim de episcopo et de cœtu episcopi loquitur.

tate loquitur ; sed illum in consilii socium assumunt ; ac si statim et ab initio rationem redderent, dicerentque : « Non vellemus. » Vides rei necessitatem ? « Vides , in- » quiunt, quot sint millia in Judæis qui crediderunt ? » Nec dicunt, quot millia instituerimus, sed sunt. « Et hi , in- » quiunt, omnes æmulatores sunt legis. » Duæ causæ sunt, et multitudo et propositum. Neque enim si pauci fuissent contemnendi erant, neque si multi, et non omnes legem retinuissent, magnopere curandum erat. Accedit et tertia causa. « Et hi omnes edocti sunt de te , inquit, quod dis- » cessionem doceas a Moyse , eos omnes , qui inter gentes » sunt , Judæos, dicens non debere eos circumcidere filios » suos , neque in consuetudinibus illis incedere. » Non dicunt : « Audierunt ; » sed , « Edocti sunt, » id est, instituti sunt et crediderunt, « Quod discessionem a Moyse » doceas , dicens non debere eos circumcidere filios » suos, neque in consuetudinibus illis incedere. » Post hæc subdidit. « Quid ergo est ? Utique oportet convenire mul- » titudinem. Audient enim te venisse. Hoc ergo fac , quod » tibi dicimus [1]. » Quasi consilium dantes hoc dicunt , non quasi imperantes. « Sunt nobis viri quatuor votum habentes » super se. His assumptis, sanctifica te cum illis, et impende » in illis, ut radant capita , et sciant omnes quia quæ de te » audierunt falsa sunt ; sed ambulas et ipse custodiens le- » gem [2]. » Consulunt ut re et opere, non sermone, defensionem paret. « Ut radant, inquit, et sciant omnes, quia » quæ edocti sunt de te , falsa sunt. » Non dixerunt : « Tu doces, » sed, « Audierunt, » rursum hoc verbo significans, edocti sunt , et quod ambules , id est, ex abundanti ipse serves. Non enim hoc solum quærebatur an alios doceret, sed etiam an ipse servaret. Quid ergo si gentes didicerint, inquit, annon offendentur ? Quare, cum nos Judæi docto-

[1] Act. xxi, 22, 23. — [2] Ibid. 24.

rem illum ad gentes miserimus? « De iis autem, qui credi-
» derunt ex gentibus, nos scripsimus decernentes ne quid
» hujusmodi observent, sed abstineant ab iis, quæ immolata
» sunt idolis, a sanguine, et suffocato et fornicatione [1]. »
Hic monendo loquitur; vult autem dicere : ut nos ipsis
præcepimus, etsi Judæis prædicantes; sic et tu, etsi gen-
tibus prædices, cooperare nobiscum. Observa Paulum,
non dicit : « Possum utique Timotheum adducere, quem
circumcidi, et hoc possum sermone persuadere. » Sed ob-
temperavit eis, et omnia fecit, etenim sic expediebat. Non
enim idem erat rationem verbis reddere, et nemine conscio
hoc facere; suspicione quippe carebat, quod impenderet.
« Tunc Paulus, assumptis viris, postera die purificatus cum
» illis, intravit in templum, annuntians expletionem dierum
» purificationis, donec offerretur pro uno quoque eorum
» oblatio [2]. » Annuntians, hoc est, declarans; itaque ipse
erat qui sese manifestum faciebat. « Cum autem septem
» dies jam implendi essent [3]. »

II. Vide quomodo potissimum in illis moratur. « Ii, qui
» erant ex Asia Judæi, cum vidissent eum in templo, con-
» citaverunt totam turbam, et injecerunt in illum manus,
» clamantes : Viri Israëlitæ, adjuvate. Hic est homo qui
» adversus populum et legem et locum hunc, omnes ubique
» docens, insuper et gentiles induxit in templum, et viola-
» vit sanctum locum istum [4]. » Vide mores eorum ubique
turbulentos, ipsosque in medio temere clamantes. « Vide-
» rant enim Trophimum Ephesium in civitate cum ipso,
» quem æstimaverant quod in templum introduxisset Pau-
» lus. Commotaque est civitas tota, et facta est concursio
» populi. Et apprehendentes Paulum trahebant eum extra
» templum : et statim clausæ sunt januæ [5]. Viri Israëlitæ,

[1] Act. xxi, 25. — [2] Ibid. 26. — [3] Ibid. 27. — [4] Ibid. 27, 28. —
[5] Ibid. 29, 30.

» adjuvate, inquiunt. Hic est homo qui adversus populum » et legem et locum istum. » Quæ illos maxime turbabant, templum et legem, hæc proferunt illi. Neque Paulus hæc patiens, de his etsi tantis Apostolos accusavit, quod ipsi in causa horum essent : adeo erat magnanimus. « Et trahe- » bant eum, inquit, extra templum : et clausæ sunt januæ. » Volebant enim illum interficere, ideo foras illum trahebant, ut cum majore licentia hoc facerent. « Quærentibus » autem illis eum occidere, nuntiatum est tribuno cohortis, » quod tota confunderetur Jerusalem, qui statim, assumptis » militibus et centurionibus, decurrit ad illos. Qui cum vi- » dissent tribunum et milites, cessaverunt percutere Pau- » lum. Tunc accedens tribunus apprehendit eum, et jussit » eum alligari catenis duabus : et interrogabat quis esset et » quid fecisset. Alii autem aliud clamabant in turba [1]. » Et cur examinaturus eum jussit ligari catenis duabus ? Ut populi furorem mitigaret. « Et cum non posset certum » cognoscere præ tumultu, jussit duci eum in castra. Et cum » venisset ad gradus, contigit ut portaretur a militibus prop- » ter vim populi. Sequebatur enim multitudo populi clamans : » Tolle eum [2]. » Quid est : « Tolle eum ? » Mos erat Judæis contra eos, quos damnarent, ita loqui, ut et contra Christum fece- runt, dicentes : « Tolle illum ; » hoc est, de numero viventium dele. Quidam vero dicunt id esse quod apud nos ex romana consuetudine dicitur : Immitte illum in signa. « Et cum » cœpisset in castra induci Paulus, dicit tribuno : Si licet » mihi loqui ad te [3]. » Cum gestaretur in gradibus, petit quiddam tribuno dicere : et vide quam mansuete, « Si » mihi licet loqui ad te, inquit. Qui dixit : Græce nosti ? » Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum con- » citasti, et eduxisti in desertum quatuor millia virorum

[1] Act. xvi, 31-34. — [2] Ibid. 35, 36. — [3] Ibid. 37.

» sicariorum [1] ? » Hic Ægyptius homo erat quædam inno-» vans et seditiosus. Hac de re sese purgat Paulus et dictis suis tollit suspicionem. Verum superius lecta repetamus. « Sunt nobis, inquit, viri quatuor votum habentes super » se : his assumptis, purifica te cum illis. » Ad hæc non obnititur Paulus ; sed morem gerit ; unde palam est, hoc non necessario faciendum fuisse. Ideoque persuadent illi, sed hoc per œconomiam et indulgentiam factum est. Non erat ergo hoc prædicationis impedimentum, siquidem et Apostoli hæc illis statuebant. Hoc itaque dispensans Petrum tamen deinceps incusat, nec sine causa hoc fecit : nam quod ipse hic fecerat; hoc et ibi Petrus, tacens et retinens dogma suum. Non dicebant : « Non oportet gentiles do-cere ; » neque, « Sufficiat quod non prædicetur illic. Sed oportet quid amplius facere, ut persuadeantur illi te legem custodire. Attemperatio est res illa, ne timeas. » Et vide : non prius persuadent illi, quam repræsentent et œcono-miam et lucrum : et quod Jerosolymæ fieret, tolerabile erat. Hoc igitur hic facito, ut illud extra civitatem hanc tibi facere liceat. « Tunc Paulus, inquit, assumptis viris » sequenti die : » non distulit; sed opere monstrans se per-suasum esse, assumit eos quibuscum se purificaturus erat : tanti fervoris erat œconomia hujusmodi. Et quomodo, in-quies, Judæi Asiatici viderunt illum in templo ? Verisi-mile est eos aliquot diebus istic versatos esse. Vide autem rem ex dispensatione quadam factam esse. Post quam enim persuasi fuerant Judæi, tunc insurgunt in illum ; et e re quidem, ut ne illi etiam in ipsum insurgerent. « Adjuvate, » inquiunt, viri Israëlitæ ; » ac si quis captu difficilis in eorum manus incidisset, « Adjuvate, inquiunt. Hic est qui » ubique omnes docet. » Non hic solum, inquiunt, sed ubi-que. Sequitur accusatio major a præsentibus. Ad hæc, in-

[1] Act. xxi, 38.

quiunt, « Profanavit templum, viros gentiles inducens. » Atqui etiam Christi tempore ascenderunt adoraturi. At hi loquuntur de iis qui non adorandi causa veniebant. « Et » assumentes, inquit, Paulum trahebant illum foras. » Perpende, a templo ejiciunt illum. Neque enim ultra legibus vel tribunalibus opus habebant; ideoque illum percutiebant. Sic per omnia feroces et petulantes sunt. Ille vero tunc quidem non sese purgavit; sed postea. Et jure quidem: tunc enim ne audissent quidem. Et cur clamabant : « Tolle » eum? » Timebant ne effugeret. Sed vide cum quanta modestia Paulus cum tribuno loquatur. Quid enim dicit? « Si » mihi licet aliquid tibi dicere. » Ita erat humilis, quia ubique modeste agere sciebat, « Nonne tu es, inquit, Ægyp» tius ille? »

III. Vide malignitatem diaboli. Deceptor erat et præstigiator Ægyptius ille, et sperabat se per illud rem obscuraturum esse, et hos illius scelerum consortes reddere, et Christum nempe et Apostolos. Sed nihil potuit, imo hinc splendidior veritas facta est, nihil ex diaboli machinis læsa; imo magis illustrata. Nam si præstigiatores non fuissent, ac deinde hi vicissent, forte suspicio fuisset. Cum autem illi apparuissent, hi vicerunt. Hoc autem mirum est. Ideo apparere non prohibentur, ut et sic magis fulgeant. Ut etiam alibi dicit, « Ut qui probati sunt, manifesti » fiant[1]. » Tale quidpiam et Gamaliel dicebat : « Ante hos » dies surrexit Theudas[2]. » Sicarios vero quidam dicunt esse genus latronum, sic appellatos a gladiis quos gestabant, sicas dictos Romanis. Alii vero putant ex una Judæorum secta fuisse. Tres namque sunt apud ipsos sectæ, Pharisæorum, Sadducæorum, et Essenorum. qui et Sancti vocantur, hoc enim sibi vult hoc nomen Esseni; idque ob vitæ sanctitatem. Iidem vero et sicarii dicti, quod essent

[1] 1 Cor. xi, 19. — [2] Act. v, 36.

zelotæ. Ne ergo doleamus quod sectæ sint, cum et pseudo-Christi fuerint, qui Christo insidiari voluerunt, et antehac et postea, ut obscurarent illum. Sed veritas fulget et splendet ubique. Hoc et Prophetarum ævo factum est. Fuerunt pseudo-Prophetæ, et veri ex comparatione magis effulgebant. Etenim morbus sanitatem conspicuam facit, et tenebræ lucem, tranquillitatemque tempestas. Non possunt gentiles dicere, quod illi deceptores et præstigiatores fuerint. Illi enim convicti sunt. Hoc etiam Moysi accidit. Concessit Deus ut magi essent, ne magus putaretur esse Moyses. Permisit ut docerent omnes, quantum magia poterat comminisci, ultra autem non deceperunt: sed ipsi sese victos confessi sunt. Nihil nobis nocent deceptores; imo nos meliores reddunt, si quis attendere velit. Quid igitur, inquies, si illorum gloriæ consortes simus? Non apud nos gloriam habent; sed apud eos qui judicio non valent. Ne multum curemus populi auram, ne ultra quam oportet illam sectemur. Deo vivimus, non hominibus; in cœlo conversamur, non in terra. Illic bravia et præmia laborum nostrorum jacent, inde laudes expectamus, inde coronas. Eatenus curemus homines, quatenus ne ansam illis præbeamus. Quod si, nobis non præbentibus, illi voluerin temere et frustra accusare, rideamus, non ploremus. Tu provide bona coram Deo et hominibus. Si, te bona providente, ille incessat, ne cures. Habes exempla in Scripturis. «Numquid enim hominibus » suadeo, an Deo[1]?» inquit; ac rursum: «Hominibus sua» demus, Deo autem manifesti sumus[2].» Et Christus de iis, qui offendebantur, dicebat: «Sine illos, duces sunt cæci » cæcorum[3];» ac rursum: «Luceant opera vestra, ut videant » homines, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis » est[4].» Si vero alibi dicat: « Si quis scandalizaverit unum

[1] Galat. I, 10. — [2] 2 Cor. V, 11. — [3] Matth. XV, 14. — [4] Luc. VI, 26.

» ex his pusillis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria a » collo ejus, et demergatur in profundum maris[1]; » ne mireris. Non enim sunt hæc contraria; imo valde consonant. Nam si apud nos fiant, væ nobis; sin non apud nos fiant, non item. Et iterum: « Væ vobis, per quos nomen Dei » blasphematur[2]. » Quid ergo, si ego facio quod decet, et alius blasphemat? Nihil ad te, sed ad illum: nam per illum blasphematur. Et quî fieri potest, ut quod decet faciamus, et aliis ansam demus? Unde vultis a præsentibus vel a veteribus vobis exempla afferam? Ne ostentatores simus. Vultis-ne id quod præ manibus habemus, dicamus? Judaïzabat Paulus Jerosolymæ, non Antiochiæ; judaïzabat, et illi offendebantur. At non jure offendebantur. Dicitur salutasse Neronis pocillatorem et concubinam. Quanta putatis contra illum propter hoc dixisse illos? sed non juste. Nam si lasciviæ causa salutasset, vel ob mala opera; merito. Sin ob viam rectam, quare? Dicam aliquid, quod et mihi et familiari cuidam meo accidit. Cum ira Dei incideret, et ille admodum juvenis esset, atque in diaconorum ordine, absente tunc episcopo, cum presbyterorum nullus curaret; una nocte confertim et temere baptizarunt multa hominum millia, et simpliciter baptizabantur omnes nihil scientes. Hos ille privatim accipiens et centenos et ducentenos alloquebatur, de alia nulla re, quam de mysteriis tantum, quod nempe non concederet accedere, non initiatos. Hunc putarunt multi ambientem principatum hoc facere. At ille eorum opinionem nihili faciens, non perrexit diutius id agere, sed cessavit statim. Quid ergo? Num ille offendiculi causa fuit? Non puto certe. Nam si nulla de causa id fecisset, merito illum reprehendissent: atque etiamsi perrexisset. Nam cum prohibentur ea, quæ Deo placita sunt, propter aliorum offendiculum, contem-

[1] Matth. xviii, 6. — [2] Rom. ii, 24.

nendum est. Tunc autem curandum, cum non cogimur propter illum offendere Deum. Etenim dic, quæso, si nobis dissentibus et ebriosos incessentibus, quidam offenderetur, num ego loqui desinerem? Audi Christum dicentem : « Num et vos vultis abire?» Sic nec contemnere nec curare nimium oportet multorum infirmitatem. Annon videmus etiam medicos hoc facere, et quando licet infirmis gratiosos esse, quando autem gratia illis perniciosa esset, non ultra illis parcere. Ubique modum servare bonum est. Multi puellæ virgini formosæ conviciabantur ob catechesim, illam adoriebantur, simulque eos, qui ipsam instituebant. Quid ergo? Num ideo illos abscedere oportebat? Minime : nihil enim agebant contrarium; sed rem valde gratam Deo. Ne itaque attendamus si quidam offendantur; sed si juste, et si non ad damnum nostrum. « Si cibus, in» quit, offendit fratrem meum, non comedam carnes in » æternum[2]. » Jure. Nihil enim nocebat non comedere. Si vero offendatur ille quod renuntiare velim, non jam curandum. Et quemnam, inquies, id offendit? Multos ut scio. Quando igitur indifferens est, abstineatur. Nam si volumus ad hoc unum spectare, a multis abstinendum erit : sicut e diverso si contemnamus, multi peribunt. Nam et Paulus præcavit offendiculum, et quomodo audi. « Ne hac » plenitudine, inquit, quæ ministratur a nobis[3]. » Nihil enim nocebat suspicionem tollere. Quando autem in tantam inciderimus necessitatem, ut propter alterius offendiculum magna eveniant mala : ipsum contemnamus. Ille quidem sibi in causa est : nos vero jam noxii non sumus. Non potuit enim sine damno illi parci. Multi offensi sunt quod in templo cubarent quidam fideles quasi non liceret. Sed male. Nihil enim hinc damni. Offendebantur quod cum ethnicis comederet Petrus, sed ille abstinuit; hic vero non

[1] Joan. VI, 67. — [2] 2 Cor. VIII, 13. — [3] Ibid. 20.

item. Ubique nos decet leges Dei sequentes, magnam curam habere, ne quam offendiculi occasionem præbeamus, ut et nos innoxii simus, et Dei clementiam consequamur, gratia et benignitate Unigeniti ejus, cum quo Patri et sancto Spiritui gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS TOMI OCTOGESIMI PRIMI.

ANNOTATIONES.

ANNOTATIO (1) pag. 21.

Tunc utique multi, quos frequenter carpunt Chrysostomus, Augustinus, aliique Patres, baptismum differebant usque ad mortis articulum. Si quando igitur medici monerent periclitantem conjugatum baptizandum esse, uxor, quasi mox amissura virum, ejulatus magnos edebat; ut etiam nunc sæpe contingit, quando ægro conferenda est Extrema-unctio.

ANNOTATIO (2) pag. 31.

Non genitam malitiam. Hæc erat Manichæorum opinio, qui malitiam, seu malum, non nasci, sed semper extitisse putabant. Bonum et malum Deum esse asserebant, qui inter se pugnarent. Quod erroris monstrum ante Christi adventum apud Gentiles in Ægypto fuerat, qua de re agit Plutarchus in libro de Iside et Osiride; infra quoque contra Manichæos agit Chrysostomus.

ANNOTATIO (3) pag. 37.

Hæc verba Chrysostomi significant: Si Apostolis accidit ut de primatu contenderent, multo magis accidere poterat, ut qui eligendi erant in locum Judæ, inter se contenderent.

ANNOTATIO (4) pag. 56.

Non ita intelligas, ac si Apostoli hæc sibi illata mala non magis senserint, quam si in somnis vel in pictura vidissent. Sed sic intelligendum puto : Ita inexpectata erant illa, quæ sibi inferebantur mala, ut quasi in somno vel pictura illorum origo duci videretur.

ANNOTATIO (5) pag. 66.

Marcion dicebat Christum non fore judicem mortuorum, inquit Philastrius in Hæresi Marcionistarum : hinc gehennam excludebant. Cæterum Marcionistæ non omnes inter se consentiebant, sed inter illos erant opinionum divortia.

ANNOTATIO (6) pag. 72.

Sensus hic imperfectus esse videtur. Nam sæpe Chrysostomus in hisce Commentariis sententiam relinquit imperfectam. Sic ergo totum intelligas oportet : *Vide quomodo conetur illos a crimine liberare, quantum scilicet fieri poterat; etsi enim id definitum a Deo esset, nihilo tamen minus illi homicidæ erant.* Hunc, *inquit*, definito consilio, *etc.*

ANNOTATIO (7) pag. 98.

Contra juramenta sæpissime concionatus est Chrysostomus, ut videre est in Homiliis ad Antiochenos et quibusdam aliis in locis. Hinc discimus Constantinopolitanos huic fuisse vitio assuetos; id quod etiam in sequentibus videre est.

ANNOTATIO (8) pag. 168.

Vide Josephum Antiquitatum judaïcarum lib. XVIII, c. 1, ubi Judæ Galilæi historiam refert, et lib. XX, c. 2, ubi de Theuda agit.

ANNOTATIO (9) pag. 175.

Hoc Socrates dicit apud Diogenem Laërtium, simileque refert Xenophon in Apologia Socratis.

ANNOTATIO (10) pag. 186.

Ille, quem hic vocat Chrysostomus Μεμφιβάαλ, is ipse est qui vocatur Miphiboseth in Vulgata et Μεμφιβοσθε apud LXX Interpretes. Dicitur autem Meribbaal in lib. IX Paralip. cap. VIII, 34. Ex duobus autem nominibus unum factum est, ut μεμφι ex uno, βάαλ ex altero nomine desumptum sit. Porro sic vocatur etiam in Synopsi Scripturæ sacræ. Theodoretus quoque Μεμφιβάαλ habet Quæst. XXXI in lib. II. Regum.

ANNOTATIO (11) pag. 216.

Interpres quidam ait Philippum illum, qui Samariam ad fidem convertit, ex septem primis diaconis esse, secundum a Stephano; illum vero, qui Eunuchum baptizavit, ex Apostolorum numero fuisse. At hoc postremum omnino stare nequit; ipse namque Chrysostomus, homilia sequenti, ait eum, qui Eunuchum baptizavit, ex numero septem diaconorum fuisse. Quare Morelli lectionem ut genuinam retinuimus.

ANNOTATIO (12) pag. 217.

Cum ait sub Moyse miracula per comparationem facta esse, id est, per comparationem cum miraculis per magos ægyptios patratis, ea probabantur esse vera, et a Deo proficisci.

ANNOTATIO (13) pag. 233.

Doctor Pauli Gamaliel mutatus fuisse dicitur, ut puto, quia Judæos repressit ne in Christianos sævirent, dum Paulus plus quam omnes sæviret in illos.

ANNOTATIO (14) pag. 241.

Donec impositum est illi nomen Jesu. Sed quandonam Paulo impositum est nomen Jesu, ut visum reciperet? hic vel vitium in verbis est, vel dicamus oportet tunc Ananiam imposuisse Paulo nomen Jesu, quando, positis super illum manibus, dixit illi Jesum esse a quo ipse visum reciperet.

ANNOTATIO (15) pag. 260.

Pro plenitudine. Dounæus opinatur hæc ad illa liturgiæ particulam spectare, εἰς βασιλείας οὐρανῶν πλήρωμα. Quid si dicamus, hæc ad Ecclesiæ plenitudinem referri, quæ etiam vocatur plenitudo sanctorum, qui sancti in hac vita precibus egent.

ANNOTATIO (16) pag. 298.

Post μνημονεύσωμεν, quidam manuscripti addunt; ἔτι Ἰάκωβος ἔζη, *adhuc Jacobus vivebat.* Miror hanc clausulam in manuscriptis quibusdam insertam haberi; quid enim ad rem

præsentem facit, si dicatur hic adhuc Jacobum vixisse? Deinde vero de quo Jacobo hic agitur? Jacobus enim frater Joannis paulopost gladio cæsus fertur. Jacobus autem frater Domini, episcopus Jerosolymorum, inferius neque semel in vivis esse memoratur. Ad quid ergo dicitur hic Jacobum in vivis fuisse? et cur id amanuenses addiderint non satis perspicio.

ANNOTATIO (17) pag. 332.

Atqui contrarium accidit; id est, ni fallor: Deus eduxit illos ex Ægypto, ut induceret in terram promisionis; sed ob illorum nequitiam contrarium accidit; nam maxima pars in deserto periit.

ANNOTATIO (18) pag. 410.

Prædivitem fuisse Platonem asseverabant quidam; at secus suadere videtur Diodorus Siculus, lib. XVI, cum ait eum a Dionysio tyranno venundatum, a discipulis suis viginti minarum redemptum fuisse.

ANNOTATIO (19) pag. 428.

Obscurum prorsus dictum, quod non videtur ad rem præsentem pertinere. Putat Halesius apud Savilium aliunde inductum fuisse. Crederem potius locum esse vel mutilum vel corruptum.

ANNOTATIO (20) pag. 434.

Martyrium, Ecclesia Martyrum, vel in qua reliquiæ Martyrum habebantur. Vox frequens apud scriptores ecclesiasticos, atque etiam usurpata a Latinis.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
Homilia VIII, pag. 93.	Ejusdem fragmenta, tom. XII, p. 492-495.
Homilia IX, pag. 103.	Ejusdem fragmenta, tom. XII, p. 495-503.
Homilia XIII, pag. 152.	Ejusdem fragmenta, tom. XV, p. 82-94.
Homilia XXIV, pag. 283.	Ejusdem fragmenta, tom. XII, p. 564-570.
Homilia XXXIII, 374.	Ejusdem fragmenta, tom. XIII, p. 196-199.
Homilia XXXVIII, pag. 111.	Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 340-346.

INDEX

TOMI OCTOGESIMI PRIMI.

		Pagin.
Homilia	I. Caput i.	3
—	II. Id. caput.	22
—	III. Id. caput.	34
—	IV. Caput. ii.	49
—	V. Id. caput.	60
—	VI. Id. caput.	71
—	VII. Id. caput.	82
—	VIII. Caput iii.	93
—	IX. Id. caput.	103
—	X. Caput. iv.	119
—	XI. Id. caput.	132
—	XII. Id. caput.	142
—	XIII. Caput v.	152
—	XIV. Id. caput.	164
—	XV. Caput vi.	176
—	XVI. Caput vii.	188
—	XVII. Id. caput.	200
—	XVIII. Id. caput.	211
—	XIX. Caput. viii.	225
—	XX. Caput ix.	239
—	XXI. Id. caput.	249
—	XXII. Caput x.	261
—	XXIII. Id. caput.	271
—	XXIV. Id. caput.	283
—	XXV. Caput xi.	295
—	XXVI. Caput xii.	305
—	XXVII. Id. caput.	316
—	XXVIII. Caput xiii.	325
—	XXIX. Id. caput.	332

Pagin.

Homilia XXX. Id. caput. 34
— XXXI. Caput XIV. 355
— XXXII. Caput XV. 366
— XXXIII. Id. caput. 374
— XXXIV. Id. caput. 385
— XXXV. Caput XVI. 397
— XXXVI. Id. caput. 405
— XXXVII. Caput XVII. 414
— XXXVIII. Id. caput. 423
— XXXIX. Caput. XVIII. 436
— XL. Id. caput. 446
— XLI. Caput XIX. 456
— XLII. Id. caput. 470
— XLIII. Caput XX. 481
— XLIV. Id. caput. 489
— XLV. Id. caput. 499
— XLVI. Caput. XXI. 511

Annotationes. 521
Concordantia. 527

EXPLICIT INDEX.

BR65 .C42 1834 v.11-12
John Chrysostom, Saint,
407.
Operum

SOUTHERN EVANGELICAL SEMINARY
37387000529535